
ANNA·MARIA WALTHERIN GEBORNE HORNIGEN·

3

WiMBP
Opole



369 st.

1/ Martini Hanckii de Silesiorum nominibus Antiquitates.
2/ Martini Hanckii De Silesiorum rebus exercitationes. aa. 550-1170
3/ Martini Hanckii De Silesiis indigenis eruditis Liber Singularis.
4/ Martini Hanckii De Silesiorum Majoribus Antiquitates.

Acc K 30168 C

MARTINI HANKII
DE
SILESIORUM
NOMINIBUS
ANTIQUITATES.

Additi sunt tres INDICES.



Professor
J. M. Gesnerus
consiliar.

LIPSIÆ,
Sumtibus CHRISTIANI BAUCHII
Bibliopolæ Vratislavienſis:

Typis CHRISTOPHORI FLEISCHERI,
M. DCCII.

MAGNA BIBLIOTHECA



ILLUSTRI GENEROSOQUE

DOMINO

IOHANNI SIGISMUNDO

HAUNOLDO,

EQUITI SILESIO,

RUHMBERGÆ DOMINO,

CÆSAREO CONSILIARIO,

CIVITATIS VRATISLAVIENSIS

PRÆSIDI,

REGII CASTRI NAMSLAVIENSIS

DIRECTORI:

OMNIS ERUDITIONIS ET VIRTUTIS

PROPENSISSIMO ÆSTIMATORI,

STATORI PERPETUO:

PATRIAM

INTRA PUBLICAS SENATORII COLLEGII CURAS
ET MULTIPLICIBUS, ET INGENUIS, ET SALUTARIBUS
CONSILIORUM OFFICIORUMQUE DOCUMENTIS
ULTRA DECENNIUM QUARTUM
FIDELITER ORNANTI, BEANTI FELICITER:
SIC
NOBILISSIMA SILESIORUM NOMINA
PRÆCLARIS MERITIS
APUD INDIGENAS ET EXTEROS AUGENTI,
APUD SEROS ETIAM POSTEROS AUCTURO,
IAM DIU COGNITUM NOMEN SUUM,
IN FAVORIS PECULIARIS PERSEVERANTIAM,
QUO AB ÆTATE PRIMA LÆTATUR,
COMMENDATURUS,
HOC DE SILESIORUM NOMINIBUS OPUSCULUM
OBSEQUIOSO VENERATIONIS AFFECTU
CONSECRAT
MARTINUS HANKIUS.

PRÆ-

PRÆFATIO ad LECTOREM.

SILESIORUM Amor, quem Patria mihi ſemper commendavit, me quidem jam olim juſſit Antiquitatum ad eam ſpectantium agere Scrutatorem, imo Scriptorem: hactenus tamen Otii, quô rariſſimè fruor, Tenuitas non permiſit, earum quoque fieri aut Diſpoſitorem, aut Editorem: niſi quod nuper VRATISLAVIENSES Eruditionis Propagatores, Chronologicis Tabulis, ab Anno CHRISTI M.D.XXV. ad M.Dcc. comprehenſos, in publicum emitti ſum paſſus.

Poſt illa, non nullis me ſimul & monentibus, & ſtimulantibus Cauſis annuens, ê Scriniis meis, plura Memorabilium, quæ diuturnus collegit Labor, Genera continentibus, de SILESIORUM NOMINIBUS Materiam in Or-

 dinem

dinem ſubpeculiaris Codicis redegi Formam. Is, quem intuendum LECTORIBUS Benevolis jam exhibeo, primum generatim recenſet Nomina Sileſiorum, per diſſimiles Literarum vel Additiones, vel Omiſſiones, vel Transpoſitiones, ad Indolem Lingvæ, partim Germanicæ, partim Slavicæ, nata, ſicut apud Latinos Autores inveniuntur. Poſtea ſpeciatim, unde Sileſiorum adeo varium Nomen Originem ſuam, cum Latinam, tum Germanicam, tum etiam Slavicam, id eſt, aut Polonicam, aut Bohemicam, ſeu conſecutum ſit, ſeu conſequi potuerit, exponit quamqve ſuis corroboratam & Rationibus, & Aſſeclis. Tandem oſtendit, quando ſit ortum Sileſiorum Nomen. Excludit extera Nomina, quæ Sileſios, quanquam revera Germanos, ideo Slavos, eosqve jam Polonos, jam Bohemos faciunt, quia Sileſii Slavis & Polonis, & Bohemis vicini, Societatem ſub uno

uno Regimine ſupremo cum Polonis quondam coluerunt, cum Bohemis adhuc colunt. Nam Sileſiorum talibus non tam Nominibus, quam Cognominibus explicandis reſervatus eſt alius Locus.

Eſt autem Liber hic non extra communis Utilitatis Spem concinnatus: quia Sileſiorum Rebus, citra Erroris Periculum cognoſcendis, ſervit evidentior diverſorum Nominum è Principiis ſuis Declaratio. Non enim tantum aut Terris, quibus adhærent, aut Sermonibus, quibus educantur, ſed Appellationibus etiam diſtinguuntur invicem Populi. Quare, cum Natio una pluribus indicari Verbis & poſſit & ſoleat, prudentes Hiſtoricos Cura ſubit, ne Vocabulorum ſeu Convenientiâ, ſeu Diſcrepantiâ decepti, vel producant ex unâ plures, vel in unam plures componant Gentes.

Cæterum hæ, quas de SILESIORUM NOMINIBUS repræſentamus, ANTIQUI-

QUITATES multa complectuntur, de quibus in Rerum Sileſiacarum Scriptoribus Clariſſimis, Ioachimo CURÆO, Nicolao HENELIO, Iacobo SCHICKFUSIO, Friderico LUCÆ nihil aut parum reperitur. Præterea ſimul & debebunt, & dabunt illis Lucem ANTIQUITATIBUS, quas pridem conſignavimus (proximè cum DEO publicandis) de SILESIORUM MAIORIBUS, ab Orbe condito ad Annum CHRISTI DL: quô Sileſios Imperio ſuo Slavi partim annexos, partim etiam ſubjectos reddiderunt.

Satis felix erit hoc de Sileſiorum Nominibus Opusculum, ſi quoddam Sileſiis non ademerit, quamvis non addiderit Nomen. Sed, quid plura? Non oderit NOMINA, quisquis amaverit RES SILESIORUM. Scribebam Vratislaviæ Sileſiorum, Die Februarii XV, Natali meo LXX, Anno CHRISTI M.DCCII.

DE SILE-

DE
SILESIORUM NOMINIBUS *LIBER.*

CAPUT I.

NOMINUM, quibus SILESII denotantur, *RECENSIO.*

QUADI, LYGII, ELYSII.

I.

SILESIORUM Terras primis Temporibus, quorum Antiquitates Indagatoribus obviæ ſunt, in GERMANIS poſſidebant SVEVI, cum QUADI, tum LYGII: quorum Pars ELYSII fuerunt. Sæculum igitur antiquum vel Quados, vel Lygios nuncupabat, quibus, in unam Gentem conſociatis, Ætas recentior, quantum perſpicere licet, prius ELYSIORUM, poſtea SILESIORUM Nomen impoſuit. His majorem attrahet Fidem noſter de Sileſiorum Majoribus, Liber.

II. Nomen autem Sileſiorum omnino genuinum quot quantisque Modis Sermo & Germanicus, & Slavicus, & utrivis respondentia Vocabula fingere ſolitus diſſimillimorum Autorum Latinus, in deteriorem Habitum mutaverit, monſtrat, quem ſubnectimus, Indicis Series: in quâ non ubique ſatis ex Nominibus, niſi ex Rebus, agnoſci poſſent SILESII.

LYSII.

III. Ricardus Bartholinus in Austriados, id est, de Bello Norico, Libro VIII. Versu 541:

Quæque colunt duri Borealia Teutones Armis
Litora, dicam acres, durosque in Prælia Fratres,
Et nimium Pugnâ sævos Elvonas equestri,
Sarmaticis gelidus quos Vistula separat Agris.
Supra habitant LYSII, tortâque Hermundurus Hastâ.

Ubi Jacobus Spiegelius in Notis: *Lysii nunc Slesii.* Lib. XII. Versu 904:

Protinus ingreditur Campum delecta Iuventus:
Tres LYSII, duo Saxones.

LYSITÆ.

IV. Idem Bartholinus in Austriados Libro X. Versu 602:

Auxilio Princeps Lysias, qui in Bella LYSITAS
Duxerat, unde suum retinet nunc Slesia Nomen.

SCHLESII.

V. Henricus II. Silesiorum Dux in Literis, Anno M. CCC. X. Glogoviæ scriptis: quas Andreas Gryphius in Glogovienſium Privilegiis edidit: *Nos Henricus, Dei Gratiâ Secundus, Heres Regni Poloniæ, Dux SCHLESIÆ, Dominus Glogoviæ & Posnaniæ.* Gerlacus, Archiepiscopus Moguntinus, in Literis Conjunctionem Silesiæ cum Bohemia confirmantibus, Anno M. CCC. LV, Norinbergæ scriptis; sicut eas Melchior Goldastus, non suis de Bohemia Commentariis, in Documentorum Additamentis, Num. XLVI, subjunxit: sed Constitutionum Imperialium (Anno M. DC. LXXIII, iterum editarum) Tomo I. exhibet: *Insignis Ducatus Vratislaviæ & SCHLESIÆ.* Paulo post: *Inpræmissô Ducatu Vratis lauiensi & SCHLESIÆ Terris.* Iterum post quædam: *Cum Illustri Domino Henrico VII, & ultimo Uratislauiensi & SCHLESIÆ Duce.* Ibidem SCHLESIÆ Nomen, pro quô tamen aliquoties SILESIÆ Vox immiscetur, sæpius repetitum invenitur. Johannes Nauclerus in Chronographia, Volumine II, Generatione XXVII ad A. C. 800: *Pomerania, SCHLESIA, Polonia.* Iosephus Moletius in Notis ad Claudii Ptolemæi Geographiam, Lib. II. Cap. XI: *Budorgis, SCHLESIÆ Caput, Vratislavia.*

SCHLESINGI.

VI. Caspar Ursinus Velius in Epigrammatibus ad Ioachimum Silesiæ Ducem:

Te colet ante alios semper SCHLESINGIA nostra,
Cujus es in summis Gloria summa Viris.

SCHLESITÆ.

VII. Æneas Sylvius de Moribus Germanorum: (sicut in cæteris ejus Operibus apud Basileenses Anno M. D. LXXI, editis reperitur: nam in Simonis Schardii Rerum Germanicarum Scriptoribus, Tomo I, aliter dispositum invenitur:) *Quicquid SCHLESITÆ ultra Oderam possident, Sarmatici quondam fuit Soli.* Sebastianus Munsterus in Cosmographia, Lib. III. de Germania, Cap. DIX: *Vratislauia, vulgo Presla, Caput SCHLESITICI Populi.*

SCLESII.

VIII. Casimirus, Polonorum Rex, in Literis, quibus suo in Silesiam Iuri, quod Iohanni Bohemorum Regi cedit, renunciat, Anno 1339, Cracoviæ scriptis: non, ut eas Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronicon, ad Librum III, Cap. XVI: & Bohuslaus Balbinus ad Miscellaneorum Bohemicorum Decadem I. Librum VIII, Volumen I, Partem I, Epistolâ XXXII: Sed, ut easdem Melchior Goldastus ad Commentariorum de Bohemorum Regno Appendicem, Documento XXVIII, retulit: *Boleslao Lignicensi & Bregensi, Henrico Saganensi & Crosnensi, Conrado Olsnensi, Ioanne Stinaviensi, SCLESIÆ Ducibus.* Sigismundus Imperator in Decretis, Anno 1435, Posonii conditis: quæ Melchior Goldastus Constitutionum Imperialium Tomo III indidit: *Sigismundus, Divina favente Clementiâ, Romanorum Imperator semper Augustus, & Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comariæ Bulgariæque Rex: Archipriceps Brandenburgensis, SCLESIÆ & Lucemburgensis Dux.* Æneas Sylvius in Historia de Europa, Cap. XXIV: *SCLESIA post Moraviam sequitur.* Ibidem paulô post de Hungaria: *SCLESIÆ ad Orientem jungitur.* Iterum post quædam: *Duces SCLESIÆ multi admodum.* Cap. XXV: *Polonia vasta Regio est, quæ SLESIÆ ad Orientem proximat.* Antonius Bonfinius de Rebus Hungaricis, Decade II, Libro VIII: *Ungaria, Cumania, Polonia, SCLESIA.*

SCLESITÆ.

IX. Sebastianus Munsterus in Cosmographia, Lib. III, de Germaniæ, Cap. DIX: *Anno 1511, Vladislaus Pater, & Ludovicus Filius, Reges Ungariæ & Bohemiæ totum Tempus in Homagiis à SCLESITIS suscipiendis absumsere.*

SELEUCI.

X. Iohannes Henricus Cunradus in Prosopographia MStæ de Vincentio Cadlubco, Polonico Historico:

Nomina corrumpit mirè: quos ille SELEUCOS
Dicit, Silesios quis putet esse meos?

SILESIANI.

XI. Ioannes Longinus, Cognomento Polonis Dlugossus, aliis Duglossus, in Historia Polonica, Tomo I, Lib. IV. ad A. C. 1109: *SILESIANORUM Militum Acies, quam in Subsidiis Boleslaus locaverat.*

SILESIATÆ.

XII. Michael Neander in Orbis Geographia, de Regionibus Germaniæ Orientalibus: *Puellæ SILESIATICÆ.*

SILESITÆ.

XIII. Sigismundus Augustus, Polonorum Rex, in Decretis, Anno 1550, conditis: apud Iacobum Prilusium de Provinciis Polonicis Capitulo XI: *Commissarii autem nostri etiam diligenter curabunt, ut pro iis Damnis, quæ per communes Commissarios Serenissimi Regis Romanorum & nostros in SILESITIS sunt decreta, Hominibus nostris Satisfactio justa & competens impendatur.* Matthias Quadus in Geographicis Enarrationibus, Lib. IV. Cap. VII: de Marsignis: *Hunc SILESITARUM Tractum tenuere prope Nissam Urbem.* Ibidem post quædam: *Cum Maravani ac SILESITÆ iisdem orientaliores sint.* Iterum post qvædam: *De SILESITIS tamen hæc sunt, quæ Beatus Rhenanus refert.* Porro quibusdam interjectis: *SILESITÆ olim propriis suis Ducibus paruere.* Bohuslaus Balbinus in Miscellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. I. Cap. VI: *Schickfusius SILESITICORUM Annalium Conditor.* Et Lib. IV. Parte I. §. XLIII: *Consulantur Rerum SILESITICARUM Scriptores.* Videatur §. XIX: ubi SILESITAS, Literâ I omissâ, SLESITAS nominatos reperies.

SILUSI.

XIV. Caspar Ursinus Velius in Epigrammatibus ad Ioachimum Silesiæ Ducem:

Barbara Silesios vocitabat Lingua SILUSOS.

SIUSLI.

XV. Autor Annalium Fuldensium de Francorum Rebus: quos in Petri Pithœi Rerum Francicarum Scriptoribus Anno M. D. XCIV: in Marquardi Freheri Germanicarum Rerum Scriptoribus Anno M. DC. XXIV: & in Andreæ Ducheſnii Francicarum Rerum Scriptoribus Anno M. DC. XXXVI editis reperimus: ad A. 869: *Sorabi & SIUSLI, junctis sibi Boheimis.* Ibidem ad A. C. 877: *Sclavi, qui vocantur Linones & SIUSLI.* Christophorus Colerus in Notis ad Taciti Germaniam, Cap. III: *In Annalibus Fuldensibus Sorabos & SIUSLOS conjunctos invenimus: alibi etiam Linones & SIUSLOS. Quæ posterior Vox, seu corrupta, seu integra sit, Taciti ELYSIOS significat. Quod si aliquis SLUISOS potius fuisse, quam SUISLOS velit, non repugnem. Nam ex SLUISIIS vel SLUISIS postea molliori, vel potius Latiniori Vocabulo procudere nobis SILESIOS.*

SLESACI.

XVI. Caspar Ursinus Velius in Epigrammatibus ad Ioachimum Silesiæ Ducem:

Sunt qui Sarmatico nos dicunt Ore SLESACOS.

Videatur §. XXIII: ubi Slesacos, Literâ S in Z mutata, *Slezacos* dictos invenies.

SLESICII.

XVII. Laudatus Ursinus in iisdem Epigrammatibus, ad Ioachimum Silesiæ Ducem:

Et, qui SLESICIIS nobis dant Nomen, habentur.

Videatur §. XXI: ubi *Slesicios*, Literâ C in Z mutatâ, *Slesizios* appellatos reperies.

SLESII.

XVIII. Clemens IV, Pontifex Romanus, in Literis ad Archiepiscopum Gnesnensem Anno M. CC. LXVII, septimo Calendas Aprilis, Viterbii scriptis: quas Laertius Cherubinus, ejusque Filius Angelus Cherubinus in Bullarii Magni Romani Tomo I. edidit: de Hedwige, quam ibi Sanctorum in Numerum retulit: §. X: *Cujus verò in Obitu quondam*

Henrici Ducis SLESIÆ, unici Nati ſui Patientia fuerit, non eſt prætereundum Silentio. Matthias, Hungarorum & Bohemorum Rex, in Literis ad Sileſios Anno M. CCCC. XC. Viennæ ſcriptis: quas Andreas Gryphius in Glogovienſium Privilegiis edidit: *Fidelibus noſtris, Magnifico Georgio de Lapide, Locum tenenti noſtro in SLESIA, nec non univerſis.* Sigismundus, Sileſiæ Dux Oppavienſis & Glogovienſis, in Literis, Anno M. D. II, Glogoviæ ſcriptis, ibidem exſtantibus: *Sigismundus, Dei Gratia, ſereniſſimi olim Regis Poloniæ Natus, Dux in SLESIA.* Poſt quædam: *In Glogovia cæterisque Ducatibus ſupra dictis inferioris SLESIÆ.* Marcus Antonius Coccius Sabellicus in Hiſtoriarum Enneade X, Libro II: *Borealis eſt SLESIA Boemiæ & Germaniæ Finibus incluſa.* Matthias Michovius in Polonorum Chronico, Lib. I. Cap. XII: *Moderni Principes SLESIÆ.* Autor Inſcriptionis Vratislauienſis, Anno M. D. XXI, in S. Vincentii, quondam S. Iacobi Cœnobio: quam Simon Grunæus habet in Sileſiæ Monumentorum Periculis: *Anno D. 1240. fundatum eſt Monaſterium S. Iacobi per Inclitum Ducem SLESIÆ, D. Henricum II, Filium S. Hedwigis.* Conradus Celtes Lib. II, Amorum, Elegia V:

SLESIA, quæ pulchris habet Oppida condita Muris.

Franciscus Faber in Sabotho, Verſu 1097:

SLESIA ſqualleret, nullas produceret Uvas.

Paulus Dalecampius in Annotationibus ad Plinii Lib. IV. Cap. XIV: *Bojemi, Luſatii, SLESII, Moravi.*

SLESITÆ.

XIX. Æneas Sylvius de Germanorum Moribus: *Ad Oderam Fluvium, quem plerique Germaniæ Sarmatiæque Terminum eſſe voluerunt, inſignis Eccleſia Vratislavienſis jacet, SLESITARUM Mater ac Regina.* Et in Hiſtoria Bohemica, Cap. I: *Ad Orientem vergens Latus Moravi obtinent & SLESITARUM Natio: Septentrionem iidem SLESITÆ.* Transtulit hæc in Vandaliam ſuam Albertus Krantzius Lib. I. Cap. IV. Hartmannus Scedelius in Norinbergenſi Chronico: *SLESITÆ ſub Imperio Bohemorum conſtituti ſunt.* Marcus Antonius Coccius Sabellicus in Hiſtoriarum Enneade X. Libro IV: *Nec Moravi ſolum occidui ſunt Polonis, ſed Bohemi & SLESITÆ.* Melchior Soiterus de Bello Pannonico, Lib. II: [in Philippi Loniceri Turcicarum Rerum Scriptoribus Anno M. D. LXXVIII: & in Rerum Hungaricarum Scriptoribus Anno M. DC. editis:] de Turcis: *Impetivit illos primum Bohemorum atque SLESITARUM Equitatus.*

SLESI-

SLESITANI.

XX. Matthias Michovius in Polonorum Chronico, Lib. III. Cap. IX: *Dux Boleslaus Aciem SLESITANORUM, quam uſque ad illud Tempus in Subſidiis reſervaverat, in Latus Cæſarianorum quam fortiſſimè induxit.*

SLESIZII.

XXI. Uladislaus, Hungarorum & Bohemorum Rex, in Decretis, Anno M. CCCC. LIV, Budæ conditis, quæ Melchior Goldaſtus in Conſtitutionum Imperialium Tomo III publicavit: *Wladislaus, Dei Gratia, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex: Auſtriæque, SLESIZIÆ & Stiriæ Dux.* Videatur §. XVII: ubi *Sleſizios*, Literâ Z in C mutatâ, *Sleſicios* nominatos invenies.

SLESSITÆ.

XXII. Andreas Althammerus in Scholiis ad Taciti Germaniam, Cap. I: [ſicut ea Simon Schardius in Germanicarum Rerum Scriptoribus, Anno M. D. LXXIV, editis, Tomo I, exſtare voluit:] *Quicquid SLESSITÆ ultra Oderam poſſident.* Ibidem ad Cap. II: *Sueiniz SLESSITARUM Oppidum.*

SLEZACI.

XXIII. Martinus Cromerus in Polonica Hiſtoria, Lib. VI. ad Annum 1163: *Sileſii ſive SLEZACI.* Bohuslaus Balbinus in Miſcellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. II. Cap. XV: *De SLEZACIS vel Sileſiis ex Dreſſero ipſa Verba annumerabo.* Videatur §. XVI: ubi *Slezacos*, Literâ Z in S mutatâ, *Sleſacos* dictos invenies,

SLEZII.

XXIV. Carolus, Iohannis Bohemorum Regis Filius, in Privilegio, quod, antequam Rex Bohemiæ fieret, Sileſiæ Ducibus Bregenſibus & Lignicenſibus, Anno M. CCC. XLIII, contulit: Melchior Goldaſtus in ſuis de Bohemia Commentariis, inter Additamenta, Documentum XXX conſtituit: *Illuſtrem Principem, Dominum Boleslaum, Ducem SLEZIÆ, Dominum Bregenſem.* Ibidem poſt quædam: *Illuſtres Principes, Dominos Wenceslaum & Ludovicum, Duces SLEZIÆ, Dominos Lignicenſes.* Videatur §. XVIII: ubi *Slezios*, Literâ Z in S mutatâ, *Sleſios* appellatos reperies.

SUISO-

SUISOLI.

XXV. Ioannes Aventinus in Annalibus Boicis, Lib. IV: *Bojemi Terminos Bojariæ incurſant, Pagos quosdam incendunt, Pecora, Mulieres captivas abigunt, Sorabes, SUISOLI Turogos vastant.*

SUSI.

XXVI. Adamus, Bremenſis Canonicus, in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Lib. I. Cap. XXXI: [ſicut eam Erpoldus Lindenbrogius apud Lugdunenſes Batavos Anno M. D. XCV edidit: quemadmodum vero eandem Ioachimus Iohannes Maderus publicavit; Cap. XXXIV:] *Luthewicus Pius Cæſar magnus obiit. Ipſe Boemannos, Sorabos, SUSOS, & cæteros Slavorum Populos ita perdomuit, ut Tributarios efficeret.*

SYLESII.

XXVII. Ioannes Dubravius in Hiſtoria Bohemica, Lib. VIII, de Vratislao Bohemo: *Cum Boleslao, Poloniæ Rege, de Fœdere ineundo agit, illudque per inſtauratum tertio Matrimonium, Sorore Regis, cui Suatana Nomen, Uxore ducta, compoſitis prius quibusdam in SYLESIA Rebus confirmat. Locus monet, ut de hac ipſa SYLESIA, quæ jam pridem tota ſub Imperio Bojemorum conſtituta eſt, pauca dicamus.* Ibidem poſt quædam: *Hactenus de SYLESIA.* Autor Inſcriptionis in Sigillo Cæſaris Maximiliani II: quam Andreas Gryphius in Glogovienſium Privilegiis, ad Annum M. D. LXXVII, annotavit: *Maximilianus II. D. Gra. Imp. Sem. Aug. Ger. Hung. Bohemiæ &c. Rex, Archidux Auſt. Dux Burg. Mar. Mor. Lucem. ac SYLES. Dux.* Autor Inſcriptionis in Sigillo Cæſaris Ferdinandi III. quam ibidem reperimus ad annum M. DC. XXXVIII. *Ferdinandus III. D. G Ro. Imp. Semp. Aug. Hung. Bohemiæ &c. Rex, Archidux Auſt. Dux Burg. Mar. Mora. Lucem. ac SYLES. Dux.*

SYLESITÆ.

XXVIII. Iohannes Dubravius in Hiſtoria Bohemica, Lib. VIII: de Sileſiis: *Nunc SYLESITÆ vocari malunt, Patriamque SYLESIAM.*

SYLLESII.

XXIX. Stanislaus Sarnicius in Annalibus Polonicis, Lib. V. ad A. C. 902: *Contra Polonos SYLLESIOS Marchia Mysnenſis.* Lib. VI. ad A. C. 1193: *Henricus ergo Quintus conjunctis Viribus cum Suatoplugo Rege Bohemiæ validiſſimas Copias contra Boleslaum in SYLLESIAM duxit.* Ibidem ad

ad A. C. 1195: *Poloni, Meritorum Cazimiri Patris memores, Leſcum eligunt in Regem. Aderat quidem Mieſcus Senex, aderant SYLLESII & Opolienſes Duces, qui Iure quodam ſuo ad Principatum adſpirabant. Sed tantus Amor patricii Regis tunc cunctos tenebat Polonos, ut, non dicam Germanum aut Iszlum, ſed ne SYLLESIUM quidem, ac neque Mieſconem ex majori Polonia vellent eligere.*

XXX. Tot, & fortaſſis pluribus, quæ Diligentiam noſtram effugerint, Mutationibus obnoxium SILESIORUM Nomen, quod Literis, tum genuinis, tum alienis, partim omiſſis, partim additis, partim transpoſitis, ſeu per Ignorantiam, ſeu per Incuriam depravatum, uni Populo impoſitum reperitur, unde provenerit, patebit ex SILESIORUM NOMINIS, quas proferemus, Novem ORIGINIBUS.

CAPUT II.

ORIGO prima SILESIORUM Nominis, A Sileſiæ SITU, *Latina, Polonica, Germanica.*

I.

SILESIORUM Nomen, ut in multiplices Formas convertitur, ſic à diverſiſſimis Rebus, tanquam Fontibus, intra Sermonem, cum Germanicum Indigenam, tum Latinum & Slavicum Advenas, derivatur.

II. SILESIA, ſicut etiamnum eſt, ita quondam [etſi multò amplior] fuit Germaniæ, ſi orientem Solem inſpicias, Terminus. Nam Flumen pro Limite, quò Germaniam à Sarmatia ſeparabat, olim habebat Viſtulam: & quò Germaniam à Polonia ſeparat, nunc habet Viadrum: niſi quod etiam ultra eum non contemnendam ſui Partem poſſidet. Hinc, quoniam Sileſia Finis, & quædam velut Porta eſt, per quam Amicis reſeratam concedatur, Hoſtibus obſeratam prohibeatur in Germaniam Aditus: nos triplicem Sileſiorum Nominis Originem, uno Fundamento ſubnixam, producemus.

LATINA.

III. Primum Sileſia ideo, quia Germaniam claudit, Germaniæ *Clauſtrum* eſt. Hoc enim Vocabulo deſignatur Regionum Imperiorumque Finis, & quicquid eſt ultimum, Amnis, Mons, Urbs. Livius Lib. I. cap. XXXII: *Jam omnes Hetruriæ Populi, præter Aretinos, ad Arma ierunt, ab oppugnando Sutrio, quæ Urbs Socia Romanis, velut CLAUSTRA Hetruriæ erat, ingens*

orſi bellum. Tacitus in Annalibus Lib. II. cap. LXI. §. 4. *Exin ventum Elephantinen ac Syenem, CLAUSTRA olim Romani Imperii.* Cicero in Oratione pro Flacco, Cap. XIII: *Illa eſt enim Gloria divina Pompeji, primum Prædones eos, qui tum, cum illi Bellum maritimum gerendum datum eſt, toto Mari diſperſi vagabantur, redactos eſſe omnes in Poteſtatem: deinde Syriam eſſe noſtram, Ciliciam teneri, Cyprum per Ptolemæum Regem nihil audere: præterea Cretam Metelli virtute eſſe noſtram: nihil eſſe, unde proficiſcantur: nihil, quo revertantur: omnes Sinus, Promontoria, Litora, Inſulas, Urbes maritimas, CLAUSTRIS Imperii noſtri contineri.*

IV. Deinde propter eandem Cauſam, Sileſia eſt Germaniæ *Clauſa:* quoniam Ætas id, quod vetuſtior *Clauſtrum*, recentior *Clauſam* nominat. Autor Chronici Marcianenſis Lib. II. cap. III. *Præmiſit aliquos ex ſuis Proceribus ad cuſtodiendas Francorum CLAUSAS.* Luitprandus, Ticinenſis Diaconus, Lib. V. Hiſtoriarum, Cap. VIII: *Præceperat enim Rex CLAUSARUM Cuſtodibus, ne quempiam tranſire permitterent.* Imperator Carolus IV. de vita ſua: *Et tranſivimus ulterius ſuper prædictum Comitem & devaſtavimus Terras ſuas usque CLAUSAM, quæ vocatur Lintz.*

V. Porro, ſecundum eandem Rationem, Sileſia eſt Germaniæ *Cluſa:* quoniam *Clauſa* etiam *Cluſa* dicitur Scriptoribus Imperatori Carolo Magno æqualibus, non tantum ab ejus Ævo remotioribus. Anonymus Autor in Caroli Magni Cæſaris Vita: [Andreæ Ducheſnii Rerum Francicarum Scriptoribus, Tomo II:] ad Annum 773: *Tunc ambo Exercitus ad CLAUSAS ſe conjunxerunt: ipſeque Deſiderius Domno Regi Karolo obviam venit. Tunc Rex Carolus una cum Francis Caſtra metatus eſt ad easdem CLUSAS, mittens Cohortem per Montana. Quod ſentiens Deſiderius, CLUSAS reliquit: ſicque Domnus Rex Karolus, auxiliante Deo, & beato Apoſtolo Petro intercedente, ſine Læſione aliqua vel Damno ſuorum per CLUSAS apertas Italiam introivit.* Anonymus Autor in Epiſcoporum Autiſſiodorenſium Hiſtoria [quæ in Philippi Labbei Manuſcriptorum Bibliotheca, Tomo I. reperitur] Cap. LIV: *Paratis igitur omnibus, quæ neceſſaria erant ſibi, aggreſſus eſt Iter propoſitum, tranſiens Montem Ciniſium, ad CLUSAS venit, & ibidem intellexit, Viam ſecuram non eſſe.* Fredegarius Scholaſticus in Chronico, Cap. CX: [in Marquardi Freheri Rerum Francicarum Scriptoribus:] *Rex Pipinus cum Exercitu ſuo, Monte Ciniſio transacto, usque ad CLUSAS, ubi Longobardi reſiſtere nitebantur, perveniens, ſtatim Franci, ſolito More, ut edocti erant, per Montes & Rupes erumpentes, in Regnum Aiſtulphi cum multa Ira & Furore intrant.* Autor Annalium Francicorum [quos in Rerum Francicarum Scriptoribus Editor Marquardus Freherus quidem Benedictino Monacho aut Adelmo, aut Ademaro: Andreas Duchesnius autem Eginhardo, Cæſaris Caroli Magni Notario, attribuit:] ad Annum 755: *Reſiſtentibus Longobardis, & Clauſtra Italiæ tuentibus, ad ipſas Montium Anguſtias, quas CLUSAS vocant, acerrime pugnatum eſt.* Ibidem ad Annum 817: *Nunciatum eſt ei, Bernhardum Nepotem ſuum Italiæ Regem quorundam prævorum Hominum Conſilio Tyrannidem meditatum, jam omnes Aditus, id eſt, CLUSAS, quibus in Italiam intratur, impoſitis firmaſſe Præſidiis.* Anaſtaſius Bibliothecarius de Pontificum Romanorum Vitis, in Stephano III: ad Annum 755: *Præmittens ante ſuum Occurſum aliquos ex ſuis Proceribus & cum eis exercituales Viros ad cuſtodiendum proprias Francorum CLUSAS.* Luitprandus, Ticinenſis Diaconus, Lib. I. Hiſtoriarum, Cap. II: de Hungarorum Gente: *Namque difficillimis ſeparata à nobis erat Interpoſitionibus, quas CLUSAS nominat Vulgus: ut neque ad Meridianam, neque ad Occidentalem Plagam exeundi habuerit Facultatem.*

VI. Præterea, ejusdem Conditionis Reſpectu, Sileſia eſt Germaniæ *Sluſa:* quoniam pro *Cluſa* reperitur *Sluſa.* Quô *Sluſæ*, quanquam nonminus, quam *Cluſæ* Vocabulô, generatim quævis Extremitas continendis Rebus habilis, tamen ea ſpeciatim, per quam Aqua clauditur, denotari ſolet. Imperator Carolus Magnus in Lege Salica [quam, Anno 798, ſcribi juſſit] Titulo XXIV, de Furtis in Molino commiſſis, Cap. III: *Si quis SLUSAM de Farinario alieno ruperit, ſexcentis Denariis, qui faciunt ſolidos quindecim, culpabilis judicetur.* Nam ibi, quamvis reperias in Legum antiquarum Codice, quem Baſilius Joannes Heroldus apud Baſileenſes, Anno M. D. LVII: & Fridericus Lindenbrogius apud Hamburgenſes, Anno M. DC. XIII. edidit: pro *Sluſam* ſcriptum *Scluſam:* tamen *Sluſam* legendum eſſe docet ipſe Lindenbrogius in ſuo ad easdem Leges Gloſſario: in quod *Sluſæ* non *Scluſæ* Vocabulum retulit, & quid in Lege Salica ſignificet, addidit. Accedit, quod Hermannus Nuenarius Comes in Narratione, quam de Francorum Origine ſcripſit, [Andreas Duchesnius in Rerum Francicarum Scriptoribus ad Tomum II, Pariſiis Anno M. DC. XXXVI. editum, retulit] exponat, quidnam in eadem Lege, non *Scluſa*, ſed *Sluſa* ſit.

VII. Hinc etiam Urbs Flandriæ *Clauſtrum* dicitur *Sluſa.* De quâ Jacobus Marchantius Lib. I. de Flandria: *Traxit Originem Appellationis à Repagulo Aquas vel transmittente, vel refrenante, quaſi Sluta, à claudendo.* Petrus Montanus ad Petri Kærii Germaniam inferiorem: de Flandria: *Sluſa ſive Sluſæ (Clauſulæ Sigeberto) ut putat Lipſius, à Cataracte Nomen habet: quæ Flandris vocatur Sluys.* Johannes Iſacius Pontanus Lib. VII. Hiſtoriæ Gelricæ, ad Annum 1336: *SLUSAM & Cadſantum, quæ Clauſtra ſunt Flandriæ, hoſtiliter invaſit.*

VIII. Quæ cum ita sint: habent, quô se tueri possint, à quibus SILESIA ideo, quia Germaniæ, cujus etiamnum est, jam olim SLUSA, id est, Finis, Nomen suum consecuta creditur. Hujus Opinionis, nescio, Autorem, an Propagatorem innuit Melchior Goldastus de Bohemiæ Regno, Lib. I. Cap. XIV. §. 3: de Silesia: *Non nemo sic dictam putat, quasi SLUSAM, à Latino Vocabulo CLUSA, id est, Schlus, vel nostrate Dialecto, Schleus: quod Germaniam claudat, velut Præstructura quædam ac Propugnaculum adversus Sarmatarum & Tartarorum Irruptiones.* His Vestigiis adhærens, si Gradum semper in proximum feceris, ut *Clusam* in *Slusam*, sic *Slusam* primum in *Slesam*, post in *Slesiam*, & tandem in *Silesiam* convertes: unde formes *Silesios*.

IX. Jam, concedentibus, *Slusam* esse Fontem, ex quô *Silesia* derivetur: est, cur in dubium vocetur, cujus Originis tum *Slusa*, tum *Silesia* sit. Num Latinæ: quoniam Vox utraque Latinos habet Natales, si, mutato C in S, à *Clusa* descendit *Slusa?* Non habet, quô satis confirmari possit ea Conjectura, si, præter *Clusam*, reperitur alterius Linguæ Nomen, à quo prius *Slusa*, deinde *Silesia*, deduci possit.

POLONICA.

X. Sane *Clavis*, ut Isidorus Hispalensis Episcopus in Originibus Lib. XX. Cap. XIII, explicat, dicta, quod *claudat* & aperiat, Populo Slavico, Polonis KLUCZ appellatur. Hinc etiam SLUSA derivari potest.

XI. Nam, primum K, &, quod ei respondet, C in S mutare, non inusitatum est. Sic à *Mulcere Mulsum* est: ut Servius in Notis ad Virgilii Librum I. Æneidos, Versum 70 indicat. Quem in Modum ex KLUCZ fiet SLUCZ.

XII. Porro, quia Literarum Multiplicatio, quæ Slavis admodum familiaris est, aliis leniori Sermoni studentibus imminui solet: sicut pro Czechus, abjectô aut C aut Z, Latinis aut Cechus, aut Zechus plerumque scribitur: ita, si C tollas, ex SLUCZ fiet SLUZ.

XIII. Præterea Z in S mutare, Latinis frequens, Germanis frequentissimum est. Ita Græcis ἀγάζω, Latinis est *Agaso*. Ita Germanis antiquis *wazar faz*, pro *Wasersas*: &, *fazzon* pro *fassen*: &, *floz tharuz*, pro *flos darus*, seu *daruus*, dicebatur: quemadmodum dixit Otfridus in Evangeliis Lib. II. Cap. VIII. Versu 53: Lib. IV. Cap. XVI. Versu 29: Cap. XXXIII. Versu 61. Hoc Pacto si Z in S convertas, ex SLUZ fiet SLUS: ex quô latine SLUSA prodibit: unde sicut §. VI. ostendimus, ad *Silesios* transeas.

XIV. Quanquam vero nihil repugnat, quô minus *Silesia*, velut quædam

dam Germanorum *Clavis*, cujus Ope Transitus in Germaniam Exteris pateat, Nomen hunc in Modum à Polonica Voce KLUCZ *Clavis*, obtinuisse videri possit: tamen quis non videt, multô crebrioribus Vocabuli KLUCZ, quam *Slusæ*, in quod tandem *Klucz* convertitur, Mutationibus, pro Fundamento meras Conjecturas tenentibus, ad *Silesiæ* Nomen fieri Progressum?

GERMANICA. Prior.

XV. Nos, Silesiorum Nominis Derivationi, tum ex Latino *Clusa*, tum ex Polonico *KLUCZ*, unde *Sluza* provenerit, parum tribuimus. Non tamen ideo Principium Appellationis, quâ Silesii gaudent, à Silesiæ Situ petitum, prorsus rejicimus. Etenim hoc, quibus probare placet, quemadmodum aliunde corroborari possit, perspicimus.

XVI. Germani quondam Literas CH in Vocibus hodie adhiberi solitas omittebant. Dicebant enim *Snabel* pro *Schnabel*. Otfridus in Evangeliis Lib. I. Cap. XXV. Versu 55: *Mit Snabulu*: id est, *mit dem Schnabel*. Præterea *Besneidet* pro *Beschneidet*. Idem Lib. III. Cap. XVI. Versu 82: *Nir iu Kind bisnidet*: id est, *Nit ir euch* [das] *Kind beschneidet*. Porro, *Snelle* pro *Schnelle*. Idem ad Ludovicum Orientalium Regnorum Regem: *Ludouuic ther Snello*: id est, *Ludwig der Schnelle*. Similem in Modum, *Suuert* pro *Schwert*. Wolfaramus Eschelbachius in Melchioris Goldasti ad Winsbekii Paræneses Animadversionibus, §. 20: *Schilt und Swert mit Eren*: id est, *Schild und Schwert mit Ehren*.

XVII. Parem in Modum Germani veteres, omissô CH, usurpabant SL pro SCHL. Dicebant enim *Slaf* pro *Schlaf*: & *Slecht* pro *Schlecht*. Quin necdum quidam desierunt ita loqui. Joannes Goropius Becanus in Hermathenis, Lib. VIII: *Hinc SCLECHT simplex*. Ibidem paulo post: *Nos SLECHT scribimus, ad molliorem Sonum, & pro Schlichten Slichten*.

XVIII. Nec est, ut ejusmodi Voces, quarum Pars *Sla, Sle, Sli, Slo, Slu* est, Ortu non Germanicas, sed Slavicas esse contendas. Id quidem non diffitemur, eas Syllabas, tum antiquis, tum recentioribus Slavis admodum esse familiares: quod cuique Pannonum, Polonorum, Bohemorumque libros, patriâ Lingvâ scriptos, intuenti, patet. Addimus etiam, Germanis post Annum Christi 550, quem Slavorum in Germaniam hostilis Adventus nobilitavit, multas Oris Slavici, tum Syllabas, tum Voces, in Sermonem patrium receptas: quis vero easdem, quamvis nec in Græcis, nec in Latinis Nominibus obvias, ita proprias Slavis ostendet, ut in nullo, nisi Slavicam Originem consecuto Verbo reperiri, credendum, ideoque statuendum sit, omnibus Populorum omnium Vocibus, quibus earum Syllabarum quædam inest,

pro Matre Linguam esse Slavicam? Quin habemus adhuc à Scriptoribus antiquissimis Germanicis Codices, Stylô Saxonicô, Francicô, Suevico, pro Temporibus illis elegante, compositos, asperioris, quô Slavicus Sermo gaudet, Characteris, expertes: in quibus Literas SL, omissô CH, intra Syllabam unam conjunctas invenimus.

XIX. Etenim Saxones jam Anno 449, [priusquam Slavi Germaniam Anno 550 invaserunt] in Angliam pervenerunt, quam postea totam suæ Nationis Regibus ibidem procreatis subjecerunt: quod, præter alios, Venerabilis Beda Lib. I. Historiæ Ecclesiasticæ, Cap. XV. & Henricus Huntindonensis [in Henrici Savilis Rerum Anglicarum Scriptoribus] Lib. II. Historiarum, ad Annum 449, tradunt. Inter hos Saxonum Occidentalium in Anglia Reges, Alfredus I. Imperium ab Anno 871 ad 900 gessit: ut Simeon Dunelmensis in Regum Anglorum gestis [quæ Johannes Seldenus in Rerum Anglicarum Scriptoribus edidit] ad Annum 871, & 899: & Joannes Asser Menevensis [Anno 909 mortuus: cujus Historiam Guilielmus Camdenus in Rerum Anglicarum Scriptoribus emisit] de Alfredi I. Rebus, ad Annum 871 & 900 commemorat. Is Alfredus in Præfatione, quam Legibus suis præmisit: [primum Abrahamus Whelocus apud Cantabrigienses Anno 1644, ad Bedæ: postea Marcus Zuerius Boxhornius apud Lugdunenses Batavos Anno 1650, ad Haymonis Historiam Ecclesiasticam adjecit] dicit SLEA pro SLAE, id est, SCHLAGE, *percute*. §. V: *Ne SLEA du*: id est, *Nicht SCHLAGE du*. MANSLAG pro MANSCHLAG. §. XXV: *Gif deof brece Mannes Hus Nihtes, and wyrde dær OFSLÆGEN, ne sy he na MANSLÆGES Scyldig, de him SLOGE. Gif he Syddan æfter Sunnan Upgong dis ded, he bid MANSLÆGES scyldig.* Id est, *So* (ein) *Dieb breche* (in eines) *Mannes Haus* (des) *Nachtes, und wurde der ERSCHLAGEN, nicht sey er eines MANSCHLAGES schuldig, der ihn SCHLUGE. So er so dann nach der Sonnen Aufgang dieses thæt, er ist* [eines] *MANSCHLAGES schuldig.* SLEGE pro SCHLEGE: ipsarum Legum Cap. II: *Gif hine mon on dem Furste geyslige, mid SLEGE, odde mit Bende, odde durch Wunde.* Id est, *So ihn* (ein) *Mann an der Zeit* (Fyrste pro Fryste) *verjaget mit SCHLEGEN, oder mit Banden, oder durch Wunden.*

XX. Præterea iisdem propemodum Temporibus, quibus Alfredus I. Anglo-Saxonum Rex vixit, sub Imperatore Ludovico II, Cæsaris Lotharii Filio, Anno 870 superstes (ut Cap. VIII. §. 3. ostendemus) Otfridus Wassenburgensis Monachus, qui Evangeliorum Libros quinque Rhythmo Francico scripsit. Huic etiam SL pro SCHL adhibetur. Dicit enim SLUZILA pro

pro SCHLUSILA, id est, SCHLUSSEL, Lib. III. Cap. XIII. Versu 70:

Thir Uuilluh geban innan thes
SLUZILA Humiles.

Id est: *Dir willich geben indes*
(Die) *SCHLUSSEL* (des) *Himmels.*

XXI. Tribus Sæculis post, peculiari Sermonis Germanici Culturâ fuit clarus, Friderici I. Cæsaris, Suevorum Ducis, Anno 1190 exstincti, eruditus in Aula Minister Winsbekius, Eques Germanus, fortassis Svevus. Is usurpat SLAG pro SCHLAG, in Paræneſi ad Filium, Versu 264: *Das ist in einem Bach ein SLAG.* Præterea SLEGEL pro SCHLEGEL. Ibidem Versu 352: *Ze Hus wirf ich den SLEGEL dir:* id est, *Zu Haus werf ich den SCHLEGEL dir.*

XXII. Hos Germanos, egregiis Monumentis celebres, quantô purioris, tantô pulchrioris patrii Sermonis, pro Ætate sua, & studiosissimos, & intelligentissimos, quo Argumento quisquam, non dicam convincat, sed arguat Proprietatis ex Vocibus Slavicis admissæ, nondum penetrare possumus.

XXIII. Iam, quis dubitet, quin Germani Veteres, quos, ut §. XX. ostendimus, SLUSSEL pro SCHLUSSEL dixisse constat, etiam SLUS pro SCHLUS dixerint? Quid autem prochivius est, quam ex Germanico SLUS facere Latinum SLUSA? Non igitur tam probabile videtur, ex Latino CLUSA, quam ex Germanico SLUS, Autoribus Latine scribentibus natum esse SLUSA.

XXIV. Cæterum, è SLUSA potuit, E assumtô, facile fieri SLEUSA: quoniam Germani quondam U in EU permutaverunt. Sic olim dicebatur FRUND pro FREUND. Winsbekius in Paræneſi ad Filium, Versu 62:

Ahte uf die Zungelere niht,
Die zuuischen FRUNDEN werre tragen.

Id est: *Achte auf die Zungen nicht,*
Die zuuischen FREUNDEN verwirrung tragen.

Ibidem Versu 348:

An diner wisen FRUNDE Rat.

Id est: *An deiner weisen FREUNDE Raht.*

Item TRU pro TREU, & KUSCH pro KEUSCH. Idem ibidem Versu 138:

– So bis wolgezogen,
GETRUWE, milte, KUSCHE und Sleht.

Id

Id est: *GETREUE, milde, KEUSCH und schlecht.*

Præterea LUTE pro LEUTE. Idem ibidem Versu 595:

Min eigen LUTE lasse ich fri.

Id est: *Mein eigen LEUTHE lasse ich frey.*

Etiam HUTE pro HEUTE. Magister Spervogelius: in Melchioris Goldasti Paræneticis, ad Winsbekium Animadversionibus, §. 75:

Es ist HUTE min, morne din.

Id est: *Es ist HEUTE mein, morgen dein.*

XXV. Contra, U abjectô, etiam è SLEUSA potuit facillime fieri SLESA: quoniam Germani etiam EU in E permutaverunt. Id maxime Silesiorum inter Agricolas Vulgo, ad priscam Dialectum fideliter custodiendam intento, usitatum est. His enim dicitur HE pro HEU, Fœnum: & SPRE pro SPREU, Palea: & STRE pro STREU, stramen. Quem in Modum pro SLEUSA dicitur SLESA.

XXVI. Nunc à Germanico Vocabulo SLUS non difficilis est Transitus ad SLESINGORUM Nomen, quô SILESIOS, ad Germanici Sermonis Indolem, quidam designant. Etenim à Germanicô SLUS, in SLEUS & SLES mutatô, ut Latinum SLUSA, SLEUSA, SLESA provenit: ita Germanicum SLUSUNG, SLEUSUNG, SLESUNG descendit. Quæ Voces omnes Clausulam Rei denotant. Pro SLESUNG autem quondam SLESING dicebatur: quia Germani Veteres U in I convertebant. Ita ex Germanico VERSUCH faciebant non tantum VERSUCHUNG, verum etiam VERSICHING. Matthæus Cap. VI. vers. 13: Secundum Interpretationem Friscam: quam Bonaventura Vulcanius in variarum Linguarum Speciminibus exhibet: *In lied uns naet in VERSIEKING:* id est, *Und las uns nicht in VERSUCHUNG.*

XXVII. Ideo quibusdam è Latinis Autoribus, quemadmodum SILESIA dicitur vel SLESINGA, vel SCHLESINGA: Sic vocantur SILESII aut SLESINGI, aut SCHLESINGI: Germanicè aut SLESINGER, aut SCHLESINGER. Philippus Cluverius in Antiqua Germania Lib. III. Cap. XXXI: *Quadorum ac Silesiorum, quos Germani Die SLESINGER sive SCHLESINGER vocant, Nomina eandem Rem significare putant.*

XXVIII. Quamobrem magnæ Probabilitatis est, SILESIAM, Germaniæ Provinciarum in Occidente postremam, cœterarum quasi Clavem, prius SLUSAM, & SLEUSAM, postea SLESAM & SLESIAM esse dictam. Unde colligas porro, à Scriptoribus Latinis, non quidem horridam,

ridam, sed tamen minus lenem duarum Literarum SL Conjunctionem, delicato antiquorum Romanorum Ori non respondentem, interposito I esse dissolutam, ut ex SLESIA fieret SILESIA. Cui Sententiæ si subscribis, habes a Silesiæ Situ, quoniam Silesia Germaniæ SLUSA, id est, Clausula est, SILESIORUM Nomen Ortu Germanicum.

GERMANICA Posterior.

XXIX. Tandem supereſt, ex Silesiæ Situ, quatenus ea Germaniam claudit, alia Silesiorum Nominis Origo Germanica. Nam Rei Terminus, qui Latinis quidem *Clausa, Clausula, Clausum:* Germanis autem *Sluſa, Schluſa, Sleſa, Schleſa, Schleuſa* dicitur: etiam Germanis, potissimum Frisiis appellatur *Syle, Siele, Sile.* Hermannus Hamelmannus in Chronico Oldenburgico, Parte I. Cap. XIX: *Dadurch seind alle Rustringer noch mehr erzurnet, haben sich derowegen anderweit mit einander verbunden, und seind mit ihrer ganzen Macht wiederumb in das Stedinger Land gefallen, auch mit Durchstechung aller Wasser-Schleusen oder SIELEN, mit rauben, brennen und verderben also hausgehalten, das das Land fast in die sieben Iar wust und ungebaut liegen geblieben.* Johannes Heringius in Tractatu de Molendinis, Quæstione XL, § 20: *Aquarum Emissaria [Portas alii vocant, sive Januas, Tempore Fluxus & Refluxus marini apertas vel clausas, ac pro Ratione Agrorum nimiam superfluamque Aquam emittentes, vel recentem deferentes, per Fossas Manu factas] Nostratibus simpliciter Siel-Deepe aut Deepe, vel SIELE oder Schleusse, und Thuren, so zur Zeit Ebbe und Fluht auf und zugehen: oder dadurch man das ubrige Wasser vom Land ab, oder nach Gelegenheit, frisches wieder hinein lauffen lesset.* Ibidem mox: *Quibus etiam, ut ideo Curam earum gerant, Mulctamque de Aggeribus male firmis Negligentiæ repetant, certi ac jurati præficiuntur Viri, vulgo dicti, die Teich- und SIEL- geschworen: Phrysiis concisius, Dick- und SIEL- schwaren.* Quæstione XLV. §. 31. de iisdem Præfectis: *Vulgo Dieck- sive Teich- und SIEL- geschworne dicti.* Ioannes Gryphiander, Oldenburgicus Frisius, in Tractatu de Insulis Cap. XXVIII. §. 56: de Clausiris, quibus Aqua modo arcetur, modo admittitur: *Galli des Escluses, Belgæ corruptè Sluſſen, Nostri SIEL dicunt.*

XXX. Quamobrem inde Robur capit Conjectura, SILESIAM, Germaniæ quasi Portam, Exteris & admittendis, & abigendis habilem, ideo dictam SILEN: & Incolas ejus appellatos SILES atque SILESIOS.

WBP Opole

Caput III.

ORIGO secunda SILESIORUM Nominis, A Silesiæ Solo, POLONICA.

I.

Sunt etiam, quibus SILESIORUM Nomen à Silesiæ SOLO existimant ortum. Nam id asperum, quamvis hodie non sit, quod curiosis Advenarum Oculis ubique satis Bonorum, partim benigniori Naturæ, partim laboriosæ Manui adscribendorum, in Agris, Pratis, Hortis, Silvis, Pagis, Urbibusque monstrat: olim tamen fuit, ad Germaniæ, cujus Pars est, universæ priscam Conditionem, sub Populis, ad Arma potius, quam ad Aratra progenitis & assuetis.

II. Eam Silesiacæ tum veterem, tum novam Telluris Faciem intueri cupientibus, depictam offerunt, Franciscus Faber in Sabotho, Versu 1085, multisque subsequentibus. Davides Sigemundus in Germanico & Sarmatico Itinere, [quod Nicolaus Reusnerus in suum Itinerarium transtulit] versu 49. & seq. Michael Neander in Orbis Terrarum Explicatione, Parte I. Nicolaus Henelius in Silesiographia Cap. II. Jacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, lib. IV. Cap. V.

III. Ob illam Soli, quod Silesii tenent, quanquam per se boni, tamen nihil aut parum quondam culti, malam Glebam, Lechus, primus Polonorum è Sclavis Dux, SILESIAM, Comparatione Soli, dubium, Bohemici, quod Zechus Frater occupaverat, an Polonici, quod ipse jam possidebat, cum primum aspexisset, Sclavica voce SLISEMAM, id est, *malam Terram*, nominavisse dicitur in quibusdam Silesiorum Chronicis Germanicis MStis. Ita nominatam refert Franciscus Faber in Sabotho, Versu 1085: de Silesia:

SLISEMAM vero hæc horrentia Sentibus Arva,
Nempe MALA à GLEBA quidam dixisse feruntur:
Haut fors immerito. Nec enim tam Patria chara est,
Ut manifesta negem: nec vos nescire putandum,
Qui semper mecum has Terras Cœlumque tenetis
Indigenæ, tale hoc Cœlum Terrasque fuisse.

IV. Quo

IV. Quo Pacto, si à *Slisema* Nomen *Silesiæ* provenit, à *Slisemiis* aut *Slisemanis* Nomen *Silesiorum* descenderit: utrumque, citra Controversiam, Origine Slavicum: seu à *Zle*, quo Slavis *Malus* indicatur, seu ab alia Voce Slavis, si non hodie, tamen olim usitata, productum. Cæterum, ea Silesiorum Nominis Derivatio, quia neque satis per se commoda videtur, & lubricum habet Fundamentum, nihil firmi tenet, in quo acquiescas.

Caput IV.

ORIGO tertia SILESIORUM Nominis, A Silesiæ Fluvio SLESO, SLAVICA.

I.

Præterea sunt, quibus SILESIORUM Nomen à Silesiæ Fluvio ELSA creditur derivatum. Is ad Hungariæ Fines, Silesiam contingentes, profiliens, in Teschinensium Agris, Urbes Jablunkam, Teschinam, Freistadium præterlabitur: hinc Ratiborensium Terras ingressus, ad Oppidum Oderbergam in maximum Silesiæ Flumen Oderam decurrit.

II. Eundem Amnem vocat OLSCHAM Joannes Dlugossius in Historia Polonica Tomo I. Lib. I. Cap. IX. OLSAM Joannes Antonius Maginus in Geographia, Part. II. de Silesia. ELSAM verò Caspar Schwenckfeldius in Silesiæ Geographia, de Teschena. Nicolaus Henelius in Silesiographia, Cap. III. Jacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. III. Cap. XXXI. & Lib. IV. Cap. IV. Davides Vechnerus in Germaniæ Breviario, quod Abrahamus Vechnerus auxit, de Urbe Ratiboria. Fridericus Lucas in Silesiæ Chronico, Parte VII. Cap. III.

III. Præterea, qui plurimis ELSA dicitur, eum quoque nonnullis SLESAM dici, Melchior Goldastus annotavit in Commentariis de Bohemia Lib. I. Cap. XIV. §. 3. *Alii alias*, inquit, *Nominis Silesiæ Rationes perquisiverunt. Sunt, qui à SLESA, qui & ELSA, Flumine deducunt.*

IV. Ab eo Fluvio, quem non SLESAM, sed SLESUM appellat, quemadmodum Silesiam *Slesiam*, ita Silesios *Slesios* esse dictos, existimat Conradus Celtes Lib. II. Amorum, Elegia V.

Hic Odera, à priſcis qui Nomina Suevus habebat,
Naſcitur, & Codani præcipitatur Aquis:
Suevus, qui SLESUM ſocium ſibi convocat Amnem:
A quo nunc Nomen SLESIA Terra gerit.

V. Eandem Sileſiorum Nominis Originem ſtatuunt, Sebaſtianus Munſterus in Coſmographia Lib. III. Cap. DVIII, de Sleſia. Jacobus Spiegelius in Scholiis ad Ricardi Bartholini Librum X. Auſtriados, Verſum 603. Jodocus Hondius in Gerardi Mercatoris Atlante minore, de Sileſia.

VI. At enim, an ab hoc Amne parvo, ſeu SLESA ſeu SLESUS vocetur, ampla Regio, cujus exiguam Partem, Ducatum Teſchinenſem, rigat, prius *Sileſia*, deinde *Sileſii* Nomen ſuum acceperint, Jure dubitatur: quoniam id ex antiquis Monumentis nullo Teſtimonio, quantum nobis explorare licuit, demonſtrari poteſt.

VII. Cœterum, quanquam prorſus incertum eſt, unde Fluvius ELSA dictus ſit tum SLESA, tum SLESUS: non æque tamen dubium videtur, Nomini, quod ille ſuſtinet, Matrem eſſe Slavicam Linguam: cujus ex Vocabulo *Zle* formatam Syllabam *Sle* continet. Quare Sileſiorum ab hoc Fluvio deducti Nominis Originem ſtatuere Slavicam, nos Sententia probabilis juſſit. Abſit enim, ut omnes Germanorum Voces, Syllabam *Sle*, quaſi nunquam non Slavicam, continentes, ortu Slavicas cenſeamus. De quo videantur, quæ diximus Cap. II. §. XVIII.

CAPUT V.

ORIGO quarta SILESIORUM Nominis, A Sileſiæ Monte SABOTHO, LATINA & GERMANICA.

I.

SIleſiæ, cujus velut Umbilicus eſt, Mons admodum clarus, Ambitu mille quadringentorum Paſſuum Spatia complexus, à Vratislavia quidem ad quartum, à Suidnicio autem ad alterum Lapidem, in Planicie Situs, præcelsô Faſtigiô latiſſime circumjacentibus Locis conſpicuus, diſcrepantibus, quamvis ab uno deſcendentibus, indicatur Vocabulis.

II. Antiquiſſimô primariôque nuncupatur Nomine ZABOTHUS. Id ei dant, Caſpar Schwenckfeldius in Geographia Sileſiæ, Stirpibus & Foſſilibus

ſilibus præmiſſâ, de Montibus & communibus, & propriis. Nicolaus Henelius in Sileſiographia, Cap. I. Jacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. IV. Cap. III.

III. Ab hoc cætera, quibus denotatur, omnia Nomina provenerunt. Nam, quia *Zabothus*, ideo appellatur primô *Zabothenſis*: Secundô *Zobtenſis*. Quamobrem ei ſubjacens Oppidum non omnibus Zabothum, ſed non nullis etiam vel Zobtenum, vel Zobtena dicitur.

IV. Præterea vocatur tertiô *Zothenſis*: & quartô *Zottenſis*. Hinc Arcem in eodem Monte poſitam, quam Henricus V. Cognomentô aliis Craſſus, aliis Obeſus, Dux Lignicenſis, Anno M. CC. XCVI, vivis exemtus, deſignato Filiorum trium Tutori, Fratri ſuo Boleslao in Præmium contulit, Zottenbergam vocat Joachimus Curæus in Sileſiæ Annalibus ad Annum 1296.

V. Sunt, quibus ideo, quia *Zottenſis* audit, Ratio ſpecioſa obvenit, cur eidem Monti Nomen Ortu Germanicum conti giſſe judicarent. Nam, Sileſiis *Zottelen* eſt ire: *mit zottelen* eſt comitari: *nachzottelen* eſt ſubſequi. Grandis autem Mons ille vicinis Peregrinatoribus quandam vel Comitantis, vel Subſequentis præbet Imaginem. Propterea *Zottelenſis*, eliſisque Literis duabus, *Zottenſis* nominatus videtur. Franciſcus Faber in Sabotho, Verſu 203: de Sabotho:

Noſtrates vocitant pro Re Tractuq; SEQUACEM.

Jacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico Lib. IV. Cap. III. *Im Lande Schleſien liegen neben andern Bergen vier hohe furnehme Berge: als erſtlich der ZOTTENBERG: welcher ſeinen Namen dannenhero uberkommen, per Campos omnes quod concomitetur euntes: daß er den Reiſenden oder Wandersleuten gleich nachzottelt.*

VI. Quintô, plerisque Scriptoribus, iisque potioribus dicitur SABOTHUS: More, non Græcis Latinisque tantum', verum Germanis eiam, Z in S mutantibus, uſitatô. Eum Græcis & Latinis familiarem fuiſſe, paſſim obvia Exempla docent. Germanis vetuſtioribus adhibitum Z, recentioribus in S converſum, præter alios, indicat Willeramus, Martisburgenſis Abbas, in Gloſſis Germanicis & Latinis MStis, quas in Salomonis Canticum Canticorum ſcripſit, ad Caput I, 3: *Din namo iſt uzgegozzenez Ole:* id eſt, *Dein Name iſt ausgegoſſenes Oehl.* Ibidem: *Vone dir heizzen wir Chriſtiani:* hoc eſt: *Von dir heiſſen wir Chriſtiani.* Anonymus Autor in Rhythmis Germanicis MStis, quos Vratislavienſium

Elisabetana Bibliotheca possidet, de Salomonis, Hebræorum Regis, Rebus, Versu 1652:

Daz keyn Stein yrrete dyne Fuzze,
Ob ich alzo sprechen muzze.

Id est: *Daß kein Stein irrete deine Fusse,*
Ob ich also sprechen musse.

Videantur, quæ diximus Cap. II. §. XIII.

VII. SABOTHUS autem nominatur, præter alios, Francisco Fabro, Vratislaviensis Civitatis Secretario: cujus laudatissimum Poëma, quô Res Silesiæ primarias protulit, ex MStis antiquissimis, tum aliis, tum Germanicis, quibus præfuit, per IX. Annos elaboratum, post Autoris, Anno 1565, defuncti Mortem, apud Basileenses Anno 1592. editum, *Sabothus* inscribitur.

VIII. Unde Mons, de quô agimus, Zabothi Nomen, à quo reliqua dependent, acceperit: neminem, qui vel exposuerit, vel delineaverit, reperire potuimus. Id proinde nobis relictus Labor è profundioribus Fundamentis, quô subtilius, quô plenius, eô certius, eô clarius ostendet: Ut inde satis pateat, quemadmodum *Zabothus* dederit proprium *Silesiæ* Vocabulum.

IX. Fundamentum primum est, in Monte Zabotho à Silesiis nondum Christianis, quorum Religionem, Anno 965, susceperunt, Sacra quondam peracta. Huic ut Firmitudo sua constet, præmittendum, quæ Fides habenda sit Autori, cujus Testimonium afferemus. Est ille Ditmarus, Sigefridi, Comitis Saxonici Filius: Anno 976. natus: prius Magdeburgensis Monachus, deinde Wallibicensis Præpositus: Anno 1005. Henrici II. Cæsaris [cujus in Sacello Palatino Sacerdos erat] Boleslaum I. Polonorum Ducem, debellantis Comes: Lusatiam, Silesiam, Poloniam ingressus: Anno 1008. Martisburgensis Episcopus in Misnia creatus: Anno 1017. Chronici, cujus octo Libris Res Imperatorum, Henrici I. Ottonis I, II. III. & Henrici II. recensct, Scriptor: Anno 1018. mortuus. Hæc commemorant, ipse Ditmarus in Chronico suo passim: Anonymus Autor, Ditmaro coætaneus, ex quô Ditmari Vitam Reinerus Reineccius publicavit: ipse Reineccius in Ditmari [cujus ex Libris composita est] Vita: & Ernestus Brotuffus in Martisburgensium Chronico, Lib. II. Cap. VII.

X. Quare vix erit, ut in dubium vocentur, quæ Ditmarus de Silesiis narrat, eo Sæculo, quô ad Christianam Religionem accesserunt, post Decennium, natus: in Misnia, Lusatis proximâ, Silesiis propinquâ, Episcopus: ipse,

ipse, cum Annorum XXX. Vir esset, Silesiæ, quam peragravit, Spectator: Ævo suo eruditissimis par: ob Diligentiam & Sinceritatem Historiis consignatis adhibitam, dexterrima Iudicia promeritus: qualia sunt, non Reineri Reineccii solum, sed aliorum etiam: inter quos est Andreas Brunnerus in Annalibus Boicis, Parte II. Lib. IX. Cap. II.

XI. De Silesia vero Ditmarus Libro VIII. tradit, quemadmodum, Anno 1005, Miseco, Boleslai I. Polonorum Ducis, Filius, cum in absentis Othelrici, Bohemorum Ducis, Terram Irruptione, Patrem Boleslaum quidem oblectavisset, at Cæsarem Henricum II. offendisset, ab eodem Cæsare, Bohemis & *Lusatis*, quos *Luiticios* appellat, instructô prius ad *Glogoviam*, quam *Gloguam* vocat: post ad *Nimicium*, quod *Nemetzium* nominat [à quô Sabothus tribus Milliaribus distat] hostilem suis Copiis Exercitum opponi senserit. Primum, *Cæsar vero*, inquit, *cum Exercitu suo & Bohemiorum atque Luiticiorum Comitatu obvia quæque devastans, quinto Idus Augusti, ad Urbem GLOGUAM, ubi Bolizlavus cum suis eos præstolatur, solicitus venit.* Deinde paucis interpositis addit: *Inde electas ab Exercitu valido Legiones XII. ad Urbem, eo, quod à nostris olim sit condita, NEMETZI dictam, præmisit; quæ Habitatoribus his venturum præoccuparent Auxilium.* Paulô post refert, in ea Terrâ, quæ Nimicium sustinet, inveniri Montem excelsum & grandem, quem proprio quidem Vocabulo non designat: Nimicio tamen vicinum innuit: eisque Circumstantiis non alium Montem nisi Zabothum designat. Quod dudum agnovit Henricus Meibomius in Commentariolo de Pagis Saxonicis: & in Saxonica Irminsula, Cap. II.

XII. Mox ibidem Ditmarus adductis subjungit, omnes Incolas, id est, Silesios, in eodem Monte Sacris suis defunctos. *Hic* (Mons, ait) *ob Qualitatem suam & Quantitatem, cum exsecranda GENTILITAS ibi veneraretur, ab Incolis omnibus nimis honorabatur.* Quibus, ne qua subsit Obscuritas, subjiciemus Explicationem. *Gentiles* sunt à Judæis & Christianis Religione discrepantes, falsorum Deorum Cultores, quos alii *Paganos* appellant. Vigilius Tapsensis Lib. I. contra Arium, Cap. V: *Cum tres sint in Mundo Religiones, Iudæorum, Paganorum & Christianorum, multis & longe discretis Sententiarum Diversitatibus.* Augustinus in Psalmum XXVIII: *Gentilis ille est, qui in Christum non credit.* Theodosius Imperator in Codice [Lib. XVI. Tit. V.] de Hæreticis, Lege XLVI: *Iudæi atque Gentiles, quos vulgo Paganos appellant.* Ideo Idololatria dicitur Gentilitas. Prudentius in Libro Peristephanon, Hymno XIV. contra Gentiles, qui Romanus inscribitur, Versu 1986:

Has ferre Pœnas cogitur GENTILITAS.

Sulpitius Severus Lib. I. Cap. LXXXVI: *Ex quibus plerique Divinas Ceremonias receperunt, reliquis in Errore GENTILITATIS perseverantibus.* Hinc Gentilitatem, quâ Silesii Montem Zabothum nimis honoraverunt, Ditmarusexsecrandam judicat.

XIII. Nunc, quem in Gentilium innumeris Deis, aut solum, aut primarium, in Monte Zabotho Silesii Pagani coluerint, oritur Quæstio? De nostrâ Sententiâ, coluerunt IOVEM: quem, si Oculis acutioribus intueamur, omnes Pagani, adeoque tum Germani, tum etiam inter hos Silesii, pro Deo venerati sunt. Id quantô evidentius demonstrabimus, tantô accuratius enucleabimus & Nomen, & Naturam Iovis.

XIV. Nominis, quô *Iupiter* indicatur, Radix omnium prima non alia videtur, nisi Vox, quâ verus unicusque DEUS IEHOVA denotatur. Hoc primis, post universale Diluvium, Sæculis, ab Hebræis, cum eorum Posteris, traductum, & ab his corruptum arbitramur. Nam omnes ab Hebræis provenientes Populi Pagani, cum ab illo Majorum suorum Deo, qui IEHOVA dicitur, defecissent: quamvis non amplius eum, tamen, partim veteris Traditionis Fiduciâ, partim naturalis Cognitionis Evidentiâ ducti, aliquem sibi statuebant Deum, cujus ad Cultum secretô Conscientiæ Stimulô se obligatos sentiebant.

XV. Inter hos semper fuerunt Dei unius Assertores. Quibus nos quidem non annumeramus Sibyllas, licet antiquissimas, quarum Delphica, ut Cornelius Bacchus apud Solinum Cap. VIII. refert, ante Bellum Trojanum, hoc est, ante Christum natum, Anno 1190, vixit. Nam sub eorum Nomine superstites Oraculorum Libri VIII, quanquam Scriptoribus vetustis, Iustino Martyri, Theophilo Antiocheno, Athenagoræ Athenienſi, Clementi Alexandrino, Eusebio Cæsarienſi, Firmiano Lactantio: etiam recentioribus, Augustino Steucho, Eliæ Schedio, Tobiæ Pfannero, pro genuinis habitos, utique supposititicios, demum post C. N. â Christianis compositos, Ioannes Opsopæus in Procemio Sibyllinis Oraculis præmisso: & Gerardus Ioannes Vossius de Poëtis Græcis, Cap. I. luculenter docent.

XVI. Reperimus in Paganis Autores minime fictos, unum DEUM esse judicantes, cum Poëtas, tum Philosophos. Inter Poëtas omnium antiquissimus est Homerus: de cujus, ut Patria, sic Ætate certatur. Cum eô consentiunt, præter alios, Orpheus & Sophocles. Inter Philosophos eminet Pythagoras Samius, Olympiadis 65, Anno I. Darii, Persarum Regis, quem

quem Cyrus Successorem habuit, Anno 2: ut Eusebius in Chronico [secundum Editionem non Arnaldi Pontaci, sed Iosephi Scaligeri] ad Annum 1497. commemorat: hoc est, ante C. N. Anno 517. clarus. Cujus Sententiam [ut alios Silentiô premamus] Socrates, Plato, Aristoteles, cum Aristeciis, ad plures Populos, in seram Posteritatem propagaverunt. De quibus legi merentur, Irenæus in Oratione ad Gentiles: Clemens Alexandrinus Lib. V. Stromatum: Eusebius Cæsarienſis Lib. XIII. Præparationis Evangelicæ, Cap. XIII. Minutius Felix in Octavio: Athenagoras in Apologia pro Christianis.

XVII. Unde colligas, Veritati respondere, quod Augustinus Lib. XX contra Faustinum, Cap. XIX. monet: *Gentes non usque adeo ad falsos Deos esse delapsos, ut Opinionem amitterent unius veri Dei, ex quô est omnis qualiscunque Natura.* Certe Paganis, ut Paulus ad Romanos I, 19. docet: *Quod de Deo cognosci potest, manifestum est illis. Deus enim illis patefecit. Nam invisibilia ipsius ex Creatione Mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur, ipsaque sempiterna ejus Virtus & Divinitas, ad hoc, ut sint inexcusabiles.*

XVIII. Hunc vero, quem in Paganis potiores solum, plerique primarium Deum, cæterorum Patrem agnoverunt, nominaverunt IOVEM. Lactantius Lib. I. Divinarum Institutionum, Cap. XI: de Paganis: *Convicti de uno DEO, cum id negare non possunt, ipsum se colere affirmant: verum hoc sibi placere, ut IUPITER nominetur.*

XIX. Proinde non immerito, unde *Iupiter*, ille communi plurimarum Gentium Consensu vel unicus, vel præcipuus Deus, Nomen suum acceperit, disputari solet. Multis â *Iuvo*, quasi *Iuvans Pater*, dici creditur. Inter hos est Cicero Lib. II. de Natura Deorum, Cap. XXV: *Ipse IUPITER, id est, IUVANS PATER, quem conversis Casibus appellamus à IUVANDO IOVEM, à Poëtis PATER DivumqueHominumque dicitur, à Majoribus autem nostris Optimus Maximus.* Servius ad Virgilii Librum I. Æneidos, Versum 50: *Iovem autem à juvando dixerunt.* Ad Lib. IV. Æn. v. 638: de Diis: *Ab Actibus autem vocantur, ut Iupiter Iuvans Pater.* Ad Lib. IX. Æn. v 128: *Iupiter dictus est, quasi Iuvans Pater.*

XX. Aliis *Iupiter*, qui Nominativô antiquissimô dicebatur *Iovis*, tanquam *Iovis Pater*, vocari existimatur. Nam, ut Priscianus docet, Lib. V. *Vetustissimi Nominativum quoque, Hic Iovis, proferebant.* Lib. VI. *Iovis Nominativô quoque Casu invenitur. Cæcilius in Epistola: Nam novus quidem Deus repertus est Iovis.* Hyginus Fabula LXIII: *Iovis in Imbrem aureum conversus.* Fab. LXXV: *Iovis ob id fecit.* Fab. XCII: *Iovis imperat*

vat Mercurio. Hinc Gellius Lib. V. Cap. XII. *Iovem Latini veteres à juvando appellavere: eundemque alio Vocabulo junctо Patrem dixerunt. Nam, quod est in elisis aut immutatis quibusdam Literis IUPITER, id plenum atque integrum est IOVIS PATER.*

XXI. At Veritati magis convenit, IOVEM ab Hebræorum יְהוָה IEHOVA, quò verus DEUS designatur, esse dictum. Id dudum Viri doctissimi perspexerunt: præter alios, Melchior Goldastus in Notis ad Columbani Abbatis Cap. VIII. Versum 64. Nicolaus Fullerus in Miscellaneis Lib. II. Cap. VI. Christianus Becmannus in Latinæ Linguæ Originibus. Gerardus Ioannes Vossius in Latinæ Linguæ Etymologico. Inhorum Sententiam, sed non eadem Via digressuri, quò distinctius, eò apertius ostendemus, quemadmodum à *Iehova* derivari *Iupiter* potuerit.

XXII. Primum in IEHOVA Literam H, lenem & minus sensibiliter separabilem, Paganis omissam judicamus, pro *Iehova* dicentibus *Ieova:* quemadmodum pro *Charitas* dixerunt *Caritas.*

XXIII. Deinde pronunciantibus Vocem IEOVA, cum Vocalium Conjunctio redderet celeriorem, mox etiam breviorem, ejecta Litera E, redditam arbitramur. Eam certè Literam sæpius & Græci, & Latini à Vocibus excluserunt. Hinc Græcis non tantum Ἱερεὺς *Hiereus*, sed etiam Ἱρεὺς *Hireus* dicitur: quò Modò Διὸς Ἱρεὺς *Iovis Sacerdos* appellatur Homero in Iliade, Lib. XVI. Versu 604. Hinc Latini, quanquam veteres *Monestrum* dixerunt, ut Ælius Stilo apud Pompejum Festum indicat: recentiores tamen *Monstrum* dicunt: & Boves, quos antiqui *Teriones* vocaverunt, juniores nominant *Triones:* unde *septem Triones:* ut Varro de Lingua Latina Lib. VI. Cap. IV. Gellius Lib. II. Cap. XXI. docent. Ita non difficulter à *Ieova* derivari *Iova* potuit.

XXIV. Præterea constat, Hebræis pro Tetragrammato יְהוָה *Iehova*, sæpius יָהּ *Iah* dici: quorum hoc pro illo positum Psalmo LXVIII, 19 XCIV, 7. CII, 19. reperitur. Hinc, vel mutato H in O: vel prius abjecto H, ut fieret IA: deinde addito O, Hebræorum Deus IA dictus, Paganis Græcis Ἰάω IAO dicebatur. Diodorus Siculus Lib. I. Cap. XCIV: *παρὰ μὲν γὰρ τοῖς Ἀσσυρίοις Ζαθραύστην ἱστορεῖσι τὸν ἀγαθὸν δαίμονα μεταποιήσασθαι τὲς νόμες αὐτῷ διδόναι, παρὰ δὲ τοῖς ὀνομαζομένοις γέταις Ζάμολξιν, ὡσαύτως τὴν κοινὴν ἑστίαν, παρὰ δὲ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν Ἰαὼ Ἐπικαλούμενον θεόν. Nam apud Arimaspos Zathrauſtes perhibetur bonum Genium finxisse, Leges sibi tradidisse, apud Getas verò Zamolxis, similiter communem Vestam: apud Iudæos autem Moses Deum, qui IAO dicitur.* Cornelius Labeo de Apollinis Clarii Oraculo

culo apud Macrobium Lib. I. Cap. XVIII. *Consultus Apollo Clarius, quis Deorum habendus sit, qui vocatur Ἰάω, ita effatus est:*

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν ΙΑΩ,
Χείματι μὲν τ' Ἀΐδην, Δία δ' Ἔαρος ἀρχομένοιο,
Ἥλιον δὲ θέρευς, Μετοπώρῳ δ' ἄβρὸν Ἰάω.

Dic omnium supremum Deum esse IAO:
Hieme quidem Plutonem, at Iovem Vere incipiente:
Et Solem Æstate, Autumno autem mollem IAO.

XXV. Accedit huc, quod Gentiles Diis suis, non Iovi tantum, verum etiam Diti, Iano, Libero, Marti, Saturno aliisque Nomen *Pater* addere solebant. Exempla repetimus apud Catonem de Re rustica, Cap. CXLII. Ciceronem Lib. II. de Natura Deorum, Cap. XXVI. Martialem Lib. VIII. Epigr. II. Valerium Maximum Lib. I. Cap. VIII. Lactantius Lib. IV. Cap. III: *Ut Iupiter à precantibus PATER vocatur, & Saturnus, & Ianus, & Liber, & cæteri deinceps.*

XXVI. Nunc evidenter monstrabimus, quemadmodum vel ex IAO, vel ex IOVA evaserit IUPITER: cum utrique Cognomentum PATER additur. Nam ex IAO fit IAO PATER. Id facillimâ Literarum Mutatione postea, vel AO in U conversis: ut fieret IUPATER, inde IUPITER: vel abjectò A, ut fieret IOPATER, inde IOPITER: quod tandem, O in U conversò, in IUPITER transierit.

XXVII. Non minus, imò magis aptâ Mutatione potuit ex IOVA produci IUPITER. Nam, cum Voci IOVA conjunxerunt Cognomen PATER, effecerunt IOVAPATER: &, A elisò, IOUPATER. OU autem, veteribus usitatum, recentiores, O abjicientes, converterunt in U. Hinc *Iousit* pro *Iussit* in Iani Gruteri legitur Inscriptionibus, Pag. CLXXI. Num. VII. Eum in Modum antiquis *Iouglans*, pro *Iuglans* dicebatur: quæ Iovi suum debet Nomen: quoniam erat Iovis Glans. Varro de Latina Lingua Lib. IV. Cap. XXI: *Pinus Iuglans: quod hæc Nux, antequam purgetur, similis Glandi. Hæc Glans optima & maxima, ab Iove & Glande, Iuglans est appellata.* Plinus XV. Cap. XXII: de Nuce Iuglande: *Sunt, qui Honoris Nomen interpretantur, & Iovis Glandem esse dicunt.* Servius ad Virgilii Eclogam VIII. Versum 30: *Nuces in Tutela sunt Iovis. Unde & Iuglandes vocantur, quasi Iovis Glandes.* Gabius Bassus in Libro de Significatione Verborum, apud Macrobium

Lib. II. Saturnalium, Cap. XIV: *Iuglans Arbor proinde dicta est, ac Iovis Glans.* Isidorus Lib. XVII. Originum, Cap. VII: de Nuce: *Hanc alio Nomine Latini Iuglandem vocant, quasi Iovis Glandem. Fuit enim hæc Arbor consecrata Iovi.*

XXVIII. Sic IOVAPATER in unam contractus Vocem, prius IOUPATER, postea IUPATER, tandem A in I conversō, IUPITER factus est: quemadmodum MARSPATER evasit MARSPITER. De quō Gellius Lib. V. Cap. XII: *Et Neptunus pater conjunctè dictus est, & Saturnuspater, & Ianuspater, & Marspater. Hoc enim est Marspiter.* Macrobius Lib. I. Saturnalium, Cap. XIX: de Marte & Libero: *Romani utrumque Patris Appellatione venerantur, alterum Liberum Patrem, alterum Marspitrem, id est, Martem Patrem cognominantes.* Ita nos censemus ex Iehova Gentilibus formatum *Iovem.*

XXIX. Id fortassis Veteres quidem Christiani respicientes, Deum suum, *Iehovam* Patrem nominaturi, non veriti sunt vocare *Iovem.* Ianus Gruterus in Inscriptionibus, Pag. ML. Num. 8: *Aurelio Balbo, Vita integerrimo Moribusque ornato, qui se quietioris perfectioris que Vitæ Desiderio, ex Negotiis civilibus, in quibus fuerat cum Laude versatus, IOVIS OP. MA. Beneficio ducto, hic in Spe Resurrectionis quiescenti Locus publicè datus est.*

XXX. Nominis, quod Iupiter sustinet, hæc Origo jam nos ad ipsius Naturam, secundum Paganorum Sententias, considerandam progredi jubet. Eam nobis patefaciunt Proprietates duplices: quarum priores adstruunt Iovi Naturam vero Deo Iehovæ propriam: posteriores attribuunt Iovi Naturam non Deo, sed Rebus à Deo creatis convenientem. Primarias Scopo nostro servientes proferemus.

XXXI. Priorum Proprietatum, quibus Iehovæ solet æquari Iupiter, prima est, quâ *Deus* non tantum *unicus*, verum etiam *æternus* habetur. Talem statuunt Iovem Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Archidemus, Posidonius, Antipater: ut indicant, Laertius Lib. VII. Plutarchus in Libro adversus Stoicos, Cap. LIX.

XXXII. Secunda est, quâ Iupiter statuitur *omnium Rerum Conditor, Servator, Dominus.* Talem crediderunt Iovem Pythagoras, Orpheus, Sophocles: ut tradunt, Lactantius in Libro de Ira, Cap. XI. Iamblichus de Pythagoræ Vita, Cap. XVIII. Iustinus Martyr in Oratione ad Gentiles: Clemens Alexandrinus Stromatum Lib. V. Eusebius Lib. XIII. Præparationis Evangelicæ, Cap. XII.

XXXIII. Tertia est, quâ Iupiter judicatur esse *Principium*, à quō omnia sunt: & *Finis*, ob quem omnia sunt. Qualis est Iehova, ut ipse Nomen suum interpretatur apud Iohannem in Apoc. I, 8: Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, λέγει ὁ κύριος ὁ θεὸς, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ. *Ego sum A & O, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus, omnipotens.* Talis vero Iupiter etiam dicitur Orpheo Poëtæ: cujus hæc Apulejus in Libro de Mundo; & Eusebius Lib. III. Præparationis Evangelicæ, Cap. IX. profert:

Ζεὺς πρῶτος γίνετο, Ζεὺς ὕστατος, ἀργικέραυνος,
Ζεὺς κεφαλή, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.

Iupiter est primus, postremus, Fulmine pollens:
Iupiter est Caput, & Medium est: sunt ex Iove cuncta.

XXXIV. Quarta est, quâ Iupiter *omnia in omnibus* dicitur. Qualis est Jehova: Sicut Paulus I. ad Corinthios XV, 28. docet: ὁ θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσι: *Deus omnia in omnibus.* Quod ad Romanos XI, 36. sic explicat: ὅτι ἐξ αὐτοῦ, καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso omnia.* Talis autem suis Adoratoribus etiam Iupiter habetur. Æschylus apud Clementem Alexandrinum Lib. V. Stromatum: Ζεὺς τὰ πάντα. *Iupiter omnia.*

XXXV. Hæc falsum vero miscent, dum Iehovæ, Deo vero, propria, perperam Iovi, Deo ficto, adscribunt. Hinc Attributa Iovi, cui non debentur, Paulus Iehovæ, cui debentur, applicat. Aratus in Phœnomenis, versu 4: cum plena Iovis omnia dixisset: Πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες. Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. *Ubique autem Iovis indigemus omnes. Hujus enim Genus sumus.* Hæc Paulus in Actis XVIII, 28. ad Iehovam refert: quem, cum Rerum omnium Creatorem ideo dixisset, ut ab omnibus Hominibus quæreretur & inveniretur, addit: Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν. *In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.*

XXXVI. Posteriores Iovis Proprietates, ex prioribus, maxime postremâ, quâ Deus omnia in omnibus dicitur, non, ut par erat, intellectâ, suam trahunt Originem. Nam primum ideo Pagani, quoniam Deum, & unum, & omnia credebant: Creatorem à Creatoris Opere non discernentes, hoc est, Causam cum Effectu confundentes, universam Rerum Naturam, quam Sensus, & per eam Intellectus noster capit, judicabant Deum, vocabant Iovem. Interpres Orphei Græcus apud Eusebium

bium Lib. III. Præparationis Evangelicæ, Cap. IX: Ζεὺς ἔνδοθεν πᾶς κόσμος. *Iupiter igitur totus Mundus.* Lucanus Lib. IX. Versu 579:

Superos quid quærimus ultra?
Iupiter est, quodcunque vides, quocunque moveris.

Seneca Lib. II. Quæstionum Naturalium, Cap. XLV: de Iove: *Vis illum Naturam vocare? Non peccabis. Est enim, ex quo nata sunt omnia, cujus Spiritu vivimus. Vis illum vocare Mundum? Non falleris. Ipse enim est totum, quod vides, totus suis Partibus inditus, & se sustinens Vi suâ.* De Beneficiis Lib. IV. Cap. VII: *Natura, inquit, hæc mihi præstat. Non intelligis, te, cum hoc dicis, mutare Nomen Deo? Quid enim aliud est Natura, quam Deus, & Divina Ratio, toti Mundo & Partibus ejus inserta. Quoties voles, tibi licebit aliter hunc Autorem Rerum nostrarum compellare: & IOVEM illum optimum ac maximum rite dices.*

XXXVII. Deinde Naturam universam, quam dicebant Iovem, velut Totum in Partes dividebant: quibus & Nomen, & Honorem Iovis conferebant. Quo Pacto Iupiter fiebat Cœlum, & quicquid vel in Cœlo, vel sub Cœlo est, Sol, Luna, Æther, Aër, Ignis, Aqua, Tellus: ex his provenientes, ab his dependentes Res omnes, omnes Facultates. Euphorion & Æschylus apud Clementem Alexandrinum Lib. V. Stromatum; & Eusebum Lib. XIII. Præparat. Evang. Cap. XIII.

Ζεύς ἐστιν αἰθὴρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός.
Ζεύς τοι τὰ πάντα.

Iupiter est Æther, Iupiter est Terra, Iupiter est Cœlum:
Iupiter est omnia.

Eusebius ibidem Lib. III. Cap. IX. de Orpheo: Τὸν κόσμον εἶναι τὸν θεὸν ἔφατο, ἐκ πλειόνων θεῶν τῶν αὐτοῦ μερῶν (ὅτι καὶ τὰ μέρη τοῦ κόσμου θεολογοῦντες ἐν τοῖς πρόσθεν ἀπεδείξαμεν) συνεστῶτα. *Mundum esse Deum voluit, ex pluribus Diis, tanquam sui Partibus (nam ipsas quoque Partes Mundi Deorum in Numerum ab iis repositas antea demonstravimus) constitutum.* Seneca de Beneficiis Lib. IV. Cap. VII. de Iove: *Quæcunque voles, illi Nomina proprie aptabis, vim aliquam Effectumque Cœlestium Rerum continentia. Tot Appellationes ejus possunt esse, quot Munera.* Apulejus in Libro de Mundo: de Iove: *Cum sit unus, plurimis Nominibus cietur, propter Specierum Multitudinem, quarum Diversitate sit multiformis.* Augustinus Lib. VII. de Civitate Dei, Cap. XI: cum Iovis aliquot

aliquot Appellationes protulisset: *Hæc omnia Cognomina imposuerunt uni Deo, propter Causas Potestatesque diversas.*

XXXVIII. Hinc Iupiter, quamvis unus, tamen multiplex Cognomentum nactus est. Nam à Rebus Naturæ communibus, per Causas ad agendi Necessitatem restrictas, productis, usurpatur *Iupiter Vernus* Iuvenali Lib. I. Sat. V. Versu 77. *Iupiter Hibernus* Valerio Flacco Lib. III. Argenauticorum, Versu 578. *Iupiter Frigidus* Horatio Lib. I. Od. I. Versu 25. *Iupiter Humidus* Virgilio Lib. I. Georg. Versu 418. *Iupiter Pluvius* Tibullo Lib. I. Eleg. VII. Versu 26. Statio Lib. IV. Thebaidos, Versu 758. *Iupiter Turbidus* Valerio Flacco Lib. I. Versu 81. *Iupiter Tonans* Plinio Lib. XXXIV. Cap. VIII. & Lib. XXXVI. Cap. VI.

XXXIX. Idem, à peculiaribus Dei operibus, per Causas ad Libertatem agendi referendas subortis, appellatur *Iupiter Inventor* Dionysio Halicarnassensi Lib. I. Antiquitatum Romanarum, Cap. XXXIX. *Iupiter Custos* Suetonio in Domitiano, Cap. V. *Iupiter Stator* Ciceroni in Oratione Philippica II. Cap. XXVI. Livio Lib. I. Cap. XII. Lib. X. Cap. XXXVI. Lib. XXVII. Cap. XXXIX. *Iupiter Servator* (Soter) Æschylo in Supplicibus, Versu 26. Straboni Lib. IX. Arriano de Alexandro Magno, Lib. VIII. Plinio Lib. XXXIV. Cap. VIII. *Iupiter Victor* Livio Lib. X. Cap. XXIX. Ovidio Lib. I. Fastorum, Versu 621. *Iupiter Ultor* Plinio Lib. XXXVI. Cap. XVI. *Iupiter Imperator* Ciceroni Lib. IV. in Verrem, Cap. LVII. & LVIII. Livio Lib. VI. Cap. XXIX. *Iupiter Optimus Maximus* Ciceroni Lib. V. in Verrem, Cap. LXXII. In Oratione pro Domo sua, Cap. VI. Libro II. de Natura Deorum, Cap. XXV. Quæ Cognomenta, sicut Iehovæ nostro Veritas, ita Iovi Pagano Error adscripsit.

XL. Idem à Locis, ubi colebatur, vocatur *Iupiter Olympius*, Ciceroni Lib. III. de Natura Deorum, Cap. XXXIV. Livio Lib. XLI. Cap. XX. *Iupiter Latius* Propertio Lib. III. Eleg. III. Versu 6. *Iupiter Latialis*, Lucano Lib. I. Versu 98. Lactantio Lib. I. Cap. XXI. *Iupiter Capitolinus* Suetonio in Iulio Cæsare, Cap. LXXXIV. *Iupiter Tarpejus* Iuvenali Lib. IV. Sat. XII. Versu 6.

XLI. Quin unus Iupiter ita credebatur omnia Gentilibus, ut iisdem Proprietatibus, per quas cæteroquin à Diis aliis separabatur, connotaretur. Dicitur enim *Iupiter Statius* Militaris, hoc est, *Mars* Plinio Lib. XVI. Cap. XLIV. *Iupiter Æquoreus*, id est, *Neptunus* Claudiano de Mallii Theodori Consulatu, Versu 280. *Iupiter Infernus, Niger, Tartareus, Stygius*, id est, *Pluto*, Senecæ in Hercule, Versu 47. Statio Lib. II. Versu 49. Valerio Flacco Lib. I. Versu 730. Virgilio Lib. IV. Æneidos, Versu 638.

XLII.

XLII. Nimirum Iovem à Diis aliis tantum Vocabulo, non Re ipsa differre judicabant. Hermesianax in Poëtarum Fragmentis:

Πλάτων, Περσεφόνη, Δημήτηρ, Κύπρις, Ἔρωτες,
Τρίτωνες, Νηρεύς, Τηθύς, Καὶ κυανοχαίτης,
Ἑρμῆς θ', Ἥφαιστός τε κλυτὸς, Πάν, Ζεύς τε καὶ Ἥρη,
Ἄρτεμις, ἠδ' ἑκάεργος Ἀπόλλων, εἷς θεός ἐστι.

Pluto, Proserpina, Ceres, Venus, Amores,
Tritones, Nereus, Tethys & Neptunus,
Mercuriusque Vulcanusque inclutus, Pan, IUPITER & Iuno,
Minerva & procul jaculans Apollo, unus Deus est.

Seneca de Beneficiis Lib. IV Cap. VIII. de Iove: *Hunc & Liberum Patrem, & Herculem, ac Mercurium nostri putant.* Augustinus Lib. IV. de Civitate Dei, Cap. XI: cum Deum Ethnicis in Æthere Iovem, alium in aliis Deum esse dixisset: *Hæc omnia, quæ dixi, & quæcunque non dixi, non enim omnia dicenda arbitratus sum, hi omnes Dii Deæque sunt unus IUPITER: sive sint, ut quidam volunt, omnia ista Partes ejus, sive Virtutes ejus, sicut eis videtur, quibus eum placet esse Mundi Animum.* Non igitur mireris, unde *Ioves* adeo multi provenerint: quorum *Sex* recenset Cicero Lib. III. de Natura Deorum, Cap. XVI. *Trecentos* Varro numeravit, ut Tertullianus in Apologetico, Cap. XIV. refert.

XLIII. Cæterum, Pagani, & unum, & plures Deos esse rati, ut Contrarietatis Contradictionisque subterfugerent Culpam, declarabant *IOVEM* unum Deum, eumque *Naturalem*, hoc est, verum: Cæteros *Deos*, quorum ille sicut Genitor, ita Rex habebatur, *Populares*, id est, fictos. Cicero Lib. I. de Nat. Deor. Cap. XIII: *Antisthenes in eo Libro, qui physicus inscribitur, POPULARES Deos multos UNUM NATURALEM esse dicens, tollit Vim & Naturam Deorum.* Quibus in medium allatis, post quædam Minutius Felix in Octavio subjungit: *Exposui Opiniones omnium, ferme Philosophorum, quibus illustrior Gloria est, Deum unum multis licet designasse Nominibus: ut quivis arbitretur, aut nunc Christianos Philosophos esse, aut Philosophos fuisse jam tunc Christianos.*

XLIV. Iam, ut propius ad Scopum nostrum accedamus, quis neget, in Ethnicis *Germanos*, & in Germanis *Silesios* pro Deo coluisse *Iovem?* At enim, Pagani omnes, quanquam eâ quidem Notione, quâ Iupiter solus cæteros Deos omnes in se complexus repræsentavit, Iovem, non tamen omnes sub

sub Iovis Nomine coluerunt. Unde porro de Silesiis Paganis oritur Controversia, sub Iovis, an sub alterius Dei Nomine Iovem coluerint.

XLV. Est, cur neges, à *Germanis*, quorum Pars *Silesii* fuerunt, Ethnicis pro Deo habitum *Iovem*. Nam Germanis ante Christum natum erant Dii Sol, Vulcanus & Luna. Iulius Cæsar de Bello Gallico Lib. VI. Cap. XXI. de Germanis: *Deorum Numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum Opibus aperte juvantur, Solem & Vulcanum, & Lunam: reliquos ne Famæ quidem acceperunt.*

XLVI. Verum Germanorum Deos, aut non satis novit Iulius Cæsar, aut post Christum natum mutatos recenset Cornelius Tacitus: cujus Ævo Germanis erant Dii, Mercurius, Hercules, Mars, Isis. De quibus in Germania Cap. IX: *Deorum*, ait, *maxime Mercurium colunt, cui certis Diebus, humanis quoque Hostiis litare, Fas habent. Herculem ac Martem concessis Animalibus placant: pars Suevorum & Isidi sacrificat.* Imo Vetus Germania, Populis longe lateque plurimis abundans, diversis Locis, Temporibusque diversis, cum memoratos, tum alios plures Deos venerari potuit.

XLVII. Sane fuit, cum Germani adhuc Gentiles, Diebus intra Hebdomadem singulis assignaverunt Deum, Solem, Lunam, Martem, Mercurium, IOVEM, Venerem, Saturnum. Hoc diserte narrat Gobelinus Persona in Cosmodromio, Ætate II. Cap. IV. ubi speciatim Iovis Mentionem facit: *Dies IOVIS*, inquiens, *dicitur Donnerstag, id est, Dies Tonitrui: quia Gentiles Potestatem tonandi attribuebant Iovi, tanquam Summo Deorum.*

XLVIII. Cum autem multi fuerint Pagani Ioves, ut supra commemoravimus: quem ex iis *Silesii* coluerint, patefacere conabimur. Hebræis verus Deus יְהוָה *Iehova*, Cognomento, quod à צְבָא *Zaba*, quô *Exercitus* significatur, יְהוָה צְבָאוֹת *Zebaoth*, id est, *Exercituum* dicitur. Hoc ei præbet Additamentum Samuel Lib. I. Cap. V. §. 10. Davides Psalmo XXIV, 10. LIX, 6. Hinc Paulo ad Romanos IX, 29. & Iacobo V, 4. Κύριος Σαβαὼθ, *Dominus Sabaoth* appellatur.

XLIX. Id Dei Cognomentum More suo Pagani variis Modis corruptum Diis suis attribuerunt. Hinc reperitur inter hos Σαβάζιος *Sabazius*, Deis peregrinis adscriptus. Cicero Lib. II. de Legibus, Cap. XV. *Novos vero Deos, & in his colendis nocturnas Pervigilationes sic Aristophanes, facetissimus Poëta veteris Comœdiæ, vexat, ut apud eos SABAZIUS, & quidem alii Dii peregrini judicati, è Civitate ejiciantur.* Hujus Sabazii,

tanquam à Iove distincti, Mentionem facit Lucianus in Icaromenippo: Erasmo Rorerodamo Interprete: *Iam enim Cœnæ Tempus erat: meque Mercurius arreptum jussit accumbere juxta Panem & Corybantes, & Attin ac SABAZIUM, inquilinos istos & ancipites Deos. Interea Panem exhibebat Ceres, Bacchus Vinum, Hercules Carnes, Myrtum Venus, Neptunus Mœnides. Simul interim & Ambrosiam & Nectar furtim degustabam. Nam optimus ille Ganymedes, ut est Hominum amans, si quando conspexisset IOVEM avertere Oculos, Nectaris Cyathum unum, non unquam etiam duos infundebant.* In Deorum Concilio: Ἀλλ' ὁ Ἄττις γε, ὦ Ζεῦ, καὶ ὁ Κορύβας, καὶ ὁ Σαβάζιος, πόθεν ἡμῖν ἐπισεσκλήθησαν ἅτοι. *Atqui ille Attis, ô IUPITER, & Corybas & SABAZIUS unde nobis tandem accersiti veniunt?*

L. Idem *Sabazius*, aliis *Sabadius*, aliis *Sebadius* nominatur. Macrobius Lib. I. Saturnaliorum, Cap. XVIII: de Thracibus: *SEBADIUM nuncupantes magnifica Religione celebrant: ut Alexander scribit.* Unde ipsius Sacra *Sabadia* dicuntur Arnobio adversus Gentes Lib. V. *Ipsa novissime Sacra & Ritus Imitationis ipsius, quibus SABADIIS Nomen est, Testimonio esse poterunt Veritati.*

LI. Dicitur *Sanctus Sabadius* in Petri Colvii: *Sanctus Sabazius* in Geverhardi Elmenhorsti Apulejo, Metamorphoseon Libro VIII. his Verbis: *Sed ille cognito Cavillatu, similis indignati: At te, inquit, Cadaver surdum & mutum, delirumque Præconem, omnipotens & omniparens Dea Syria, & SANCTUS SABADIUS* [SABAZIUS] *& Bellona, & Mater Idæa, cum suo Adone Venus Domina cœcum reddant.*

LII. Non est autem, ut per *Deum* Cognomento sive *Sabadium* sive *Sabazium* semper à *Iove* diversum intelligas. Nam reperimus etiam, quibus *Iupiter Sebazius* aut *Sabazius* dicitur. Iulius Firmicus Maternus de profanarum Religionum Errore: *SEBAZIUM colentes IOVEM, Anguem, cum initiantur, per Sinum ducunt.* Valerius Probus de Romanis Literis, Cap. IX: *I.S. IOVI SABAZIO.* Veteres Inscriptiones, quas Ianus Gruterus in magno Inscriptionum Opere, Pagina XXII. exhibet: Num. IV: *SP. METTIUS IOVI SABAZIO.* Num. V: *Q. NUNNIUS ALEXANDER DONUM DEDIT IOVI SABAZIO.*

LIII. Quæ cum ita sint: vero simillimum est, à Silesiis Paganis *Iovem* Cognomento *Sabazium*, aliis vel *Sabothum*, vel *Zabothum*, honoratum in Monte, qui propterea ipse fuit nuncupatus vel *Zabothus* vel *Sabothus*. Id Rerum Silesiacarum diligentissimus Investigator Franciscus Faber in Sabotho suo innuit, cum huic Monti Vocabulum ex Iudæorum Libris Sacris desumtum à Gentilibus impositum scribit, Versu 201. *Adve-*

Advena Paganus Iudæa à Luce SABOTHUM,
Nostrates vocitant pro Re Tractuque Sequacem.

Ubi quanquam in totius Orbis Itinerario, quod Nicolaus Reusnerus edidit, pro *Paganus* legitur *Salanus*: &, ut in Margine docet Observatio, secundum alios, *Slavanus*: tamen in quodam MSto legitur *Paganus*: qualis fuit olim Silesiæ non tantum Advena Slavanus, id est, Slavus: sed etiam ante Slavos Silesiam ingressos, Indigena Quadus & Lygius.

LIV. Cœterum, non præter Causam videtur rectius legi *Slavanus*: quoniam ille Mons, de quo agimus, non antea Lygiis aut Quadis, sed postea demum *Slavis*, Lygiam & Quadiam Imperio subjectam tenentibus debuerit Sabothi Cognomentum: non, aliarum Gentium More, plures, sed *unum Deum*, cumque Mundi universi Dominum, colentibus, quem *Sabothum* vocaverint. Nam id Slavis [Silesiam ingressis, de quibus in Libro, Memorabilia Silesiorum cum Polonis conjunctorum exposituro agemus] Testimonium perhibet Procopius [eo Tempore superstes, quô Silesiam Slavi occupaverunt: ut ostendimus in Libro de Byzantinarum Rerum Scriptoribus, Parte I. Cap. V.] de Bello Gothico Lib. III. Cap. XIV. Interprete Claudio Maltreto: *Hi Populi, Sclaveni inquam & Antæ, non uni parent; sed ab antiquo in populari Imperio Vitam agunt: ac propterea Utilitates & Damna apud ipsos in commune vocari solent. Aliarum etiam Rerum fere omnium Ratio ab utrisque Barbaris servatur eadem, sitque olim instituta. UNUM enim DEUM, Fulguris Effectorem, Dominum hujus Universitatis solum agnoscunt, eique Boves & cujusque Generis Hostias immolant. Fatum minime norunt, nedum illi in Mortales aliquam Vim attribuunt: at, cum sibi vel Morbo correptis, vel Prælium ineuntibus, jam Mortem admotam vident: Deo vovent, si evaserint, continuo Victimam pro salvo Capite mactaturos: elapsi Periculo, quod promisere, sacrificant, eâque Hostia Vitam sibi redemtam credunt.*

LV. Quæ cum aliquam priscæ Iudæorum Religionis Speciem habeant, quam veteres Silesios, Quados & Lygios, etsi fortassis per Slavos, tamen à Iudæis accepisse, non excedit Fidem: Sanè Causam justam non habet, cur Ioachimum Curæum, eique consentientem Iacobum Schickfusium, antiquis Silesiæ Colonis quædam Iudaicorum Sacrorum Vestigia cognita fuisse scribentes, non Erroris, sed, quod satis inverecundè facit, Stultitiæ postulet Bohuslaus Balbinus in Miscellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. II Cap. V. Cœterum, quod ibi vehementer ridet, ubi vel Curæus, vel Schickfusius *Deo Gratias ideo agat, quod singulari Providentia Silesiis semper Iudæos*

miſcuerit: repe ire non potuimus: idque Figmentis cæteris, quibus Autorum Sententias pervertere ſolet, annumerandum credimus.

Origo LATINA prior.

LVI. Nunc Sabothi, Montis prælti, multos per Ambages, quaſi Cacumen aſſecutis nobis, ubi tandem Nominis quæſitam Originem invenimus, porro circumſpiciendum eſt, quemadmodum *Sabothus* alio deinde Vocabulo deſignatus monſtret Viam, quâ ſit facilior ad circumjacentis Regionis Nomen, quò *Sileſia* vocatur, Tranſitus.

LVII. Iupiter, ut ſupra monuimus, ſecundum Paganorum Placita, non niſi per Nomen à Diis reliquis erat diſtinctus. Ideo *Iupiter Sabazius*, in aliud Cognomen mutatus, audiebat *Dionyſius Sabazius*. Eo Pacto fiebat, ut Dionyſius & Sabazius pro uno Deo haberentur. Harpocratio in Lexico, Voce Sabi: Τὸν δὲ αὐτὸν εἶναι Σαβάζιον καὶ Διόνυσον φασιν ἄλλοι τε, καὶ Ἀμφίθεος δευτέρῳ περὶ Ἡρακλείας. *Nam SABAZIUM cum DIONYSO eundem eſſe dicunt, præter alios, Amphitheus Libro Secundo de Heracleo.*

LVIII. *Dionyſius* autem *Sabazius* dicebatur etiam *Bacchus*. Euſtathius, Theſſalonicenſis Epiſcopus, in Commentario ad Dionyſii Alexandrini Oecumenicam Periegeſin, Verſum 1069: ἦσαν δὲ καὶ ἔθνος θρᾳκικὸν Σάβοι, ὅπερ τὸν Βάκχον δειλοῖ Φρυγία διαλέκτῳ, ἐξ ὃ καὶ ὁ Διόνυσος ἔοικε Σαβάζιος λέγεσθαι, διότι καὶ Βάκχος ὁ αὐτός: id eſt, Bernardo Bertrando Interprete: *Erant præterea Sabi Gens Thracia, quod quidem Nomen Bacchus Phrygia Lingua ſignificat. Unde DIONYSIUS SABAZIUS dicitur, id eſt, Bacchus ipſe.* Hinc, quoniam Bacchus Vini Repertor credebatur, *Sabazius* pro *Vino* uſurpatur. Ariſtophanes in Veſpis, Verſu 9:

Οὔκ ἀλλ' ἥπνος μ' ἔχει τις ἐκ Σαβαζίου.
Non autem Somnus me habet aliquis ex Sabazio.

LIX. *Bacchus* etiam *Iacchus* [ab Hebræorum יְהוָה *Iehova*, cujus Loco ſæpius יָהּ *Iah, Iach* ponitur] nominatur. Lucretius Lib. IV. Verſu 1161:

– *Mammoſa Ceres eſt ipſa ab Iaccho.*

Virgilius Ecloga VIII. Verſu 61:

Populus Alcidæ gratiſſima, Vitis Iaccho.

Claudia-

Claudianus de Proſerpinæ Raptu Lib. I. Verſu 15.

– *Lenisque ſimul procedit Iachus*
Crinali florens Hedera.

LX. *Bacchus* autem, quem etiam *Liberum Patrem* dici conſtat, non tantum *Vini*, ſed omnium *Frugum* Autor habebatur. Id Diodorus Siculus indicat Lib. II. Cap. XXXVIII. Idem Lib. III. Cap. LXIV. de Baccho: *Is*, ait, Interprete Laurentio Rhodomanno, *primus, ut tradunt, ſub Aratri Iugum Boves duxit, cum Manibus Hominum prius Terra exerceretur, multaque alia ad Ruricolationem Commoda artificioſe commentus eſt: ut à nimiis Ruſticæ Moleſtiis liberarentur. His tam ingentibus Beneficiis tantum ſibi Favoris conciliavit, ut propenſis omnium Studiis Immortalitati conſecratus, tanquam Deus, & Cultus eximios, & Victimarum Solennitates reciperet.* Seneca de Beneficiis Lib. IV. Cap. VIII. de Iove: *Hunc & Liberum Patrem, & Herculem ac Mercurium noſtri putant. Liberum Patrem: quia omnium Parens ſit, quod ab eo primum inventa Seminum Vis eſt, conſultura per Voluptatem.*

LXI. Neque mireris, *Bacchum* habitum *Plantarum Inventorem*: quoniam Deus à *Sole* non diverſus habebatur. Id docet Diodorus Siculus Lib. I. Cap. XI. Id ex Ariſtotelis, Varronis, Granii Flacci, Euripidis, Alexandri, Orphei Monumentis, plerisque non amplius exſtantibus, oſtendit Macrobius Lib. I. Saturnalium, Cap. XVIII. Ulpianus Rhetor in Enarratione Orationis, quam Demoſthenes contra Midiam ſcripſit: Διονύσου ἀδελφὴ ἡ Σελήνη, ὅπερ τὸν Διόνυσον καὶ Ἀπόλλωνα, καὶ Ἥλιον καλοῦσιν. *Dionyſii Soror Luna: quoniam Dionyſium & Apollinem & Solem vocant.* Dio Chryſoſtomus in Oratione XXXI. ad Rhodios: Καί τοι τὸν μὲν Ἀπόλλω, καὶ τὸν Ἥλιον, καὶ τὸν Διόνυσον, ἔνιοί φασιν εἶναι τὸν αὐτὸν, καὶ ὑμεῖς οὕτω νομίζεται. *Et quidem Apollinem, & Solem, & Dionyſium, quidam dicunt eſſe eundem: & vos ita exiſtimatis.*

LXII. Baccho fuit perpetuus Comes SILENUS. Erat ille ſingularis Sapientiæ, pro Sæculo ſuo, cum Poſſeſſor, tum etiam Doctor: cujus Notas genuinas omnes ingenioſa Poëtarum Induſtria pervertit. Harum præcipuas in medium afferemus.

LXIII. Primum, quantò plus Sapientiæ, tantò plus Divinitatis aſſecutus, non *Deus* quidem, tamen *Semideus* habebatur. Credebantur enim Paganis, præter Deos, etiam Semidei: partim Dei, partim Homines: inter utrosque medii: quos peculiari Nomine vocabant *Dæmones*. Statius Lib. IX. Thebaidos, Verſu 376:

Hoc tibi Semidei Munus tribuere Penates.

Augustinus Lib. VIII. de Civitate Dei, Cap. XIV. de Paganis : *Omnium, inquiunt, Animalium, in quibus est Anima rationalis, tripartita Divisio est : in Deos, Homines, Dæmones. Dii excelsissimum Locum tenent, Homines infimum, Dæmones medium. Nam Deorum Sedes in Cœlo est, Hominum in Terra, in Aëre Dæmonum. Sicut eis diversa Dignitas est Locorum, ita etiam Naturarum. Proinde Dii sunt Hominibus Dæmonibusque potiores : Homines vero infra Deos & Dæmones constituti sunt, ut Elementorum Ordine, sic Differentia Meritorum. Dæmones igitur medii, quemadmodum Diis, quibus inferius habitant, postponendi : ita Hominibus superius, quibus præferendi sunt. Habent enim cum Diis communem Immortalitatem Corporum, Animorum autem cum Hominibus Passiones.*

LXIV. Secundò : inter *Semideos* erat *Satyrus :* id est, Solitudinis, quam Studia sæpius requirunt, Amator. Nam in Semideis non tantum *Fauni, Silvani,* & alii, verum *Satyri* etiam fuerunt. Ovidius Lib. I. Metamorph. Versu 192 :

Sunt mihi Semidei, sunt Rustica Numina, Nymphæ,
Faunique Satyrique & Monticolæ Silvani.

Proinde, quia Rerum naturalium Contemplatoribus in commodum Habitaculum attribuebant maxime Campos Faunis, Silvanis Montes, Satyris Silvas, per has Silenus à cæteris Semideis fuit separatus.

LXV. Tertiò : inter *Satyros* erat *Senex :* id est, supra cæteros Satyros, nondum Senes, Sapientiâ, quæ potissimum Senectuti contingit, præditus. Satyri enim, quos distinguebat Ætas, *Iuvenes* quidem *Satyri, Senes* autem *Sileni* vocabantur. Pausanias in Atticis, seu Libro I : Τὰς γὰρ Ἡλικίας τῶν Σατύρων πρεσβύτας ὀνομάζουσι Σειληνούς. *Nam Ætate Satyrorum maximos appellant Silenos.* Virgilius Ecloga VI. cui Nomen Silenus, [sub cujus Personâ Silonem Præceptorem suum descripsit] Versu 14 :

Silenum Pueri Somno videre jacentem.

Ubi Servius : *Nonnulli*, ait, *Pueri non absurde putant dictum : quia Sileni, priusquam senescant, Satyri sunt.*

LXVI. Quartò : inter *Silenos*, id est, *Satyros senes*, erat *Princeps :* id est, omnium sapientissimus. De quò videantur Cicero Lib. I. Tusculanarum Quæstionum, Cap. XLVIII. Plutarchus de Consolatione, Cap. XLII Ælianus Lib. III. Historiæ variæ, Cap. XVIII. Nonnus in Dionysiacis

Lib.

Lib. XXXII. Versu 258. Maximus Tyrius Dissertatione XXX. Propertius Lib. III. Elegia III. Versu 29. Tertullianus de Anima, Cap. II.

LXVII. Quintò : fuit *deformis*, quamvis sapiens : quia Curam Mentis unicam, nullam Corporis habere Sapientes consueverunt. Unde simul & deformis, & sapiens nominatur Silenus apud Senecam Lib. III. de Ira, Cap. XXII.

LXVIII. Sextò : fuit *Bacchi* Pueri *Nutritor & Educator :* id est, Rerum naturalium, maxime Vini peritus. Iulianus Imperator in Libro de Cæsaribus : de Sileno : Διονύσου τροφεὺς καὶ παιδαγωγός : *Dionysii Nutritor & Educator.* Aurelius Nemesianus Ecloga III. cui Nomen Bacchus : Versu 27 :

Quin & Silenus parvum veneratus Alumnum
Aut Gremio fovet, aut resupinis sustinet Ulnis.

LXIX. Septimò : fuit *Bacchi* semper *Comes ebrius :* id est, Sapientiâ plenus, quam Ingenio, dum Vires excitat, disertam promtamque reddit Vinum. Virgilius Ecloga VI. Versu 14 :

Silenum Pueri Somnò videre jacentem,
Inflatum hesternò Venas, ut semper, Læccho.

Sidonius Apollinaris Carmine XXII. Versu 37 :

Bassaridas, Satyros, Panas, Faunosque docebat
Ludere Silenus jam Numine plenus Alumno.

LXX. Denique fuit *Eques*, Asino insidere solitus, tanquam & Senex, & ebrius : id est, Auditoribus, Laborum patientibus, Stimulorum indigentibus, erectas Aures ad Doctrinas rectè capiendas habentibus, ex utroque Sexu, partim Satyris Iuvenibus, partim Bacchis Fœminis, Bacchi Sociis, præfectus. Ovidius Lib. I. Fastorum, Versu 443 :

Ecce rudens rauco Sileni Vector Asellus
Intempestivos edidit Ore Sonos.

Lib. IV. Metamorph. Versu 25 :

Bacchæ Satyrique sequuntur,
Quique Senex Ferula titubantes ebrius Artus
Sustinet, & pandò non fortiter hæret Asellò.

Lib. I. de Arte amandi, Versu 543 :

Ebrius ecce Senex pandò Silenus Asellò
Vix sedet, & pressas continet Arte Iubas.

Dum

Dum sequitur Bacchas, Baccha fugiuntque, petuntque
Quadrupedem Ferulâ, dum malus urget Eques.
In Caput aurito cecidit delapsus Asello:
Clamarunt Satyri, surge age, surge Pater.

Seneca in Oedipo, Versu 418: ad Bacchum:

Te Senior turpi sequitur Silenus Asello
Turgida pampineis redimitus Tempora Sertis.

LXXI. Hactenus in medium allata si paulò curiosius inspicias: Veritati non repugnare cognosces, à Silesiis Paganis, cum in Montis Sabothi Culminibus Deo suo, Iovi Sabotho, quem alii Cognomentô vel Sabazium, vel Sabadium, vel Sebadium vocant, id est, Baccho, revera Soli, tanquam omnium Frugum, omnium Arborum, maxime Vitis Autori, Sacra fecerunt: Silenum etiam, seu ut Deum, seu ut Semideum, semper ebrium, id est, perpetuum Bacchi Cultorem, Honoribus affectum Divinis.

LXXII. Sane ideo Silesiorum ille Mons, in quô *Sabothum*, id est, *Bacchum*, & Bacchi Comitem *Silenum* coluerunt, ipse non tantum *Sabothus*, verum etiam *Silenus* est dictus. Id Franciscus Faber [cujus Verba mox adducemus §. LXXX.] indicat in Sabotho, Versu 194: ad quem reperimus hanc Notam: *Silenus & Sabothus idem.*

LXXIII. Hæc, post Silesiorum ad Christum, Anno 965, conversorum Mutationem, vano Exterorum seu Mendacio, seu loco fecerunt: Locum: Silesios ideo Vineis paucissimis donatos à BACCHO, quia SILENI Comitis Asinum devoraverint: hoc est, abjectâ Idololatriâ, Bacchum & Silenum venerari desierint.

LXXIV. Hanc Onophagiæ Silesiacæ, quantum perspicere possumus, veram Originem, vel ignoraverunt, vel non attenderunt, partim alii, partim etiam nostrarum Rerum Scriptores. Nam, etsi fabulosam, tamen decantatam illam Asini Comesturam Silentiô præterit Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus. Paucis tangit, cujus Ortum simplici veterum Silesiorum Candori adscribit, Nicolaus Henelius in Silesiographia, Cap. V. Alii plenius quidem commemorant, sed natam inde putant, quia Silesiis Mons intra Monsterbergensem Ducatum Reichsteinensis, quem Asinum aureum Vetustas nominaverit, solis, non exteros admittentibus, maximè fuerit cultus. Georgius Tilenus, Aurimontanus, Monsterbergensium & Olsnensium Ducis Consiliarius, Anno 1590, mortuus;

Esores Asini quondam dixere SILESOS:
Causa Rei quæ sit, Quæstio nata fuit.

Mons

Mons prope Reichstenum est, Auro divesque Fodinis:
Aureus hinc ASINUS Nomine dictus erat.
Has quia SILESII solum tenuere Fodinas,
Esores Asini, sint quasi, Nomen habent.

Valentinus Franckius, Annæbergensis Misnicus, Consiliarius Cæsareus, Ducisque Monsterbergensis intra Diœcesin Francosteinensem Syndicus, in Epigrammate, quod in Francosteinensi Convivio, Anno 1610, extemporali Facilitate composuit:

Quæritur inter vos: cur Gens antiqua SILESOS
Dicat Asellivoros Conditione pares?
Reichstenidum in Terris Auro meliore Fodina
Dives, & hæc ASINI Nomine clara fuit.
Illam nostrates, peregrinis undique pulsis,
Cum peterent Nisu fervidiore Patres:
Inde Voratores Asini sunt undique dicti:
Tempora quod SLESIS Nomen adista manet.

Horum Opinioni subscribit Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. IV. Cap. I. Fridericus Lucæ in Silesiæ Memorabilibus, Parte VII. Cap. IV. Eidem Commento meliorem circumdederis Habitum, si, quod accidit revera, post Henricum II, Cognomento Pium, Silesiorum Ducem, Anno 1241, Tartaris Fossores plurimos in suo Exercitu opponentem, cum quibus ipse trucidabatur, aureum illum Asinum, ob neglectas collapsasque Fodinas, Silesiis confectum consumtumque statueris.

LXXV. Quemadmodum vero *Sabothus* Mons à Sileni Cultu *Silenus*: ita Regio circa Silenum Montem, aut, pro Temporum illorum More, qui vel nullam vel exiguam Nominum Curam gerebat, *Silensis*: aut prius *Silenensis*, postea Literas duas elidentibus *Silensis* appellatus est. Utrique possumus Sententiæ Patronum addere Ditmarum, Martisburgensem Episcopum.

LXXVI. Is, ad veteris Latinitatis Modum, *Regiones* minores, majorum Partes, in quibus non tantum Pagi, sed Urbes etiam reperiuntur, vocat *Pagos*. Plutarchus in Numa, Cap. XXX: Εἰς μέρη τὴν χώραν διεῖλεν, ἃ πάγους προσηγόρευσε. *In Partes Regionem distribuit, quas Pagos appellavit.* Unde Pagis annumeravit Tigurinam Helvetiæ Partem Iulius Cæsar de Bello Gallico, Lib. I. Cap. XII. §. 4: *Is Pagus appellabatur Tigurinus. Nam omnis Civitas Helvetia in quatuor Pagos divisa est.* Centum

tum veteris Sueviæ Partes, idem Cæsar ibidem Lib. IV. Cap. I. de Suevis: *Ii centum Pagos habere dicuntur: ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi Causa suis ex Finibus educunt.* Alsatiam Theodoricus, Francorum Rex, in Literis Anno 724. scriptis: ex quibus Caspar Bruschius in Monasteriorum Germanicorum Chronologia de Murbachio in Alsatia sito quædam refert: *Monasterium Virorum in Ercmô vastâ, quæ Vosagus appellatur, in Pago Alsacensi.* Hos imitatus Ditmarus *Lusatiam* vocat Luzici *Pagum* Lib. VII. *Inde ad Luzici Pagum, in cujus Fronte Urbs quædam Iarina stat.*

LXXVII. Hunc in Modum Ditmarus in Chronici, quod, Anno 1017, scripsit, Lib. VII. *Regionem,* in quâ Nimecium, quod Nimetzum appellat [à quô ad tertium Lapidem Mons Sabothus invenitur] nominat *Silensem Pagum.* Nam, cum *Glogoviæ,* quam *Gloguam* vocat, meminisset, quò Cæsar Henricus II. adversus Boleslaum, Miseconis, Polonorum Ducis, Filium, cum Exercitu pervenerat, subjungit hæc: *Inde electas ab Exercitu valido XII. Legiones ad Urbem, eô, quod à nostris olim sit condita, NEMETZI dictam, præmisit, quæ habitatoribus his venturum præoccuparet Auxilium.* De hac Urbe mox addit: *Posita autem est hæc in PAGO SILENSI, Vocabulo hoc à quodam Monte nimis excelso & grandi olim sibi indito: & hic ob Qualitatem suam & Quantitatem, cum exsecranda Gentilitas ibi veneraretur, ab Incolis omnibus nimis honorabatur.*

LXXVIII. Hoc Ditmari Loco Melchior Goldastus in Commentariis de Bohemia Lib. I. Cap. XIV. § VI. corruptè *Pagum Silensem* dici statuit: quem opinatur *Silesensem* fuisse dicendum. At Mons *Sabothus,* quanquam non *Silesensis,* sed primum *Silenensis,* deinde *Silensis* cognominatus, potuit Regioni toti circumjacenti Nomen dare: si, quam prius *Silensiam,* postea Literam unicam omittens, *Silesiam* dixerit Antiquitas. Quæ si non in dubium vocari merentur: mirâ Nominum Mutatione, *Silesii,* à *Sabotho* in *Silenum* converso, acceperunt Nomen ortu Latinum.

Origo LATINA posterior.

LXXIX. Alia nobis occurrit Ratio, quemadmodum Mons *Sabothus* circumjacenti Regioni attrahere Nomen *Silesiis* potuerit. Sacra quæ *Iovi Sabazio,* Silesiis *Sabotho,* id est, *Baccho* Pagani fecerunt, nocturna fuerunt. Bacchus à Pentheo interrogatus apud Euripidem in Bacchis, Versu 485:

Τὰ δ' ἱερὰ νύκτωρ, ἢ μεθ' ἡμέραν τελεῖς;

Hæc vero Sacra Noctu an Interdiu facis?

Respondet ipse:

Νύκτωρ τὰ πολλά, σεμνότητ' ἔχει σκότος.

Noctu plerumque: venerandum aliquid habent Tenebræ.

Quamobrem Bacchus à Νύξ *Nox,* & τελέω *perficio,* cognominatur Nycteliius. Ovidius Lib. I. de Arte amandi, Versu 567:

Nycteliumque Patrem, nocturnaque Sacra precare,
Ne jubeant Capiti Vina nocere tuo.

Et Bacchi Sacra vocabantur *Nyctelia:* ut Servius docet ad Virgilii Lib. IV. Æneidos, Versum 303.

LXXX. Nox autem serviebat peragendis Bacchi Sacris non tantum ob Tenebras, occultandis Actionibus impudicis, quas Bacchi Festum cuique concedebat [Livius Lib. XXXIX. Cap. VIII. recenset] commodas: Verum etiam ob *Silentium:* quod aliorum Operum, non sine quodam Strepitu peragi solitorum, Quies Noctibus, non Diebus, præstat integrum, erga Deos Incitamentum Devotionis, Reverentiæ Signum: ut, præter alios, Seneca de Vita beata Cap. XXVI. & Servius ad Virgilii Lib. V. Æneidos, Versum 71, indicant.

LXXXI. Quare sunt, à quibus Mons *Sabothus,* Habitatoribus destitutus, ob Silentium, & perpetuum, & maximum, quod Silesii Pagani ad Sacra ibidem [seu diurna, seu nocturna] eô melius Deo suo [quisquis etiam fuerit] peragenda impenderint, traditur antiquis nominatus *Silentius.* Franciscus Faber in Sabotho, Versu 190:

Est Mons, protractum Cuneo quem Silesia longo
Cingit, inhærentes ipse arduus undique Colles,
Vulturio editior, Famâque & Culmine major,
Prospectat superincumbens: genialis Alumnum
Huic BACCHI SILENUM, ajunt, Mero & Arte madentem
Sacra, ferunt alii, posuere SILENTIA Nomen.

LXXXII. Inter hos, à quibus *Sabothus* Mons *Silentius* dicitur, est Pancratius Vulturinus, Cervimontanus Silesius, Eremita Monachus Augustinianus, in Poëmate, quod Panegyricum Silesiacum vocat, de Silesia ejusque primariis Urbibus, apud Patavinos, cum Annus M. D. VI. ageretur, edito: ut Iacobus Schickfusius Lib. IV. Chronici, Cap. III. refert. Id enim

nim Poëma nobis videre nondum contigit. Iohannes Vechnerus in Elysiis Silvis, Serie I. Carmine III. de Sabotho, Versu 50:

Sed hæc prius fuere: nunc Silentii
Sortes subire cogitur Mons pristinas.

Carmine IV. de eodem Monte, Versu 22:

Sed hæc prius fuere: nunc amabili
Quiete gaudet, Arce dirutâ, & colit
SILENTIUS Senex vetus Silentium.

LXXXII. Quantum Conjecturâ possumus assequi: Mons *Sabothus* à Silentio *Silentius* dictus, antea *Silens*, postea *Silensis* cognominabatur. Hinc Regio, cujus in medio Sabothus jacet, primum *Silensis*, deinde *Silensia*, denique *Silesia* videtur appellata: quæ *Silesiis* dedit Nomen.

Origo GERMANICA.

LXXXIII. Iam, quid obstat, quò minus ab eodem Monte *Sabotho* Germanicum Ortu Nomen *Silesiis* derivare sustineamus? Eos Paganos ibi Sacra peregisse, constat ex iis, quæ §. XII. & LIII. commemoravimus. Hæc Sacra, cuicunque tot in Gentilium Diis, aut potius sub Deorum Nominibus Deo, certe in Animæ suæ Gratiam Silesii præstiterunt. *Anima* vero Germanis antiquis vocabatur SIEL, SYL, SIL. Quod cum nemo facile sit vocaturus in dubium, Testimoniis confirmare supersedemus. Sane Animam, quam hodierna Germania superior *Seele* vocat, priscum in Modum *Siele*, *Syle*, *Sile* dicendi Mos [ut alios Germanos Silentiô præteream] etiamnum Silesiis supereſt plebejis, maxime Rusticis: penes quos vetustissima loquendi Forma permansit.

LXXXIV. Quamobrem de nostra Sententia, si [quod extra Controversiam positum videtur] Silesii Pagani per Cultum Dei sui, quamvis superstitiosum, in Monte Sabotho repetitum, consulere suis Animabus studuerunt: an non iis *Sabothus* ideo *Sielensberg*, *Sylensberg*, *Silensberg*: id est, *Mons Animæ*, nominari potuit: qui Latine scribentibus, præsertim Exteris, propterea Mons *Silens*, Mons *Silensis* appellatus fuerit? Unde Posteritas circumjacentem Provinciam *Silensiam*, Incolas *Silensios*: tandem, illam quidem *Silesiam*, hos autem *Silesios* dixerit.

LXXXV. Accedit huc, quod antiquioribus Silesiorum Linguis *Mons Sabothus*, tanquam *Mons Animæ*, non tantum *Mons Sylens*, aliis *Mons Silens*: id est, aut *Sylensberg*, aut *Silensberg*: verum etiam *Mons Syles*, aliis *Mons Siles*: id est, aut *Sylesberg*, aut *Silesberg*, videatur dictus: cujus circumjacentem Regionem, aut *Sylesiam*, aut *Silesiam*, & in eâ viventes, aut *Sylesios*, aut *Silesios* Vetustas nominare consueverit. Certè *Silesios* etiam *Sylesios* dictos, indicant Scriptores, quorum Mentionem, Cap. I. §. XXVII, fecimus.

Caput VI.

ORIGO quinta SILESIORUM Nominis, A Silesiæ CONVENIS, POLONICA.

I.

POrro sunt, quibus SILESIORUM Nomen à CONVENIS, hoc est ab Exterorum in Silesiam Adventu, natum esse judicatur. CONVENAS enim suâ Linguâ Poloni SLESACOS appellant: unde prius SLESACORUM, postea SLESIORUM, denique SILESIORUM Nomen provenerit. Eum Adventum statuentes duplicem, utrum priori, an posteriori Originem Silesiorum Nominis attribuant, hæsitant.

II. Prior incidit in Annum 1109: quo Cæsar Henricus V. à Uladislai Primi, Cognomento Hermanni, Polonorum Principis, Filio notho, Sbigneo, contra Boleslaum Tertium, cognomento Crivoustum, id est, Distortum, Fratrem, Patris in Imperio succesſorem, mox defecturæ, mox subigendæ universæ Poloniæ vanâ Spe irritatus, ob adjutos à Polonis Hungaros Adversarios suos, cum Exercitu magno in Silesiam, tum Poloniæ conjunctam, Boleslao subditam, pervenit: ex quâ, Glogovienſibus, Obsidionem gravem fortiter sustinentibus, à Boleslao in Campis ad Vratislaviam [propter trucidatorum insepulta Corpora denique Canibus obnoxia, Cognomen Caninorum adeptis] Prælio superatus recessit.

III. Convenæ, quos Henricus V. Imperator tum in Silesiam traduxit, fuerunt Germani & Bohemi: de quibus Martinus Cromerus in Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1109: *Cum maximis Copiis atque Viribus totius Germaniæ & Bohemiæ, Poloniam* [id est, Silesiam] *qua Saxonibus atque Turingis confinis est, & nunc Marchiæ Brandenburgensis ac Silesiæ Nomen habet,*

bet, ingreditur. In Germanis fuerunt Saxones, Bavari, Suevi, Thuringi, Franci, Misnenses: de quibus Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Tomo I. Lib. IV. ad Annum 1109: cum Imperatoris Henrici V. Polonos debellaturi meminisset: *In Ultionem tantarum Injuriarum, Expeditionem Saxonibus, Bavaris, Suevis, Turingis, Francombus, Misnensibus, & aliarum Nationum Gentibus indicit.*

IV. Posterior incidit in Annum 1158: quô Cæsar Fridericus I. pro Uladislao II. Boleslai III. Polonorum Principis maximo Filio, cui ex Paternis Provinciis, Anno 1140 divisis, quædam Poloniæ Pars, & Silesia contigerat, in Exsilium à Polonis pulso, adversus ipsius Fratrem, Boleslaum IV. omnes Uladislai II. Terras possidentem, ingentes Militum Copias in Silesiam produxit: quam solam, citra Prælium, Bello in Pacem converso, per amicum Pactum, Uladislao II restituit.

V. Convenæ, qui tum in Silesiam pervenerunt, erant Germani & Bohemi: de quibus Matthias Michovius in Polonorum Chronicis, Lib. III. Cap. XIX: *Fridericus vero hac Responsione irritatus, magnas cepit Iras, & cum amplissimo Exercitu ex Germanis & Bohemis adunato, undecimo Calendas Septembris, Odram transvadendo, Poloniam* (id est, Silesiam) *intravit.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VI. ad Annum 1158: *Fridericus Imperator cum maximis Germanorum omnium atque Boemorum Copiis, per Saxoniam in Polonorum* (id est, Silesiorum) *Fines ingreditur; & ad undecimum Calendas Septembris, Odram Amnem, nemine prohibente, Vado transivit.* In Germanis erant Franci, Suevi, Rhenani, Bavari, Saxones, Lotharingi, Misnenses, Moravi: de quibus Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Tomo I. Lib. V. ad Annum 1158: *Omnes enim Imperii Vires, & omnem Almanicam Nationem, Francos, Suevos, Rinenses, Bavaros, Saxones, Lotaringos, Misnenses quod magnæ Exsecrationis poterat videri, ipsos etiam Moravos & Bohemos, unius pene Nationis cum Polonis & Linguæ, contra Polonos vidisses infesta Arma induisse.*

VI. Propter hos in Silesiam deductos Convenas, id est, ex diversis Provinciis Germanos, quibus in Supplementum Bohemi accesserant, SILESIOS à Polonis SLEZACOS, esse dictos, primus, quantum scio, Martinus Cromerus Conjecturâ prodidit, editis, Anno 1595, Libris, Polonicam Historiam complectentibus: quorum Sexto, ad Annum 1163, Mentem suam exponit hunc in Modum: *SILESIÆ vero Nomen à Confluxu multorum Populorum inditum esse videtur, sive tunc, sive aliquantô prius, nempe posteaquam Sbigneus nothus Uladislai primi Principis Filius, cum Boemis & Saxonibus eam Oram invasit, ita ut SILESII sive SLEZACI, quasi CONVENÆ dicantur Lingua Polonica.*

VII. Huic Conjecturæ postea subscripserunt, Franciscus Faber [Anno 1565 mortuus] in Sabotho, Versu 1082:

Postremum, quod plurima Turba frequensque
Undique certatim confluxerit ADVENA, pro Re,
SLESIA nostra novum tenet hæc in Sæcula Nomen.

Caspar Peucerus in Ioannis Carionis Chronico, per Philippum Melanchthonem aucto, Lib. V. de Silesia: *Nomen Gentis vel veterem Appellationem Quadorum interpretatur, vel collectitiam Multitudinem significat, Nomine à CONVENIS facto, quos Sbigneus nothus, Uladislai primi Filius, accitus contra Fratres à Polonis Exsulibus, adduxit in Silesiam ex diversis Gentibus contractos.* Nicolaus Henelius in Silesiographia, Cap. III: cum alias Silesiorum Nominis Origines protulisset: *At illa Martini Cromeri, Rerum Polonicarum Scriptoris mehercle accurati Conjectura, quam & Francisco Fabro, Viro ac Poëtæ optimo, Reipublicæ Vratislaviensium quondam à Secretis, in eo, quod Sabothum inscripsit, pererudito & examussim eleganti Poëmate placuisse video, an non verior? SILESIÆ, [& magis si SLESIAM scribas, quô Modo fere in antiquis Monumentis] à Confluxu multorum Populorum inditum: Sive tunc, cum Uladislai Filii, Henrici IV. Imperatoris Nepotes, instante Precibus atque Minis apud Boleslaum, Cognomine Crispum, Ethnarcham Poloniæ, Friderico Barbarossa Imperatore, cum is ab Italica Expeditione, captô eversôque Mediolanô, revertisset, revocati hanc Poloniæ Partem à reliquo separatam Corpore, in suam Ditionem acceperunt: Sive etiam aliquantô prius, nempe posteaquam Sbigneus nothus Uladislai I. Filius eam Oram invasit: ita ut SILESII sive SLEZACI quasi Convenæ dicantur Lingua Polonica. Annon, inquam, hæc Conjectura Vero, certe Verbo magis assidet? Non facile pro certo dixerim: & perquirant alii, qui Linguæ Polonicæ non ignari. Ex hac enim sola Nominis SILESIÆ, ut & Urbium vetustiorum, Rationem petendam esse, alte mihi sedet. Quod qui negare audebunt, & mero Meridie lucere, per me quidem negent.*

VIII. Hanc de Silesiorum Nominis Origine Sententiam repudiat Ioachimus Curæus in Silesiæ Annalibus, ad Annum 1163: *Quidam*, inquit, *ex Scriptoribus Polonicis referunt, non multô ante hanc Ætatem fuisse natum Nomen SILESIÆ, & fingunt huic Etymon, quod dicti sint SILESII quasi SLEZACI, id est Convenæ: quia à Sbigneo notho primum, deinde ab his Principibus ducti sunt varii & dissimiles Populi in hanc Regionem,*

nem, Saxones, Bohemi & alii. Verum, cum multa repugnent, ego non assentior. Cur eam Sententiam improbet, nec ibi, nec alibi adducit.

IX. Nos hanc Silesiorum Nominis Originem cur approbare non sustineamus, afferemus Rationes, quibus Martini Cromeri Conjecturam destruamus. Ille Silesiis, quasi proprium Nomen ad Annum vel 1109, vel 1158, defuerit, tum demum, propter Convenas exteros, intra Silesiam conspicuos, Appellationem, non veterem SILESIORUM corruptam, sed inventam SLEZACORUM attributam esse judicat. Ergo Silesiis, ab Anno 550, quò Slavi Germaniam, in eâque Silesiam invaserunt, partim QUADORUM, partim LYGIORUM, quorum Pars ELYSII fuerunt, vel ademtum, vel nondum in SILESIORUM mutatum erat, quod Anno vel 1109, vel 1159, à Polonis posset in SLEZACORUM converti Nomen?

X. Numquid autem circumspectioribus Rerum & Temporum Æstimatoribus credibile videri potest, Silesios, licet, ab Anno 550, Slavis addictos, tamen post restauratum in Occidente Romanum Imperium, non tantum Caroli Magni, verum etiam succedentium Cæsarum invictis Armis Slavicæ Potestati ereptos, veteri Germanorum Corpori restitutos, ad Annum vel 1109, vel 1158, ultra Sæculum aut quintum, aut sextum, peculiari caruisse Vocabulo, quò distinguerentur ab aliis, tum Germaniæ, tum Poloniæ, cujus Pars erant, Populis?

XI. Certè Silesii, quanquam generali Polonorum Nomine tum comprehensi, quoddam vel habebant, vel accipiebant speciale Nomen, quò ipsi, tanquam Germani, à Polonis, tanquam Slavis, secerni possent, cum Provinciarum Polonicarum circiter Annum 570, post Lechum I. Polonorum Ducem mortuum, Divisio prima fieret: & Anno 750, post Vendam, Polonorum Ducem, exstinctam, cum Divisio secunda fieret. Præterea Silesiorum Nomen, Anno circiter 935 & 965, Populis cognitum: jam Anno 1017, 1082, & 1040, Scriptoribus adhibitum reperiri monstrabimus Cap. XI. §. 4. 9. 12. 13. 14.

XII. Deinde minus probabile videtur, Silesios Vocabulo *Slezacorum*, id est, *Convenarum*, à Polonis designatos ob diversarum Nationum in Silesiam Conventum: quas in eam Cæsares, Henricus V. Anno 1109, & Fridericus I. Anno 1158, attulerunt. Nam prioribus Sæculis aliquoties Poloni jam cognoverant, Silesiam diversissimis Gentibus, aut pari aut majore Numero impletam, quas eò Imperatores Romanorum Germanici protraxerant, omnium primus Carolus Magnus, cum eam peregrino Slavorum Dominio subtractam, avito Germanorum Imperio, circiter Annum 805, tributariam redderet: id quod in Libro, qui Res Silesiorum cum Polonis conjunctorum recensebit, pleniorem in Modum commemorabimus. Quò magis Admirationem subit, non ante potius, quam longè post demum *Silesiis*, ob dissimillimorum Germanorum in Silesia Præsentiam, à Polonis Nomen *Slezacorum* esse datum.

XIII. Accedit, quod Silesii parum congruenter, propter adeo multos in Silesia Convenas, quos non ut Habitatores, sed ut Hospites, imò, ut Bellatores Hostes, ad exiguum Tempus inviti receperant, ipsimet *Slezaci*, hoc est *Convenæ*, sint à Polonis nominati. Non enim reperimus, ab his Convenis exteris Silesiam vel aliquando subactam, vel diu insessam fuisse: quos eodem anno, quò introduxerat Imperator, cum Henricus V, tum etiam Fridericus I, abduxit. Cæterum ex iis, ob pauciissimos aut Fugâ dilapsos, aut Custodia retentos, aut aliam ob Causam in Silesia hærentes, universam *Silesiorum* Gentem, *Slezacos*, tanquam *Convenas*, dicere, quis Prudentiæ, quis Æquitati convenire dixerit?

XIV. Quod si tamen, *Silesios* hac Occasione Polonis *Slezacos* esse dictos admiseris: Vero magis consonum in Modum contendes, ob illam exterorum Germanorum in Silesia temporariam Societatem, Nomen *Silesiis* antea possessum tandem in *Slezacorum* abiisse Vocabulum. Quamobrem in Martini Cromeri Conjecturâ Momentum exiguum, imò nullum est ponendum.

XV. Nam Imperator Henricus II, contra Boleslaum I, Polonorum Principem (quem, ut quidam referunt, Anno 1001, Cæsar Otto III, Regem Polonorum creavit) Expeditionem Anno 1017, in Silesiam suscepit: ubi Glogoviam Obsidione cinxit. Hujus Expeditionis Res in aliorum, maxime Polonicorum Historicorum Monumentis, aut Silentiò præteritas, aut cursim tactas, quibus ipse Spectator interfuit, Ditmarus, Misnensium Martisburgensis Episcopus, in Chronici, quod eodem Anno 1017 scripsit (Anno 1018 mortuus) Libro VII, Diligentia singulari commemorat. Ibi à Polonis, quos *Polenios* Libr. IV. VI. VIII. appellat, *Silesios* distingvit: Quorum *Regionem Silesiam*, (Vocabulo etiam vetustis Latinis Autoribus usitatò, quo Regionem indicant) *Pagum Silensem*, sed, quantum colligi potest, ante multos Annos eandem Appellationem consecutum, nominat. Jam si non primum Anno 1017, *Silesii* aut *Silenses*, aut *Silensii* sunt vocati. (ex quibus unâ Literâ demtâ, *Silesii* potuerunt fieri:) cur, ob multiplicium Nationum Germanos & Bohemos in Silesia Convenas, demum Anno vel 1109, vel 1158, vel post eos Annos, à Polonis *Slezacos*, deinceps ab aliis *Slesacos*, postea *Slesios*, & denique

Sileſios eſſe dictos, credendum ſit, nos idoneam reperire Cauſam non poſſumus. Videantur quæ proferemus cap. XI.

CAPUT VII.

ORIGO ſexta SILESIORUM Nominis, A Sileſiæ Convenis, BOHEMICA.

I.

SILESIA, prius POLONIÆ conjuncta, non Armorum, ſed Pactorum Iure, ad BOHEMIAM acceſſit. Hujus Regibus, OTTOCARO quidem Ducatus, Anno 1254, TROPPAVIENSIS, poſt ejus Ducem Mieslaum II, eodem Anno mortuum, per Vim occupabatur: at IOHANNI Lucenburgico Ducatum, Anno 1327, RATIBORIENSEM Lesco: COSLENSEM Uladislaus: OPPOLIENSEM Boleslaus: TESCHINENSEM Caſimirus: OSUENTIENSEM Iohannes: GLOGOVIENSEM & OLSNENSEM Conradus: STEINAVIENSEM Iohannes: Anno 1331, LIGNICENSEM, BREGENSEM, GROTKAVIENSEM Boleſlaus, Wenceslaus, Ludovicus, Sileſiorum Duces, ultro ſubjecerunt: Anno 1337, Ducatus VRATISLAVIENSIS, poſt ejus Ducem Henricum VI, eodem Anno defunctum, Teſtamentô adjungebatur: Anno 1341, Ducatum MONSTERBERGENSEM Boleslaus in Pacis Conditionibus obtulit: CAROLO IV. demum, Anno 1368, Ducatus SUIDNICENSIS & IAVORENSIS, poſt utriusque Ducem Boleslaum, eodem Anno exſtinctum, tanquam Hæreditas promiſſa, recipiebatur. De quibus SILESIÆ Partibus, à POLONIA ſeparatis, ad BOHEMIAM translatis, agunt, præter Wenceslaum Hagecium & Martinum Boregkium in Bohemorum Chronicis, Matthias Michovius de Polonorum Rebus Lib. II. Cap. LXVI. & Lib. IV. Cap. XV. & XVI. Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XXIX. Cap. XXX. Lib. II. Cap. I. Cap. XXX. Cap. XXXVIII. Lib. III. Cap. XVIII. Stanislaus Lubienskius de civili Motu in Polonia, Lib. IV.

II. Poſt hæc in Sileſiam, Bohemico Regno addictam, ſubinde quidam ex vicinis Provinciis, Poloni, Misnenſes, Pomerani, Marchici & alii

alii tranſierunt, ibique fixerunt ſedem. Inde SILESIIS, antea POLONORUM Nomine comprehenſis, à Bohemis, patrio Sermone formatum SLESITARUM, id eſt, *Repentium* Nomen inditum eſſe, quidam commemorant. Iohannes Dubravius, in Hiſtoria Bohemica, Lib. VIII: *Locus monet, ut de hac ipſa Syleſia, quæ jam pridem tota ſub Imperio Boiemorum conſtituta eſt, pauca dicamus.* Ibidem poſt quædam: *Tandem Lechus, Frater Czechii, de quibus ante dictum eſt, in illam Regionem penetrans, Poloniam campeſtri Planicie, quam vernacula Lingva Pole dicimus, appellavit. Duravitque illi hoc Vocabulum, quamdiu ſub Ditione Polonorum erat. Poſtremo Boiemi illam nacti, cum vidiſſent, præter Polonos, Misnios quoque ac Pomeranos, Marchitasque & aliam miſcellaneam Turbam illo velut inſerpere, paulatimque irrepere, à ſerpendo SLESITAS nativo ſuo Sermone appellare cœperunt. Nunc SYLESITÆ vocari malunt, Patriamque SYLESIAM.* Cum Dubravio conſentit Martinus Boregkius in Bohemiæ Chronico, Parte I.

III. At Inventio Sileſiorum Nominis, quam Ioannes Dubravius indicat, quemadmodum confinis eſt ei, quam Martinus Cromerus attulit (de qua præcedens caput agit) ſic pari Cenſuræ non præter Cauſam ſubjici meretur.

IV. Nam Sileſia, cum ſe Bohemorum Regibus ſponte ſubmitteret, Præſidium pollicentibus contra *Polonos Sarmatas*, quorum grandioribus Inſolentiæ Documentis *Poloni Germani*, hoc eſt, *Sileſii* graviter irritabantur, quanquam crebris Hoſtium Irruptionibus non nihil attrita, non tamen ideo devaſtata Regio fuit, multis & Ducibus & Populis, §. 1. recenſitis, adhuc inſtructum in Germaniæ Finibus adverſus Hoſtes Propugnaculum. Quare, licet illis Temporibus in Sileſiam, potiſſimum inclareſcente Iohannis Lucenburgici, Bohemorum Regis, ad Procerum & Civium Animos ſub Imperium ſuum attrahendos ſingularis Artificis, leniſſimo Gubernaculo, quibusdam ex Vicinia peregrinis Sedem transferre placuerit: non tamen Advenarum tantus aut fuit, aut eſſe potuit Numerus, ut, ob eos in Telluris ſuæ Conſortium admiſſos, par eſſet, ipſis Receptoribus SILESIIS Nomen SILESITARUM, id eſt, *Irrepentium* imponere, quod receptis potius erat conferendum.

V. Præterea, Iohannes Dubravius, cum SILESIOS, ob multiplices Advenas, in Iurium Suorum Societatem aſſumptos, à Bohemis SLESITAS vocatos refert: unde poſtea SYLESITÆ vocari maluerint, vehementer errat. Nam SILESII jam Anno 1017, aut SILENSIUM, aut SILENSIORUM: Anno 1139 & 1140, ipſum SILESIORUM gerebant

bant Nomen: ut ex iis, quæ Cap. XI. in medium afferemus, constabit. Non igitur SILESIORUM Nomen Silesiis demum post Annum 1254, 1327, 1331, 1337, 1341, 1368, quorum Annorum Intervallô Silesia in Bohemiæ Conjunctionem pervenit, est impositum. Hinc potius colligas, ob Alienigenarum in Silesia Conventum, â Bohemis esse priscum SILESIORUM Nomen, aut superaddita SLESITARUM Appellatione multiplicatum, aut potius eâdem corruptum: non autem Bohemicum SLESITARUM Vocabulum tandem in SYLESIORUM, unâque mutatâ Literâ, conversum in SILESIORUM Nomen.

CAPUT VIII.

ORIGO Septima SILESIORUM Nominis, A Silesiæ Populo QUADIS, SLAVICA.

I.

QUidam Silesiorum Nomen ab antiquissimo Silesiæ Populo QUADIS deductum credunt. Quamobrem, an & quomodo Germanicum *Quadorum* in Slavicum *Silesiorum* transmutatum sit Nomen, ut pateat: quis veteribus Germanis Quadus audiat, commemorabimus.

QUADI Germanis Facundi.

II. Hanc Quadorum Notionem, quâ pro facundis haberi possunt, quia nemo, quantum scio, in medium protulit, ê Principiis suis tantô magis evidenter sum expositurus. Germanis veteribus QUIDO est DICO. Willeramus, Martisburgensis Abbas, [ut Ioannes Trithemius in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, Cap. CCCXLIV, refert, Anno 1070: & in illustrium Virorum Catalogo, Cap. LV, narrat: Anno 1080. clarus] in Commentario, quem in Salomonis Canticum Canticorum, partim Latinè, partim Germanicè scripsit: [cujus Commentarii quoddam Specimen Bonaventura Vulcanius in variarum Lingvarum Speciminibus, Anno 1597, edidit: totum Opus in Vratislaviensium Elisabetana Bibliotheca reperitur] ad Caput VII, Versum IX: *Ih QVIDO abo daz daz billih si:* hoc est, *Ich Sage aber, das das billich sey.*

III. QUIS est DICIS. Testis est nobis Otfridus Monachus in Epi-

Episcopatu Spirensi Weissenburgensis, Natione Germanus: quem Anno 870 claruisse, Ioannes Trithemius in Catalogo de Viris illustribus Cap. XIX: & de Scriptoribus Ecclesiasticis Cap. CCXC. rectissimè narrat. Id enim Otfridus ipse nos docet carmine, quod ad Imperatorem Ludovicum II. Lotharii Filium (Anno 875 mortuum) composuit. Hic Evangeliorum, quæ Rhythmis, Germanico, non Westphalico, sed Francico, pro temporibus illis elegantissimô Sermone scriptis, Posteritati reliquit: Matthias Flacius Anno 1571 emisit: Lib. IV. Cap. XIX: cum Sacerdotum Princeps Christum interrogavisset: Versu 99. & 100:

Thaz thu unsih nu giduauuis,
Oba thu Gotes Sun sis. Hoc est:
Das du uns nun macheſt geuuis
Ob du Gottes Sohn biſt.

Respondet Christus Versu 106:

Ich bin iz retho, ther thu QUIS. Hoc est:
Ich bin es recht, der du SAGEST.

IV. Pro QVIS reperitur etiam QVIST. Willeramus ad Salomonis Canticum, Cap. I. Versum XV: *Du QVIST, das ich scone si:* Hoc est: *Du SAGEST, das ich schoen sey.*

V. Unde QUIT est DICIT. Otfridus Lib: III. Cap. XII. Versu 13:

Uuas QUIT von mir ther Liut stam? Hoc est:
Was SAGT von mir der Leuthe Stam?

Lib. III. Cap. XVII. Versu 29:

Selbo Moyses er QUIT. Hoc est:
Selber Moſes er SAGT.

Lib. V. Cap. XIX. Versu 42:

Ther Gotes Forasago QUIT. Hoc est:
Der Gottes Vorſager [Prophet] *SAGT.*

VI. QUAD est DICEBAT. Otfridus Lib. IV. Cap. XX. Versu 88:

Thu QUIS, QUAD er, the ih Kunig bin. Hoc est:
Du SAGST, SPRACH er, das ich König bin.

Lib. I. Cap. XXVII. Versu 37:

Ni bin ih Christus, QUAD er zi in. Hoc est:
Nich bin ich Chriſtus, SPRACH er zu ihnen.

Lib. II. Cap. IV. Versu 93:

Tho QUAD Christus, giscriban ist. Hoc est:
Da SPRACH Christus, geschriben ist.

Cap. XIX. Versu 5:
Ih, QUAD, afur sagen iu. Hoc est:
Ich, SPRACH, aber sage euch.

Lib. III. Cap. XX. Versu 117:
Ih sagen iu, QUADer, thaz ist uuar. Hoc est:
Ich sage euch, SPRACHer, das ist war.

Willeramus ad Caput VII. Versum IX: *Sponsus der QUADH.* id est, *Sponsus der SAGT.*

Pro QUAD reperimus etiam QUÆD usurpatum. Alfredus, Occidentalium Saxonum in Anglia Rex, in Præfatione, quam Legibus suis præmisit, §. I: *Drichten wæs sprecende dæs word to Moyse, and thus QUÆD:* id est, *Der Herr war sprechende das Wort zu Moyse, und also SPRACH.*

VII. QUATUN, pro QUATEN, est DICEBANT. Nam ibi UN pro EN ponitur. Otfridus Lib. I. Cap. XVII. Versu 41:
Uuir sahun sinan Sterron. Hoc est:
Wir sahen seinen Stern.

Lib. III. Cap. XIV. Versu 109:
Thie Siechun quamum alle. Hoc est:
Die Siechen Kamen alle.

Lib. IV. Cap. XXII. Versu 58:
Thaz Sie sulih QUATUN. Hoc est:
Das Sie solche SAGTEN.

Lib. V. Cap. IV. Versu 11:
Thaz uuir hiar fora QUATUN. Hoc est:
Das wir hier vor SAGTEN.

VIII. QUADUN pro QUADEN est DICERE. Otfridus Lib. IV. Cap. IV. Versu 120:
Thie selbun Burgliuti
Uuer ist, QUADUN, therer Man? Hoc est:
Die selben Burgleuthe [Stadtleute]
Wer ist, SAGEN, der Man?

Cap. XIX. Versu 59:
QUADUN, sie iz gehortin. Hoc est:
SAGEN, sie es gehoeret.

Cap. XX. Versu 41:
QUADUN, er ni uuolti. Hoc est:
SAGEN, er nicht wolte.

Cap.

Cap. XXII. Versu 53:
Tho QUADUN thie Euuarton. Hoc est:
Da SAGEN die Priester.

IX. Ut in his UN pro EN, id est, U pro E: Sic in aliis O pro E usurpatum invenitur. Ita ponit Otfridus in Evangeliis suis *Alto* pro *Alte*, Lib. I. Cap. XV. Versu 49: *Worto* pro *Worte*; Ibidem, Cap. XXII. Versu 74: *Willo* pro *Wille*, Lib. III. Cap. IV. Versu 61: *FRANKO* pro *FRANKE*, in Carmine ad Cæsarem Ludovicum II, Versu 25:
Uuanta er ist edill FRANKO. Hoc est:
Wann er ist [ein] *edler FRANKE.*

Ibidem, Versu 34:
So ist ther Selbo FRANKO. Hoc est:
So ist der selbe FRANKE.

X. Hinc etiam ON pro EN passim reperitur. Sic adhibet Otfridus *Brunnon* pro *Brunnen*, Lib. I. Cap. XXVI. Versu 6: *Namon* pro *Namen*, Ibidem Cap. XXVII. Versu 49: *Selon* pro *Selen*, Ibidem Cap. XXVIII. Versu postremo: *Steinon* pro *Steinen*, Lib. III. Cap. XVII, Versu 32: *FRANKON* pro *FRANKEN*: Lib. I. Cap. I. Versu 64. 112. 205. & cum *FRANKONO* pro *FRANKONE* dicit in Carmine ad Cæsarem Ludovicum II. Versu 3. & 4:
So FRANKONO Kuningscal:
Ubar FRANKONO Lant. Hoc est:
Wie [ein] *FRANKENE Kœnigsol:*
Uber FRANKENE Land.

XI. Quemodmodum vero Germanis olim FRANKO pro FRANKE, id est, FRANKUS: & FRANKON pro FRANKEN, id est, FRANKI vocabantur: ita, quin Germanis olim QUADO pro QUADE, id est, QUADUS: & QUADON pro QUADEN, id est QUADI fuerint nominati, non videtur esse dubitandum.

XII. Cæterum, Germaniam Populis suis ab Ingeniorum Morumque Proprietatibus desumta Nomina quondam imposuisse, non fugit Rerum Germanicarum peritos Viros. In Exemplum nobis sunt, quos Libertatis & studiosos, & participes Antiquitas nominauit FRANKOS, id est LIBEROS. Id docent Iohannes Turpinus in Cæsaris Caroli Magni Historia Cap. XXXI: Marcus Antonius Coccius Sabellicus in Historiarum Rapsodia, Enneade X. Lib. III. Albertus Krantzius in Metropoli, Lib. IV. Cap. XIII: Ioannes Aventinus in Annalibus Boicis, Lib. IV. Franciscus Hotomannus in Franco-Gallia, Cap. V: Ioannes Bodinus in Historiarum Me-

Methodo, Cap. IX. Hadrianus Iunius in Bataviæ Hiſtoria, Cap. IX. Ioannes Limnæus in Regni Francici Notitiâ, Lib. I. Cap. I.

XIII. Parem in Modum â Germanis QUADOS, quod eſſent Sprecher, Sager, Redner, id eſt, Locutores, Dictatores, Oratores, aut, ſi mavis, FACUNDI, Nomen ſuum accepiſſe, non abhorret â Verô: cui Sententiam eam reddunt hactenus prolata conformem. Hunc vero ſi ſpectes Ortum Nominis Quadorum, equidem aut noſtræ, aut exteræ Linguæ non poſſum reperire Vocem, cujus Ope ad ultimum ex QUADO fiat SILESIUS.

QUADI Germanis ſunt IRACUNDI.

XIV. Alia nobis occurrit Quadorum Nominis Origo: quam ſequentes putant Germanis QUADOS appellatos fuiſſe MALOS. Sane *Quadus* Germanis eſt *Malus*, id eſt, *Noxius*. Matthæus Cap. VI. 13. Lucas Cap. XI. 4: ſecundum Interpretationem Belgicam: *Maer verlos du ons von QUAEDE.* Id eſt: *Sondern erloeſe du uns von dem BOESEM.* Secundum Interpretationem Friſicam, quam Bonaventura Vulcanius exhibet in variarum Linguarum Speciminibus: *Din fry uns vin it QUÆD.* Hoc eſt: *Denn frey uns von dem BOESEM.* Autor Hymni veteris, quem Gothofredus Helwigius Cantilenis Vratislaviæ Sileſiorum, intra Georgii Baumanni Officinam, Anno 1644: editis adjunxit: *QUAT* [hoc eſt, Bœſes] *von niemand gedenck, noch ſprich.*

XV. Interdum *Quadus* Germanis eſt *Malus*, id eſt, *Pravus*. Autor Interpretationis Belgicæ Bibliorum: apud Eſaiam V. 20: *Wee den genen, die dat QUÆT goet, ende dat goet QUÆT heten.* Hoc eſt: *Wehe den jenigen, die das BOESE gut, und das gut BOESE heiſſen.* Pſalmo XCII. 8: *De Godloſen grœnen ghelyck dat gras, ende de QUÆT. Doenders bloepen alle.* Hoc eſt: *Die Gottloſen grunen gleich dem gras, und die Ubelthæter blühen alle.* Matthæi XXII. 10: *Ende de Knechten gingen uut op de Straten, ende brachten te ſamen, wien ſy vonden, QUAD E ende goede.* Hoc eſt: *Und die Knechte gingen aus auf die Straſſen, und brachten zu ſammen, wie ſie funden, BOESE und gude.*

XVI. Germanis autem *Quadus*, id eſt, *Malus*, non ſemper *Pravus*, ſed interdum etiam *Iracundus* eſt.

XVII. Is Vocis Uſus quondam fuit Saxonibus: quibus Bello ſtrenuus Dux Otto, A. C. 1394, mortuus, cognominabatur QUADUS: *Der Quade*, Hoc eſt: *Der Bœſe*: de quo agunt Henricus Buntingus in Brunſuicenſium Chronico, Parte III. Philippus Iacobus Spenerus in Sylloge Genealogico-Hiſto-

Hiſtorica, de Familia Brunſuicenſium Ducum. Quin adhuc Saxonibus eſt: de quô Reinerus Reineccius in Hiſtorico Syntagmate, Parte III, Regno XXXVII: quod eſt Germanicum: *Tranſeo ad Nomen QUADORUM: cui ſignificatum ineſt Iracundi, ferocis, immitis: idque nec dum in Saxonica Dialecto exſpirauit.* Imo ipſi quoque Sileſii, Quadorum Poſteri, nondum deſierunt, *Iratum* Linguâ ſuâ nominare *Malum:* quibus etiamnum, Einen *Bœſe* machen, pro, einen *zornig* machen, id eſt, aliquem Iratum facere, dicitur.

XVIII. Hinc, ad Germanicæ Vocis Indolem, Malus quidem, at duplicem in Modum, id eſt, & *Pravus* & *Iracundus* haberi poteſt, qui nominatur hodieque Saxonibus inferioribus, *Ein Quader Duvel:* Sileſiis *Ein Bœſer Teuffel*: id eſt, *Quadus Diabolus:* ut ſit, aut, *Ein arger Teuffel:* id eſt, *Pravus Diabolus:* aut, *Ein zorniger Teuffel:* id eſt, *Iracundus Diabolus.*

XIX. Ideoque nihil obſtat, quô minus hæ duæ Quadorum Notiones, quarum alterâ *Pravus*, alterâ *Iracundus* denotatur, nihil Repugnantiæ mutuæ continentes, in unam Gentem cadere ſimul poſſint, quam & Pravitas & Iracundia nobilitet.

XX. Cur autem Quados, Sileſiæ Populum, Germanis olim *Malos*, id eſt, *Pravos* cenſeamus dictos, equidem Cauſam nullam reperire poſſum. Hos enim Bellicoſos quidem, non vero præ cæteris Germanis, pro communi Sæculorum ſuorum, in Moribus plus Vitiorum, quam Virtutum alentibus, Barbarie, *Pravos* exſtitiſſe, priſca Monumenta commemorant. Certè Viris *Bellicoſis*, præſertim conſpectiorem in Modum ſtrenuis, tantam cum *Ferocibus* Convenientiam eſſe conſtat, ut propterea Romanorum Auxiliatores Tacitus in Hiſtoriarum Lib. II. Cap. XXIV. §. 3. Scythas Curtius Lib. VII. Cap. IX. §. 18: Indos idem Lib. IX. Cap. IV. §. 16: *Ferociſſimos*, id eſt, *Fortiſſimos* appellandos judicaverit.

XXI. Quare tutius eſt, ut ob *Iracundiam* præcipue militarem, quam veteres Philoſophi, ut Cicero in Academicis Quæſtionibus, Lib. IV. Cap. XLIV. refert, *Fortitudinis quaſi Cotem eſſe dicebant*, Sileſiæ Populum Germanis *Malos*, id eſt, *Quados* eſſe dictos ſtatuamus.

XXII. Hæc, cum ita ſint, eorum Sententiæ quoddam Præſidium afferunt, qui putant Sileſios inter Majores ſuos Quadis debere Nomen ſuum. QUADOS enim MALOS patriâ Lingvâ dictos, ideo â Slavis, Anno poſt CHRISTI Nativitatem 550, cum Germaniæ Partem maximam occuparent, in Sileſiam quoque progreſſis, Occaſione Vocabuli ſui ZLE, quô MALUS denotatur, eſſe nominatos ZLEZIOS. Unde Conjectura Vires capit, novum hoc Quadorum Nomen, qui tum quidem ſuperio-

rem, non autem universam Silesiam tenebant, mox ad reliquos etiam Silesios extensum, à multis, partim Slavis, partim Sermonem Slavicum, seu Germanico, seu Latino miscentibus, per illa Tempora, quæ nullam vel exiguam Linguæ Culturam respexerunt, miris Modis [quos primum Caput recensuit] esse corruptum: nihilò secius tamen à quibusdam Scriptoribus, cum lenioris Son, tum elegantioris Verbi studiosis, Z in S mutantibus, ZLESIOS in SLESIOS: & tandem omnes Asperitatis Reliquias eradicantibus, Styloque Romano suum penitus accommodantibus in SILESIOS esse conversos.

XXIII. Hanc Silesiorum Nominis Originem Slavicam, etsi speciosam, rejicit tamen, ipse Slavonicarum Linguarum, Hungaricæ, Polonicæ, Bohemicæ gnarus Philippus Cluverius in antiqua Germania, Lib. III. Cap. XXXI. *QUADORUM ac SILESIORUM*, ait, *quos Germani die Slesinger sive Schlesinger vocant, Nomina eandem Rem significare putant. QUAAT namque Oceani Accolis Germanis idem est, quod Slavorum Genti ZLE, id est, MALUM seu improbum: quasi Slavi in has Oras advecti Germanicum Vocabulum in suam Linguam commutarint. At hoc primò demonstrandum erat: Polonorum, Slavicæ Gentis, SLASKO, ac Czechorum sive Bojohæmorum, itidem Slavicæ Gentis, SLISKO, quibus Vocabulis Terram SILESIAM appellant: illorum SLESAZY, horum SLIZACY, quibus Vocabulis Gentem SILESIORUM indigetant: à Voce ZLE deducta esse. Quod nemo unquam, neque Polonus, neque Bojohæmus, neque alius quisquam Slavici Generis Homo concesserit.*

CAPUT IX.

ORIGO Octava SILESIORUM Nominis, A Silesiæ Populo LYGIIS, GERMANICA.

I.

ANtiquam Silesiam Germani, præter QUADOS, tenuerunt LYGII, quorum Pars ELYSII fuerunt: de quibus agemus in Libro de Silesiorum Majoribus.

II. Quare non desunt, quibus SILESIORUM in SYLESIORUM conversum, ideo ad LYGIORUM refertur Nomen, quoniam, ut credunt, Lygüs suum referunt acceptum ELYSII, à quò Silesiorum censent subortum Nomen. Hanc Originem Poeta vetus respicit, cujus Epigramma in quodam Silesiæ Chronico MSto invenimus:

ELYSIO LYGIUS dedit indelebile Nomen:
SYLESIUS LYGIO debuit ergo suum.

Nec ab eâ Sententiâ videtur alienus esse Philippus Melanchthon in Regionum & Gentium Vocabulis: de Lygiis: *Sonus Appellationis alludit ad Silesiæ Nomen, etsi hic Tacitus etiam Elysios nominat.* Ioachimus Curæus in Silesiæ Annalibus, ad Annum 1163: *Simpliciter puto, repetitam esse veterem Appellationem LYGIORUM & ELYSIORUM. Nam etsi veteres Lygii oppressi sunt à Slavis, qui Imperium & Linguam suam in hæc Loca propagarunt: tamen consentaneum est, mansisse aliqua vetera Nomina, quæ postea in Usum revocata sunt.* Matthæus Dresserus in Historiarum Millenario VI, Parte II, de Lignicensibus aliisque Ducibus: *SILESIOS ex LYGIIS & ELYSIIS nominatos esse, verisimile est.* Quid nos de Silesiorum Nominis hac Origine judicemus, tum aperiemus, cum explicaverimus, quid Germanis Nomen LYGIORUM denotet.

III. LYGII, de quibus hoc Locò agimus, quanquam interdum, nescio, Typothetarum, an Editorum Incuriâ, vel LIGII, vel LIGYI, plerumque tamen LYGII nominantur. Ita vocat eos Cornelius Tacitus in Annalibus, Lib. XII. Cap. XXIX. §. 5. Cap. XXX. §. 1 & in Germania, Cap. XLIII. §. 4. & 7: sicut Tacitum in Lucem prodiderunt, tum alii plures, tum cæteris potiores, Anno M. DC. VII, apud Antverpienses, novissimâ Curâ Iustus LIPSIUS: eodem Anno apud Francofurtanos ad Mœnum Ianus GRUTERUS: Anno M. DC. XXXVIII, apud Argentoratenses Matthias BERNEGGERUS: Anno M. DC. LXXII, apud Amstelodamenses Iohannes Fredericus GRONOVIUS: Anno M. DC. LXXXVII, apud Lugdunenses Batavos Theodorus RYCKIUS.

IV. Ad Cornelii Taciti Exemplum, Λυγίας Lygios Dio Cassius nominat in Historiarum Lib. LXVII: Ἐν τῇ Μυσίᾳ Λύγιοι Σκήβοις τισὶ πολεμηθέντες, πρέσβεις ἔπεμψαν. *In Mysia LYGII à Suevis quibusdam Bello vexati Legatos miserunt.*

V. Horum Lygiorum, quos veterum Germanorum in Suevicis Populis Gentem fuisse constat, Nomen Ortu Germanicum, non exterum esse, quamvis solidò aut Testimonio, aut Argumento demonstrari non possit: est tamen, unde Conjecturam probabilem capiamus.

VI. Populos aut omnes, aut plurimos, à Rebus ad eos pertinentibus accepisse Nomina sua, non facile quisquam inter Antiquitatum peritos ne-

gaverit. Posthabitis aliis, solos in Exemplum, quod Scopo nostro serviat, ex Germanis proferemus Vandalos.

VII. Hos quidem Slauos ii statuunt, qui Vandalos cum Vendis, omnino Slavis, circiter Annum Christi 550, Germaniam ingressis, ibique Vandalorum sedes assecutis, confundunt. Vandalos autem à Vendis utique distinctos, ante Christum natum claros, ipso Vendorum in Germaniam ex Sarmatia digressorum Accessu vetustiores Scriptores indicant. Plinius Lib. IV. Cap. XIV: *Germanorum Genera quinque: VANDILI.* Tacitus in Germania, Cap. II. §. 5: *Plures Deo ortos, pluresque Gentis Appellationes, Marsos, Gambrivios, Svevos, VANDALOS* [Germani] *affirmant: eaque vera & antiqua Nomina.*

VIII. Hic Germaniæ Populus, VANDALI, quoniam crebro Sedes suas mutaverunt, Nomen, quod gerunt, acceperunt à vetustis Germanis: quibus ideo dicti fuerunt aut *Wandaler*, aut *Wandeler*: id est, *Ambulatores* aut *Peregrinatores*. Hugo Grotius in Prolegomenis Procopio præmissis: de Svevis & Wandalis: *Voce & hac & illa eos significari, qui non certis se tenent Sedibus, nunc huc, nunc illuc ambulant, novere omnes, qui Germanicum Sermonem.*

IX. Inde nobis Opinio suboritur, antiquo Silesiæ Populo, LYGIIS, quos à Sedibus suis, ad Vandalorum Exemplum, recessisse non reperimus, ideo, quod eas tenerent fixi, à cæteris Germanis, quos intentior Conterraneorum Æstimatio Vandalis, tanquam perpetuis, seu Ambulatoribus, seu Peregrinatoribus, Gentem dissimilitudine, tum Animorum, tum Morum, contrariam opponere jusserit, nominatos fuisse *Lyger*, secundum veterem: &, secundum hodiernam scribendi Formam, *Lieger*, id est, *Iacentes*: aut, si magis placet, *Permanentes*.

X. Hinc vero quemadmodum Nomine suo LYGII possint evadere SILESII, non equidem invenio. Nam, licet unâ literâ mutatâ LYGII possunt esse LYSII, unde fiant ELYSII: tamen Ratio deest, quæ simul & Conversionis Causam Veritati consentaneam reddat, nec ab exposita Lygiorum, id est, Iacentium, & Permanentium Significatione discedat.

CAPUT X.

ORIGO nona SILESIORUM Nominis, A Silesiæ Populo ELYSIIS, GERMANICA.

I.

VEterem SILESIAM inter Habitatores suos, non QUADOS tantum, sed LYGIOS etiam, quorum Pars ELYSII fuerunt, tenuisse diximus Cap. IX: idque noster confirmabit de Silesiorum Majoribus Liber. Hoc Elysiorum Nomen unde provenerit, non extra Controversiam est. Ortu quidam Hebraicum pronunciant: quod Græcum statuere poterant: nos Germanicum declarabimus.

II. Nam sunt, quibus Elysiorum, sicut Populus, ita Nomen ab *Hebræorum* Elisa, Iavanis Filio, Iapheti Nepote, Noachi Pronepote, suam Originem trahere putatur. Secundum hos erit, cur *Elysios* ab Hebræorum אֵל *El*, Deus, & יֵשַׁע *Ieschа*, Salus, Nomen consecutos, interpretemur *Divinitus beatos*. Ei Sententiæ subscribunt Ioachimus Curæus in Silesiæ Annalibus: & Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. II.

III. Sed tum demum non adeo infirmum Opinioni suæ Fulcrum supposuerint, cum evidenter ostenderint, ab Elisa, Elysios, qui Pars Lygiorum fuerunt, ortos: Lygios autem in Asia primum, post in Europa, tandem ex Græcia in Germaniam progressos, in Silesia Sedem nactos. Nos, quibus hoc præstitum non invenitur, illam Elysiorum Nominis Originem approbare nondum possumus.

IV. Melior illa nobis Ratio censetur, ob quam *Elysiorum* Vox Ortu *Græca* videtur. Nam, etsi credas, Silesiæ Populum, Elysios, Nomen ab Elisa obtentum, Sæculis multis retentum, ex Asia in Europam, per Græciam in Germaniam, in Silesiam transportatum, *Divinitus beatos* denotare: tamen, cur id, Notione par, Sermone dispar, si non primos, at proximos Natales à Græcis habere, non credi possit, Causam nullam reperimus.

V. Cujus Originis Vox Elysiorum sit, quæ Poëtis, tum Græcis, tum Latinis est frequens, ignoravit Ioachimus Curæus. *Mirum est autem*, inquit in Silesiæ Annalibus, *cum celebre Nomen apud Poëtas sit Campi*

Elysii, non inquisitum esse, quæ sit Origo illius Appellationis. Non est dubium, Poëtas voluisse nominare Regionem beatam. Id ne Iacobus quidem Schickfusius penetravit: ut in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. III, fatetur.

VI. At est *Elysiorum* vox, Græcis usitata, omnino *Græca*. Quid designet, proferemus. Ἤλυσις, *Elysis*, est *Adventus*. Suidas: Ἤλυσις. Ἔλευσις. Ἄφιξις. Ἔφοδος. Πορεία. *Elysis, Adventus, Profectio, Ingressus, Iter.* Euripides in Hecuba, versu 67: Σπεύσω βραδύπουν Ἤλυσιν ἄρτων προτιθεῖσα: *Accelerabo tardigradum Adventum Articulorum promovens.* Hinc Ἠλύσιοι *Elysii* sunt *Advenæ*. Quamobrem ἀπὸ τῆς ψυχῶν Ἠλύσεως, *ab Animarum Adventu* Locus, in quem Animas à Corporibus dissolutas advenire Pagani putabant, Ἠλύσιον *Elysium* nominatus est.

VII. Locus ille, quoniam veteres Philosophi Ethnici quadam futurorum Conscientia ducti, statuebant, Animas impiorum in molestam, piorum in jucundam transferri Sedem, sic potissimum à Poëtis, tum Græcis, tum Latinis depingitur, ut propemodum cælestis Paradisus videri possit. Eum, quem describunt, nullo quidem Nomine proprio indicant, Plato in Phædone. Origenes Lib. V. contra Celsum, Cap. I. Propertius Lib. IV. Eleg. VII. Versu 60: Claudianus de Proserpinæ Raptu Versu 281. Appellant vero *Elysium*, Virgilius in Æneide, Lib. VI. Versu 542. & 744. Valerius Flaccus in Argonauticis Lib. I. Versu 650. *Elysium Campum* Ἠλύσιον πεδίον: Homerus in Odyssea Lib. IV. Versu 563. *Elysios campos:* Ἠλύσια πεδία: Clemens Alexandrinus in Stromatibus, Lib. IV; extremo: Tibullus Lib. I. Eleg. III. Versu 58. Augustinus Lib. X. de Civitate Dei, Cap. XXX. *Elysii Campi Lucos*: Claudianus in Stiliconis Consulatum, Lib. II. Versu 378. *Elysium Nemus*: Seneca in Hercule furente versu 744. *Elysias Valles*: Claudianus in Honorii Epithalamio Versu 744. *Beatorum Insulam*: Μακάρων Νᾶσον: Pindarus in Olympionicis, Oda II. Versu 129. *Piorum Mundum*: Nemesianus Ecloga I. versu 20.

VIII. At quæ fuit olim Regioni, quam hodie Silesiam dicimus, sub horridis Doctrinarum ad Religionem pertinentium Tenebris, Beatitudo singularis, ob quam Incolis potuerit adeo vetustum Elysiorum, ab omnium antiquissimis Avis reportatum, ex Merito attribui Nomen? Nam ea quidem Felicitas, quam Elysios à deterioribus Populis ad meliorem Gentem profectos in Silesia obtinuisse, Joachimus Curæus & Iacobus Schickfusius commemorant, adeo fragile Fundamentum habet, ut etiam leviori Brachio facile subvertas.

IX. Quare nos Elysiorum Nominis Originem, quam nec Hebræis, nec Græcis adscribendam videmus, Germanicam producere conabimur.

Huic

Huic ne Valorem par, seu Obscuritas, seu Infirmitas adimat, in eô majus Probabilitatis Præsidium, quædam Munimenta circumdabimus.

X. Primô, certum est, à Germanis antiquis, ex Lingvæ politioris Neglectu, literam R in multis Nominibus, quibus eam, in Oris concinnioris Gratiam, nos addimus, deprehendi omissam.

XI. Vocabulorum Fini demitur R etiamnum ab inferioris Saxoniæ Populis: cum *De* pro *Der* usurpant. Hinc Martini Lutheri hæc in Iohannis Apocalypsi, Cap. IV. Versu 8: *Der Herr, der almæchtige, der da war, und der da ist, und der da kommet:* sic proferunt: *DE Here, DE Almechtige, DE dar was, unde DE dar ys, unde DE dar kumpt.* Cum dicunt: *UNSE Godt*, pro, *UNSER GOTT.* Nam Martini Lutheri hæc in Deuteronomii Cap. VI, Versu 4: *DER Herr, UNSER GOTT, ist ein einiger Herr:* ita pronunciant: *DE Here, UNSE GODT ys ein enich Here.* Sic pro WEISSAGER dixit WEISSAGE Interpres antiquissimus Harmoniæ quatuor Evangeliorum, quam Tatianus, Iustini Martyris Discipulus, scripsit, Teutonicus, in Zachariæ Cantico, quod Bonaventura Vulcanius in variarum Linguarum Speciminibus edidit: Ex Lucæ Cap. I. 76: *Thu Knecht WIZAGO thes Hohisten bisthu ginennut:* id est: *Du Knecht WEISSAGER des Hoechsten bist du genennet.* Sic Autor Anonymus Precationum, in Vratislaviensium Elisabetana Bibliotheca MStarum: GEISTE pro GEISTER: Precatione III: *Heile meine Wunden, domit mich dy bozen GEISTE vorsert habin:* id est: *Heile meine Wunden, damit mich die bœsen GEISTER verfehret haben.* GOTE pro GOETTER, ibidem: *Wy wol das Were, das sy falsche GOTE anbeten:* id est: *Wie wol das were, das sie falsche GOETTER anbethen.* VORSPRECHE pro VORSPRECHER: Precatione XXI, ad Apostolum: *Meyn VORSPRECHE vor dem allmechtigen Gote:* id est, *Mein VORSPRECHER vor dem allmæchtigen Gotte.* Sic Interpres Saxonici Speculi Germanicus, pro VORSPRECHER, id est, Advocatus, adhibet VORSPRECHE, in Proœmio: *Und er mag wol Urtel finden, und Urtels warten, und auch VORSPRECHE sein zu Lehenrecht und zu Landrecht.* Lib. I. Articul. LX: *VORSPRECHE mag sich niemandt wiedern zu sein in dem Gericht, do er innen wonhafftig ist.* Sic Otfridus jam circiter Annum 870, ODE pro ODER dixit in Carmine, quod Salomoni Episcopo dedicavit, Versu 47: *ODE Gvates*, pro, *ODER Gutes.*

XII. Consimilem in modum idem Otfridus E pro ER adhibet, Versu 37:

Para-

Paradyſes feſti
Geb E iu zi giluſti.
Hoc eſt: [Des] *Paradyſes Feſt*
Geb ER euch zur luſt.

Necdum apud Sileſios vulgus, maxime Ruſticorum, quos experimur veteris Sermonis Germanici retinentiſſimos, deſinit adhibere ſatis frequenter E pro ER: cum dicit: *E wil nich:* pro, *ER wil nicht:* Et, *Ekon nich:* pro *ER kan nicht.*

XIII. Vocabulorum Medio demitur R in nominibus ab ER compoſitis. Hac loquendi Forma Otfridus utitur, cum EKORD dicit, pro, ERKORD, id eſt, ERKOREN, in Evangeliis, Lib. II. Cap. III. Verſu 15.

Thas ſuſt EKORD eina
Muater inti thiarna:
Hoc eſt: *Das ſo iſt ERKOREN eine*
Mutter und Dirne, id eſt, *Iungfrau.*

Ibidem, Libr. II. Cap. VIII. Verſu penultimo:

Tho gilouptun EKORD eine
Thie iungoron SINE.
Hoc eſt: *Da glaubten ERKOREN eine*
DER Iunger ſeine.

XIV. Præterea Germanis, quod hodiernis eſt OE, id vetuſtis erat Y. Alfredus, occidentalium Saxonum in Anglia Rex, in Præfatione, quam Legibus ſuis præmiſit, §. 49: *Ic da Aelfred Weſtſeaxana CINING:* id eſt, *Ich dar Ælfred Weſtſaxen KOENIG.* Idem in Epiſtola, quam Wolfſigeo Episcopo ſcripſit: [Bonaventura Vulcanius in veterum Lingvarum Speciminibus edidit:] *Ælfred KYNING hatheth Gretung Wulfſige Biſceop:* id eſt, *Ælfred KOENIG wunſchet Heil Wolfſigen Biſchof.* Quin harum Literarum Permutatio etiamnum, inter Sileſios, Vulgo maxime in Agris uſitata eſt: â quo dicitur BYSE pro BOESE. Docet hoc, ut abſtineam aliis Exemplis, notiſſima Cantilena plebeja, in qua dicitur: *O du liebe Lyſe, bis og nich ſu BYSE:* pro, *O du liebe Eliſabeth, bis nur nicht ſo BOESE,* id eſt, *zornig.*

XV. Iam Elyſiorum Nominis Origo Germanica non difficulter oſtendi poteſt. Nam Germani veteres HE pro ER uſurpabant. Alfredus occidentalium Saxonum in Anglia Rex [Anno 900 mortuus] in Præfatione, quam Legibus ſuis præmiſit, §. XVII: *Gif HE donne ſy idæges dead:* id eſt, *So ER den ſey des Tages* TODT §. XXI: *Gif HE hit donne wiſt:* id eſt,

So ER das denn gewuſt. §. XXIII: *And HE donne dead ſy:* id eſt, *Und ER denn Todt ſey* §. XXVIII. *Gif HE hit ſylf ſtæle:* id eſt, *So ER das ſelbſt ſtehle.* §. XXXVI: *Donne Cleopad HE to me:* id eſt, *Den ſchreyet ER zu mir.* §. XLIX: *Gedence HE, that HE nanum men ne dome, that HE nolde, that HE him demed:* id eſt, *Gedencke ER, das ER einen Mann nicht verdamme, das ER nicht wolte, das ER ihn verdamme.*

XVI. Hinc factum, ut Homiſſô, pro HE dicerent E: quo pariter in compoſitis etiam Vocibus denotabant ER. Ideo, ſicut LYSER pro LOESER adhibuerunt: ita pro ERLOESER dixerunt ERLYSER. Id nos Inſcriptio Sepulchralis docet, quam in quodam Sileſiæ Chronico MSto invenimus, de Lignicenſium Antiquitatibus:

Hy leyt Hons Wulf, des Furiſtan Dinſtmon,
Dar dem Land hot vil guts gethon.
E quam ze letzt as allar Noth,
Dorch dan ELYSER, unſern Goth. Hoc eſt:
Hier liegt Hans Wolf, des Furſten Dienſt-Mann,
Der dem Landhat viel gutes gethan.
ER kam zu letzt aus aller noth,
Durch den ERLOESER, unſern Gott.

XVII. Quare propendemus in eam Sententiam, quam non tantum Literarum & Sonorum Affinitas, illud derivandorum Vocabulorum commune Principium, ſed etiam cum Antiquitatis tum Veritatis Amatrix Ratio, quæ plurimis Germanis Nomen â Proprietatibus vel Corporum, vel Animorum, vel inde provenientium Actionum, vel Locorum, vel aliarum Rerum, per quas diſcerni â reliquis potuerunt, acceſſiſſe monet, confirmat, inſignem LYGIORUM fortiſſimorum Gentem ELYSIOS, quoniam dubiâ Præliorum Fortunâ, cæteris Germanis, maxime vicinis, Adverſarios duros patientibus, tanquam ſtrenui Periculorum Depulſores in Auxilium promtiſſimi venerint, ideo dictos eſſe quondam ELYSER pro ERLYSER, quos hodie dicimus ERLOESER, id eſt, *Liberatores.*

XVIII. Ab his, ut arbitramur, Voce non peregrina, ſed patria, id eſt, Germanica denotatis Elyſiis Originem SILESIORUM Nominis pendere, quidam exiſtimant. Nam & addito S, & transpoſitis Literis, ELYSIUS, primum aut ELYSSIUS, aut SELYSIUS, poſtea SYLESIUS, tandem SILESIUS fit. Ideo ſunt, qui vel eandem, vel ſimilem Elyſiorum Vocabuli Mutationem reſpicientes, ab eo Sileſiorum deducunt Appellationem. Ricardus Bartholinus in Auſtriados Libro X. Verſu 602:

Auxilio Princeps Lysias, qui in Bella LYSITAS
Duxerat, unde suum retinet nunc SLESIA Nomen.

Matthias Quadus in Geographicis Enarrationibus, Lib. IV. Cap. VII. *Althamerus SILESIOS de ELYSIIS, Svevorum Populis existimat nuncupatos, eosque Selignos quoque appellatos tradit. Quos, cum eo Loco habitasse, colligere liceat, in Silesiorum eos Nomen transiisse, verisimile est: facta Literarum Metathesi, & Spræfixa.* Stephanus Ritterus in Cosmographia, Lib. III: *Althamerus SILESIOS ab ELYSIIS, Svevorum Populis, quos etiam Cornelius Tacitus inter Germanos recenset Populos, denominatos esse arbitratur. Quod à Vero non videtur alienum esse: Siquidem Elysios ibi Loci, ubi hodie Silesii, Locum obtinuisse constat: illudque Nomen remansit, Metathesi tantum Literarum factâ in voce Elysii: S medio in Initio collocato, & I in Locum E posito, adjecto simul S in antepenultima.*

XIX. Horum Sententiam & vanam, & deridendam censet Nicolaus Henelius in Silesiographia, Cap. I. *Sunt*, ait, *qui ab Elysiis nos petant: Dii Deæque, quam non vanè solum, sed ridiculè: frigido quippe Soni Argumento, quod nullo alio fulcitur Tibicine.*

XX. At ea Sententia nostro Iudicio, licet admodum incerta sit, non tamen inepta fuerit, Argumenta subtilius æstimanti, per quæ possit defendi.

XXI. Nam primum, Silesia quidem universa, secundum veteres Limites, ab Elysiis repleta non fuit; non autem inusitatum est, unam Regionis Gentem dare toti Regioni suum Nomen. Ab Hollandis, Belgii Populo, accessisse cunctis Belgii fœderati Provinciis Appellationem Hollandorum, satis est notum.

XXII. Deinde, quis Antiquitatum conscius ignorat, in Populorum Nominibus, si non eandem, tamen consimilem Mutationem passis, obvias Vices, ipsis etiam Germanis, non Exteris tantum, frequentes? Sanè *Timor* olim FRUCHT dicebatur, qui postea *Furcht* dictus est. Hinc Angelorum ad Pastores Dictum, quod Lucas Cap. II. Versu 10, refert: *FURCHTET euch nicht:* Iohannes Rhavus in Animæ Hortulo, quem veteri Saxonicâ Lingvâ conscripsit, & Anno 1563, in Officina Wittebergica edidit, profert ita: *FRUCHTET yuw nicht.* Similiter olim FYRST, pro FRYST, seu, ut hodie scribimus, FRIST, quod est Tempus, adhibebatur. Alfredus Occidentalium Saxonum in Anglia Rex in Legibus suis Cap. II: *On dem FYRSTE*, id est, *In der FRISTE.* Parem in Modum Equus olim ORS dicebatur, qui postea ROS dictus est. In Melchioris Goldasti Parænèticis Winsbekius Eques: *An din ORS:*

ORS: id est, *An dein ROS.* Wolfaramus Eschelbachius: *Sin ORS das gurt er herte:* id est, *Sein ROS das gurt er harte.* Mox ibidem: *Sin ORS tet vunfzehn Sprunge:* id est, *Sein ROS thet funfzehn Sprunge.* Iterum ibidem: *Nach sinem ORS er greif:* id est, *Nach seinem ROS er greif.* Strikerus in Caroli Magni gestis: *Der Keiser uf ein ORS sprang:* id est, *der Kaiser auf ein ROS sprang.*

XXIII. Imo Germanis *castigat*, quod olim erat *RAFST*, id postea ex Literis assumta T, & transpositis cæteris, evasit STRAFT. Otfridus in Evangeliis, Lib. I. Cap. XXXIII. Versu 67. de Iohanne Baptista:

Ioh RAFSTA sie iogilicho
Filu Kastlicho. Hoc est,
Ia STRAFTE Sie iegliche
Viel Kræftlich.

Lib. IV. Cap. VIII. Versu 87: de Christo Petrum castigante:

RAFST anan Tho Uuorto
Thera Ungilouba harto. Hoc est,
STRAFT an ihm die Worte
Des Unglaubens harte.

XXIV. Cur igitur ultra Fidem sit, quondam vel à Germanis, ante Slavos, vel à Slavis Germanicam Lingvam corrumpentibus, vel à Germanis Slavicam Lingvam imitantibus, ELYSIOS esse conversos in ELYSSIOS, SYLESIOS, SILESIOS?

XXV. Accedit huc, quod Slavi peregrinis Nominibus propriis Literam sub Initium affigere consveverint. In Exemplum habemus QUADOS', quos Slavicis adsveti Vocibus SQADOS vocant. Ioannes Turocius, Hungarus, in Chronicis Hungaricis, Parte I. Cap. XV: *Præterea Marcomanni, Svevi, SQUADI, Heruli, Tyringi, Populi ex innata Militiæ Virtute perstrenui, Regi Attilæ in Servitutem pariterque & Societatem sponte se dederunt.* Matthias Michovius, Polonus, in Polonorum Chronico Lib. I. Cap. XVII: *De Marcomannis, SQADIS, Vandalis, Sarmatis & Svevis.* Ibidem post quædam: *Apud Brigionem Oppidum SQADORUM.*

XXVI. Iam, si parem in Modum Slavi ELYSIOS converterunt in SELYSIOS: facillima duarum Literarum Transpositione fieri potuit, ut Sæculum illud, quod priscas Germanici Sermonis Voces ad obvios Oris Slavici Sonos depravavit, ex SELYSIIS faceret prius SYLESIOS, tandem SILESIOS.

XXVII. Ita Nominum, quibus SILESII denotantur, ORIGINES, alias meris Conjecturis, alias speciosis Argumentis, quô pleniorem

eô clariorem in Modum, vel illustratas, vel confirmatas exposuimus. In tot Assertionibus etiam illas, quas ipsi pro veris non habemus, proferendas censuimus, ut pateret, cur alii pro veris habeant: quibus ideo singulis & Rationes, & Assecias subjunximus. Cæterum, quam Silesiorum Nominis Originem Suffragiô suô dignam existimare malit, per nos licebit cujusque Iudicio: cujus maximè tum & Subtilitas, & Acumen promicat, eum & in multis, & in dubiis, de quibus in utramque Partem pari Contentione disputari potest, id ob Causas ponderosiores, quod anteponendum reliquis est, sibi deligit. Nec habebit ea Libertas, cum vagam inter Initia Mentem in plurimis tandem ad unum defiget, cur vereatur Censores contrarios, quanquam severos, quibus eadem, seu Probabilitas, seu Evidentia, quoniam vel non capitur, vel non attenditur, adeo displicet, ut propterea, dum alios declarant, se faciant ipsos ridiculos.

XXXVIII. Nos in eorum propendemus sententiam, qui Nomen Silesiis Ortu Germanicum adscribunt: quod Lingva primum Slavica sub asperiores Scripturæ Formas redegerit, tandem Latina, deletis Barbarismi Notis, ad elegantiorem Integritatis Habitum revocaverit.

CAPUT XI.

Quando SILESIORUM Nomen Ortum.

I.

QUemadmodum noster de SILESIORUM MAIORIBUS Liber indicabit: ipsis propemodum novem Sæculis, ab Alexandri Magni Temporibus, Anno ante CHRISTUM natum 333, ad destructum in Occidente Romanum Imperium, Annum CHRISTI 550, Incolas *Silesia* Superior *Quados*, inferior *Lygios*, quorum Pars *Elysii* fuerunt, habuit. Utrique Nomen suum, Quadi semper integrum, Lygii non nihil aliquando mutatum, retinuerant: cum circiter A. C. 550, Slavos Germaniam ingressos experirentur Adversarios: â quibus superati, sed non extincti sunt. Nam eos ex Silesia, seu profugos, seu profligatos, tandem omnino deletos statuentium Sententiam Figmentis annumerandam noster, cujus jam Mentionem fecimus, Liber.

II. Post hæc in unam Gentem compositi, & *Quadi*, & *Lygii* vetus amiserunt, novum acceperunt Nomen. Pro *Germanis* propterea *Poloni* vocabantur, quia sub Imperio Sarmatarum Slavorum Lechitico erant, cujus omnes, quanquam dissimiles Nationes, universali *Polonorum* Vocabulo

designabantur. Pro *Quadis* & *Lygiis* quando primum *Silesii* audierint, non satis constat.

III. De nostra Sententia, non antiquius est Polonorum, quam Silesiorum Nomen. Sane statim cum Polonicum excitaretur Imperium, ipsa Necessitas, non tantum Commoditas requirebat, ut his Regionibus, his Gentibus, quas illud complectebatur, sub generali Polonorum Nomine comprehensis, adderentur specialia Nomina, quibus Loci, Præfecti, Subditi, Iura, Leges, alia, distinctius indicari possent. Nam, si certum singulis, non dicam, vel Oppidis, vel Pagis, sed Hominibus, ad aliorum Discrimen, conferri jubet privatorum Negotiorum Conditio: quomodo publicarum Rerum Administratio, citra peculiare Nomen singulis Populis attributum, peragi potuit?

IV. Sæculo Sexto, quô circiter Slavi Sedem, A.C. 550, in Silesia primam fixerunt, Poloni, hoc est, Sarmatæ Slavi, Germanis Silesiis mixti, post Lechi I. Polonorum Ducis Obitum, circiter A.C. 570, Terram suam universam in duodecim Regiones dividebant: quarum singulis præficiebant Ducem, Polonicè Voievodam, Latinè Palatinum Scriptoribus dictum. Id patebit ex Libro, quem de Silesiorum [cum Polonis sub eodem supremo Regimine conjunctorum] Rebus, ab A. C. 550 ad 1320, Memoria dignis conscripsimus, sed nondum perfecimus. Tum igitur Silesiæ, quam inter Polonicas illius Temporis Provincias, nec adeo multas, nec adeo spatiosas [sicut â quibusdam fingi solet] si non maximam, certè non minimam fuisse constat, sub Polonorum universali Appellatione quoddam particulare Nomen, ad reliquarum Differentiam, utique contigit.

V. Quamobrem vix erit, cur dubitetur, & Quadis, & Lygiis Nomen priscum, idque tum speciale Quadorum & Lygiorum, tum generale Germanorum amittentibus, inter recentia, præter commune Polonorum, quoddam accessisse proprium Nomen. Non autem nos Antiquitas docet, *Quadis* & *Lygiis*, cum hoc eorum deleretur, aliud impositum, nisi quô etiamnum illorum Posteri gaudent, *Silesiorum* Nomen.

VI. Hoc autem Quadis & Lygiis Slavi aut recens indiderunt, aut ex antiquis Nominibus composítum applicuerunt. Prius ideo minus verisimile, quia reperitur Indicium nullum, ex quô colligatur, Quadis & Lygiis ademtum vetus, novum traditum â Slavis Nomen. Quare magis credibile fit posterius, ex *Quadorum*, & *Lygiorum*, quorum Pars *Elysii* fuerunt, priscis Nominibus Germanicis productum esse Nomen *Silesiorum*: quod diversa diversorum Populorum, præsertim Slavicorum, intra Sermonem, cum Germanicum, tum Latinum, Licentia in alias super alias Formas deflexerit.

VII. Inter has omnes nulla propius accedit ad *Silesiorum* Nominis Congruentiam, nisi Derivatio, quæ statuit, ab *Elysiorum* Gente, quam *Lygii* pro sui Corporis Membro agnoverunt, non cæteros tantum Lygios, sed Quados etiam dictos Silesios. Hanc dependentem ab Elysiis Originem Silesiorum Nominis explicavimus Cap. X. Eandem comprobantes, si merentur Risum, non tam merentur, quam repudiantes: omnibus, quas in medium attulimus, posthabitis, quamvis non temere contemnendis, Rationibus.

VIII. Certè Silesiorum Nomen adeo recens, ût quibusdam videtur, non est. Sunt enim, quibus Sæculo demum XII, circiter Annum, vel 1112, vel 1178, inventum creditur. Nicolaus Henelius in Silesiographia, quam, Anno M. DC. XIII, edidit, Cap. I: cum dixisset, Silesios Polonis conjunctos, generali Nomine Polonos fuisse nuncupatos: *Neque enim Vocabulum aliud reperire est, quo hujus Regionis Incolæ ante inventum* SILESIÆ *Nomen vocati. Quod quidem recentius esse, & vix â quingentis Annis aut paulò amplius usurpari cœptum, neminem in Historiarum Lectione vel leviter versatum potest fugere.* Bohuslaus Balbinus in Miscellaneis Bohemicis, Anno M. DC. LXXIX, editis, Decade I. Lib. III, Cap. VI, §. II: *SILESIÆ Nomen Annos quingentos non superat.*

IX. At enim SILESIORUM Nomen invenimus jam Sæculo X, Anno 938, Legibus additum, quas Imperator Henricus I. Auceps, Ludis Equestribus posuit: [Melchior Goldastus Tomo I. Constitutionum Imperialium inseruit:] ubi ducentis, & quod excurrit, Proceribus, inter Principes Imperii seorsum vocatos, annumerati leguntur: *Uratislaus Dux SILESIORUM: Nestrico Dux SILESIÆ.*

X. Succurrit quidem, cur plena Fides non haberi debeat iisdem Literis: quas Anno 938 Cæsar Henricus I. publicare non potuit. Hunc enim, Anno 935, Lambertus Schafnaburgensis Monachus: Anno 936, Ditmarus Martisburgensis Episcopus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Otto Frisingensis Episcopus, Gothofredus Viterbiensis Presbyter, Reginonis Prumiensis Monachi Continuator: Anno 937, Sigebertus Gemblacensis Monachus, in Chronicis tradunt exstinctum.

XI. Accedit, quod iisdem Ludis [quos Matthæus Parisiensis, Anno 1259 mortuus, in Historiis Anglicis ad Annum 1252, & Hastiludia & Torneamenta nominat: peculiaribus Operibus, Germanico quidem Georgius Rixnerus, Latino autem Franciscus Modius, descripserunt] etsi per se non commentitiis, tamen in majus provehendis, quædam supra Verum adjecta videantur. De quibus, præter alios, agunt Henricus Meibomius in Notis

tis ad Hermanni Lerbecii Comitum Schauenburgensium Chronicon: Andreas Brunnerus in Annalibus Boicis, Lib. VIII. ad Annum 934: Iohannes Cunradus Dietericus in Cæsaris Henrici I Aucupis Historia, §. XII.

XII. Quicquid autem de Ludorum Equestrium Scriptoribus statueris: tamen non erit, cur dubites, SILESIORUM Nomen jam Sæculo X, si non antecedentibus Annum 965, quô Christianis Sacris initiati sunt, certè proximis Temporibus adhibitum. Nam, ut alia Silentio prætereamus: Ditmarus, Martisburgensis Episcopus, Anno 976 natus: Anno 1005, Cæsaris Henrici II. adversus Boleslaum I. Polonorum Ducem armati Comes, Silesiam ingressus, eam â Polonia, quam POLENIAM vocat, distinguens, ad usitatum antiquis Romanis loquendi Morem, Pagum, id est, Regionem SILENSEM nominat in Chronico, quod Anno 1017 scripsit, Libro VIII. Videantur ea, quibus Silesiorum Nominis quartam Originem declaravimus, Cap. V.

XIII. Sæculo XI, post Boleslaum II, Audacem, Polonorum Ducem, qui Stanislaum Episcopum Cracoviensem ad Aram satis audax trucidaverat, ê Polonia digressum Exsulem, priusquam Vladislaus I, Hermannus, Successor eligeretur, Anno 1082, Imperium Polonicum, in quot dividebatur Provincias, tot recipiebat Præfectos: quorum â cæteris quemque Cognomentum â Provincia, cui præerat, desumptum distinguebat. Inter hos Magnum Comitem reperimus, non Silesiorum, sed Vratislaviensium dictum esse Capitaneum, quoniam in Urbe Silesiorum jam tum primaria, Vratislavia, Sedem habebat. At verò, quia multô ante, sicut ostendimus, ortum Silesiorum Nomen, tum peregrinis etiam notum, Polonis non ignotum esse poterat: non est, ut statuatur, illum Magnum Comitem, quia non invenimus dictum, ideo vel non esse dictum, vel non dici potuisse Capitaneum SILESIORUM. De quô plura dicemus in Libro de Silesiorum cum Polonis conjunctorum Rebus.

XIV. Præterea Sæculo XII, Temporibus Annum 1139 præcedentibus, quô Silesia fuit â cæteris Imperii Polonici Partibus, intra Hæreditariam Provinciarum Divisionem, separata, procul Dubio, jam SILESIORUM exstitit Nomen. Numquid enim dividi Provinciæ potuerunt citra Nomen singulis adscriptum? Nullum verò in Scriptoribus, eam Divisionem indicantibus, reperimus Provinciæ nostræ datum, præterquam SILESIÆ Nomen. Nam, Anno 1140, peragebatur Poloniæ, id est, omnium Provinciarum Polonicarum Divisio: quam Boleslaus III, Cognomento Crivoustus, Polonorum Princeps, Filiis suis, jam jam moriturus, præceperat. Tum Silesia, non tantum â Sarmaticis, sed etiam â Germanicis

Polo-

Polonorum Terris Nomine ſingulari, quod etiamnum tenet, ſeparabatur. Ioannes Dlugoſſius in Hiſtoria Polonica, Tomo I. Lib. IV. ad Annum 1139: *Ne inter Filios pro Regno, ſe abſumtò, Bella, Odia, aut Contentiones contingant, Poloniæ Regnum, cujus ipſe in eam unus fuit Princeps & Monarcha, inter Filios dividit. Et Primogenito quidem Wladislao ex Rutena ſuſcepto, Cracovienſem, Siradienſem, Lancitienſem, SILESIA Mque & Pomeraniam Terras legat.* Ibidem poſt quædam: *Boleslao verò Criſpo Maſovienſem, Dobrzinenſem, Cujavienſem, &* [in Boruſſia] *Culmenſem: Miecislao Seni Gnesnenſem, Posnanienſem, & Caliſſenſem: Henrico Primo Sandomirienſem & Lublinenſem Terras, Diſtrictus & Regiones pro Sortibus conſignat.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VI, ad Annum 1140: *Partitione Regni ſecundum Deſcriptionem Patris facta, Uuladislao quidem natu maximo Cracovienſis, Siradienſis & Lencicienſis Tractus, itemque SILESIA obtigere: Boleslao, qui Criſpus appellatus eſt, Maſovia & Cujavia, Culmenſisque ac Dobrinenſis Tractus: Miecislao Gnesnenſis, Posnanienſis, Caliſſienſis & Pomerania: Henrico Sendomirienſis.* Eadem Salomo Neugebauerus in Hiſtoria Polonica refert Lib. III, ad Annum 1140.

XV. Poſt hæc SILESIÆ Nomen uſurpavit Sæculo XIII, Anno 1240, Henricus II. Pius, Sileſiorum Dux, in Literis Episcopatum Vratislavienſem dotantibus, Vratislaviæ ſcriptis: quas Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. III. Cap. I. integras edidit: *Nos Henricus Dux SILESIÆ, Cracoviæ & Sendomiriæ.* Anno 1271, Ottocarus, Bohemorum Rex, in Literis, Leges Fœderis cum Stephano Hungarorum Rege continentibus, Pragæ ſcriptis: quas Bohuslaus Balbinus in Bohemiæ Miſcellaneis, Decade I, Libro VIII, Volumine I, Parte I, Epiſtolam XVIII. conſtituit: ubi Ottocarus Fœderatis adjungit *Dominum Wolezlaum, Ducem SILESIÆ, & ſuum Ducem Henricum, ac alios Filios ſuos, Dominum Chunradum Ducem SILESIÆ cum Pueris ſuis.* Anno 1288, Henricus IV, Henrici II. Pii Nepos, Sileſiorum Dux, in Literis Eccleſiam Collegiatam S. Crucis Vratislauienſem conſtituentibus, Vratislaviæ ſcriptis: quas Iacobus Schikfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. III. Cap. I. repræſentat: *Henricus IV. Dei Gratia, Dux SILESIÆ & Dominus Vratislaviæ.* Anno 1290, Thomas, Episcopus Vratislavienſis, in Decretis, intra Synodum Vratislaviſem factis: quæ Martinus, Episcopus Vratislavienſis, antiquis Eccleſiæ Cathedralis Vratislavienſis Statutis Synodalibus, Anno M. D. LXXXV, editis adjunxit: *Domino Conrado, Duce SILESIÆ & Domino de Sagano, Præpoſito noſtro.* Eodem Anno 1290, Imperator Rudolphus I. in Literis Ducatum Vratislavienſem Wenceslao Bohemorum Regi hæreditarium concedentibus, Erphordiæ ſcriptis: quas Bohuslaus Balbinus in Bohemiæ Miſcellaneis, Decade I. Lib. VIII. Vol. I. Parte III, Epiſtolam III conſtituit: *Innotescat, quod nos Ordinationem de Terra & Principatu Wratislaviæ & SILESIÆ, quæ à Nobis & Imperio habentur in Feudum, quam Illuſtris quondam Henricus Dux Wratislaviæ, noſter Princeps, cum Illuſtriſſimo & Præclaro Wenceslao, Rege Boemiæ, Filio & Principe noſtro chariſſimo, videlicet: quod idem Rex Boemiæ in Terra & Principatu Wratislaviæ & SILESIÆ, ſi ipſum Henricum Ducem præmori contigerit, ſibi deberet ſuccedere, iniiſſe dignoſcitur & feciſſe, habemus gratam & ratam.*

XVI. Sæculo XIV, Anno 1329, Conradus Glogovienſium, Iohannes Steinavienſium, Henricus Saganenſium: Anno 1331, Boleslaus, Wenceslaus, Ludovicus, Lignicenſium Duces: cum à Polonis ad Bohemos transgreſſuri, Terras ſuas hæreditarias, quas ſponte ſuâ Iohanni Bohemorum Regi ſubjecerant, ab eo, ſub novâ Iuris Feudalis Formâ reciperent, in Antapochis, quas Forum Recognitiones appellat: Sicut eas Iacobus Schickfuſius, non tantum in Conſuetudinibus Feudalibus Cap. II, quod de Perſonis & Rebus Feudalibus agit, §. XV. XVI. XVII. XVIII. MStas, ſed etiam in Sileſiæ Chronico, Lib. II. Cap. I. editas nobis exhibet: utuntur SILESIÆ Vocabulo. Laudatos Sileſiæ Duces imitatus Anno 1355 Imperator Carolus IV. in Literis, Sileſiam & Luſatiam Bohemico Regno annectentibus: quas Melchior Goldaſtus Tomo I. Imperialium Conſtitutionum indidit, & Operi ſuo de Bohemico Regno ſubjunctas, in Appendice Documentum XLIII eſſe voluit, parem in Modum ſæpius SILESIÆ Duces vocat. Anno 1342, Preceslaus, Episcopus Vratislavienſis, Fidem à Sileſiæ Ducibus Iohanni Bohemorum Regi promiſſam, Eccleſiaſtica Cenſura corroborandam ſpondentibus, prope Vratislaviam ſcriptis: quas Bohuslaus Balbinus in Bohemiæ Miſcellaneis, Decade I. Lib. VIII. Vol. I. Parte III, Epiſtolam VI conſtituit: *Donationibus & Libertatibus datis & conceſſis, per quondam Principes SILESIÆ, eidem noſtræ Eccleſiæ non intendimus aliquod Præjudicium.* Eodem Anno 1342, Iohannes Bohemorum Rex, in Literis, Res ad Episcopatum Vratislavienſem ſpectantes continentibus, quas Pariſiis conſignavit:] [Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronicon, Librum III, Caput V, retulit: nominat *Henricum I. Henricum II. Henricum III. Henricum V. ſextum & ultimum, tum Duces SILESIÆ & Dominos Vratislavienſes.*

XVII. Præterea Sæculo XV, Anno 1475, Matthias, Hungarorum & Bohemorum Rex, in Literis, Episcopatui Vratislavienſi Privilegia confirmantibus, Ratiboriæ ſcriptis: quas Eccleſiæ Cathedralis Vratislavienſis Statuta Synodalia continent: *Capitaneis noſtris, tam in Inferiori, quam Superiori*

riori SILESIA. Anno 1490, Uladislaus, Hungarorum & Bohemorum Rex, in Literis, Decretum Primum, quod majus vocari solet, facientibus, Budæ scriptis: quas Caspar Rathius in Decretis Hungaricis apud Viennenses, Anno M DC. XXVIII, editis, Tomo II inseruit: *Nos Uladislaus, Dei Gratia, Vngariæ, Boemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex, nec non SILESIÆ & Lucemburgensis Dux.*

XVIII. Iam & XVI. & XVII. Sæculi Testimoniis, quorum major Numerus invenitur, SILESIORUM Nomen in Usu crebro fuisse, confirmatum dare supersedemus. Hæc enim, quæ protulimus, satis ostendunt, magno Sæculorum plurium Consensu, non Germanis tantum, verum Exteris quoque, citra Sermonis alieni, seu Germanici, seu Slavici Characterem assumtum, SILESIORUM Nomen incorruptum esse conservatum: quanquam omnibus etiam Sæculis, præsertim Poëtarum Licentiâ, peregrinam in Figuram detortum; quemadmodum Exempla testantur, quæ produximus Cap. I.

XIX. Sed fortassis erit, cur toties allatum SILESIORUM Nomen in Codicibus aliter olim MStis, aliter jam editis reperiri credatur: maximè, quia non nunquam id uno eodemque, non Libro aut Capite solum, sed Paragrapho etiam, seu Calamus, seu Typus Instrumentum Consignationis fuerit, Conditione Literarum dissimili formatum reperitur. Parum vero est huic Conjecturæ tribuendum. Nam SILESIAS in MStis Codicibus optimis, eô, quem repræsentavimus, Literarum Habitu exstitisse, dubitantibus adimere Suspicionem potest, & summa Virorum Diligentia, quibus allegatos Libros debemus publicatos: & plurimorum MStorum, in quibus frequens Silesiorum Mentio fit, adhuc in Bibliothecis tam publicis, quam privatis latentium Aspectus. Quô pertinent veteres, passim obviæ, cum alibi, tum in Silesiorum Templis, potissimum sepulcrales Inscriptiones: in quibus evidenter, mox SILESIÆ, mox SILESIORUM Nomen expressum Oculis patet.

XX. Hæc prudentioribus Antiquitatum Æstimatoribus, arbitramur, Fidem aut facient, aut firmabunt, si Originem considerent, multô vetustius, &, si Formam inspiciant, multô purius esse, quam vulgo censetur, quanquam ipsis serò demum Silesiis, prius Armorum Agrorumque, non Literarum Historiarumque Studio deditis, tamen & his, & aliis Latinâ Linguâ instructis, Resque nostras commemorantibus Populis usitatum Nomen SILESIORUM.

IN-

INDEX I, CAPITUM.

I. Nominum, quibus SILESII denotantur, Recensio.

II. Origo prima SILESIORUM Nominis, â Silesiæ SITU, Latina, Polonica, Germanica.

III. Origo Secunda SILESIORUM Nominis, â Silesiæ SOLO, Polonica.

IV. Origo tertia SILESIORUM Nominis, â Silesiæ Fluvio SLESO, Slavica.

V. Origo quarta SILESIORUM Nominis, â Silesiæ Monte SABOTHO, Latina & Germanica.

VI. Origo quinta SILESIORUM Nominis, â Silesiæ CONVENIS, Polonica.

VII. Origo sexta SILESIORUM Nominis, â Silesiæ CONVENIS, Bohemica.

VIII. Origo septima SILESIORUM Nominis, â Silesiæ Populo QUADIS, Slavica.

IX. Origo octava SILESIORUM Nominis, â Silesiæ Populo LYGIIS, Germanica.

X. Origo nona SILESIORUM Nominis, â Silesiæ Populo ELYSIIS, Germanica.

XI. Quando sit ortum Nomen SILESIORUM.

INDEX II, VIRORUM.

NUMERUS Romanus Caput, Barbarus Paragraphum denotat.

A.

Adamus, Bremensis Canonicus. I. 26.

Adelmus, Benedictinus Monachus. II. 5.

Ademarus, Benedictinus Monachus. II. 5.

Claudius *Ælianus*. V. 66.

Æschylus. V. 34. 37. 39.

Alfredus, Anglorum Rex. II. 9.

Occidentalium Saxonum Rex. X. 14. 15.

Andreas *Althammerus*. I. 22.

Anastasius Bibliothecarius. II. 5.

Antipater. V. 31.

Apollo Clarius. V. 24.

Lucius *Apulejus*. V. 33. 37.

Aratus. V. 35.

Archidemus. V. 31.

Aristoteles. V. 16.

Arnobius. V. 50.
Arrianus. V. 39.
Ioannes *Asser* Menevensis. II. 19.
Athenagoras Athenienſis, V. 15. 16.
Ioannes *Aventinus*. I. 25. VIII. 12.
Auguſtinus, Hipponenſis Epiſcopus. V. 12. 16. 37. 41. 63. X. 7.
Autor Annalium Francicorum Fuldenſium. I. 15. II. 5.
Autor Chronici Marcianenſis. II. 4.
Autor Hiſtoriæ Autiſſiodorenſium Episcoporum. II. 5.
Autor Inſcriptionis Vratislavienſis I. 18.
Autor Inſcriptionis Sepulcralis. X. 17.
Autor Vitæ Cæſaris Caroli Magni. II. 5.
Autor Vitæ Ditmari, Martisburgenſis Episcopi. V. 9.

B.

Cornelius *Bacchus*. V. 15.
Bohuslaus *Balbinus*. I. 3. 13. 23. errat: V. 55. X. 8. 15.
Ricardus *Bartholinus*. I. 3. 4. X. 18.
Gabius *Baſſus*. V. 15.
Ioannes Goropius *Becanus*. II. 17.
Chriſtianus *Becmannus*. V. 21.
Venerabilis *Beda* II. 19.
Matthias *Berneggerus*. IX. 3.
Bernardus *Bertrandus* V. 58.
Ioannes *Bodinus*. VIII. 12.
Boleslai I. Polonorum Ducis Filius Miſeco. V. 11.
Boleslaus II. Polonorum Dux Stanislaum Epiſcopum Cracovienſem trucidat. XI. 13.
Boleslaus Sileſiorum Dux Ligni censis: Dux Monſterbergenſis: Dux Oppolienſis ſe Iohanni Bohemorum Regi ſubjiciunt. VII. 1.
Boleslaus Sileſiorum Dux Suidnicenſis & Iavorenſis moritur. VII. 1.
Antonius *Bonfinius*. I. 8.
Martinus *Boregkius*. VII. 1. 2.
Marcus Zuerius *Boxhornius*. II. 19.
Erneſtus *Brotuffius* V. 9.
Andreas *Brunnerus*. V. 10. XI. 11.
Caſpar *Bruſchius*. V. 76.
Henricus *Buntingus*. VIII. 17.

C.

Vincentius Cadlubcus. I. 10.
Iulius *Cæſar*. V. 46. 76.
Guilielmus *Camdenus*. II. 19.
Iohannes *Cario*. VI. 7.
Carolus Magnus Imperator. II. 6.
Carolus IV. Bohemorum Rex. I. 24.
Romanorum Imperator. II. 4. XI. 16.
Caſimirus Polonorum Rex. I. 8.
Caſimirus, Sileſiorum Dux Teſchinenſis, ſe Iohanni Bohemorum Regi ſubjicit. VII. 1.
Marcus *Cato*. V. 25.
Conradus *Celtes*. I. 18. IV. 4.
Angelus *Cherubinus*. I. 18.
Laertius *Cherubinus*. I. 18.
Chryſippus. V. 31.
Cicero. II. 3. V. 19 25. 39. 40. 41. 43. 49 66. VIII. 2.
Claudius *Claudianus*. V. 41. X. 7.
Cleanthes V. 31.
Clemens Alexandrinus. V. 12. 16. 32. 34. 37. X. 7.
Clemens IV. Pontifex Romanus. I. 18
Phi-

Philippus *Cluverius*. II. 27. VIII. 23.
Chriſtophorus *Colerus*. I. 15.
Petrus *Colvius*. V. 51.
Columbanus Abbas. V. 21.
Conradus, Sileſiorum Dux Glogovienſis & Olsnenſis ſe Iohanni Bohemorum Regi ſubjicit. VII. 1. XI. 16.
Hermannus *Contractus*. XI. 10.
Martinus *Cromerus*. I. 23. VI. 3. 5. 6. errat: VI. 9.
Iohannes Henricus *Cunradus*. I. 10.
Ioachimus *Curæus*. V. 4. 74. VI. 8. IX. 2. X 2 5. 8. perperam Erroris accuſatur. V. 55.

D.

Paulus *Dalecampius*. I. 18.
Davides Pſaltes. V. 24. 48.
Demoſthenes V. 61.
Dio Caſſius. IX. 4.
Dio Chryſoſtomus. V. 61.
Diodorus Siculus. V. 24. 60. 61.
Dionyſius Alexandrinus. V. 58.
Dionyſius Halicarnaſſenſis. V. 39.
Ditmarus, Sigefridi Comitis Saxonici Filius: Magdeburgenſis Monachus, Wallibicenſis Præpoſitus, Martisburgenſis Epiſcopus: Rerum in Sileſia geſtarum Spectator. V. 9. 10. 11. 12. 76. 77. 78. VI. 15. XI. 10.
Iohannes Longinus Cognomento *Dlugoſſius*. I. 11. IV. 2. VI. 3 5. XI. 14.
Matthæus *Dreſſerus*. IX. 2.
Iohannes *Dubravius*. I. 27. 28. errat: VII. 2 5.
Andreas *Duchesnius*. I. 15. II. 5. 6.
Simeon *Dunelmenſis*. II. 19.

E.

Eginhardus Caroli Magni Notarius. II. 5.
Geverhartus *Elmenhorſtius* V. 51.
Eraſmus Roterodamus. V. 49.
Eſaias Propheta. VIII. 15.
Wolfaramus *Eſchelbachius*. II. 16.
Euphorion. V. 37.
Euripides. V. 29. X 6.
Euſebius Cæſarienſis. V. 15. 16. 32. 33. 36. 37.
Euſtathius Theſſalonicenſis. V. 57.

F.

Franciscus *Faber*, Civitatis Vratislavienſis Notarius. I. 18. III. 2. 3. V. 5. quando vixerit, quid ſcripſerit. V. 7. moritur. VI. 7.
Iohannes *Fechnerus*. V. 82.
Sextus Pompejus *Feſtus*. V. 23.
Iulius *Firmicus* Maternus. V. 52.
Valerius *Flaccus* V. 38 41. X 7.
Matthias *Flacius*. VIII. 3.
Valentinus *Franckius*. V. 74.
Fredegarius Scholaſticus. II. 5.
Marquardus *Freherus*. I. 15. II. 5.
Fridericus I. Imperator in Sileſia cum Boleslao IV. Polonorum Duce Pacem init. VI. 4.
Nicolaus *Fullerus*. V. 21.

G.

Aulus *Gellius*. V. 20. 23. 28.
Gerlacus, Archiepiſcopus Moguntinus. I. 5.
Gobelinus Perſona. V. 47.
Melchior *Goldaſtus*. I. 5. 8. 21. 24. II. 8. 16. 24. IV. 3. 21. V. 78 XI. 9.
Ioannes Fredericus *Gronovius*. IX. 3.
Simon *Gruneus*. I. 18.
Ianus *Gruterus*. V. 27. 29. 52. IX. 3.
Ioannes *Gryphiander*. II. 29.
Andreas *Gryphius*. I. 5. 18. 27.

H.

Wenceslaus *Hagecius*. VII. 1.
Hermannus *Hamelmannus*. II. 29.
Harpocratio V. 57.
Haymo Halberstatensis. II. 19.
Gothofredus *Helwigius*. VIII. 14.
Nicolaus *Henelius*. III. 2. IV. 2. V. 2. 74. VI. 2. 7. X. 19. XI. 8.
Henricus I. Auceps, Imperator, Ludis Equestribus ponit Leges. XI. 9.
Henricus II. Imperator in Silesia debellat Boleslaum I. Polonorum Ducem. V. 11.
Henricus V. Imperator in Silesia debellat Uladislaum I. Polonorum Principem. VI. 2. 3.
Henricus II. Cognomento Pius, Silesiorum Dux, I. 5. à Tartaris occisus. V. 73. XI. 15.
Henricus IV. Silesiorum Dux. XI. 15.
Henricus VI. Silesiorum Dux moritur. VII. 1.
Henricus Silesiorum Dux Saganensis. XI. 16.
Ioannes *Heringius*. II. 29.
Basilius Iohannes *Heroldus*. II. 6.
Hermesianax. V. 42.
Homerus. V. 16. 23. X. 7.
Iodocus *Hondius*. IV. 5.
Horatius. V. 38.
Franciscus *Hotomannus*. VIII. 12.
Henricus *Huntindonensis*. II. 19.
Iulius *Hyginus*. V. 20.

I.

Iacobus Apostolus. V. 48.
Iamblichus Chalcidensis. V. 32.
Interpres Harmoniæ quatuor Evangeliorum Germanicus: X. 11.
Interpres Orphei Græcus. V. 36.
Interpres Speculi Saxonici. X. 11.
Iohannes Evangelista. V. 33.
Iohannes Lucenburgicus, Bohemorum Rex, I. 8. fit Silesiorum Dux supremus. VII. 1. XI. 16.
Iohannes Silesiorum Dux Osuentiensis, & Dux Steinaviensis, se Iohanni Bohemorum Regi subjiciunt. VII. 1.
Irenæus, Lugdunensis Episcopus. V. 16.
Isidorus, Hispalensis Episcopus. II. 10. V. 27.
Iulianus Imperator. V. 68.
Hadrianus *Iunius*. VIII. 12.
Iustinus Martyr. V. 15. 32. X. 11.
Iuvenalis. V. 38. 40.

K.

Petrus *Kærius*. II. 7.
Albertus *Krantzius*. I. 19. VIII. 12.

L.

Philippus *Labbeus*. II. 5.
Cornelius *Labeo*. V. 24.
Firmianus *Lactantius*. V. 12. 18. 25. 32. 40.
Diogenes *Laertius*. V. 31.
Lambertus Schafnaburgensis Monachus. XI. 10.
Lesco Silesiorum Dux Ratiborensis se Iohanni Bohemorum Regi subjicit. VII. 1.
Iohannes *Limnæus* VIII. 12.
Erpoldus *Lindenbrogius*. I. 26.
Fridericus *Lindenbrogius*. II. 6.
Iustus *Lipsius*. IX. 3.
Titus *Livius*. II. 3. V. 39. 40. 80.
Iohannes *Longinus*. I. 11.
Philippus *Lonicerus*. I. 19.
Stanislaus *Lubienskius*. VII. 2.
Fridericus *Lucæ*. IV. 2. V. 74.
Lucanus. V. 36. 40.
Lucianus. V. 49.
Ludovicus, Silesiorum Dux Grotkaviensis, se Iohanni Bohemorum Regi subjicit. VII. 1.
Ludovicus, Silesiorum Dux Lignicensis. XI. 16.
Luitprandus, Ticinensis Diaconus. II. 4. 5.
Martinus *Lutherus*. X. 11.

M.

Macrobius. V. 24 27. 28. 50. 51.
Ioachimus Iohannes *Maderus*. I. 26.
Iohannes Antonius *Maginus*. IV. 2.
Magnus Comes, Capitaneus Vratislavienfis. XI. 13.
Claudius *Maltretus*. V. 54.
Iacobus *Marchantius*. II. 7.
Marianus Scotus. XI. 10.
Martialis. V. 25.
Matthæus Evangelista. VIII. 14. 15.
Matthias I. Hungarorum & Bohemorum Rex. I. 18. XI. 16.
Henricus *Meibomius*. V. 11. XI. 11.
Philippus *Melanchthon*. VI. 7. VIII. 2.
Gerardus *Mercator*. IV. 5.
Matthias *Michovius*. I. 18. 20. VI. 5. VII. 1.
Mieslaus II, Silesiorum Dux Troppavienfis, moritur. VII. 1.
Minutius Felix. V. 16. 43.
Miseco, Boleslai I. Polonorum Ducis Filius. V. 11.
Franciscus *Modius*. XI. 11.
Iosephus *Moletius*. I. 5.
Petrus *Montanus*. II. 7.
Moses. X. 11.
Sebastianus *Munsterus*. I. 7. 9. IV. 5.

N.

Iohannes *Nauclerus*. I. 5.
Michael *Neander*. I. 12. III. 2.
Aurelius *Nemesianus*. V. 68. X. 7.
Salomo *Neugebauerus*. XI. 14.
Nonnus Panopolitanus. V. 66.
Hermannus *Nuenarius* Comes. II. 6.

O.

Ioannes *Obsopæus*. V. 15.
Origenes. X. 7.
Orpheus Poëta. V. 16. 32. 33.
Otfridus, Weissenburgensis Monachus. II. 13. 16. 20. VIII. 4. 5. 6. 7. 8. 9 10. X. 11. 12. 13. quando vixerit. VIII. 3.
Otto, Frisingensis Episcopus. XI. 10.
Ottocarus, Bohemorum Rex, occupat Silesiæ Ducatum Troppaviensem. VII. 1. XI. 15.
Ovidius. V. 39. 64. 69. 70. 79.

P.

Matthæus *Parisiensis*. XI. 11.
Paulus Apostolus. V. 17. 34. 35. 48.
Pausanias. V. 65.
Caspar *Peucerus*. VI. 7.
Tobias *Pfannerus*. V. 15.
Pindarus. X. 7.
Petrus *Pithœus*. I. 15.
Plato. X. 7.
Plinius Historicus. V. 27. 38. 48.
Plutarchus. V. 31. 66. 76.
Arnaldus *Pontacus*. V. 16.
Ioannes Isacius *Pontanus*. II. 7.
Posidonius. V. 31.
Preceslaus, Episcopus Vratislaviensis. XI. 16.

Iacobus *Prilusius*. II. 13.
Priscianus. V. 20.
Valerius *Probus*. V. 52.
Procopius Cæsareensis. V. 54.
Propertius. V. 40. 66. X. 7.
Prudentius. V. 12.
Claudius *Ptolemæus*. I. 5.
Pythagoras Samius Philosophus quando vixerit. V. 16.

Q.

Matthias *Quadus*. I. 13. X. 18.

R.

Caspar *Rathius*. XI. 17.
Regionis Prumiensis Continuator. XI. 10.
Reinerus *Reineccius*. VIII. 17. V. 9. 10.
Nicolaus *Reusnerus*. III. 1.
Laurentius *Rhodomannus*. V. 6.
Stephanus *Ritterus*. X. 18.
Georgius *Rixnerus*. XI. 11.
Rudolphus I. Imperator. XI. 15.
Theodorus *Ryckius*. IX. 3.

S.

Marcus Antonius Coccius *Sabellicus*. I. 18. 19. VIII. 12.
Samuel Propheta. V. 48.
Stanislaus *Sarnicius*. I. 29.
Henricus *Savilis*. II. 19.
Iosephus *Scaliger*. V. 16.
Hartmannus *Scedelius*. I. 19.
Simon *Schardius*. I. 7. 22.
Elias *Schedius*. V. 15.
Iacobus *Schickfusius*. I. 8. III. 2. IV. 2. V. 2. 5. 74. 82. VII. 2. X. 2. 5. 8. XI. 15. 16. perperam Erroris accusatus. V. 15.
Caspar *Schwenckfeldius*. IV. 2. V. 2.
Ioannes *Seldenus*. II. 19.
Seneca Philosophus. V. 36. 37. 42. 67. 80.
Seneca Poëta. V. 41. 60. X. 7.
Servius Grammaticus. II. 11. V. 19. 27. 65. 79. 80.
Sibyllæ. V. 15.
Sidonius Apollinaris. V. 69.
Sigebertus Gemblacensis. XI. 10.
Davides *Sigemundus*. III. 2.
Sigismundus Imperator. I. 8.
Sigismundus Augustus, Polonorum Rex. I. 13.
Sigismundus, Silesiorum Dux Oppaviensis & Glogoviensis. I. 18.
Socrates. V. 16.
Melchior *Soiterus*. I. 19.
Iulius *Solinus*. V. 15.
Sophocles. V. 16. 32.
Philippus Iacobus *Spenerus*. VIII. 17.
Magister *Spervogelius*. II. 24.
Iacobus *Spiegelius*. I. 3. IV. 5.
Papinius *Statius*. V. 38 41. 63.
Strabo. V. 39.
Stanislaus, Episcopus Cracoviensis ad Aram â Boleslao Polonorum Duce trucidatus. XI. 13.
Augustinus *Steuchus*. V. 15.
Ælius *Stilo*. V. 23.
Suetonius Tranquillus. V. 39. 40.
Suidas. X. 6.
Sulpitius Severus. V. 12.
Æneas *Sylvius*. I. 7. 8. 9.

T.

Cornelius *Tacitus*. II. 3. V. 46. IX. 3.
Tatianus. X. 11.
Tertullianus. V. 42. 66.

Theodo-

Theodoricus, Francorum Rex. V. 76.
Theodosius Imperator. V. 12.
Theophilus Antiochenus. V. 15.
Thomas, Episcopus Vratislaviensis. XI. 15.
Tibullus. V. 38. X. 7.
Georgius *Tilenus*. V. 74.
Iohannes *Trithemius*. VIII 2. 3.
Iohannes *Turpinus*. VIII. 12.
Maximus *Tyrius*. V. 66.

V.

Valerius Maximus. V. 25.
Terentius *Varro*. V. 23. 27.
Abrahamus *Vechnerus*. IV. 2.
Davides *Vechnerus*. IV. 2.
Vigilius Tapsensis. V. 12.
Virgilius Maro. V. 38. 41. 65. 69. X. 7.
Gothofredus *Viterbiensis* Presbyter XI. 10.
Vladislaus, Hungarorum & Bohemorum Rex, I. 21. XI. 17.
Vladislaus I. Polonorum Dux, cum Imperatore Henrico V. Bellum in Silesia gerit. VI. 2. 3. XI. 13.
Vladislaus, Silesiorum Dux Coslensis, se Iohanni Bohemorum Regi subjicit. VII. 1.
Ulpianus Rhetor. V. 61.
Gerardus Ioannes *Vossius*. V. 15. 21.
Caspar *Ursinus* Velius. I. 6. 14. 16. Bonaventura *Vulcanius*. II. 26. VIII. 2. 14. X. 11. 14.
Pancratius *Vulturinus*. V. 82.

W.

Wenceslaus, Silesiorum Dux Bregensis, se Iohanni Bohemorum Regi subjicit. VII. 1. XI. 16.
Abrahamus *Whelocus*. II. 19.
Willeramus, Martisburgensis Abbas. V. 6. quando vixerit. VIII. 2.
Winsbekius, Eques Germanus, II. 21. 24.

Z.

Zeno. V. 31.

INDEX III, RERUM.

NUMERUS Romanus Caput, Barbarus Paragraphum denotat.

A.

Æquoreus Iupiter, Neptunus. V. 41.
Asinus aureus, Reichsteinensis Mons. V. 73.
Asinus Sileni. V. 73.

B.

Bacchi Comes Silenus. V. 62. 69. Educator & Nutritor idem. V. 68. semper ebrius, id est, sapiens. V. 69.
Bacchi Sacra nocturna. V. 78. Nyctelia. V. 78.
Bacchus, Dionysius Sabazius. V. 58. Iacchus. V. 59. Liber Pater. V. 60. Nyctelius. V. 78. Vini & reliquarum

omnium Frugum Autor. V, 60. Sol. V. 61.

Beatorum Insula. X. 7. Elysium, Elysius Campus. X. 7.

Bellum in Silesia inter Uladislaum I. Polonorum Principem, & Henricum V. Imperatorem. Vl. 2. 3. inter Boleslaum IV. Polonorum Principem & Fridericum I. Cæsarem. Vl. 4.

Bohemiæ conjuncta Silesia. Vll. 1.

Bregensis Silesiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi subjectus. Vll. 1.

C.

C mutatur in S. II. 11. in Z. I. 21. II. 12. 17.

Caninus Campus ad Vratislaviam. Vl. 2.

Capitolinus Iupiter. V. 40.

CH antiquis Germanis omittitur. II. 16.

Clavis Polonis Klutz. ll. 10.

Clausa, Clausula, Clausura. ll. 29. Cluſa. ll. 6.

Cluſa, Clauſtrum. ll. 5. Sluſa. ll. 6. quævis Extremitas. ll. 6.

Convenæ in Silesia. VI. 2. 3. 4. unde Silesiis Nomen Bohemicum Slesitarum. Vll. 2. Polonicum Slezacorum. Vl. 6.

Coslensis Silesiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi subjectus. Vll. 1.

Custos Iupiter. V. 39.

D.

Dæmones Semidei, partim Dei, partim Homines. V. 63.

Dei Notitia naturalis Paganorum. Vl. 18.

Deorum omnium Nomina sustinet Iupiter. V. 41. 42. omnium Nominibus addebatur Pater. V. 25.

Deorum & Semideorum Differentia. V. 63.

Deum unum agnoverunt Pagani. V. 15. 16. 54.

Deus Paganis quævis Res creata, totus Mundus. V, 26. Germanis Hercules, Isis. V. 46. Iupiter. V. 47. Luna. V. 45. VI. 47. Mars. V. 46. 47. Mercurius. V. 46. 47. Saturnus, Sol, Venus, V. 47.

Deus peregrinus Sabazius. V. 49.

Dionysius Sabazius, Bacchus. V. 57. 58.

Ducatus Silesiorum Bregensis, Glogoviensis, Grotkoviensis, Lignicensis, Monsterbergensis, Oppoliensis, Osuentiensis, Teschinensis, Vratislaviensis, sit Iohanni Bohemorum Regi subjectus: Iavorensis & Suidnicensis sit Carolo IV. Bohemorum Regi subjectus: Troppaviensis ab Ottocaro Bohemorum Rege occupatur. Vll. 1.

E.

E pro ER X. 12. pro EU antiquis Germanis adhibetur. ll. 24.

Elsa Silesiæ Fluvius. IV. 1. 2.

Elysiæ Valles. X. 7.

Elysir antiquis Germanis Erlœser. X. 17.

Elysii Lygii. I. 1. Silesii. IX. 1. 2. Hebræis divinitus beati. X. 2. Græcis Advenæ. X. 5. 6. patriâ Linguâ Elyser, Erlœser, Liberatores. X. 17.

Elysiorum Nominis Origo Germanica demonstratur. X. 9.

Elysis Græcis Adventus. X. 6.

Elysium, Locus Animarum â Corporibus separatarum beatus. X. 6. 7. Nemus, Beatorum Insula, Piorum Mundus. X. 7.

Elysius Campus. X. 7.

Equestrium Ludorum, Hastiludiorum, Torneamentorum Leges. XI. 9. Scriptores XI. 11.

Ethnicis naturalis Deus Iupiter. V. 43.

EU pro U antiquis Germanis adhibetur. II. 25.

F.

Feroces Latinis fortes. Vlll. 20. 21.

Franci Germanis Liberi. Vlll. 12.

Frigidus Iupiter. V. 38.

Frucht veteribus Germanis Furcht. X. 22.

Furſt iisdem Fruſt. X. 22.

G.

Gentiles quinam. V. 12.

Gentilitas quid. V. 12.

Germani Possessores Silesiæ primi. I. 1.

Germaniæ antiquæ Terminus Vistula Fluvius. ll. 2. Porta Silesia. II. 2. Cluſa Silesia. II. 5.

Germanis Paganis Deus Hercules. V. 46. Iupiter. V. 44. Mars, Mercurius, Sol, Vulcanus. V. 45. Dea Isis. V. 46. Venus. V. 45.

Glogovia Silesiæ Urbs jam Anno 1005. V. 11.

Glogovienſis & Grotkovienſis Silesiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi subjectus. VII. 1.

H.

Hercules Germanis Paganis Deus. V. 46.

Hibernus Iupiter. V. 38.

Hireus pro Hiereus. V. 23.

Humidus Iupiter. V. 38.

I.

Iacchus Bacchus. V. 59.

Iah Hebræis Iehova. V. 24.

Iao Paganis Iehova. V. 24. supremus Deus. V. 24. 38.

Iavorenſis Silesiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi subjectus. VII. 1.

Iehova Zebaoth, Sabaoth. V. 48. veteribus quibusdam Christianis Iupiter dicitur. V. 29.

Imperator Iupiter. V. 39.

Infernus Iupiter, Pluto. V. 41.

Inventor Iupiter. V. 39.

Iouglans, Iovis Glans, Iuglans. V. 27.

Iovis pro Iupiter. V. 20.

Ioves cur adeo multi. V. 42.

Isis Germanis antiquis Dea. V. 46.

Iupiter unde Nomen habeat. V. 14. â Iehova. V. 21. 25. 27. 28. Iuvans Pater. V. 19. omnis Res creata, Natura tota. V. 36. â Diis reliquis Solo Nomine diversus. V. 42. Paganis omnibus Deus. V. 14. vel solus, vel primarius Deus. V. 18. 19. unicus & æternus Deus. V. 31. omnium Rerum Conditor, Servator, Dominus. V. 32.

omnium Rerum Principium & Finis. V.31. omnia in omnibus.V.34.

Iupiter unus habet Cognomen multiplex. V.37. 38. Æquoreus, id est, Neptunus.V.41. Capitolinus.V 40.Custos. V. 39. Frigidus, Hibernus, Humidus. V.38. Imperator.V. 39.Infernus, id est,Pluto. V.41.Inventor.V.39. Latialis, Latius. V.40. Niger, id est, Pluto. V. 41. Olympius. V.40. Optimus Maximus. V.39. Pluvius. V. 38. Servator, Stator.V.39. Stratius,id est, Mars: Stygius, id est, Pluto. V. 41. Tarpejus. V.40. Tonans. V.38. Tartareus,id est, Pluto. V.41.Turbidus, Vernus.V.38. Victor, Ultor. V.39.

K.

Klutz Polonis Clavis. II. 10. 14. 15.

L.

Lignicensis Silesiorum Ducatus sit Iohanni Bohemorum Regi subjectus. VII. 1.

Ludorum Equestrium, Hastiludiorum, Torneamentorum Leges. XI. 9. Scriptores. XI. 11.

Luiticii Lusati. V. 11.

Luna Germanis Paganis Dea. V. 45. 47.

Lusati Luiticii. V. 11.

Lygii aliis Ligyi, aliis Ligii. IX. 3. habent Nomen Ortu Germanicum. IX.5. Lyger, id est, Iacentes, Permanentes. IX. 9. Germani, Suevi, Silesii, I. 1. IX. 1.

Lysii Silesii. I. 3.

Lysitæ Silesii. I. 4.

M.

Mars Germanis Paganis Deus. V. 46.47.

Mercurius iisdem Deus: Ibidem.

Monestrum antiquis Monstrum. V. 23.

Mons Silesiæ Sabothus, Zabothus. V.1.53.Silenus. V. 72.

Monsterbergensis Silesiorum Ducatus sit Iohanni Bohemorum Regi subjectus. VII. 1.

Monstrum antiquis Monestrum. V. 23.

Mundus totus Paganis Deus. V. 36 37. Piorum, Campus Elysius. X.7.

N.

Naturalis Res quæque Paganis Iupiter.V.36.37.

Neptunus, Iupiter æquoreus.V.41.

Niger Iupiter, Pluto. V. 41.

Nimicium Silesiæ jam,Anno 1005, Oppidum. V.11.

Nomen Silesiorum an demum Anno aut 1109, aut 1158, sit ortum. VI. 2. 4. quando sit ortum. XI.1.

Nox cur Bacchi Sacris serviat. V. 79.

Nyctelia, Bacchi Sacra nocturna. V.78.

Nyctelius Bacchus.V.78.

O.

OE Germanis recentioribus, antiquis Y. X. 14.

Olsa, Olscha Silesiæ Fluvius. IV.2.

Olsnensis Silesiorum Ducatus sit Iohanni Bohemorum Regi subjectus. VII. 1.

ON pro EN antiquis Germanis. VIII. 10.

Onophagiæ Silesiacæ duplex Origo. V. 73.74.

Oppoliensis Silesiorum Ducatus sit Iohanni Bohemorum Regi subjectus. VII. 1.

Ors antiquis Germanis Ros. X.22.

Osuentientiensis Silesiorum Ducatus sit Iohanni Bohemorum Regi subjectus. VII. 1.

OU Latinis antiquis pro U. V.27.

P.

Pagus Latinis antiquis Regio. V. 76. Silensis, Silesia. V.76. 77.78.

Pater addebatur omnibus Deorum Nominibus. V.25.

Pluto, Iupiter Infernus, Niger, Tartareus, Stygius. V.41.

Pluvius Iupiter. V.38.

Poloni Polenii. VI. 5.

Polonia Polenia. XI. 12. Silesia. VI. 3. 5.

Poloniæ Divisio in Provincias prima. XI. 4. secunda. XI. 13. tertia. XI. 14.

Polonis Voievodus Palatinus. XI. 4.

Populares Dii omnes Paganis, excepto Iove. V. 43.

Q.

Quad Germanis veteribus dicebat. VIII. 6.

Quadi Slavis Squadi. X. 25. Germani, Suevi, Silesii. I. 1. VIII. 1. XI. 1. Facundi. VIII. 2. 13. Iracundi. VIII. 14.

Quado Germanis veteribus Dico. VIII. 2.

Quadus iisdem malus, noxius, pravus. VIII. 14. iracundus. VIII. 16.

Quæd iisdem dicebat. VIII. 6. Malum, id est, noxium. VIII. 14.

R.

R antiquis Germanis omissum in prima Vocabuli Syllaba. X. 12. 13. in Fine Vocis. X. 11.

Rast iisdem Straft. X. 22.

Ratiborensis Silesiorum Ducatus sit Iohanni Bohemorum Regi subjectus. VII. 1.

Repentium, Bohemicè Slesitarum Nomen cur Silesiis impositum. VII. 2.

S.

S mutatur in C. II. 11. in Z. I. 16. II. 12. 13. 17.

Sabadius Iupiter. V. 50. 52. Sanctus. V. 51.

Sabazius, Bacchus. V. 58. Deus peregrinus. V. 49. Dionysius. V. 57. Iupiter. V. 49.

Sabothus, Zabothus, Silesiæ Mons. V. 1. 6. 7. unde Nomen acceperit. V. 8. Hebræum. V. 53. Latinum, Silentius. V. 80. 81. Silenus. V. 72. Silenensis, Silensis. V. 75. Mons Animæ, Silensberg, Silesberg. V. 86. Silens, Silensis. V. 85. non procul à Nimicio situs. V. 11. Silesiorum Paganorum Sacris applicatus. V. 12. Videatur Zabothus.

Saturnus, Germanis Paganis Deus. V. 47.

Satyri Semidei. V. 64. Iuvenes. V. 65. Senes Cognomento Sileni. V. 65.

Sebadius Iupiter. V.50.52.
Sebazius Iupiter. V. 52.
Semidei Dæmones. V. 65. Satyri. V.64.Sileni.V.65.
Semideorum & Deorum Discrimen.V. 62.
Servator Iupiter. V.39.
Sibylla Delphica quando vixerit. V.15.
Sibyllarum Scripta supposititia. V. 15.
Sile, Siele, Syle Germanis Schlesa, Schleusa, Slesa, Sluſa. II.29.
Silensis Pagus Silesia. V.76.
Silentius Silesiæ Mons Sabothus.V. 80.81.82.
Silenus Bacchi Comes.V.61. Educator, Nutritor. V. 68. deformis. V. 67. Eques Asino insidens. V.70. Sapiens.V.65.Satyrus.V.64. Semideus.V. 63. Senex. V. 65. Senex ebrius. V. 70.
Silesia Slavice Slisema. III.3. Germaniæ Clauſtrum. II.3. Clavis. II. 14. Cluſa. II. 5. Porta. II. 2. Sluſa. II. 6. 8. olim Polonia dicta. VI. 3 5.
Silesiæ Fluvius Elsa. IV. 1. 2. 3 4. Mons Sabothus. VI. Solum. III.1.2 3. Terminus quondam Vistula Fluvius. II. 11. jam, quodam Spatio excepto, Viadrus.II. 2.primis Temporibus Incolæ Germani, Suevi, Quadi.VIII.1. XI. 1. Lygii, Elysii: IX. 1.
Silesii Latinis Scriptoribus Lysii. I.3.Lysitæ. I.4.Schlesii. I. 5. Schlesingi. I. 6. Schlesitæ. I. 7. Sclesii. I. 8. Sclesitæ.I.9.Seleuci. I. 10. Silesiani. I. 11.Silesiatæ. I. 12. Silesitæ. I. 13.Siluſi. I.14. Siusli. I.15. Slesaci.I.16.Slesicii.I. 17.Slesii.I. 18 Slesitæ. I. 19. Slesitani. I.20.Slesizicii.I.21.Slessitæ. I.22. Slezaci.I. 23.Slezii. I. 24.Suisoli. I. 25. Susi. I.26. Sylesii. I. 27.Sylesitæ.28.Sylleſii. I.29.
Silesii Germani,Suevi, Quadi, Lygii, Elysii. I. 1. cur Bohemis Slesitæ. VII. 2.3.4.5. cur Polonis Slesaci.VI.1. Bohemis conjuncti.VII.1.Polonis conjuncti XI.1.Slavis superati,non exstincti. XI.1.Tartaris oppugnati.V.73.
Silesiis Paganis Deus Iupiter. V. 44. 45. 48. Iupiter Sabazius, Bacchus, Sol. V. 61. Silenus, Bacchi Comes. V. 72.in Monte Sabotho cultus. V. 9.12. abjectâ Idololatriâ Christianis, Asinus Sileni devoratus, per Iocum dictus.V.73.
Silesiorum Nomen quando ortum. XI. 1. post Slavos Silesiam,Anno 550, ingressos.XI. 4. à Silesiæ Cônvenis. VI. 1. VII.1.Fluvio Sleso.IV.1. Monte Sabotho. V.1. Populo Elysiis.X.1.Lygiis. IX. 1. Quadis. VIII. 1. Solo. III. 1. Situ. III.non demum Sæculo XII,sed jam Sæculo X. cognitum. XI. 6.9. Onophagiæ duplex Origo.V.73.74.
SL pro SCHL antiquis Germanis. II. 17. 19. 20.
Sla, Sle, Sli, Slo, Slu habentes Voces an omnes Slavicæ. II. 18. 19. 20. 21.
Slavi unum coluerunt Deum, Mundi universi Dominum.V.54.
Slesa Silesiæ Fluvius,IV.3.
Slesitæ cur Bohemis Silesii. VII. 2. 4.
Slesius Silesiæ Fluvius.IV.4.
Slezaci cur Polonis Silesii. VI. 6.7.
Sluſa Clausa, Clausula, Clausura. II. 29. Clauſtrum. II. 7. Cluſa. II. 6.
Sol Germanis Paganis Bacchus.V. 51.Deus. V.45.47.
Squadi Slavis Quadi.X.25.
Stator Iupiter. V. 39.
Steinovienſis Silesiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi subjectus. VII. 1.
Stratius [militaris] Iupiter, Mars. V.41.
Stygius Iupiter, Pluto. V.41.
Suevi Elysii, Lygii, Quadi. I. 1.
Suidnicenſis Silesiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi subjectus. VII. 1.

T.

Tarpejus Iupiter, V.40.
Tartareus Iupiter, Pluto. V.41.
Teſchinenſis.Silesiorum Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi subjectus VII. 1.
Tonans Iupiter. V.41.
Triones antiquis Teriones. X.23.
Troppavienſis Silesiorum Ducatus Ottocaro Bohemorum Regi per Vim occupatus. VII.1.
Turbidus Iupiter. V.38.

U.

U antiquis Germanis pro E. VIII. 9. in EU conversum. II. 24. pro I. II. 26. pro OU positum. V.27.
U N iisdem pro E N. VIII. 7. 8.
Vandali Germani, non Vendi Slavi.IX.7.Wandaler. IX.8.
Venus Germanis Paganis Dea. V. 47.
Vernus Iupiter. V.38.
Victor Iupiter. V. 39.
Vistula Fluvius antiquæ Germaniæ Terminus. II. 2.
Voievodus Polonis Palatinus. XI.4.
Vratislavienſis Capitaneus Magnus Comes. XI. 13. Ducatus fit Iohanni Bohemorum Regi subjectus. VII.1.
Vulcanus Germanis Paganis Deus. V.45.

Y.

Y Germanis antiquis pro OE. X.14.

Z.

Z mutatum in S. I. 16. 18. II. 13. V.6.
Zabothus Silesiæ Mons.V. 1. Zobtensis, Zotensis, Zothensis, Zottensis.V.3. 4.5. Vidoatur Sabothus.
Zle Slavis malus.III.4.IV.7.VIII.22.
Zotteln, Ire: Mitzotteln, comitari: Nachzotteln, subsequi. V. 5.
Zottenberga Silesiorum Arx. V. 4.

AD-

ADDENDA & EMENDANDA.

Pag. 12. Cap. II. §. 13. Lin. 7: pro, §. VI. *fac*, §. IX.
Pag. 18. Cap. III. §. 1 Lin. 2: pro, existimant, *fac*, existimatur.
Pag. 23. Cap. V. §. 10. Lin. 8: post, Cap. II. *adde*, & V.
Pag. 24. Cap. V §. 13 Lin. 5, pro, quanto, *fac*, tanto. *Ibidem: pro*, tanto, *fac*, quanto.
Pag. 27. Cap. V. §. 27. Lin. 10: post, Plinius, *adde*, Lib.
Pag. 31. Cap V. §. 44. Lin 3 pro, Statius, *fac*, Stratius.
Pag. 33: Cap V. §. 49. Lin. 6: pro, quidem, *fac*, quidam. *Ibidem Lin. 14: pro*, unquam, *fac*, nunquam.
Pag. 37. Cap. V. §. 59. Lin. 8: pro, Iachus, *fac*, Iacchus.
Pag. 41. Cap. V. §. 64. Lin. 36 post, Statueris : *adde*: Sed Veritati magis respondet, Silesios recens Christianos, incertum, â quibus, Rem sacram in ludicram convertentibus, primum Asini devorati Reos habitos ob Silenum, quem, ut Bacchi, Plantarum omnium Autoris, perpetuum Comitem, antea coluerant, penitus rejectum, itaque simul ejus Asinum exstinctum, velut mactatum & devoratum.
Pag. 44. Cap. V. §. 81. Lin. 6: pro, Vechnerus, *fac*, Fechnerus.
Pag. 47 Cap. VI §. 8. Lin. 1: post, Hanc, *adde*, vero.
Pag. 48. Cap. VI. §. 9. Linea postrema: post, Nomen, adde: Ergo *Silesii* sub communi *Polonorum* Nomine latuerunt: quô Temporibus antiquis omnes Sarmatis Slavis Lechitis, quos Ætas nostra Polonos nuncupat, subjecti Populi denotabantur? Igitur *Poloniæ Germanis*, hoc est, *Silesiis*, propter *Conbenas* in eorum Provincia conspicuos, *Slezacorum* Nomen imposuerunt *Sarmatici Poloni* demum circiter aut 1109, aut 1158 Annum?
Pag. 49 Cap. VI. §. 15. Lin. 2: pro, Anno 1001, *fac*, Anno 1000. *Ibidem*, *Lin 13: post*, consecutum, *adde*, Lib. VII.
Pag. 52. Cap. VIII. §. 2. Lin. 10: post, Bibliotheca, *adde*, MStum.
Pag. 54. Cap. VIII. §. 7. Lin. 6: pro, quamum, *fac*, quamuu.
Pag. 55. Cap. VIII §. 8. Lin. 13: pro, XXII, *fac*, XXVII.
Pag. 56. Cap. VIII. §. 13. Lin. 8: post, Germanis, *dele*, sunt.
Pag. 57. Cap. VIII. §. 22. Lin. 4: pro, Partem maximam, *fac*, Partes alias, *Ibidem, Lin. 13: pro*, ZLESIOS, *fac*, ZLEZIOS.
Pag. 61. Cap. X. §. 4. Lin. 2: pro, Nomen, *fac*, Nomine suo, quod. *Ibidem, Lin. 4: pro*, transportatum, *fac*, transportaverint.
Pag. 64. Cap. X. §. 13. Lin. 9: post, ibidem, *dele*, Lib. II.
Pag. 65. Cap. X. §. 16. Lin. 3: pro, ERLTSER, *fac*, ELTSER.
Pag. 68. Cap. XI. §. 1. Lin. 10: post, annumerandam, *adde*, ostendet.
Pag. 74. Cap. XI. §. 19. Lin. 6: pro, SILESIAS, *fac*, SILESIOS.

MARTINI HANKII
DE
SILESIORUM
MAIORIBUS
ANTIQUITATES.

Ab ORBE condito
Ad Annum CHRISTI 550.
Additi sunt tres INDICES.



LIPSIÆ,
Sumtibus CHRISTIANI BAUCHII,
Bibliopolæ Vratislaviensis:

Typis CHRISTOPHORI FLEISCHERI,
M. DCCII.

WBP
Opole



NOBILISSIMO STRENUOQUE

DOMINO

GOTLIEB. MILICHIO,

CÆSAREO CONSILIARIO,

IUDICII REGII,

QUOD IN SUIDNICENSI IAVORENSIQUE

DUCATU EST,

SECRETARIO,

SINGULARIBUS MERITIS CLARISSIMO:

IURIS

ET PRIVATI, ET PUBLICI,

MAXIME SILESIORUM PROVINCIALIS,

RERUMQUE TAM VETERUM, QUAM PRÆSENTIUM,

AD PATRIÆ cum SALUTEM, TUM GLORIAM

QUOCUNQUE MODO SPECTANTIUM,

UT PERITISSIMO, SIC AMANTISSIMO:

EASDEMQUE PUBLICO UTILISSIMAS NOTITIAS,
QUO RARIORES, EO PRETIOSIORES,
PER FILIUM NATU MAXIMUM,

IOHANNEM GOTLIEB. MILICHIUM,

PULCHRA GENITORIS VESTIGIA PREMENTEM,
EGREGIISQUE IAM PRIMITIIS
ACADEMICIS
EXSPECTATIONI SATISFACIENTEM,
AD POSTEROS PROPAGATURO,
HUNC DE SILESIORUM MAIORIBUS LIBRUM
POTIORE PROPENSIONIS SENSU,
QUAM AFFINITATIS NEXU
DEVINCTUS
OFFERT
MARTINUS HANKIUS.

PRÆFATIO ad LECTOREM.



Llas de SILESIORUM NOMINIBUS, quas nuper Luci publicæ commiſimus, excipiunt hæ, quas LECTORI Benevolo jam exhibemus, de SILESIORUM MAIORIBUS ANTIQUITATES. Id ſimul Ordine, ſimul Iure fit: quoniam priores poſterioribus non mediocriter ad feliciorem Notitiam ſerviunt. Quis enim MAIORES antiquiſſimos ſatis agnoſcet, qui ſeriſſimorum POSTERORUM diſſimillima NOMINA vel prorſus ignorat, vel minus diſtinguit?

Hic, multiplices inter Curas, non unius Anni Labor, ab Orbe condito petitas SILESIORUM Origines in medium affert, ex MAIORIBUS inter Adamitas NOACHICIS: inter Noachicos IAPHETICIS: inter Iapheticos CELTIS: inter Celtas, neque Gallis GOTHINIS, neque Pannonibus OSIS, ſed GERMANIS: inter Germanos SUEVIS, non Semnonibus, Marſignis, Sidonibus, Cognis, Visburgiis, ſed partim QUADIS, partim LYGIIS, quorum Natio ELYSII fuerunt: ad Annum CHRISTI DL. Sub his enim Nominibus inter priſcos ASIÆ prius, poſtea EUROPÆ, tandem GERMANIÆ Populos, Gens SILESIORUM in MAIORIBUS quandam ſibi Famam promeruit: quam non nulli moderatiores in dubium vocant, inverecundiores alii negant, alii etiam oppugnant. Iſtorum excitati Conatibus, quò ſpecioſioribus, eò deterioribus, ad Injuriam noſtris MAIORIBUS defendendam ſerò quidem, tamen ſeriò Nervos intendimus.

Huic Conatui noſtro primum contrarius fuit maximè Philippus CLUVERIUS, Vir clariſſimus, diligens, ingenioſus, eruditus, at interdum meris Conjecturis, à quibus Momenta potiora dependent, nimium quantum addictus, in diſſentientes durus, in aſſerendis audax. De quò par in Rebus ad Norvvegiam ſpectantibus jam olim Iudicium, in Prolegomenis ad Gothorum, Vandalorum & Langobardorum Hiſtoriam, tulit Hugo GROTIUS. *Apparet hinc*, ait, *ſupra omnium, quas legimus, Hiſtoriarum*,

Memoriam ſcandens Regnorum Suediæ Norwegiæque Antiquitas, bene obſervata Germaniæ Deſcriptori: cujus ego Diligentiam & Eruditionem ſic laudo, ut Audaciam tamen ſpernentis, ſæpe ſine ullo firmo Argumento, Codicum Autoritatem, Conſenſumque Vetuſtatis, & acceptas ab ultimis Sæculis Famas, multaque fingentis ex inanibus valdè Conjecturis, nec probaverim unquam, nec ſim probaturus. Quod ſemel mihi de illo, qui plurimis contradicendo Neceſſitatem nobis, ut ipſi contradiceremus, impoſuit, præfandum cenſui: Gratiam cæteroqui ei pro Labore ubi neque Studiis, neque Invidia abreptus fuit, liberaliter paratus reddere. Nam ille quidem in Antiqua GERMANIA priſcam SILESIÆ Formam, cujus Pars inferior LYGIAM, ſuperior QUADIAM comprehendebat, mirabilem in modum corrupit. Nullo enim ſatis idoneo, nec Teſtimonio, nec Argumento adductus, intra SILESIAM veterem, ad Ingenium Arbitriumque ſuum, Populos diſtribuit, certisque Locorum Terminis clauſit. MARCOMANNOS (quos ad Rhenum, ante Bohemiam occupatam, Incolas conſtituit) ex Moravia profligavit: QUADOS in Moraviam, LYGIOS in Poloniam: in SILESIAM ſuperiorem quidem, Quadorum Patriam, GOTHINOS, OSOS, MARSIGNOS: inferiorem autem, Lygiorum Sedem, MARSIGNOS, Buros, SEMNONES tranſtulit: itaque MORAVORUM SILESIORUMque juſtam Chorographiam ſubvertit. Illum igitur, quemadmodum circa Populos ad RHENUM malè collocatos in Diſceptationibus ſuis Chorographicis quondam Ioannes Iſacius PONTANUS Animaduerſione dignum cenſuit: ita nos in hoc ſcripto circa Populos ad VISTULAM & VIADRUM perperam diſpoſitos, non tantum accuſamus, verum etiam convincimus Erroris. Quô aliquos, eosque doctiſſimos Viros, in quibus Melchior GOLDASTUS eminet, in Sententiam ſuam ideo facilius pertraxit, quia Fontem, unde Falſitas promanans in multos ſe diffudit Rivos, aut non inveſtigaverunt, aut non invenerunt.

Sanè, quod & vetuſtos, & probatos Autores Oculis acutioribus intuenti patet: inferiorem LYGII, ſuperiorem QUADI poſſederunt SILESIAM. QUADI, Marcomannis, hoc eſt, Moravis ad Occidentem: Sauromatis, hoc eſt, Sarmatis, quemadmodum ad Danubium Iazygibus, quo-

quorum Terras Hungari jam tenent: Sic ad Orientem, circa Viſtulam, Baſtarnis, quorum Regio jam Polonis ſubeſt: ad Septentrionem Lygiis cohærebant. LYGII, quorum Pars nobilior ELYSII fuerunt, ad Meridiem Quados, ad Occidentem Bojos, denique Bohemos: ad Septentrionem nondum ſatis exploratam Gentem: ad Orientem Sarmatas, hodie Polonos, circa Viſtulam, quatenus à Capite, quod in Ducatu Sileſiorum Teſchinenſi profilit, per Cracovienſes Polonorum Agros ad Oceanum auctior tranſcurrit, confines habebant. Veritas igitur, quamvis premi, non tamen opprimi ſolita, novas conſecuta Vires, in hoc Antiquitatum Libro, SILESIIS ſuppoſititios depellit, genuinos reſtituit MAIORES, à primo ad Sextum CHRISTI Sæculum, Annum 550.

Deindeſunt Rerum, maximè Polonicarum & Bohemicarum Autores, qui vel nullum, vel nullius Firmitudinis Fundamentum placitis Opinionibus ponentes, aſſerere non verentur, ſub SLAVORUM in GERMANIAM Ingreſſum, id eſt, circiter Annum CHRISTI 550, intra SILESIAM nullos QUADOS, LYGIOS nullos exſtitiſſe: quidam ideo, quoniam ea nondum Incolis à Diluvio ad illud Tempus prædita fuerit: alii propterea, quoniam & QUADI, & LYGII, aut ſpontaneis Deſideriis, aut violentis Hoſtibus cedentes, in aliam Provinciam migraverint: ad ultimum penitus exſtincti, omnes cum Nominibus Terras amiſerint. Quô Pactô à cunctis Habitatoribus nuda SILESIA, ſub Annum 550, advenientibus SLAVIS Lechitis, hoc eſt, Polonis patuerit, ſeu primis, ſeu novis Cultoribus. Ita SILESIIS hodiernis contigiſſe MAIORES, primum meros SLAVOS, tandem aſſociatos Slavis GERMANOS Advenas: ex eô (quaſi antea Nomine proprio deſtitutos) demum Sæculo XII, Anno vel 1109, vel 1158, Polonis SLEZACOS, id eſt, Confluentes: Sæculo XIV, poſt Annum 1330, Bohemis SLESITAS, id eſt, Irrepentes vocatos: mixtam, obſcuram, incertam conſecutos ORIGINEM.

Hæc, quibus ultra Fidem, contra Veritatem, ut SLAVORUM extenditur, ita GERMANORUM, maximè SILESIORUM proſcribitur Nomen, in vulgaribus Narrationibus reponenda judicamus: quibus olim Chronica conſignantium, quô rudior, eô ſecurior Genius, dum oblectavit ſuam, decepit proximam Ætatem: non quamvis, ſed credulam: cui noviſſima Simplicitatem in Nævis, non in Dotibus annume-

merat. Nos igitur antiquas Sileſiorum Hiſtorias, ne ficta nonnullorum Autorum Traditio Integritate ſuâ defraudet, ab Inventis Additamentisque vanis, partim nuper vindicavimus in Antiquitatibus de SILESIORUM NOMINIBUS: partim jam vindicamus in Antiquitatibus de SILESIORUM MAIORIBUS: &, ſi DEUS annuerit, poſthac vindicabimus in REBUS SILESIORUM cum Polonis conjunctorum, ab A. C. 550 ad 1140.

Ne, quam in aliis reprobamus, incurreremus ipſi Culpam, non ſequendos ſtatuimus prævios Duces, qui Res Sileſiorum, quamvis à noſtro Sæculo remotiſſimas, præſertim ſuſpectas, nullo Teſte, nullo Indicio ſubnixas proferunt, quò Lectoribus ſagacioribus vel ſatis firmus, vel minus dubius reddatur Aſſenſus. Præterea non imitandos vidimus, qui ſuis allegant quidem Narrationibus Autores, non tamen idoneos, vel quia per ſe non merentur in vetuſtiſſimis Calculum, vel quia cæci eunt in cæcorum Sententiam. Accedit, quod ſæpe nihil, aut diverſum, imò quandoque contrarium reperiatur in Scriptoribus, quorum Scripta nominantur, Verba non afferuntur: quæ nos Aſſertionibus pleriſque ſubjecimus.

Cæterum has de SILESIORUM MAIORIBUS ab Orbe condito, ad Annum CHRISTI 550, ANTIQUITATES, quia Sileſiacorum Annalium Conditores, aut planè Silentiô tegunt, aut obiter in Tranſitu, levique Brachio tangunt, ideo pleniorem in Modum elaboratas repræſentare, non inutile judicavimus. Ita vero SILESIORUM MAIORES, etſi plerosque, tum Paganos, tum ſolis Armis notabiles, hactenus propter Monumentorum, in quibus ſparſi latuerunt, aut Raritatem, aut Obſcuritatem, diu Oblivioni traditos, tandem in vnum Corpus redigendos, & in publicam Lucem producendos ſtatuimus, ut apud eos, quibus Vitæ quoddam dederunt, aliquod Memoriæ caperent Initium. POSTEROS enim non aliud prius obligat Virtutis Officium, niſi quod reſpicit, quanquam longinquos, MAIORES. Scribebam Vratislaviæ Sileſiorum, Die Martii XV, Anno CHRISTI M.DCC.II.

De

DE SILESIORUM MAIORIBUS *LIBER.*

CAPUT I.

Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Noachicos IAPHETICIS.

I.

SILESIORUM MAIORES, poſt univerſale Diluvium, à Noachi Poſteris, per Iaphetum Filium in Aſia procreatis, poſtea in Europam digreſſis, ex quibus Germanorum in plures Nationes diffuſus Populus, & ſub eo Sileſiorum Gens, provenit, breviore quidem, diſtinctiore tamen Curâ, quantum fieri poterit, ex Principiis Veritati reſpondentibus, certè non repugnantibus, proferemus. In quô Labore ſatis conſcii ſumus, non poſſe quosvis, & in primis, & in mediis, & in ultimis Sæculis, ob nimis multas Hominum Regionumque Viciſſitudines, veterumque Monumentorum inplurimis aut varium Defectum, aut debilem Fidem, ita Lectoribus exponi, ut nullus relinquatur Dubitationi Locus. Quare nobis eos Sileſiorum Majores, quos inveniendi Spes non fuit, non fuit perveſtigandi Conſilium.

II. DEUS optimus maximus Humanum Genus in Asia, nobilissimâ Terrarum Parte, sicut inter Initia Mundi per ADAMUM & EVAM: Sic tantum non universis eorum Posteris per Aquas exstinctis, per NOACHUM Patriarcham, ejusque Filios, SEMUM, CHAMUM, IAPHETUM, prima Populorum omnium Capita, propagavit.

III. An horum trium Fratrum, quemadmodum eos in Genesi Moses Cap. V, 32. VI, 10. IX, 18. X, 1. recenset, naturalis Ordo sit, in Controversia est. De quâ disputant, Augustinus Torniellus in Annalibus sacris & profanis, ad A.M. 1659. Gerardus Ioannes Vossius in Chronologica Dissertatione V. Cap. I. Edwardus Simsonius in Chronico Catholico, ad A. M. 1556.

IV. Multis SEMUS est primogenitus. Horum Opinioni accedunt, Augustinus Lib. XVI. de Civitate Dei, Cap. III. Eutychius Patriarcha in Annalibus Alexandrinis. Cornelius Lapideus in Genesin ad Caput IX, 24. X, 2. Iacobus Salianus in Annalibus Ecclesiasticis, ad A.M. 1557. Num. IV.

V. Aliis IAPHETUS est natu maximus: ideò, quia cæpit Noachus generare Filios Anno Ætatis 500 : centum Annis ante Diluvium: Gen. V, 32. Semus autem, cum Diluvium oriretur, non centum, sed 98. Annorum erat. Nam centum Annorum Vir, exactô post Diluvium Biennio, Arphaxatum Filium procreavit : Gen. XI, 10. Non igitur Semus, quanquam Pietate Fratribus prior, quanquam Gentis, ex quâ Christus in Lucem prodiit, Pater: sed alius fuit Primogenitus, vel Chamus, vel Iapheus. Non Chamus: quia Gen. IX. 24. minimus: ergo Iaphetus, quia Gen. X, 21. maximus Noachi Filius dicitur. Horum Sententiæ subscribunt, Geneseos Interpretes, Alphonsus Tostatus Cap. IX. Quæst. XI. Davides Pareus ad Cap. IX, 24. X, 2. Iohannes Gerhardus ad Cap. V, 32. Salomon Glassius in Philologia Sacra, Lib. III. Tractatu III. Canone III. Paulus Merula in Cosmographia, Parte I. Lib. III. Cap. XIV. Christophorus Helvicus in Theatro Chronologico ad A. M. 1556. Iacobus Usserius in Annalibus, ad A.M. 1556.

VI. Primam Semo, Chamo, Iapheto, eorumque Posteris Sedem ARMENIA dedit, Asiæ Provincia, non procul à Ponto Euxino, Terrarum inter Asiam & Europam Termino. Nam Diluvium tandem imminutis Aquis, Arca Noachi quiescebat in Monte Ararato: Gen. VIII. 4. Hunc vero Asiæ Montem in Armenia positum esse docent, Iosephus in Antiquitatibus Lib. I. Cap. IV. Epiphanius in Panario. Theophilus Indus apud Nicephorum Callisti, Lib. IX. Cap. XIX. Isidorus Hispalensis Lib. XIV.

XIV. Originum, Cap. III. Georgius Syncellus in Chronographia. Georgius Cedrenus in Historiarum Compendio, Num. XIII. Iohannes Zonaras in Annalium Tomo I. Gregorius Turonensis Lib. I. Miraculorum, Cap. XCVI. Benedictus Pererius in Genesin Lib. XIII. Disput. III. §. XXXII. Iacobus Salianus in Annalibus, ad A. M. 1724. Num. III. & IV. Edwardus Simsonius in Chronico Catholico, ad A. M. 1657. Gerardus Ioannes Vossius in Chronologica Dissertatione IV. Cap. II. Noachides autem primum ex Arca digressos, circa illum Armeniæ Montem hæsisse, posteacum Liberis Nepotibusque suis ulteriores Asiæ Partes occupavisse, quis facile dubitet?

VII. Inter Noachides, id est, Noachi Posteros, incertum, vivo, an mortuo Noacho [cujus, ante Diluvium, per 600, & post illud, per 350 Annos superstitis Mors in Annum Mundi 2006 incidit: ut Geneseos Caput IX, 28. 29. indicat] divisus est Terrarum Orbis. Hujus Terras *Asiaticas* Semæis relictas, Chamæis *Africanas*, Iapheticis *Europæas* permissas, doctissimi Antiquitatum Scrutatores è Scriptis, partim sacris, partim profanis, quanquam non citra Dissensum ex Circumstantiis natum, ostendunt. Agunt de hac Distributione, Iosephus in Antiquitatibus Lib. I. Cap. VII. Epiphanius in Ancorato. Chronicum Alexandrinum ad A. M. 2021. Ado Viennensis in Chronico, ad A. M. 1758. Freculphus Lexoviensis in Chronico, Tomo I. Lib. I. Cap. XXVII. Iohannes Gerundensis in Paralipomenis Hispanicis Lib. I. Cap. I. Augustinus Torniellus in Annalibus ad A. M. 1909. Num. II. Iacobus Salianus in Annalibus ad A. M. 1788. Philippus Cluverius in antiqua Germania, Lib. I. Cap. IV.

VIII. *Majores* proinde sunt, ut *Adamitæ* Noachidum, sic *Noachides* Iapheticorum : à quibus *Celtæ* provenerunt, remotiores *Silesiorum Majores*.

CAPUT II.

Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Iapheticos CELTIS.

I.

IAphetus procreavit septem Filios, Gomerum, Magogum, Madaium, Iavanem, Thubalem, Mosochum, & Thiram: ut Moses tradit in Genesi

Cap. X, 2. Ex his Iapheti Filiis, à quibus Europæas Gentes ortas esse Cap. I. §. VII. diximus, omnibus, an quibusdam: Europæi soli, an etiam nonnulli, vel Asiatici, vel Africani Populi provenerint, demonstrare, nihil ad Propositum nostrum interest.

II. Iapheri quintogenitum Filium Thubalem, in Europæis Procreatorem Hispanorum, quorum in Terras primus inter Mortales advenerit, constituunt, Iohannes Gerundensis Episcopus in Hispaniæ Paralipomenis Lib. I. Cap. VIII. Franciscus Tarapha de Hispanorum Regibus, Cap. I. Ioannes Vasæus in Hispaniæ Chronico, Cap. X. Rodericus Toletanus Archiepiscopus de Hispaniæ Rebus, Lib. I. Cap. III. Ioannes Mariana in Historia de Rebus Hispanicis Lib. I. Cap. I. Thubalem vero, Hispanici Generis Conditorem, tanquam commentitium, rejiciunt, Ludovicus Nonius in Hispania, Cap. III. & Thomas Pinedus Observationibus in Stephani Byzantii de Urbibus & Populis Opus, ad Iberiæ Vocem.

III. Iapheti autem, ex Gomero primogenito Filio, potissimum ex Nepote primogenito, Gomeri primogenito Filio Ascenace, Posteros, divisis inter Noachides Terris, ex Asia in Europam digressos, ibique multorum Populorum Conditores fuisse, consentiunt plerique Scriptores, quos allegavimus Cap. I. §. VII. Nam Europæorum Arsenacium, quamvis Pars Asiaticis proxima, devastaturis Babylonem, ad Suppetias ferendas, in Asiam regressa videatur: de quô Jeremias Cap. LI. 27. loquitur: ibique fortassis substiterit: non tamen inde colligendum, ab universa Progenie Sedem in Europa relictam.

IV. Certe Populos Europæos, Asiaticis & Africanis septentrionales, ab Arsenace progenitos, licet in dubium à multis vocari non ignoremus, majore tamen Industriâ, nescio, an Probabilitate monstrant, communi Vocabulô Celtas nominatos esse, Reinerus Reineccius in Commentario de Misenorum Origine, quem Elias quidem Reusnerus ex Germanico in Latinum vertit, Iacobus autem Fabricius, Patris sui Georgii Fabricii Originibus Saxonicis subjunxit. Adrianus Schrieckius Lib. I. Celticarum Originum, Num XL. Philippus Cluverius in antiqua Germania Lib. I. Cap. II. & sequentibus. Marcus Velserus de Rebus Boicis Lib. I.

V. Cur ab Ascenace provenientes Populos Europæos prisca Lingua *Celtas* nominaverit, Adrianus Schrieckius docet in Monitis secundis ad Celticas Origines, Lib. III. Num. XXVI: *Communi quoque Nomine omnes Europæos nominatos fuisse CELTAS vel KELTAS, totamque Europam ab Origine Celticam fuisse quoque deduximus & monstravimus. Ptolemæus II. Quadripartiti sic Europam nominat. Origo Nominis ex Hebraico* כלד *KALD;*

KALD; Iapheticis Kalt, Kelt, est Gelidum, Frigens, Congelatum. KELTÆ itaque sunt Frigentes: ut, qui secundum Ezechielem Cap. XXXVIII. Latem Aquilonis tenent: ut contrario Situ Heete Oppen, ÆTHIOPES sunt Flagrantes, qui ad Flagrantiam Solis, & ad Meridiem.

VI. *Majores* igitur sunt, ut *Iaphetici* Gomeræorum, *Gomerei* Ascenacium: sic *Ascenaces* Celtarum. Quemadmodum vero à *Celtis*, tanquam Majoribus suis, *Germani* provenerint, qui Majores *Silesiorum* sunt, commemorabimus Cap. V.

CAPUT III.

An Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Celtas GALLIS, & inter Gallos GOTHINIS?

I.

IN *Celtis* fuerunt *Galli:* quod indicavimus Cap. II. §. III. Ex Gallis autem *Gothini* quandam in Germania Sedem habuerunt. Tacitus in Germania, Cap. XLIII: *Nec minus valent retro Marsigni, GOTHINI, Osi, Burii: Terga Marcomannorum Quadorumque claudunt. E quibus Marsigni & Burii Sermone Cultuque Suevos referunt. GOTHINOS Gallica, Osos Pannonica Lingua coarguit, non esse Germanos: & quod Tributa patiuntur. Partem Tributorum Sarmatæ, Partem Quadi, ut Alienigenis, imponunt. GOTHINI, quô magis pudeat, & Ferrum effodiunt.*

II. Certe multô antiquioribus Temporibus jam in Germania Locus Gallis fuit. Iulius Cæsar de Bello Gallico, Lib. VI. Cap. XXIII: *Fuit antea Tempus, cum Germanos Galli Virtute superarent, & ultro Bella inferrent, ac propter Hominum Multitudinem, Agrique Inopiam, trans Rhenum Colonias mitterent. Itaque ea, quæ fertilissima sunt, Germaniæ Loca circa Herciniam Silvam, quam Eratostheni & quibusdam Græcis Famâ notam esse video, quam illi Orciniam appellant, Volcæ Tectosages occuparunt, atque ibi consederunt. Quæ Gens ad hoc Tempus iis Sedibus se continet, summamque habet Iustitiæ & bellicæ Laudis Opinionem: nunc que in eadem Inopia, Egestate, Patientia, quâ Germani permanent: eodem Victu & Cultu Corporis utuntur.* Tacitus in Germania, Cap. XXVIII. *Validiores olim Gallorum Res fuisse, summus Autorum divus Iulius tradit: eoque credibile est, etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim Amnis obstabat, quô minus,*

minus, ut quæque Gens evaluerat, occuparet permutaretque Sedes promiscuas adhuc, & nullâ Regnorum Potentiâ divisas? Igitur, inter Hercyniam Silvam, Rhenumque & Mœnum Amnes, Helvetii: ulteriora Boji, Gallica utraque Gens, tenuere.

III. Quam verò in Germania *Gothini* habuerunt Sedem? *Marcomannis* & *Quadis*, quorum à Tergis hæserunt, vicinam: ut Tacitus, cujus Verba §. 1. reperiuntur, indicat: id est, ut nos interpretamur, *Moravis* & *Silesiis* propinquam: quam ideo, nec in Marcomannia, nec in Quadia, hoc est, nec in Moravia, nec in Silesia, sed ad utriusque Fines collocamus.

IV. Ab eâ diversam in Germania Gothinis Sedem, non Poloniæ tantum, verum etiam, cum Moraviæ, tum Silesiæ superioris Partem, Ducatum Teschinensem, qui Freistadium, & Frideccam Urbes complectitur, attribuit Philippus Cluverius in antiquâ Germaniâ Lib. III. Cap. XXXII. de Gothinis locutus: *continentur*, inquiens, *nunc hisce Finibus Poloniæ Particula: quâ Oppida Twardoszyn, Iablakow, Schoczow, Bielsko, & Miedzyrzecz: & Silesiæ item Portiuncula, quâ Oppida Teschen, Freistat, Friedeck: item Moraviæ Pars, quâ Oppida Mezyrzec & Holissow.*

V. At Cluverius solidum Sententiæ suæ Fundamentum non habet. Nam Errore ductus, veterem Silesiam Incolis veris, tum Quadis, tum Lygiis spoliatam, quorum illos in Moraviam, hos in Poloniam reposuit, ne vacuam relinqueret, multis Populis alienis replevit: ut ex iis, quæ postea proferemus, patebit.

VI. Accedit huc, quod Gothini Quadis, non Tributarii tantum, verum etiam seu pro Tributis, seu pro Mercedibus, Fossores ferrarii fuerint: ut Tacitus eodem in Loco, qui §. 1 exstat, innuit. Quadis enim Fodinæ Ferri fuit. Ptolemæus in Geographia Lib. II. Cap. XI: Ὑπὸ δὲ τὸν Ὄρκηνιον δρυμὸν, ΚΟΤΑΔΟΙ. Τῷ δ' ἐς τὰ σιδηρεια χεῖα, καὶ ἡ ΛΟΥΝΑ ὕλη. Τῷ δ' ἦν μέγα ἔθνος οἱ ΒΑΙΜΟΙ, μέχρι τοῦ Δανουβίου. *Sub Silva vero Hercynia QUADI: sub quibus Ferri Minera & Luna Silva: sub qua Gens magna BÆMI usque Danubium.*

VII. Hinc Wolffgangus Lazius ex Gothinis Cuttenbergos Bohemos facit, quorum Urbs à Silesiæ Glacensium Comitatu quindecim Lapidibus distat, Metalli Fodinis præditos. De quibus hæc Abrahamus Ortelius in Thesauro Geographico: *GOTHINI Tacito sunt Populi Germaniæ, qui Marcomannorum Terga claudunt, & Ferrum effodiunt. Hos hodie esse, qui Kuttenberg, Bohemiæ Urbem, incolunt: ubi Argenti Fodinæ sunt: vult Lazius in sua Austriæ Tabula, quam suâ Manu æneis Laminis cælavit. Vox non absimilis*

similis est. Berg enim Montem significat, quasi dicas Gothinorum, vel Cuthinorum Montem. Eadem Carolus Stephanus totidem Verbis in Dictionarium suum Historicum transtulit.

VIII. Nos igitur, cur *Gothinos Gallos*, quanquam in Germania fixos, in superiorem Silesiam veterem recipiamus, ideoque *Silesiorum Majoribus* annumeremus, non videmus.

Caput IV.

An Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Celtas PANNONIBUS, & inter Pannones OSIS?

I.

OMnes Populos *Europæos*, Asiaticis Africanisque Septentrionales, olim *Celtas* fuisse nominatos, Cap. II. §. III indicavimus. Eo Iure *Pannones* in Celtis obtinent Locum. Inter Pannones autem *Osi*, partim Sarmatis, partim Quadis tributarii, quandam in Germania Sedem consecuti fuerunt. De quibus Tacitus in Germania, Cap. XLIII. cum eos in Gentibus, quæ Marcomannorum Quadorumque clauserunt Terga, recensuisset: *OSOS Pannonica Lingua coarguit non esse Germanos; & quod Tributa patiuntur. Partem Tributorum Sarmatæ, Partem Quadi, ut Alienigenis, imponunt.*

II. Quamobrem OSIS, quamvis Pannonibus, quoniam in Germania fuit Locus circa Marcomannos & Quados, id est, Moravos & Silesios: non in Moravia, nec in Silesia, sed circa utriusque Limites fuit. Hoc dudum viderunt, qui *OSOS*, à Silesia exclusos, circa Silesiæ Fines, vel ad Hungariam, & Moraviam, vel in earum Terris Silesiæ proximis habitasse putant. Andreas Althamerus ad Taciti Germaniam, Cap. XLIII. *OSI verò, Germaniæ Populi eam incoluerunt Partem, quæ est Moraviæ vicina, versus Silesiam & Poloniam, ubi sunt Oppel & Neussa Urbes.* Iodocus Willichius in Commentariis ad Taciti Germaniam, Parte II. Cap. II: *OSI vero cum Ripam Danubii Septentrionalem contra Aravisos habitent, sicut hinc Conjectura fieri potest, erunt hodie non nulli Moravi, Posoniates, vulgo Presburgenses, & intra Vagam atque Granum Accolæ.*

III. Tamen sunt, qui OSOS Incolis Silesiæ priscis addunt. Ioannes Luytsius in Introductione ad Geographiam novam & veterem, Sectione II. Cap. XXIX. *Silesiam Osi inhabitarunt antiquitus.* Eosdem, partim intra

intra Sileſiæ ſuperioris Ducatum Oppolienſem, cujus Oppidum Glogovia minor eſt: Ratiborienſem cujus Oppidum Libnicium eſt: & Troppavienſem, cujus Oppida Peſcina & Bythonia ſunt: partim intra Poloniam collocat Philippus Cluverius in antiqua Germania, Lib. III. Cap. XXXII. de Oſis locutus: *Continetur*, inquiens, *hiſce nunc Finibus Sileſiæ Pari, quæ præcipua Oppida Oppelen, Kleinglogau, Ratibor, Troppa, Pſczyna, Rybnik, Byton: deinde Poloniæ Oppida, Dlugoszyn, Mrzyglod, Olsztyn, Mstow.*

IV. Nos, qui ſola Philippi Cluverii (quem in Sileſiæ Chorographia Ducem minus commodum deprehendimus: ut Cap. III. §. V. monuimus) Veſtigia premere non ſuſtinemus: non reperimus, cur *Oſos Pannones*, non Germanos, quamvis Germaniæ quandam Partem, Sileſiæ vicinam poſſidentes. Quadorum, id eſt, veterum Sileſiorum, Tributarios, in hodiernorum *Sileſiorum Majoribus* reponamus.

CAPUT V.

Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Celtas GERMANIS.

I.

MAjores, ut Adamitæ *Noachidum*, Noachides *Iapheticorum*, Iaphetici *Gomeræorum*, Gomeræi *Aſcenacium*; ſic Aſcenaces *Celtarum* fuerunt: quemadmodum ex antecedentibus Cap. I. & II. liquet.

II. In *Celtis* autem, multas Europæas Gentes comprehendentibus, præter alios, non *Galli* tantum, verum etiam *Germani* fuerunt. Id luculenter indicat Dio Caſſius Libro XXXIX: Ὁ δὲ δὴ Ῥῆνος ἀναδίδωσι μὲν ἐκ τῶν Ἄλπεων τῶν Κελτικῶν, ὀλίγον ἔξω τῆς Ῥαιτίας. Περχωρῶν δὲ ἐπὶ δυσμαῖς, ἐν ἀριστερᾷ μὲν τὴν τε Γαλατίαν, καὶ τὰς ἐποικήσαντας αὐτὴν, ἐν δεξιᾷ δὲ τὰς Κελτὰς ἀποτίμνεται, καὶ τελευτῶν ἐς τὸν ὠκεανὸν ἐμβάλλει. Οὗτος γὰρ ὁ ὅρος, ἀφ' ἧς γε καὶ ἐς τὸ διάφορον τῶν ἐπικλήσεων ἀφίκοντο, δεῦρο ἀεὶ νομίζεται. Ἐπὶ τοσόνδε γε Πάνυ ἀρχαῖον Κελτοὶ ἑκάτεροι, οἱ ἐπ' ἀμφοτέρᾳ τῷ ποταμῷ οἰκοῦντες, ὠνομάζοντο. *Rhenus, ex Alpibus Celticis, paulò extra Rhetiam, oritur: inde verſus Occidentem profluens, ad ſiniſtram Galliam, ejuſque Incolas, ad Dextram Celtas dividit: tandemque in Oceanum exit. Hic quippe Limes in hanc*

hanc usque Diem earum Regionum habetur, ab eo Tempore, quò diverſa Nomina adeptæ ſunt. Siquidem antiquiſſimis Temporibus Populi iſti ad utramque Fluminis Ripam habitantes, Celtæ appellati fuerunt. Lib. LIII. Κελτῶν γάρ τινες, οὓς δὴ γερμανοὺς καλοῦμεν, πᾶσαν τὴν πρὸς Ῥήνῳ Κελτικὴν κατασχόντες, Γερμανίαν ὀνομάζεσθαι ἐποίησαν: τὴν μὲν ἄνω, τὴν μὲν τοῖς τοῦ ποταμοῦ πηγάς. Τὴν δὲ, κάτω τὴν ἐγγὺς τοῦ ὠκεανοῦ τοῦ Βρεττανικοῦ οὖσαν. *Celtarum enim quidam, quos GERMANOS vocamus, cum omnem ad Rhenum Celticam occuparent, effecerunt, ut Germania vocaretur: ſuperior, quæ à Rheni Fontibus incipit: inferior, quæ ad Oceanum Britannicum extenditur.* Arrianum in Celticis Populis Marcomannos & Quados, quos Tacitus Germanis annumerat, recenſentem adducemus Teſtem Cap. XIV. §. 47. & 48.

III. Hinc Populos *Germanicos*, quia communes cum reliquis Celtis Majores *Aſcenaces* habuerunt, non univerſos tantum, verum etiam ſingulos, Rhenanos, Gothos, alios, Hebræis, Græcis, Latinis pro Aſenacibus habitos reperimus.

IV. *Germaniam* dicit *Aſcenaciam* Benjamin Tudelenſis, Iudæus [A. C. 1173. mortuus] in Itinerario, quod Hebraicè ſcripſit, Interprete Conſtantino Lempereuro de Germania: *Hæc Regio Montibus ac Collibus ſcatet: in quâ Iſraelitarum Cœtus omnes ad magnum Rheni Flumen habitant. Inde à Colonia, quæ Imperii Initium eſt, Suſenburg usque, GERMANIÆ Terminum: idque per quindecim Dierum Itinera. Quondam Terra ASCHENAZ dicebatur.*

V. *Rhenanos* appellat *Aſcenaces* Ioſephus in Antiquitatibus, Lib. I. Cap. VII: Ἀσχαναζῆς μὲν Ἀσχαναζαῖς ὤκησεν. Οἱ νῦν Ῥηγῖνες ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων καλοῦνται. *Aſchenazes condidit ASCHENAZAS: qui nunc RHEGINES appellantur à Græcis.* His in Teſtimonium adductis Verbis ſubjungit Philippus Cluverius in antiquâ Germaniâ, Lib. I. Cap. VII: *Quos hoc intellexerit RHEGINES, nemini alias Græcorum vel Latinorum Scriptorum memoratos, haud facile quis dixerit.* Dixit hoc obſcurius quidem Stephanus Byzantius in Opere de Urbibus & Populis: Ῥῆνοι, ἔθνος παροικοῦν τῷ Ῥήνῳ τῷ ποταμῷ, καὶ ἀπ' αὐτοῦ καλούμενοι. *Rheni, Gens, quæ prope Fluvium Rhenum habitat, & ab ipſo Nomen ſortita eſt.* Evidentius autem Adrianus Schrieckius, per *Rhegines*, non tantum *Rhenanos*, id eſt, ad Rhenum habitantes, ſed omnes in eo Terrarum Tractu, quas Rhenus & Danubius, antiqui Germanorum ad Occidentem & Meridiem Fines, attingunt, Incolas Germanos intelligens, in Monitis ſecundis ad Celticas Origines, Lib. III. Num. XXII: אשכנז *ASCHENAS vel Aſſenas, As-in-as*

Iapheticis est, qui inter Aquam & Aquam. Ii probantur, qui intra Danubium & qui intra Rhenum: eo quod Iosephus Antiquitatum Lib. I. Cap. VII. ASCHENASSOS nominat eos, qui nunc, ait, Ῥηγῖνες à Græcis nominantur. Et Ryninne apertè sonat, qui intra Rhenum.

VI. Gothos facit Ascenaces Eusebius in Chronicorum priore Libro, de Iapheti Nepote Gomero: *Filii Gomar Aschanaz: Gentes Gothicæ.*

VII. Nimirum Europæi Ascenaces, inter Initia communissimo Celtarum Vocabulo designati, cum in magnam Gentium excrevissent Multitudinem, specialia susceperunt Nomina, quibus, maximè diversis Locis habitantes, inter se discernerentur. Hinc ei CELTARUM Parti, cui Sarmatia, Danubius, Rhenus, Oceanus pro Limitibus fuerunt, accessit antiquitus, quantum judicare possumus, prius aut TEUTONUM, aut THEUTISCORUM, postea GERMANORUM Appellatio. De quorum Nominum Originibus agunt, Iacobus Pontanus in Progymnasmatibus, Vol. III. Parte I. Dialogo XXXII. Iohannes Limnæus de Imperii Romano-Germanici Iure Publico, Lib. I. Cap. VI. Philippus Cluverius in antiquâ Germania Lib. I. Cap. X. Lib. II. Cap. XX. Matthias Berneggerus ad Taciti Germaniam Quæstione VII. Thomas Pinedus in Observationibus ad Stephanum Byzantium, Vocem, Alemani.

VIII. Majores igitur sunt, ut Ascenaces *Celtarum*, sic Celtæ *Germanorum*: à quibus *Suevi* provenerunt, propinquiores *Silesiorum* Majores.

CAPUT VI.

Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Germanos SUEVIS.

I. *GERMANORUM intra EUROPAM Sedes.*

I.

VEteris *Germaniæ Finis* erat, *ad Occidentem Rhenus*, Germanos à Gallis separans: *ad Meridiem Danubius*, Germanos à Sarmatis Iazygibus, olim Pannonibus, hodie Hungaris, dividens: *ad Orientem Vistula*, Germanos

nos à Sarmatis Bastarnis, hodie Polonis, dimovens: *ad Septentrionem Oceanus*, ut quidam censent, ad Daniam Balthicus: ut alii judicant, ad Norwegiam & Finniam Septentrionalis: Germanos adversus Incolas ultra Oceanum habitantes muniens.

II. Hanc Germanorum Sedem, quoniam ab ea dependet inter illos Suevorum, & inter hos cum Lygiorum, tum Quadorum, id est, Silesiorum vera Sedes, idoneis pluribusque confirmabimus Testimoniis. Iulius Cæsar de Bello Gallico Lib. IV. Cap. XVI: de Sicambris Germanis: *Ad quos cum Cæsar Nuntios misisset, qui postularent eos, qui sibi Galliæque Bellum intulissent, ut sibi dederent, respondérunt: Populi Romani Imperium RHENUM finire: si, se invitò, Germanos in Galliam transire, non æquum existimaret, cur sui quicquam esse Imperii aut Potestatis trans RHENUM postularet.* Strabo in Geographia L. II: Μετὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν, καὶ τὴν κελτικὴν, τὰ πρὸς ἕω λοιπά ἐστι τῆς Εὐρώπης· ἃ δίχα τέμνεται τῷ Ἴστρῳ ποταμῷ· φέρεται δ' ἄντος ἀπὸ τῆς ἑσπέρας ἐπὶ τὴν ἕω, καὶ τὸν ἔυξεινον πόντον, ἐν ἀριστερᾷ λιπὼν τὴν Γερμανίαν ὅλην, ἀφεξαμένην ἀπὸ τοῦ Ῥήνου. *Post Italiam & Galliam, reliquæ sunt Partes Europæ, Orienti adversæ, quas medias secat ISTER Amnis. Is ab Occidente Orientem versus, in Euxinum labens Pontum, ad lævam relinquit GERMANIAM totam, à RHENO cœptam.* Libro VII: Εὐθὺς τοίνην τὰ πέραν τοῦ Ῥήνου, μετὰ τὰς κελτικὰς, πρὸς τὴν ἕω κεκλιμένα Γερμανοὶ νέμονται. *Statim erga trans RHENUM, post Celticas Gentes, in Orientem versus sita post GERMANI colunt.* Ibidem post quædam, de Germania: ἔστι δὲ τὰ μὲν πρῶτα μέρη τῆς χώρας ταύτης τὰ πρὸς τῷ Ῥήνῳ, μέχρι τῶν ἐκβολῶν ἀπὸ τῆς πηγῆς ἀρξαμένοις. σχεδὸν δέ τοι καὶ τοῦτο ἐστὶ τὸ ἑσπέριον τῆς χώρας πλάτος, ἡ ποταμία πᾶσα. *Est prima Pars hujus Regionis ad Rhenum, à Fontibus ejus usque ad Ostia. Atque hic Fluminis Tractus est occiduum Regionis Latus.* Iterum post quædam: Ἐξήρηται γὰρ ἡ χώρα πρὸς νότον, καὶ συνεχῆ ταῖς Ἄλπεσι ποιεῖ ῥάχιν τινά, πρὸς ἕω τεταμένην, ὡς ἂν μέρος ἐσαεὶ τῶν Ἄλπεων. *Etenim hæc Regio ad Meridiem attollitur, ac Dorsum quoddam erigit continuum Alpibus, versus Orientem porrectum, ita, ut videri Pars Alpium possit.* Præterea, post quædam: Τῶν δὲ Γερμανῶν, ὡς εἶπον, οἱ μὲν προσάρκτιοι παρήκουσι τῷ Ὠκεανῷ. Γνωρίζονται δ' ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ῥήνου λαβόντες τὴν ἀρχὴν, μέχρι τοῦ Ἄλβιος. Τούτων δ' εἰσὶ γνωριμώτατοι, Σύγαμβροί τε καὶ Κίμβροι. Τὰ δὲ πέραν τοῦ Ἄλβιος τὰ πρὸς τῷ Ὠκεανῷ, παντὸς πασιν ἄγνωστα ὑμῖν ἐστίν. *Germanorum, ut diximus, qui sunt Septentrionales, ad Litus Oceani extenduntur. Ac noti sunt ab*

Ostiis Rheni ad Albin, notissimi Sicambri & Cimbri. Quæ autem trans Albim ad Oceanum sunt, nobis prorsus sunt ignota. Tacitus in Germania Cap. I: *GERMANIA omnis à Galliis, Rhetiisque & Pannoniis RHENO & DANUBIO Fluminibus: à Sarmatis Dacisque mutuo Metu aut Montibus separantur. Cætera OCEANUS ambit, latos sinus & Insularum immensa Spatia complectens.* Ibidem, Cap. XLV. post relatos ad Suevorum Gentem Suiones, de Fennis ad Oceanum Septentrionalem postremis: *Peucinorum, Venedorumque & FENNORUM Nationes GERMANIS an SARMATIS adscribam, dubito.* Pomponius Mela Lib. III. Cap. III: de Rheno locutus: *GERMANIA hinc Ripis ejus usque ad Alpes, à Meridie ab ipsis Alpibus: ab Oriente SARMATICARUM Confinio Gentium: qua Septentrionem spectat, Oceani Litore obducta est.* Claudius Ptolemæus in Geographia Lib. II. Cap. XI: Τῆς Γερμανίας τὴν μὲν δυσμικὴν πλευρὰν, ἀφορίζει ὁ Ῥῆνος ποταμός. Τὴν δὲ ἀρκτικὴν, ὁ Γερμανικὸς Ὠκεανός. *GERMANIÆ Occidentale Latus terminat RHENUS Amnis: Septentrionale verò Germanicus Oceanus.* Ibidem post quædam: Τὴν δὲ μεσημβρινὴν πλευρὰν ὁρίζει τὸ Δανουβίου ποταμοῦ τὸ δυσμικὸν μέρος. *Meridionale autem Latus finit DANUBII Fluvii Pars occidentalis.* Iterum post quædam: Τὴν δὲ ἀνατολικὴν πλευρὰν ὁρίζει ἡ ἀπὸ τῆς ἐρημένης ἐπιστροφῆς τὰ ὑπερκείμενα σαρματικὰ ὄρη διάστασις. *Orientale autem Latus terminat Distantia, à dicto Flexu, ad imminentes SARMATICOS Montes.* Ibidem mox: Καὶ ἡ μετὰ τὰ ὄρη ἐπὶ τὴν ἐρημένην κεφαλὴν τοῦ Οὐιστύλα ποταμοῦ. καὶ ἐπ αὐτὸς ὁ ποταμος, ἕως θαλάσσης. *Preterea, Distantia, quæ est post Montes, ad dictum VISTULÆ Fluvii Fontem: atque hinc Flumen ipsum ad MARE usque.* Agathemerus in Geographia Lib. II. Cap. IV: Ὁρίζεται δὲ ἡ μὲν Γερμανία τῷ Ῥήνῳ ποταμῷ. *Terminatur autem GERMANIA Fluvio RHENO.* Ibidem, post quædam: Οὐ πρὸ πολλοῦ δὲ τῶν τοῦ Ῥήνου πηγῶν τὰς ἀρχὰς ἔχων ὁ Ἴστρος, ὃν μέχρις Οὐινδοβόνης πόλεως Δανούβιον καλοῦσιν, ὁρίζει τὴν Γερμανίαν πρὸς τὰ ὑποκείμενα ἔθνη. *Non autem longè à RHENI Fontibus Originem ducens Ister, quidum ad Urbem usque Vindobonam* [Viennam] *venit, DANUBIUS appellatus, terminat GERMANIAM à vicinis Gentibus.* Iterum post quædam: Τῆς Γερμανίας μετὰ τὸν Οὐιστύλαν ποταμὸν ἔχεται ἡ Σαρματία ἀναλαμβάνουσα πολλὴν γῆν καὶ πολλὰ ἔθνη. *GERMANIAM excipit statim trans VISTULAM Fluvium SARMATIA, multas Terras & Gentes complexa.*

II.

II. *SUEVORUM intra GERMANIAM Sedes.*

In hoc Terrarum Germanicarum Tractu Germanicus Populus Suevi Sedem habebant: etiamnum, quanquam multis Partibus angustiorem, habentes. Nam olim cæteris Germanis, & Numero, & Potentiâ prævalentes, potiorem possidebant Germaniæ Partem. Iulius Cæsar de Bello Gallico, Lib. IV. Cap. I: *SUEVORUM Gens est longè maxima & bellicosissima GERMANORUM omnium. Ii centum Pagos habere dicuntur: ex quibus quotannis singula millia armatorum, bellandi Causa, suis ex Finibus educunt.* Strabo in Geographia Lib. IV: de Rheno: interprete Guilielmo Xylandro: *Supra totum hanc Ripam SUEVI Natio GERMANICA, reliquis Numerò & Potentiâ superiores: à quibus alii pulsi in Regionem interiorem RHENO nunc confugerunt: Sed & aliis in Locis alit dominantur, Bellique Seminaria excipiunt, prioribus subinde debellatis.* Lib. VII: de Germanis, eodem Interprete: *Maxima quidem est SUEVORUM Natio. Nam à Rheno ad Albin usque pertingit, & trans Albin habitant Pars eorum, ut Hermunduri & Longobardi, atque nunc quidem hi Fugâ factâ omnino in ulteriorem Regionem se contulerunt.* Tacitus de Germania, Cap. XXXVIII: *Nunc de SUEVIS dicendum est: quorum non una, ut Cattorum Tencterumque Gens: majorem enim GERMANIÆ Partem obtinent, propriis adhuc Nationibus Nominibusque discreti: quanquam in commune SUEVI vocentur.* Paulus Orosius Lib. I. Cap. II: *Deinde GERMANIA est, ubi plurimam Partem SUEVI tenent: quorum omnium Gentes sunt LIV.* Eadem in Æthici Cosmographia reperiuntur.

IV. Nationum Suevicarum intra Germaniam fuerunt, quædam *ad Occidentem:* quædam *ad Meridiem:* quædam *ad Orientem:* quædam *ad Septentrionem.* Eas proferemus, quemadmodum Tacitus, olim Germaniæ propinquus, quem Gallia Belgica, id est, Germania Cisrhenana, intra Galliam, à Germanicis Populis habitata Præfectum habuit, (ut de Romanarum Rerum Scriptoribus Lib. II. Parte II. Cap. XIV. ostendimus) indicat.

V. SUEVI *ad Occidentem* à RHENO fuerunt. (I) SEMNONES. (II) LANGOBARDI. (III) REUDINGI. (IV) AVIONES. (V) ANGLI. (VI) VARINI. (VII) EUDOSES. (VIII) SUARDONES. (IX) NUITHONES. Tacitus de Germania, Cap. XXXIX. §. I: *Vetustissimos se nobilissimosque Suevorum SEMNONES memorant.* Ibidem §. V: *Adjecit Auctoritatem For-*

tuna SEMNONUM. Centum Pagis habitantur: magnôque Corpore efficitur, ut se Suevorum Caput credant. Contra, LONGOBARDOS Paucitas nobilitat, quod plurimis ac valentissimis Nationibus cinctì, non per Obsequium, sed Præliis & periclitando tuti sunt. REUDINGI deinde & AVIONES, & ANGLI, & VARINI, & EUDOSES, & SUARDONES, & NUITHONES Fluminibus aut Silvis muniuntur. Cap. XLI. §. I. *Et hæc quidem Pars SUEVORUM in secretiora GERMANIÆ porrigitur. Propior (ut, quô Modò paulò ante RHENUM, sic nunc DANUBIUM sequar) Hermundurorum Civitas.*

VI. SUEVI *ad Meridiem* à Danubio fuerunt: (I) HERMUNDURI. (II) NARISCI. (III) MARCOMANNI. (IV) QUADI. Tacitus de Germania, Cap. XLI. post ea, quæ in medium attulimus, §. III: *In HERMUNDURIS Albis oritur, Flumen inclutum & notum olim: nunc tantum auditur. Iuxta Hermunduros NARISCI, ac deinde MARCOMANNI & QUADI agunt.*

VII. SUEVI *ad Orientem*, Sarmatis proximi, fuerunt: (I) MARSIGNI. (II) GOTHINI. (III) OSI. (IV) BURII. (V) LYGII. Tacitus de Germania Cap. XLIII: *Nec minus valent retro MARSIGNI, GOTHINI, OSI, BURII: Terga MARCOMANNORUM QUADORUMque claudunt. E quibus MARSIGNI & BURII Sermone Cultuque Suevos referunt. GOTHINOS Gallica, OSOS Pannonica Lingua coarguit, non esse Germanos: & quod Tributa patiuntur. Partem Tributorum SARMATÆ, Partem QUADI, ut Alienigenis, imponunt.*

VIII. Inter hos Suevos LYGII tam copiosi fuerunt, ut eorum Gentes exstiterint: (I) ARII. (II) HELVECONES. (III) MANIMI. (IV) ELYSII. (V) NAHARVALI. Tacitus de Germania, Cap. XLIII. post recensitos Marsignos, Gothinos, Burios: *Omnesque hi Populi pauca campestrium, cæterum Saltus & Vertices insederunt. Dirimit enim scinditque Sueviam continuum Montium jugum, ultra quod plurimæ Gentes agunt. Ex quibus latissimè patet LYGIORUM Nomen in plures Civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, ARIOS, HELVECONAS, MANIMOS, ELYSIOS, NAHARVALOS.*

IX. SUEVI *ad Septentrionem*, quorum Finis Oceanus Glacialis exstitit, fuerunt: (I) GOTHONES. (II) RUGII. (III) LEMOVII. (IV) SUIONES. (V) SITONES. Tacitus de Germania, Cap. XLIII. §. VII. & VIII: *Trans Lygios GOTHONES regnantur,*

tur, paulò jam adductius, quam cæteræ Germanorum Gentes: nondum tamen supra Libertatem. Protinus deinde ab Oceano RUGII & LEMOVII. Cap. XLIV. §. I: *SUIONUM hinc Civitates ipso in Oceano; præter Viros Armaque, Classibus valent.* Cap. XLV. §. I: *Trans Suionas aliud Mare, pigrum ac prope immotum, quô cingi claudique Terrarum Orbem hinc Fides.* Ibidem, §. XI: *Suionibus SITONUM Gentes continuantur. Cætera similes, unô differunt, quod Fœmina dominatur: in tantum, non modo à Libertate, sed etiam à Servitute degenerant. Hic SUEVIÆ Finis.* Hos veteris Sueviæ Fines Baptista Mantuanus paucissimis complexus repræsentat in Carmine, quod ad Regem Romanum scripsit, Versu 67:

-- Amplissima cerne
Regna SUEVORUM, quæ VISTULA claudit & ingens
OCEANUS, Vada DANUBII. —

X. Iam, cum adeo magna GERMANIÆ Pars SUEVIA fuerit: cujus Partem SILESII etiamnum possident: in Germanis SUEVOS pro Silesiorum Majoribus habendos esse quis non videt?

CAPUT VII.

An Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Suevos SEMNONIBUS?

I.

SUnt, qui *Semnones*, unâ Literâ omissâ, cum *Senonibus* confundunt. Inter hos Philippus Melanchthon, Ioachimus Curæus, Fridericus Sylburgius, Iustus Lipsius, Ianus Gruterus, Iacobus Schickfusius: de quibus videatur §. V. & IX.

II. *Senones* quidem, prius *Italiæ*, post *Galliæ* Populus, Romam & ceperunt, & incenderunt. Polybius Lib. II. Cap. XIX: Interprete Isaaco Casaubono: *Indignissimè Facinus illud tulere Romani: ac statim ducto in Hostes Exercitu, cum Gallis Senonibus obviam prodire jussis, Manum conserunt.* Strabo Lib. V: de Pado, Italiæ Fluvio: Interprete Guilielmo Xylandro: *Circa Fluvium autem illum quondam, ut dixi, Galli habitabant plurimi: quorum maximæ Gentes Boji & Insubres, &, qui Romam aliquando subitâ Incursione ceperunt, Senones.* Tacitus in Annalibus Lib. XV. Cap. XLI: *Fuere, qui annotarent, XIIII. Kalendas Sextiles Principium Incen-*

Incendii hujus ortum, quò & Senones captam Urbem inflammaverunt. Statius Lib. V, Silva III. v. 197:

--- Sacrilegis lucent Capitolia Flammis
Et Senonum Furias Latiæ sensêre Cohortes.

III. *Semnones* autem in *Germanis Suevos* fuisse constat. Strabo Lib. VII. de Maroboduo, Marcomannorum Rege: quem Imperio suo adjecisse narrat. Καὶ τῶν Σεήυων αὐτῶν μέγα ἔθνος Σέμνωνας. *Etiam Suevorum magnam Gentem Semnones.* Tacitus in Annalibus L. II. Cap. XLV: *Non modo Cherusci Sociique eorum, vetus Arminii Miles, sumsere Bellum: Sed è Regno etiam Marobodui Suevæ Gentes Semnones ac Longobardi defecere ad eum.*

IV. Iidem Semnones in Suevis centum Pagos, id est, Regiones possederunt. Tacitus in Germania Cap. XXXIX. §. I: *Vetustissimos se nobilissimosque Suevorum Semnones memorant.* Ibidem §. V: *Adjicit Auctoritatem Fortuna Semnonum. Centum Pagis habitantur: magnoque Corpore efficitur, ut se Suevorum Caput credant.*

V. Sedes intra Sueviam Semnonibus fuit trans Albim, in Orientem versus, usque ad Suevum Amnem. Vellejus Paterculus Lib. II. Cap. CVI. §. I: *Perlustrata Armis tota Germania est.* Ibidem post quædam, §. II: *Fratri Langobardi, Gens etiam Germana Feritate ferocior. Denique, quod nunquam antea Spe conceptum, nedum Opere tentatum erat, ad quadringentesimum Milliarium, à Rheno usque ad Albim, qui SEMNONUM* (ita rectius Ausonius Popma & Ioannes Henricus Bœclerus, quam *Senonum*, Fridericus Sylburgius, Iustus Lipsius & Ianus Gruterus, edidit) *Hermunduorumque Fines prætersluit, Romanis cum Signis perductus Exercitus.* Claudius Ptolemæus in Geographia Lib. II. Cap. XI: Interprete Bilibaldo Pirckheimero: *Interiores autem atque mediterraneæ Gentes maximæ sunt Suevi Angili, qui magis Orientales sunt, quam Langobardi, protensi ad Septentrionem, usque ad Medium Albis Fluvii. Tum Suevi SEMNONES, qui habitant post Albim à præfata Parte, versus Ortum, usque ad Suevum Fluvium.* Hinc, ut vera Semnonibus Sedes constitui possit, oritur Quæstio, quisnam sit Fluvius *Suevus?*

VI. Quibusdam *Suevus* creditur esse *Viadrus:* intra Moravorum Limites, Silesiis proximos, ad Oderam Vicum ortus, Silesiam universam percurrens, in Marchia Francofurtum, in Pomerania Stetinum prætersluens, per Sinum magnum in Oceanum Balthicum defluens. Conradus Celtes **de Hercynia Silva:** *Est Silva in Europa, qua in Boream spectat, quæ se Rheni,*

ni, Danubii, Albis, Visurgi & Oderæ, quem Suevum & Guttulam à priscis vocatum reperio, Vistulique & aliorum inclytum Amnium Parentem jactat. Philippus Cluverius in antiqua Germania, Lib. III. Cap. XXV: *Ego facile inducere me siverim, uti illis assentiar, qui Suevum Amnem eundem esse Viadrum opinantur.* Eam Opinionem amplexus profitetur in veteris Sueviæ Tabula, his Fluvio Suevo adscriptis Verbis: *Suevus Amnis, qui & Iader sive Viader & Guttalus.* Et in Geographia Lib. III. Cap. V: *Viadrus, antea Suevus & Plinio Guttalus dictus, vulgo nunc die Oder.*

VII. Aliis verò *Suevus* censetur esse *Spreva:* in Bohemiæ Finibus prosiliens, in Lusatia Budissinam, in Marchia Berolinum præterlapsus, in Havelam decurrens: cum quô Albim ingresso, utriusque mixtus Aquis, Hamburgum delatus, in Germanicum diffunditur Oceanum. Andreas Althamerus in Scholiis ad Taciti Germaniam, Cap. II: *Suevus Fluvius dicebatur priscis, qui postea Sprevus Barbaris cæpit dici, apud Marcomannos die Spre: Berolinum & Coloniam dirimens: quanquam alii Oderam olim Suevum vocitatum contendant.* Iodocus Willichius in Commentariis ad Taciti Germaniam, Parte II. Cap. XXVIII: de Suevo: *Oritur hodie supra Budissam ad Austrum circiter duo Milliaria Germanica, eaque communia in Pago, cui & à Fonte Suevi Nomen inditum, & Spreunberg dictus est, quod Latinis est Mons Suevi. Germani autem ferè Suevum Sprevum corruptè nuncupant.* Ibidem post quædam: *Confluit Berlinum, ubi Coloniam & Berlinum disterminat, Arcemque magnificentissimè exstructam illustrissimi Marchionis Electoris nostri Sedem allabitur: illinc circiter duo Milliaria circa Arcem Spondaviensem in Habellam se se exonerat. Nomenque ejus intercidit.* Ioannes Antonius Maginus in Geographia, Cap. VII: *Odera vulgo Oder, Ortelio Viadus est, & Plinio Guttalus. Hunc Niger Suevum falsò vocat. Nam Suevus nunc Spre vel Spree dicitur: nec in Mari se se exonerat, sed in Fluvium Albim.*

VIII. Ex quibus colligas Viadrum à Suevo, id est, Spreva prorsus esse diversum Amnem. Hanc Sententiam confirmat Claudius Ptolemæus, cui *Suevus* & *Viadrus* duo Fluvii sunt, in Geographia Lib. II. Cap. XI: Σουΐβε ποταμῦ ἐκβολαί. Οὐιάδε [pro Οὐιάδες, *Viadi* pro *Viadri*] ποταμῦ ἐκβολαί. Οὐιςύλα ποταμῦ ἐκβολαί. *SUEVI Fluvii Ostia. VIADI Fluvii Ostia. Vistulæ Fluvii Ostia.* Ibidem post quædam: Μετὰ δὲ τὰς Σάξονας ἀπὸ τῦ Χαλέσε ποταμῦ, μέχρι τῦ Συήβον ποταμῦ Φαρόδηνοί. Ἔιτα Σιδηνοὶ μέχρι τῦ Ιαδούα [pro Οὐιάδε, *Iaduæ* pro *Viadi*] ποταμῦ. Καὶ ὑπ' αὐτὰς Ῥευΐκλειοι, μέχρι τῦ Οὐιςύλα ποταμῦ. *Post Saxones verò à Chalufo Fluvio usque ad SUE-*

WBP Opole

VUM Fluvium tenent Pharodeni. Post Sideni, usque ad VIADUM Fluvium. Sub ipsis Rutiolii, usque ad Vistulam Fluvium.

IX. Hoc Pacto fit, ut *Semnonibus*, trans Albim, ad SUEVUM, (quem alii Viadrum, alii Sprevam esse statuunt,) habitantibus, admodum dispares Germaniæ Partes pro Sedibus assignent: (I) *Pomeraniam:* Petrus Bertius in Notis ad Ptolemæi Lib. II. Cap. XI. Voces: *Suevi SEMNONES: Anglecm in Pomerania.* (II) *Marchiæ Brandenburgensis veteris Partem, ad Albis Ripam Orientalem:* Philippus Melanchthon in Oratione, quam de Misenorum Regione & Gente scripsit: *Ad Albim duæ celebratissimæ Gentes Sedes tenuerunt. In Ripa Occidentali fuerunt Longobardi, à Salinis ad Parthenopen, & ferè ad Brunsuigam usque. In Ripa Orientali SENONES fuerunt, ubi nunc vetus Marchia est.* Iodocus Willichius in Commentariis ad Taciti Germaniam, Parte II. Cap. XVII: *Sicut in Orientali Albis Ripa Suevi SEMNONES: ita in Occidentali Angrivarii & Longobardini.* Post quædam: *Eo autem loco est Episcopatus Havelsbergensis, Prignitium, quod sex Urbibus hodie constat, & quam Regiunculam Havellæ (Vulgo das Havelland) nuncupant, ubi & Rattenanum & Brandenburgum & quædam oppida visuntur, juxta cum Comitatu Rappinensi.* Ioachimus Curæus in Silesiæ Annalibus: *SENONES, qui tenuerunt eam Partem, ubi nunc sunt oppida veteris Marchiæ.* Ibidem, post quædam: *Post SENONES, id est, post Marchiam Brandenburgensem.* Eadem scribit Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico Lib. I. Cap. I. (III) *Marchiæ Brandenburgensis mediæ Partem, ad Albis Ripam Occidentalem, & in Archiepiscopatu* (hodie Ducatu) *Magdeburgensi Partem:* Georgius Fournierus in Geographia Lib. IV. Cap. V: de Albi: *Dexteramque ejus Ripam accolebant SEMNONES.* Ibidem post quædam: *A Bojohæmo secundum Albim usque ad Salæ Confluentem, centum Pagis habitarunt SEMNONES: quibus contermini fuerunt Longobardi.* Paucis interjectis: *Horum nunc Finibus continentur Marchia Brandenburgensis media, & Madoburgensis Episcopatus Pars.*

X. *Aliam*, eamque multò ampliorem *Sedem*, Marchiæ Brandenburgensis novæ Partem Sternbergensem, Francofurtanam, Briezensem: Anhaltinum Principatum: Saxoniæ superioris & Misniæ Partes: Lusatiam: SILESIORUM Ducatum Crosnensem, Glogaviensem, Saganensem: Poloniæ minoris Partem, Semnonibus attribuit Philippus Cluverius in Geographia Lib. III. Cap. III: de Suevis: *Eorum antiquissimi nobilissimique SEMNONES fuere, utramque latè accolentes Ripam Vtadri, qui Amnis antea Suevus dictus.* Et in antiqua Germania Lib. III. Cap. XXV: *Continentur igitur nunc universis SEMNONUM Finibus Regiones istæ: Poloniæ minoris Pars, inter Vartam & Viadrum: atque in eâ Urbs magnifica Posenanium: Ducatus Crossinensis: Regio Sternbergensis. Silesiæ Pars, qua Oppida celebria Glogaw, Sagan, Sprottaw, Sonaw, Lusatia: Marchiæ Brandenburgensis Portiunculæ, qua Oppida Francford & Trewen Breezen: Anhaltini Principatus: Saxoniæ item Superioris & Misniæ Partes trans Albim.*

XI. Nos igitur in Suevis eminentes *Semnones*, trans Albim, ad *Suevum*, id est, non *Viadrum*, sed *Spream*, [quem pro Silesiorum, nec veterum, nec hodiernorum Fluvio agnoscimus] extensos, cur pro Silesiæ Cultoribus, Silesiorumque Majoribus habeamus, non reperimus.

CAPUT VIII.

An Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Suevos MARSIGNIS.

I.

Marsignos & *Marovingos*, quos alii *Marvingos*, alii corruptius *Marungos* appellant, eosdem putat Petrus Montanus in Notis ad Ptolemæi Geographiam, Lib. II. Cap. XI. Diversos à Marsignis Marovingos censet Iodocus Willichius in Commentariis ad Taciti Germaniam, Parte II. Cap. XXII.

II. *Marsigni* fuerunt in *Germanis Suevi*, Marcomannis Quadisque vicini. Tacitus in Germania Cap. XLIII: *Nec minus valent retro MARSIGNI, Gothini, Osi, Burii: Terga Marcomannorum Quadorumque claudunt. E quibus MARSIGNI & Burii Sermone Cultuque Suevos referunt.*

III. Sunt, qui *Marcomannos* pro *Moravis*, & *Quados* pro *Silesiis* habent. Ii reperiunt, cur Moravis Silesiisque propinquos, non autem, cur Moravos Silesiosque statuant Marsignos. Tamen eos ad Silesiam refert Andreas Althamerus in Scholiis ad Taciti Germaniam, Cap. XLIII: *Marsignos atque Gothinos, Suevas Gentes, Marcomannis Quadisque vicinas, à Tergo ipsorum, similiter Moraviæ atque Sleſiæ Regiones incoluisse, ex hoc Textu colligitur.* Iolephus Moletius in Notis ad Claudii Ptolemæi Geographiam, Lib. II. Cap. XI. de Marovingis: *Schlesia Regio, Poloniæ vicina, & Vratislavia.* Matthias Quadus in Geographia Lib. IV. Cap. VII: *Marsigni Sue-*

vorum quoque Populi indubie hunc Silesitarum Tractum tenuere, prope Nissam Urbem, ubi à Ptolemæo Maruinges Curionesque locantur.

IV. Alii vero *Marcomannos* pro *Bohemis*, & *Quados* pro *Moravis* habent. Inter hos Philippus Cluverius *Marsignos* in Silesiæ Superioris quidem Ducatum Grotkovienſem, cujus Urbs Niſſa eſt: Inferioris autem Ducatum Monſterbergicum: Bregenſem, cujus Urbs Olavia eſt: Suidnicenſem, cujus Urbs Strigovia eſt: Lignicenſem: Vratislavienſem: & Comitatum Glacenſem, traducit, in antiqua Germania Lib. III. Cap. XXXII: de Marſignis locutus: *Continentur*, inquiens, *hodie his Finibus celeberrima totius Sileſiæ Pars, qua Oppida nobiliſſima Neiſſe, Munſterberg, Grotka, Brige, Olau, Sweinitz, Strige, Lignitz, & ipſum totius Sileſiæ Caput Breslaw: prætereaque Comitatus Glacenſis.*

V. Hæc, partim nullis, partim ruinoſis ſuperſtructa Fundamentis, perſuadere nobis [Marcomannos quidem non Bohemos, ſed Moravos: Quados autem non Moravos, ſed Sileſios ſtatuentibus] nondum poſſunt, ut intra Sueviam veterem *Marſignos* in antiquis Sileſiæ Poſſeſſoribus, Sileſiorumque Majoribus reponamus.

CAPUT IX.

An Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Suevos SIDONIBUS, COGNIS, VISBURGIIS.

I.

SIdones, Cognos, Visburgios in Germaniæ Populis Suevos, Lutis Buris, circa Flumen Viſtulam habitantibus, proximos indicat Claudius Ptolemæus in Geographia Lib. II. Cap. XI: Λοῦτοι, οἱ Βοῦροι, μέχρι τοῦ Οὐιστούλα ποταμοῦ. Ὑπὸ δὲ τούτους, πρῶτοι Σίδωνες. Εἶτα κόγνοι. Εἶτα Οὐισβούργιοι, ὑπὲρ τὸν Ὁρκύνιον δρυμόν. *Luti dicti Buri usque ad Viſtulam Flumen. Sub iis vero primi ſunt Sidones: poſt Cogni: poſt Visburgii, ſupra Hercyniam Sylvam.*

II. Ea vero Sueviæ Pars, quam de noſtrâ Sententiâ (mox confirmandâ) vereres Sileſii, Quadi Lygiique coluerunt, ad Orientem habuit pro Limite Viſtulam, in Sileſiorum Teſchinenſibus Agris profilientem, Germanos à Sarmatis (quorum illis ſiniſtra, his dextera Ripa fuit propria) ſeparantem. Ideo ſunt, quibus *Sidones*, *Cogni*, *Visburgii* pro *Sileſiis* habentur.

III. *Sidones* pro Sileſiis *Oppolienſibus*: & *Cognos* pro Sileſiis *Teſchinenſibus* habet Ioſephus Moletius in Notis ad Claudii Ptolemæi Locum §. I. indicatum: ubi tamen Visburgios, quos ad Moraviam refert, pro Sileſiis non declarat. Hoc Visburgiis à Moletio denegatum Suffragium addit Caſpar Iongelinus in Ordinis Ciſtercienſis Abbatiarum Notitia, Lib. IV. *Sileſiam porro Visburgii & Quadi olim tenuerunt.*

IV. At enim, quanquam Lygia, veteris Sileſiæ Pars Orientalis, pro Termino ſuo Viſtulam tenuit: non tamen ideo ad Viſtulæ Ripam Sinistram, à Fontibus ad Oſtia, id eſt, à Teſchinenſibus ad Pomeranos, ipſumque Balthicum Oceanum habitantes Populos Germanos omnes pro Sileſiis agnoſcere poſſumus. Quare *Sidones*, *Cognos*, *Visburgios*, cum non ſatis conſtet, quam in Sedem ad Viſtulam referre par ſit, pro antiquis, neque *Sileſiis*, neque Sileſiorum Majoribus admittere ſuſtinemus.

CAPUT X.

Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Suevos LYGIIS.

I.

UT in Germanis Suevi, ſic in Suevis Lygii ob Nationum Terrarumque Copiam eminuerunt. Strabo in Geographia, Lib. VII. ubi λυγίους *Lugios* nominandos, appellat λοῦους *Lujos*: de Marcomannorum Rege Maroboduo: Καὶ κατεκτήσατο πρὸς οἷς ἦν λοῦους, τὸ μέγα ἔθνος. *Et ſubjecit ſibi, præter Marcomannos, Lujos, magnam Gentem.* Cujus in præcipuis quinque Nationes, Arios, Helvecones, Manimos, Elyſios, Naharvalos Tacitus in Germania recenſet, Cap. XLIII. de Suevis: *Ex quibus latiſſimè patet LYGIORUM Nomen in plures Civitates diffuſum. Valentiſſimas nominaſſe ſufficiet, Arios, Helveconas, Manimos, Elyſios, Naharvalos.* Iisdem Lygiis Claudius Ptolemæus Lygios [quos λοῦτους *Lutos* vocat] *Burios, Omanes, Didunos* addit in Geographia Lib. II. Cap. XI. De quibus deinde ſingulis agemus.

LYGIORUM peculiaris Origo.

II. Sunt, qui remotioribus ex Initiis Originem Lygiorum derivant: quos, non sub communi, vel inter Noachides Iapheticorum, vel inter Iapheticos Celtarum, vel inter Celtas Germanorum: sed sub propriô Lygiorum Vocabulô, antiquissimis Temporibus ex Asia in Europam, & in eâ per varias Terras in Germaniam, ipsamque Silesiam digressos credunt.

III. His, ut Fidem concilient, in Testem adducunt Stephanum Byzantium, Lygios in Asiæ minoris Provincia Cilicia, ex Tarso, Pauli Patria, in Italiam versus, ad Maris Gallici Littus, esse profectos: unde provenerint in Germaniam, ejusque Provinciam Silesiam. Ita sentit Ioachimus Curæus in Silesiæ Annalibus: *Eâdem Ætate* [quâ Iones, minoris Asiæ Populus, transierunt in Europam] *Teste Stephano, ex Tarso, Urbe & Portu Ciliciæ, magni Cœtus ex iisdem nostris Lygiis, secuti Iones, Litora Maris Gallici versus compleverunt, & tam Regioni, quam Mari suum Nomen indiderunt.* Consentiunt, Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico Lib. I. Cap. III. Fridericus Lucæ in Silesiæ Memorabilibus Parte I. Cap. II. §. III.

IV. Ea vero Sententia Dubiis obnoxia deprehenditur. Nam primum Asiatici nominantur LIGYI, Europæi autem, de quibus agimus, Germani vocantur LYGII. Sed, quoniam Literarum Trajectio in Nominibus, præsertim propriis, frequens invenitur, non hæc obstabit Ratio, quô minus Asiatici Ligyi postea Europæi Germani Silesiique Lygii evadere potuerint. Videantur, quæ diximus in Libro de Silesiorum Nominibus Cap. IX. §. 3.

V. Præterea Stephanus Byzantius in Opere, quod de Urbibus & Populis scripsit, hæc quidem profert: Λιγυστίνη, πόλις λιγύων, τῆς δυτικῆς Ἰβερίας ἐγγὺς, καὶ τῆς Ταρσοῦ πλησίον. *Ligystine, Urbs Ligyorum, prope Occidentalem Iberiam, & juxta Tarsum. Incolæ Ligyi vocantur.* Verum ex his, nec in Cilicum Provincia, nec ad Urbem Cilicum primariam, Tarsum, exstitisse: adeo non inde progressos in Europam Ligyos, recte colligas.

VI. Nam Ligystine Ligyorum Urbs sita fuit ad Occidentalem Iberiam: cui Orientalis Iberia opponitur. Iberia vero, quemadmodum Orientalis [seu, ut Stephanus tradit, Persis: seu, ut Ptolemæus in Geographia Lib. V. Cap. XI. refert, Colchicis propinqua censeatur) est Asiatica: sic Occidentalis, per quam Hispania [tum aliis, tum Horatio Lib. III. Carminum, Oda XIV. Versu 50] intelligitur, est Europæa. Quis autem Tarsum in Europa, vel in Hispaniâ vel ad Hispaniam reperit? Quare pro: Τῆς Ταρσοῦ πλησίον, *prope Tarsum*, in Stephano legendum: Τῆς Ταρτησσοῦ, *prope Tartessum:* ut in Notis ad hunc Stephani Locum Thomas Pinedus monet. Tartessus enim Urbs Iberiæ, id est, Hispaniæ à Fluvio Tartesso dicta, qui postea Bœtis vocatus est: sicut etiamnum vocatur. Id confirmant, Strabo Lib. III. Pausanias Lib. VI. Plinius Lib. III. Cap. I. Ioannes Gerundensis Episcopus in Hispaniæ Paralipomenis, Lib. I. Cap. XIX. Ludovicus Nonius in Hispania, Cap. XII. Non igitur ex Asiæ vel Cilicia, vel Tarso Ligyi provenerunt in Europam, Germaniam, Silesiam.

VII. Cæterum Λιγύων, *Ligyorum* Iberorum, qui Sicanos, γένος Ἰβερικὸν, *Genus Ibericum*, id est, Gentem Hispanam, ut Æmilius Portus: *Genus Hispanum*, ut Sigismundus Gelenius interpretatur, ad Sicanum intra Occidentalem Iberiam Flumen hærentes, Sede suâ depulerint, & in Siciliam, ideo Sicaniam dictam, transire coëgerint, Mentionem facit Thucydides Lib. VI. Cap. I. & Dionysius Halicarnassensis de Romanis Antiquitatibus, Lib. I. Cap XXII.

VIII. Sed tamen *Lygios in Asia* fuisse, non diffitemur. Nam erant in Asiatico Xerxis Persarum Regis Exercitu. Herodotus Lib. VII. Cap. LXXII: Λίγυες καὶ Ματιηνοὶ, καὶ Μαριανδυνοί τε καὶ Σύριοι, τὴν αὐτὴν ἔχοντες παφλαγόσι, ἐσηλέυοντο. Οἱ δὲ Σύριοι οὗτοι ὑπὸ Περσέων Καππαδόκαι καλέονται. Παφλαγόνων μέντην καὶ Ματιηνῶν δῶτος ὁ Μεγασίδρη ἦρχε. Μαριανδυνῶν δὲ καὶ Λιγύων, καὶ Σύρων, Γωβρύης ὁ Δαρείου τε καὶ Ἀρτυστώνης. *Ligyi & Matinni, & Mariandyni, & Syri, eadem, quæ Paphlagones Arma gestabant. Isti autem Syri à Persis Cappadoces vocantur. Paphlagonum & Matinnorum Dux erat Dotus Megasidis Filius: Mariandynorum & Ligyorum & Syrorum Gobryas Darii Filius & Artistonæ.*

IX. Concedimus etiam, quosdam *Ligyos* Colchicis propinquos in *Europam* digressos, invenisse passim Sedem. Eustathius ad Dionysii Geographiam, Versum 76: Ἰσέον δ' ὅτι ἐοίκασι καὶ κολχικοί τινες Λίγυες εἶται ἄποικοι τῶν Εὐρωπαίων. *Cæterum intelligas, Colchicos quosdam Ligyos esse Colonos Europæorum.* Hos Ligyos Ioachimus Curæus respicere videtur in Silesiæ Annalibus, cum de Herodoto scribit: *Inter Paphlagones vero, versus Colchidem, statuit Lygios, qui meo Iudicio sunt Silesii veteres.*

X. Certe fuerunt, & in *Italia*, & in *Gallia Ligyi*. De quibus Dionysius Halicarnassensis in Romanis Antiquitatibus Lib. I. Cap. X. Οἱ γὰρ Λίγυες οἰκοῦσι μὲν καὶ τῆς Ἰταλίας πολλαχῆ, νέμονται δὲ τινα καὶ Κελ-

Κελτικῆς. Ὁποῖέρα δ' αὐτοῖς ἐστι γῆ παλῃς, ἄδηλον. *Ligyi enim Partes Italiæ multas, etiam Galliæ quasdam habitant. Ultra vero sit eorum Patria, incertum est.*

XI. De *Ligyis Italis*, quos Tyrrheni propinquos habuerunt, Eustathius ad Dionysii Versum 76: Οἱ μέντοι παρὰ Τυρσηνοῖς Λίγυες ἀπό τινος ποταμοῦ Λίγυος ὀνομάζονται. *Ligyi autem Tyrrhenis vicini à Ligye quodam Fluvio dicuntur.* Dionysius Halicarnassensis Lib. I. Cap. XLI. de Italiæ Populis: Λιγύων γένος πολὺ καὶ μάχιμον ἐπὶ ταῖς παρόδοις τῶν Ἀλπίων ὀρῶν ἱδρυμένον. *Ligyorum Gens magna & bellicosa in Transitu Alpium sedens.* Strabo in Geographia Lib. IV: Ἄρχονται μὲν οὖν αἱ Ἄλπεις οὐκ ἀπὸ Μονοίκου λιμένος, ὡς εἰρήκασί τινες, ἀλλ' ἀπὸ τῶν αὐτῶν χωρίων ἀφ' ὧνπερ καὶ τὰ Ἀπέννινα ὄρη κατ' ὀλίγον ἐμπορεῖον Λιγύων. *Ordiuntur Alpes, non à Monœci Portu, ut quidam tradiderunt, sed ab iisdem Locis, à quibus etiam Apenninus Mons juxta Genuam Emporium Ligyorum.*

XII. De *Ligyis Gallis*, quorum Civitas Massilia fuit, Eustathius ad Dionysii Versum 76: Ἔστι δὲ ὃ μόνον χώρα Μασσαλία, ἀλλὰ καὶ πόλις Λιγύων περί πῃ τὴν Κελτικήν. *Est vero Massilia non solum Regio, sed etiam Civitas Ligyorum, juxta Celticam.* Ibidem, post quædam: Ὅτι μετὰ τοὺς Μασσαλιώτας οἱ Λίγυες, ὃς Λιγυστίνους ὁ Λυκόφρων καλεῖ. *Post Massalienses Ligyi, quos Ligustinos Lycophron vocat.* Aristoteles in Libro de mirabilibus Auscultationibus: Θαῦμα δὲ καὶ τοῦτο παρὰ τοῖς Λίγυσι. *Admiratione autem & hoc dignum est apud Ligyos.*

XIII. Inde conjicias, quemadmodum in veteris Germaniæ Sueviam & Gothini ex Gallia, & Osi ex Pannonia transierunt: ut Tacitus in Germaniâ Cap. XLIII. narrat: ita in veteris Sueviæ Lygiam, id est, Silesiam, vel ex Italia, vel ex Gallia digressos fuisse Ligyos.

XIV. Sed non est, ut aliquod in eâ Conjecturâ Momentum ponas. Illi enim Λίγυες, de quibus Autores citati loquuntur, nunquam Λύγιοι, *Lygii*, quod sciam, sæpius vero aut *Ligyi*, aut *Ligyes*, aut *Ligures* ab Interpretibus Latinis nominantur. *Ligyos* vocat Anonymus in Aristotelis Auscultationibus mirabilibus. *Ligyes* appellat Laurentius Valla in Herodoti Lib. I. Cap. LXXII. & in Thucydidis Lib VI. Cap. I. *Ligures* autem nominat Georgius Acacius Enenckelius in Thucydidis Lib. VI. Cap. I. Æmilius Portus & Sigismundus Gelenius in Dionysii Halicarnassensis Antiquitatibus Lib. I. Cap. X. & XLI. Guilielmus Xylander in Strabonis Lib. IV. Thomas Pinedus in Stephano Byzantio de Ligustine. Bernardus Bertrandus in Eustathio ad Dionysii Alexandrini Versum 76. Quorum Interpretationem confirmat, quod Italorum antiqua Gens, Græcis Λίγυες, Romanis *Ligures* audiant: quemadmodum eos Livius Lib. V. Cap. XXXV. & Florus Lib. II. Cap. III. usurpat.

XV. Sed fac eos, qui Græcis Λίγυες dicuntur, à Latinis & *Ligyos & Lygios*, vel dictos esse, vel potuisse dici: fac etiam Ligyorum Nomen omnino respondere Nomini, quod antiqua Lygiorum intra Germaniæ Sueviam Gens habuit: quoniam nihil obstat, quò minus Græcis Λίγυς & Λίγυες, Latinis *Ligur* & *Ligures*, Germanis *Ligyr*, *Lyger*, *Ligyer*, *Lygier* dicantur. Tamen ea Sententia, quò firmetur, non habet solidum Fundamentum. Non enim sola Vocabulorum Similitudo certam Populorum vel Originem, vel Cognationem indicat.

XVI. Nos igitur, & idoneis Testimoniis, & justis Argumentis carentes, Scriptoribus §. II. laudatis, Majores Silesiorum Lygios ex Asia in Europam profectos, prius vel Italiam, vel Galliam, postea Germaniam nostramque Silesiam ingressos statuentibus subscribere non sustinemus.

XVII. Ideo tamen non negamus, Silesiorum Majores *Lygios*, inter Iapheti Posteros ex Asia in Europam, licet sub alio, quam Lygiorum Nomine, digressos. Hoc enim tandem in Germanis Suevorum Populus, ex patriò, id est, Germanico, non peregrino Sermone videntur accepisse: *Vandalis*, hoc est, quia Sedem suam crebro mutaverunt, *Ambulantibus*, oppositi: propterea, quoniam in Sede sua constanter manserunt, *Lygii*, hoc est, *Lacentes* nominati. De quâ Lygiorum Nominis Origine diximus in Libro de Silesiorum Nominibus, Cap. IX. §. 9.

LYGIORUM intra SUEVIAM Sedes.

XVIII. Demonstrandæ Lygiorum intra Veterem Sueviam Sedi ponimus hoc Fundamentum. Temporibus antiquissimis, certe post Christum natum Sæculo Primo [sub cujus Exitum Tacitus, ut Lib. I. de Romanarum Rerum Scriptoribus, Parte I. Cap. XIV. §. IV. ostendimus, vixit] intra Sueviam, Germanicarum Terrarum amplissimam, post Marcomannorum & Quadorum, id est, [quod deinde confirmabimus Cap. XI.] Moravorum & superiorum Silesiorum Terga Sedem Marsigni, Gothini, Osi, Burii tenebant. Ultra Montes autem, qui Sueviam dividebant, habitaverunt LYGII. Tacitus de Germania, Cap. XLIII. §. I: *Nec minus valent retro Marsigni, Gothini, Osi, Burii: Terga Marcomannorum Quadorumque claudunt.* Ibidem § III. *Omnesque hi Populi pauca Campestrium, cæterum Saltus & Vertices*

tices Montium Iugumque insederunt. Dirimit enim scinditque SUEVIAM continuum Montium Iugum: ultra quod plurimæ Gentes agunt. Ex quibus latissime patet LYGIORUM Nomen in plures Civitates divisum. Hi Suevorum Montes, ut dissimillimis attribuuntur Locis, sic diversam LYGIIS efficiunt Patriam. De quâ tres invenimus Sententias.

XIX. Prima Sententia eorum est, qui veteris Sueviæ *Montes* illos, ultra quos *Lygii* habitaverunt, *Asciburgicos* esse credunt: quos, intra Poloniam, ad Vartæ Fluminis dexteram Ripam constituunt. Inter hos Philippus Cluverius in antiqua Germania Lib. III. Cap. XXXII: *Illud Montium Iugum*, ait, *quod Auctor* [Tacitus] *tradit, in Hungariæ hodie Poloniæque tac Silesiæ Confinio, à Sarmaticis, quos Ptolemæus appellat, Montibus* [*vulgo Accolis Polonis Tatary, Hungaris Szepesi, Germanis das Hungerisch Gebirge, id est, Iuga Hungarica*] *juxta Oppidum Twardoszyn, Initium ducit: continuóque Procursu ex Meridie in Septentriones versus sese extollens, primum ceu directa Linea propter Amnem Solam ad Oppidum usque Oswieczym, Vistulæ appositum, Silesiam à Polonia dirimit: inde per ipsam Poloniam, Vartæ Fluminis dexteram Ripam, ad usque Oppidum Klodawa, prosequens.* Huic consentit Christophorus Cellarius in antiquâ Geographiâ Lib. II. Cap. V. de Lygiis: *Hi quod latissimè patebant ultra Iuga Montium: non potest alia illorum Sedes & Regio fuisse, quàm quæ inter Asciburgios Montes & Vistulam, amplum Sinum Excursione in Ortum versus facientem, habetur: quo antea nominatæ obscuræ Nationes sub Lygiorum Nomine latentes, continebantur.*

XX. Hi penitus ex hodierna Silesia remotos Lygios adscribunt Polonis. Unde Philippus Cluverius in antiqua Germania Lib. III. Cap. XXXIII: *Omne Lygiorum Solum ultra Germanorum Nomen nunc Poloni colunt.*

XXI. Nos Philippi Cluverii, eique consentientium Placitis Calculum non addimus. Nam ille primum, sicut ex Marcomannia Quadiam, id est, ex Moravia Silesiam efficit: ita, cum à Moravia, tum à Silesiâ Populos separat, quorum alios in hac, alios in illâ Sedem habuisse, priscis è Monumentis constat. Id satis docent, partim, quæ jam de variis Gentibus, Cap. III. IV. VII. VIII. diximus: partim, quæ postea de Quadis Cap. XIV. proferemus.

XXII. Deinde Causas non affert, nisi meris Conjecturis, quas è Principiis falsis capit, Ortum debentes: cur Montes, ultra quos Lygii habitaverunt, ultra Vartam, intra Poloniam, pro Asciburgicis, non pro aliis, intra Silesiam, haberi debeant. Etenim continui Montes, de quibus Tacitus loquitur, dirimunt & scindunt Sueviam: ultra quos Gentes plurimæ vivunt: inter

inter has latissime patens Lygiorum Populus, in plures Civitates divisus. Hæc autem parum convenire videntur Asciburgicis Montibus, qui postremam eamque parvam Sueviæ magnæ Partem, ad dexteram Vartæ Ripam, non procul à Germaniæ totius Termino, Vistula Fluvio, Germanos à Sarmatis separante, scindunt, & à reliquo Sueviæ maximo Solo dirimunt. Certe, hoc exiguo Spatio, quod inter Montes Asciburgicos, ad Vartæ Ripam dexteram collocatos, & Vistulæ sinistram Ripam, totius Germaniæ Finem, reperitur, plurimas Gentes, tum alias, propius ad Septentrionem, ubi Oceanus Balthicus est, referendas, tum etiam latissime patentem, & in plures Civitates divisam, propius ad Meridiem, ubi Danubius est, transferendam, fuisse comprehensas, vero minus congruit. Quare, cum Silesiorum Terras Populis alienis repleviset, non invenit, ubi reponeret Lygiorum Gentes: quarum valentissimas, Arios, Helvecones, Manimos, Elysios, Naharvalos, itaque non omnes Tacitus in Germania Cap. XLIII. recenset: plures Ptolemæus in Geographia Lib. II. Cap. XL. commemorat. De quibus Philippus Cluverius in antiqua Germania Lib. III. Cap. XXXIII: *Singulis*, ait, *suas describere Sedes, haud meæ est Industriæ.*

XXIII. Secunda Sententia eorum est, qui veteris Sueviæ *Montes* illos, ultra quos *Lygii* habitaverunt, *Carpaticos* esse statuunt: ad quorum Radices Silesia, Polonis & Hungaris propinqua, Teschinensem Ducatum, in quo Vistulæ Caput est, extendit. Philippus Melanchthon in Regionum & Gentium Vocabulis ad Taciti Germaniam: de Gothinis: *Est autem Carpathus Mons, qui nunc Poloniam & Hungariam dirimit. Hunc olim vocabant Suevum Montem. Collocat autem* [Tacitus] *multas Gentes ad Carpathum, & in utraque Ripa Vistulæ, videlicet, quandam Suevorum Partem & LYGIOS.*

XXIV. Hujus Opinionis Sectatores, antiquam *Lygiorum* Germanorum Gentem alii pro *Austriacis*, alii pro *Hungaris*, alii pro *Silesiis* habent.

XXV. Pro *Austriacis* habet *Lygios* eorumque Nationem *Elysios*, Ioannes Franciscus Picus, Mirandulæ Dominus & Concordiæ Comes, in Carmine de Crucis Mysteriis, Versu 202:

Hinc & Danubius non magnas devehit Undas,
Montibus Arbonæ vix fusus, plurima nondum
Flumina surripuit, nondumque Binominis: ingens
Alluit ELYSIOS, Ariosque & Pæonis Oram,
Et LYGIOS, tandem rapto tumefactus Aquarum.

XXVI. Pro *Hungaris* habet *Lygios* Andreas Althamerus in Scholiis ad Taciti Germaniam, Cap. XLIII. de continuo Sueviæ Iugo: *Montes intelligo, quorum Pars in Pannoniam atque Sarmatiam protenditur: veluti Carpathus, vastissimus Mons, priscis Suevus vocitatus: ad hunc enim Suevi confederunt antiquitus.* Ibidem post quædam: *LYGII, Suevorum Populi, juxta Marcomannos & Pannones confederunt, hodie Hungaris adnumerantur.* Raymundus Marlianus in veterum Galliæ Locorum & Populorum Descriptione, quos Iulius Cæsar & Cornelius Tacitus indicat: *LIGIOS Populos in Hungaria non memorat Cæsar, sed Tacitus, proximos Hermunduris & Cattis.*

XXVII. Pro *Silesiis* habet *Lygios* Ioachimus Curæus in Silesiæ Annalibus: de Tacito: *Postea ultra Montem Suevum vel Carpathum, in illam latissimam! laniciem, usque ad Montes Bohemicos, vel Fontes Albis & ad Aquilonem, ad ipsa pene usque Ostia Vistulæ, collocat præcipuè LYGIOS.* Ibidem post quædam: *Invenimus igitur Incolas veteris Silesiæ fuisse Quados, deinde LYGIOS.*

XXVIII. At Lygii, quoniam intra Sueviam veterem, non ultra Carpaticos, sed, ut mox indicabimus, ultra Sudetos Montes, à Danubio remotam, Quadis propinquam Sedem habuerunt, neque pro Austriacis, neque pro Hungaris, &, quanquam pro Silesiis, non tamen vel Austriæ, vel Hungariæ confinibus, habendi sunt.

XXIX. Tertia Sententia est eorum, qui veteris Sueviæ *Montes* illos, ultra quos *Lygii* habitaverunt, *Sudetos* esse judicant, Bohemis & Quadis, sub Hercynia Silva Sedem tenentibus, vicinos. Hi pro Sententiæ suæ Fundamento habent Claudii Ptolemæi Testimonium: qui dubios Sueviæ Montes, ultra quos Lygii hæserunt, velut interpretaturus, Sudetos, Sarmaticis oppositos, Quadis Bohemisque propinquos fuisse docet, in Geographiæ Lib. II. Cap. XI: Καὶ ἔτι τὰ καλούμενα ΣΟΥΔΙΤΑ ὄρη. ΥΦ' ἃ ἐστιν ἡ Γαβρῖτα ὕλη, ὧν μεταξὺ καὶ τῶν Σαρματικῶν ἐστιν ὁ Ὀρκύνιος δρυμός. *Et porro appellati SUDETI Montes: sub quibus est Gabreta Silva: inter quam & Sarmatarum Montes est Hercynia Silva.* Ibidem post quædam: Ὑπὸ δὲ τὴν Γαβρίταν ὕλην, ΜΑΡΚΟΜΑΝΟΙ. ΥΦ' ὃς ΣΟΥΔΙΝΟΙ. Καὶ μέχρι τοῦ Δανουβίου ποταμοῦ οἱ ΑΔΡΑΒΑΙΚΑΜΠΟΙ. Ὑπὸ δὲ τὸν Ὀρκύνιον δρυμὸν, ΚΟΥΑΔΟΙ. ΥΦ' ὃς τὰ σιδηρυχεῖα, καὶ ἡ ΛΟΥΝΑ ὕλη. ΥΦ' ἣν μέγα ἔθνος οἱ ΒΑΙΜΟΙ, μέχρι τοῦ Δανουβίου. *Sub Gabrita verò Silva MARCOMANNI: Sub quibus SUDENI: & usque ad Danubium Fluvium ADRABÆ CAMPI. Sub Silva autem Hercynia QUADI: Sub quibus Ferri Minera, & Luna Silva. Sub quâ Gens magna BÆMI usque ad Danubium.*

XXX. Quamobrem sunt, qui *Montes Sudetos* pro *Bohemicis* habent: quos Antiquitas ab omnium supremo, cujus Celsitudo Gigantem repræsentat, Germanicè *Risenbergicos*, Latinè *Gigantéos:* à Nivibus, Germanicè *Schneebergicos*, Latinè *Niveos* Montes dixit. Petrus Bertius in Notis ad Claudii Ptolemæi Geographiam, Lib. II. Cap XI. *Sudeti Montes: Risenberg. Gabreta Silva: Frieslettenwald. Hercynia Silva: Behemerwald.* Philippus Cluverius in antiqua Germania Lib III. Cap. XLVIII: *Suditos Montes alii interpretantur hodie id Iugum, quod ab Occidentali Bojohæmi Latere, vulgari Vocabulo, der Fichtelberg, clarissimos Amnes, Mœnum, Salam, Egram & Nabum fundit: alii eum Montem, qui ab Orientali Bojohæmi Latere, vulgari Vocabulo, der Risenberg, Albim Flumen eructat: utrique recte.* Ibidem post quædam: *Subditi igitur Montes nulli alii sunt existimandi, quam qui hodie cognomine Bojohæmici totum Bojohæmum cingunt. Hos quoque propriè dictos fuisse Hercynios Montes, quemadmodum Silva iis superfusa, de qua superiore Capite egi, haud dubium est.*

XXXI. Ea verò Sudetorum Montium Pars, quæ Bohemos à Silesiis separat, etiamnum Silesiæ Limes ad Meridiem est. Davides Vechnerus in Germaniæ Breviario, de Germaniæ Montibus: *Sudetes, qui Silesiam à Meridie claudunt, vulgo etiam Montes Bohemici, Riphæi, Gigantes: das Boehmische, Schnee- und Riesengeburge.* Nicolaus Henelius in Silesiographia Cap. I. *Meridiano Soli objacent Montes Sudeti, à Solitudine Meridionali sic dicti, quasi Sudœde, Pars amplissimæ illius vastissimæque Hercyniæ Sylvæ; qui ab Hermunduris progressi, ab Occasu in Ortum ad Carpathum excurrunt, &, ut ad plura Loca, propter Magnitudinem pertingunt: Sic aliis atque aliis vocantur Nominibus. Qua enim Bojemiam respiciunt, & hanc à Silesia Procursu suo, tanquam nativo Muro, separant, Bojemici: illis ipsis autem Bojemis Cerconessi, aliis Riphæi, Gigantari, &, quod toto fere Anno Nive, sive Nivium potius Senio canescant, Niviferi Montes audiunt: das Boehmische, Risen oder Schneegebirge.* Ioachimus Curæus in Silesiæ Annalibus, de Glogovia: *Excurrit autem hoc* [meridionale Silesiæ] *Latus in Occasum ad Radices Montium, quos Ptolemæus nominat Sudetes, qui dividunt Bohemiam à Silesia.* Iohannes Fechnerus in Silvis Elysiis, Serie I. Carmine II. cui Titulus: Gigantéus, Montium Sudetorum in Silesia Caput:

Est Mons Elysii Limes clarissimus Agri,
Hercyniæ quâ Silva vetus se tollit in Austrum,
Bojæmumque Latus stipat Sudetibus altis:
Hic Caput erectum stellatis Ædibus infert.

Ibidem, post quædam, Versu 14:

Inde Gigantéum dixit vetus Accola Montem,
Silesias inter tantum qui præminet Alpes,
Quantum nana solent inter Saliceta Cupressi.

XXXII. Iam, si continuos Montes, intra veterem Germanorum Sueviam omnes, Circumstantiis hactenus adductis conformiter intuearis: non alios invenies, ultra quos Sedem, post Marcomannos & Quados (id est, Moravos & superiores Silesios) Bohemis propinquam, Lygiis attribuere possis, nisi ex Bohemicis eos, quos Vulgus Risenbergicos appellat, inferior Silesia pro Finibus ad Meridiem habet. Terrarum verò, quas Lygii posse-derunt, Terminus, quemadmodum ad Meridiem Sudeti Bohemici Risen-bergici Montes fuerunt: ut ex antecedentibus constat: sic ad Orientem Fluvius Vistula fuit: ut ex subsequentibus constabit.

LYGII omnino SILESII.

XXXIII. Proinde non est, ut eos audiamus, qui Terras intra vete-rem Germaniæ Sueviam olim Lygiis proprias, nunc omnes Polonis sub ditas credunt. Inter quos est Philippus Cluverius, quantum scio primus, cujus Sententiam §. XIX. in medium attulimus. Nam cum Lygiorum Populus, in multas Gentes divisus, latissimum Telluris Tractum repleverit, ultra Montes Sudetos, Bohemicos, Giganteos situm, priscis Lygiam dictum: ex eâ quidem Partem aliquam Polonis hodie possideri concedimus: nullam verò Silesiis adhuc retineri negamus: quibus etiamnum ex Ly-gia supereſt, quicquid ad inferiorem Silesiam universam pertinet.

XXXIV. In eâ reperitur & Urbs, & Ducatus Lignicensium: quos, non præter Causam, Lygios erudita nominavit Antiquitas. Sanè tanta Lygiorum & Lignicensium in Vocabulis non est Inæqualitas, ut hos ab il-lis Nomen suum accepisse, nisi per absurdam Derivationem, monstrari non possit.

XXXV. Nam primum, inter Vandalos & Lygios, utrumque Popu-lum Germanicum, ea videtur esse Nominum Oppositio, ut, quemadmo-dum *Vandali*, quod Sedem suam frequenter mutarent, Germanis *Wandeler*, id

id est, *Ambulatores*: ita *Lygii*, quod Sedem suam firmiter retinerent, Ger-manis *Lyger*, id est, *Permansores* dicerentur. De quô egimus in Libro de Silesiorum Nominibus, Cap. IX. §. 7. & 8.

XXXVI. Deinde multiplex fuit Germanis, ut aliis Populis, usitata Literarum Mutatio. Veteres Y usurpabant, ubi recentiores adhibent I E. Crebra notavimus Exempla, tumalibi, tum in Precationum Libello, quem Vratislavienſium Elisabetana Bibliotheca possidet, MSto, nescio cujus Au-toris, Anno 1405 superstitis Scriptoris. Ibi legitur Precatione III: *So hof-fe ich deyn armer demutiger DYNER, das ST durch meyner Sunden Wil-len, WY gros DY och geseyn, nicht gehindert werde*: id est, *So hoffe ich dein armer demütiger DIENER, das SIE durch meiner Sünden Willen, WIE gros DIE auch sein, nicht gehindert werde.* Precatione V: *SY mussen deyn Antlitz FLYEN alle, DY dich hassen*: id est, *SIE müssen dein Antlitz FLIEHEN alle, DIE dich hassen.* Alius Autor Anonymus [in laudatâ Bibliotheca MStus] Rhythmicorum Versuum Germanicorum de Salomonis Hebræorum Regis Rebus, Versu 26:

Ir eyne dyrdruckete yr Kynt
Czu tode, do ST lag und SLYF,
Alzus saget uns der BRYF. Id est:
Ihrer eine erdruckete ihr Kind
Zu tode, da SIE lag und SCHLIEF,
Als es saget uns der BRIEF.

Ibidem Versu 482:

DY LYBE ist starck, sam der tot. Id est:
DIE LIEBE ist starck, wie der Todt.

Ibidem Versu 1664:

Der yrste Steyn, der da LYGET. Id est:
Der erste Stein, der da LIEGET.

Similem in modum prius LYGER, postea LIEGER dictus est.

XXXVII. Recentiores autem Germani pro Y adhibitarum Litera-rum duarum IE alteram omittere solebant. Quis enim Germanus, Ser-monis patrii satis peritus, ignorat, (ut ab Exemplis aliis abstineam) alios: *ich gib dir nichts!* alios: *ich geb dir nichts*, dicere solitos? Hinc factum existi-mamus, ut *Lygii* Germanis quondam *Lyger*, postea *Lieger*, denique, cum *Liegener* audirent, aliis *Ligener*, aliis *Legener* vocarentur: quos Slavi, cum intra Silesiam hærerent, Germanicam Vocem More suo mutantes, propte-

rea

rea *Liegnitzer* nominaverint: Latini autem promiscuè tandem aut *Legnicenses*, aut *Lignicenses* appellaverint.

XXXVII. Id de Silesiorum Rebus antiquæ Literæ confirmant, quas Bohuslaus Balbinus in Miscellaneis Bohemicis edidit: ubi mox *Legnicii*, mox *Lignicii* Vox adhibetur. Decade I. Libro VIII. Volumine I. Parte III. Epistola XXV: quam Wenceslaus, Silesiorum Dux, Anno 1362. scripsit, *Nos Wenceslaus, Dei Gratia, Dux Silesiæ & Dominus LIGNICENSIS promittimus bona nostra Fide, sine omni Dolo, præsentibus, & spondemus serenissimo Principi & Domino Carolo Quarto, Divinâ favente Clementia, Romanorum Imperatori semper Augusto & Bohemiæ Regi, tanquam Domino nostro verè hæreditario & naturali, LEGNITZ tam Castrum, quam Civitatem cum ejus Districtu.* Epistola XXVI: quam Cæsar Sigismundus Anno 1426 scripsit: cui Literas Ducum Silesiæ, non tantum Boleslai, Wenceslai & Ludovici, Anno 1301: Sed etiam Ruperti & Ludovici, Anno 1383. scriptas inseruit: *Legi fecimus certas Literas Illustrium Boleslai, Wenceslai, & Ludovici, Ducum Silesiæ & Dominorum LIGNICENSIUM.* Ibidem, post quædam: *Nos Boleslaus, Wenceslaus, Ludovicus, Dei Gratiâ, Duces Silesiæ & Domini LIGNICENSES.* Iterum post quædam: *Omnes Terras, Civitates nostras, LEGNITZ videlicet, cum Castro Olaw.* Porro ibidem post quædam: *Literæ vero Illustrissimorum Ducum Ruperti & Boleslai, Ducum Silesiæ & Dominorum in LEGNITZ, quas etiam auscultari & legi ac transmutari fecimus, sic sonabant: Wir Ruprecht und Wosmislaw, Brüder, von Gottes Gnaden Hertzog zu Schlesingen, und Herren zu LIGNITZ.*

XXXIX. Has, cum Loci, tum Nominis Rationes docere, cur *Lygios* pro *Silesiis* antiquis plerique Scriptores, Exteri quoque, non Indigenæ tantum, habeant, quis paulò circumspectior non videt? Iodocus Willichius in Commentariis ad Taciti Germaniam, Parte II, Cap. XXII: de Iugo Suevico: *In cujus Latere Septentrionali LYGII cohabitant, qui sunt ipsi SILESII: quorum Nomen olim fuit amplissimum. Siquidem ab hoc Iugo & à Quadis usque ad Vistulam ejusque pene Ostium pertinebant: ubi hodie degunt Odoracei POLONI.* Christophorus Colerus in Notis ad Taciti Germaniam, Cap. XLIII: de Lygiis: *Igitur horum Posteritas Civitas Lignicensis.* Stanislaus Sarnicius in veteris Poloniæ Chorographia: *LIGII: Provincia Sarmatica* [pro, Germanica,] *inter Viadrum & Boemicos Montes, quos Vandalicos Dion vocat. Ea nimirum SYLLESIÆ Pars, ubi est LEGNICIUM Oppidum. Ideo LEGNICII Etymon à Denominatione LIGIORUM Scriptores Germanici derivant.* Matthias Dresserus in Historiarum Millenario VI. Parte II: de Lignicensibus aliisque Silesiorum Ducibus: *Silesios ex Lygiis & Elysiis nominatos esse, verisimile est.* Ibidem, post quædam: *Inde Lignicii Urbis Nomen est, & Lignicensium Principum.* Melchior Goldastus in Commentariis de Bohemiæ Regno, Lib. I. Cap. XIV. §. 2: *Certe Ligniciam à Ligiis Suevis Appellationem ducere, non est admodum verosimile.* Ioachimus Curæus in Silesiæ Annalibus: *Invenimus igitur Incolas veteris SILESIÆ fuisse Quados, deinde LYGIOS.* Eadem scribunt de Lygiis, Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. III. & Fridericus Lucas in Silesiæ Memorabilibus Parte I. Cap. II. §. III.

XL. Par igitur, agnoscere veteres, & in Germanis Suevos, & in Suevis *Lygios*, ut pro Silesiæ Cultoribus [in quâ durabilem habuerunt Sedem,] ita pro Silesiorum Majoribus. Neque citra peculiarem Causam Lygios adhuc pro suis Majoribus habent Silesii. Soli enim potissima veterum Lygiorum Signa, præter ipsam Terram, Germanicum & Ortum, & Sermonem & Ius demonstrare possunt: quæ dudum Lygii cæteri cum Nomine sub Sarmatis, Slavis, Polonis amiserunt.

CAPUT XI.

Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Lygios ELYSIIS.

ELYSIORUM peculiaris Origo.

I.

IN Germanis *Suevos*, in Suevis *Lygios*, in Lygiis *Elysios* fuisse, Tacitus commemorat in Germania, Cap. XLIII: *Dirimit enim scinditque Sueviam continuum Montium Iugum, ultra quod plurimæ Gentes agunt. Ex quibus latissimè patet LYGIORUM Nomen in plures Civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, Arios, Helveconas, Manimos, ELYSIOS, Naharvalos.*

II. Sunt, qui nostris *Elysiis*, ut Nomen, sic Ortum ab Hebræorum *Elisa*, quem Iavanis Filium, Iapheti Nepotem, Noachi Pronepotem fuisse, Moses in Genesi, Cap. X, 2. 4. tradit, attrahunt. Ioachimus Curæus in Silesiæ Annalibus: *Inter Filios Iavan est ELISA, à quo sunt ex Testimonio multorum Æoles in Asia minori. Valde autem cognatum est hoc Nomen ELYSIIS & LYGIIS. Et Lygii ab Herodoto in eandem Asiam minorem non longè à Paphlagonia collocantur. Inde igitur Gentem nostram deduco.*

His Consensum præbet Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico. Lib. I. Cap. II.

III. Nominis Elysiorum hanc Originem ab Hebræis petitam, in Libro de Silesiorum Nominibus, Cap. X. excussimus. Quod Gentis Elysiorum Originem attinet: nullum in solâ Nominum Convenientiâ Momentum satis valet. Nam *Elysii* nostri, aut sub *Elysiorum*, aut sub *Lygiorum* Titulo ex Asia in Europam venerunt: ibi tandem Silesiæ Cultores. Prius quidem nullo idoneo Teste nobis innotuit: posterius autem Cap. X. jam refutavimus.

IV. Sunt etiam, qui propiore Viâ nostris Elysiis, tum Appellationem, tum Originem à Græcis adducunt. Ea Sententia potissimum Poëtis arridet. Inter hos antiquissimus Caspar Ursinus Velius, Silesius.

SILESII faustò [sic arbitror] Omine Græcis
Nomen ab ELYSIIS, & Genus inde trahunt.

V. Certè Nomen Elysiorum, quanquam non nostrorum, à Græcis Originem habet: ut in Libro de Silesiorum Nominibus, Cap. X. ostendimus. At quinam illi Græcorum Elysii fuerunt, à quibus nostri provenerunt? Num illi, quos Antiquitas Græca felicissimos prædicavit? Hunc dignum piis Locum, ubi Gens *Elysiorum* beata vivit, quidam in *Africa* ponunt: intra *Ægyptiacas Terras*, Dio Chrysostomus in Oratione XI. de Ilio non capto; Intra *Fortunatas Insulas*, Plutarchus in Sertorio, Cap. XI.

VI. Quidam *in Europa* constituunt: *intra Hispaniam* Strabo in Geographia Lib. I. & III. *Intra Græciam*, Theodoretus ad Ezechielis Caput XXVII. Versum VII: si Ezechiel, quas Elisæ vocat Insulas, celebres Paganorum Insulas Elysias intelligit: quemadmodum censent Ezechielis Interpretes Ioannes Baptista Villalpandus, Ioannes Tirinus, alii: quorum Sententiam probant, Iacobus Bonfrerius in Sacræ Scripturæ propriorum Nominum Onomastico: & in Commentario ad Geneseos Cap. X, 4. Ioannes Pineda de Salomonis Rebus Lib. IV. Cap. XIV. §. II.

VII. Sed ubicunque fuerit Elysiorum Populus, cui Felicitatem partim veram, partim commentitiam Veteres adscripserunt: ab eô nostram Elysiorum Gentem proveniisse, sola Vocum Æqualitas minimè docet. Unde nos eam Ioachimi Curæi & Iacobi Schickfusii Sententiam deserendam censuimus in Libro de Silesiorum Nominibus Cap. X. Nobis enim se magis probat *Elysiorum* Origo Germanica, tum Nominis, quam ibi confirmavimus;

vimus; à cæteris Germanis ob Auxilia sæpius adversus Hostium Vires opportuna dictos *Elysier*, ideo Latinis *Elysios*, id est, *Libentiores:* tum Populi, quam cum Germanorum Suevis aliis, & Suevorum Lygiis aliis communem, hactenus demonstratam, consecutos judicamus.

ELYSIORUM intra LYGIAM Sedes.

VIII. Elysiorum Terras intra Lygiam evidenter monstrare propterea non possumus, quoniam in tot Lygiorum Nationibus, quarum octo recensuimus Cap. X. §. I. distinctè sua cuique Sedes assignata nusquam reperitur. Habuit, ut ex præcedentibus patet, *Lygia*, cujus *Elysia* fuit Pars, pro Fine suo *ad Meridiem* quidem *Montes Sudetos* Bohemicos Risenbergicos: *ad Orientem* verò *Amnem Vistulam*, Germanos à Sarmatis separantem. Quamobrem, cum in eo Terrarum Tractu, qui Silesia dicitur, magna veteris Lygiæ Pars etiamnum exstet: cur à Silesiæ Solo vetus Elysia, veteris Lygiæ Pars, debeat excludi, non videmus, donec in contrarium Ratio valida proferatur.

IX. Accedit, quod à Lygiis Elysiis, tanquam Incolis Silesiæ priscis, ei Nomen impositum Viri non contemnendi statuant. Eos, ubi hanc Originem non penitus rejiciendam deridendamque monstravimus, in Libro de Silesiorum Nominibus, Cap. X. indicavimus.

ELYSII omnino SILESII.

X. Certè variis Argumentis, quibus antecedentia quoddam Pondus addunt, adducti, ut Lygios, sic in Lygiis Elysios maximè pro Silesiis antiquis habent, non Poëtæ solum, verum alii quoque Scriptores. Præter Matthiam Quadum, Matthæum Dresserum, Stephanum Ritterum, in Libro de Silesiorum Nominibus Cap. X §. XVIII. allegatos: Beatus Rhenanus in Castigationibus ad Taciti Germaniam, Cap. XLIII. de Elysiis: *Est autem hodie Silesiorum Populus insignis.* Christophorus Colerus in Notis ad Taciti Germaniam, Cap. XLIII: *In ELYSIOS docti Viri consentiunt, faciuntque SILESIOS.* Philipus Cluverius in antiqua Germania Lib. III. Cap. XXXI: *ELYSIOS plerique nostri Sæculi Geographi putant esse eosdem, qui nunc Silesii Latinè, patrio autem Vocabulo Slesinger vocantur: quasi Litera S interierit à Voce ELYSIOS.* Ioachimus Curæus in Silesiæ Annalibus: *Invenimus igitur Incolas veteris Silesiæ fuisse Quados, deinde Lygios, præcipuè vero ELYSIOS.* Eadem tradit Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I, Cap. I.

XI. Quæ cum ita ſint: *Elyſios*, ut non excludere poſſumus à conſtantibus antiquæ Sileſiæ Poſſeſſoribus: ita pro *Sileſiorum* Majoribus agnoſcere ſuſtinemus.

CAPUT XII.

An Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Lygios BURIIS, OMANIS, DIDUNIS.

I.

LYgios Tacito in Germania Cap. XLIII. dictos, appellat Dio Caſſius Lib. XVII: λυγίους *Lygios:* Strabo in Geographia Lib. VII. λεῖος, μέγα ἔθνος, *Lujos, magnam Gentem:* Claudius Ptolemæus in Geographia Lib. II. Cap XI λύγτας *Lutos:* Cognomento alios *Buros*, alios *Omanos*, alios *Didunos.*

II. Omnes hos diverſis Nominibus denotatos unam Lygiorum gentem eſſe Viri doctiſſimi cenſent. Inter hos Iſaacus Caſaubonus ad indicatum Strabonis Locum, ubi *Lygios* λεῖους *Eugos* vocat, in Margine quidem: Forte λυγίους *Lygios:* in Notis autem: *Aſſentior doctis Viris, quibus hi videntur eſſe Lygii, de quibus Tacitus: Dirimit ſcinditque Sueviam continuum Montium lugum: Ultra quod plurimæ Gentes agunt: ex quibus latiſſimè patet Lygiorum Nomen, in plures Civitates diffuſum. An tamen apud Strabonem mutari vulgata Lectio debeat, non facile dixerim. Nam Ptolemæus quoque* λεῖος *videtur hos appellare, vel* λύτας, *ut habent ejus Editiones. Facit autem Ptolemæus varia horum Genera, Lutos Buros, Lutos Omanos, &, ut legunt quidam, Lutos Didunos: quod optimè cum illis Verbis convenit:* τὸ μέγεθος.

III. Confirmat eandem Sententiam Philippus Cluverius in antiqua Germania, Lib. III. Cap. XXXII: *Apud Ptolemæum equidem leguntur* Λῦτοι Οὐανδῖλοι, & Λῦτοι Διδοῦνοι, & Λῦτοι Βοῦροι: *verum, quia in plerisque Exemplaribus, pro ſecundo iſto vocabulo, leguntur* Λογγιδοῦνοι, *facillimum eſt conjectu, ubique ſcriptum fuiſſe* Λυγοι, *ita ut Lugi dicantur Ptolemæo, qui Straboni Lugii, Tacito Lygii, Ligii. Nec dubitare licet, an eadem ſit gens: cum ſitus apud Ptolemæum probe reſpondeat.* Nec alienus ab eâdem ſententiâ eſt Petrus Bertius de Rebus Germanicis Lib. I. Cap. XXIII: quo Cunradi Peutinger. Tabulam Itinerariam explicat: de Quadis & Lutugis: *Lutugi nusquam*

quam Gentium leguntur. Ptolemæus Lingas nominat & Lutos, qui Omani, aliosque, qui Buri dicti ſunt. Ac fieri poteſt, ut iidem Populi intelligantur. Poſſent videri eſſe SILESII, ob Viciniam Marcomannorum & Quadorum.

De LYGIIS BURIIS.

IV. *Lygios Buros* Tacitus, non tantum *Burios* appellat, verum à *Lygiis* etiam ſeparat. Nam in Germania Cap. XLIII: *Necminus*, inquit, *valent retro Marſigni, Gothini, Oſi, BURII. Terga Marcomannorum Quadorumque claudunt. Equibus Marſigni & BURII Sermone Cultuque Suevos referunt.* Ibidem de Suevis: *Ex quibus latiſſime patet LYGIORUM Nomen in plures Civitates diffuſum. Valentiſſimas nominaſſe ſufficiet, Arios, Helveconas, Manimos, Elyſios, Naharvalos.*

V. Habuerunt Burii Sedem Marcomannis & Quadis [quorum Tergis, ut Tacitus indicat, adhæſerunt] propinquam. Eam Buris ad Viſtulam Fluvium (cujus Fons in Sileſiorum Teſchinenſibus Agris oritur) extenſam fuiſſe, Claudius Ptolemæus in Geographia docet Lib. II. Cap. XI. Καὶ λῦτοι, οἱ Βοῦροι, μέχρι τοῦ Οὐιςύλα ποταμοῦ. *Et Luti, dicti Buri, usque ad Viſtulam Fluvium.* Ad quem Locum Joſephus Moletius in Notis: *Sileſia Provincia.* Bilibaldus Pirckheimerus in Locorum per Germaniam Explicatione: *Luti Buri vero usque ad Viſtulam extendebantur. Hodie Sileſia eſt, ubi & Bratislavienſis Civitas, quæ Budorgis cenſetur, & Poloniæ Pars usque ad Fluvium Viſtulam.* Philippus Melanchthon in Taciti Regionum & Gentium vocabulis: *Buri extremi Sileſiorum verſus Viſtulam.* Stanislaus Sarnicius in veteris Poloniæ Chorographia: *Cornelii Taciti præcipuus Commentator hocidem iis Verbis innuit: Burit, inquit, extremi ſunt Sylleſiorum Verſus ſtulam.*

VI. Eosdem Burios Philippus Cluverius intra inferioris Sileſiæ Dynaſtias, Trachenbergenſem, cujus Oppidum eſt Prauſnicium: & Wartenbergenſem, cujus Oppida ſunt Schildberga & Beraunum, collocat, in antiqua Germania, Lib. III. Cap. XXXII. de Buris locutus: *Comprehenduntur*, inquiens, *hiſce nunc Finibus, Sileſiæ Pars, qua Oppida Prauſtnitz, Schilberg, Waartenberg & & Beraun, Poloniæ Portio.*

VII. At enim, fac. ad Philippi Cluverii Mentem, Marcomannos eſſe Bohemos: Quados eſſe Moravos: quomodo in Sileſiacis Trachenbergenſium & Wartenbergenſium Dynaſtiis Locus eſſe Buriis poteſt: qui Marcomannorum & Quadorum claudunt Terga: ut Tacitus commemorat: Sedemque ſuam extendunt ad Viſtulam, ut Ptolemæus refert?

VIII. Quod si vero Marcomannos Moravos, & Quados Silesios superiores statuas: non erit quidem, cur Buriis, ad Marcomannorum & Quadorum Terga hærentibus, vel ad Silesiam, vel in Silesia, non autem quatenus inferior, sed quatenus superior est, circa Vistulam, cujus Fons in Teschinensium campis promanat, Locus denegetur.

De LYGIIS OMANIS & DIDUNIS.

IX. De Lygiis Omanis & Didunis Claudius Ptolemæus in Geographia Lib. II. Cap. XI: Πάλιν ὑπὸ μὲν τὺς Σέμνονας, οἰκῦσι λίγγαι. ὑπὸ δὲ τὺς Βουγοῦντας λοῦτοι, [pro quibus etiam reperitur, λόγγοι] οἱ Ὀμανοὶ. Ὑφ' ὃς λοῦτοι [pro quibus pariter invenitur, λόγγοι] Διδῦνοι, μέχρι τῦ Ἀσκιβυργίυ Ὄρυς. *Iterum sub Semnonibus habitant Lingæ: sub Buguntis autem LUTI OMANI: sub quibus LUTI DIDUNI usque ad Asciburgium Montem.*

X. Hinc, qui montem Asciburgicum inter Viadrum & Vartam reponunt, habent, cur Lygios & Omanos, & Didunos, partim ad inferioris Silesiæ, partim ad Poloniæ majoris Terras extremas referant: &, prout in iis collocaverint, aut Polonis, aut Silesiis adscribant.

XI. Nos, quibus Sedes *Lygiorum*, & *Buriorum*, & *Omanorum*, & *Didunorum* evidenter cognita non est: eos, de quibus incertum, an veteris Habitatores Silesiæ fuerint, inter *Silesiorum* Majores numerare supersedemus.

CAPUT XIII.

An Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Lygios ARIIS, HELVECONIS, MANIMIS, NAHARVALIS.

I.

GErmanis Suevis, inter Lygios, Tacitus Arios, Helveconas, Manimos, Naharvalos recenset in Germania, Cap. XLIII: De Suevis: *Ex quibus latissime patet LYGIORUM Nomen in plures Civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, ARIOS, HELVECONAS, MANIMOS, Elysios, NAHARVALOS.*

II. Hos,

II. Hos, parum congrua Distributione, partim Hungarorum, partim Pomeranorum Terras possedisse putat Andreas Althamerus ad eundem Taciti ex Germania Locum: *Arii Lygiorum Gentes, Pæones, hoc est Pannones, Danubii Accolæ (Unger) censentur. Dixit enim Cornelius, se explicaturum Germaniæ Populos, ad Danubium respicientes. Helveconæ, Manimi, Elysii, Naharvali, Lygiorum Populi, [eorum Sedes Pomerani aut Hungarorum quidam tenere videntur) ad Sarmatas tendunt.* Rectius Ariis, Helveconis, Naharvalis, intra Lygiam antiquam, Sedes inter Ripam Viadri dexteram, & Vartæ sinistram tribuit Abrahamus Ortelius in veteris Germaniæ Tabula, quam Jacobo Monavio Silesio, Patritio Vratislaviensi, dedicavit Anno M. D. LXXXVII. Manimos eodem in Loco Helveconis adjungit Ioachimus Curæus in Silesiæ Annal bus.

III. Nos, cum non satis habeamus exploratos horum Populorum Fines, non audemus, solis Conjecturis ducti, *Arios, Helveconas, Manimos, Naharvalos* addere *Silesiorum* Majoribus.

CAPUT XIV.

Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Suevos QUADIS.

I.

QUados statuit *Germanos* Autor Chronici Alexandrini, quod multi Fastos Siculos appellant: Γερμάνων ἔθνη καὶ ἀποικίαι εἰσὶν Ε. μαρκόμαννοι, Βαρδυλοὶ, κυαδοὶ, Βεριδοὶ, Ηερμοελοὶ. *Germanorum Gentes & Coloniæ sunt quinque: Marcomanni, Barduli, QUADI, Beridi, Hermoeli.* In Germanis Suevos fuisse Tacitus indicat in Germania, Cap. XLI: *Et hæc quidem Pars Suevorum in secretiora Germaniæ porrigitur. Propior [ut, quô modô paulo ante Rhenum, sic nunc Danubium sequar] Hermundurorum Civitas.* Cap. XLII. *Iuxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomanni & QUADI agunt.*

QVADORUM intra Sueviam Sedes num in SILESIA.

II. Ubi Quadis Sedes intra veteris Germaniæ Sueviam fuerit, non tam ab antiquioribus, quam recentioribus Scriptoribus dubitari solet. Eam in Silesia fixam affirmantibus occurrunt negantes ideo, quia credunt, tenuis-

tenuisse Marcomannos in Moravia nunquam, semper autem Marcomannis proximos Quados in Moravia Sedem. Nos in hac Controversia primarias utriusque Partis Rationes subtiliorem in Modum speculati, par esse judicamus, ut Quados Silesios fuisse negantibus subtrahatur, affirmantibus præbeatur Suffragium. Ut ergo sua constet Silesiorum Historiis Veritas, eorum Argumenta, quibus nimium confisi, Quados pro Silesiis antiquis non habendos esse contendunt, primò luculenter proferemus, deinde fideliter corroborabimus, postremo penitus destruemus.

Num Marcomannis in Moravia Sedes.

Negationis Confirmatio I.

III. Argumentum primum, quod *Marcomannis* Sedem in Moravia denegat, est: *iis antiquissimam fuisse circa Rhenum Sedem.*

IV. Arioviſtus, Germanorum Rex, L. Calpurnio Pisone, A. Gabinio, Consulibus: id est, Anno Urbis 695, ante Christum natum 56, à Sequanis adversus Æduos Defensor in Galliam vocatus, ibidem in Sequanorum Agris Domitor confederat. Arioviſtum Sequanis depulsuris in Auxilium imploratus veniebat Iulius Cæsar. Huic Arioviſtus Exercitum, multis Germaniæ Populis instructissimum, inter quos etiam MARCOMANNI erant opponebat. Ingenti Clade victus, dispersis Germaniæ Populis, trans Rhenum profugus, in Germaniam revertebatur. Iulius Cæsar de Bello Gallico Lib. I. Cap. XXXI: cum inter Sequanos & Æduos Occasionem Belli commemoravisset: *Sed pejus Victoribus Sequanis, quam Æduis victis accidisse: propterea, quod Arioviſtus Rex Germanorum in eorum Finibus consedisset, tertiamque Partem Agri Sequani, qui esset optimus totius Galliæ, occupavisset, & nunc de alterâ Parte tertia Sequanos decedere juberet.* Ibidem Cap. LI: cum adversus Arioviſtum ad ferendam Sequanis Opem Copias à se dispositas fuisse narravisset: *Ipse* [Cæsar] *triplici instructa acie usque ad Castra Hostium* [Germanorum, sub Arioviſto Rege, militantium] *accessit. Tum demum necessario Germani suas Copias è Castris educunt, generatimque constituerunt paribus Intervallis Harudes, MARCOMANNOS, Triboccos, Vangiones, Nemetes, Sedusios, Suevos.* Prælium, quò Cæsar Arioviſtum superabat, reperitur ibidem Cap. LII. & LIII. descriptum: cujus Tempus, quod indicavimus, Dio Cassius Lib. XXXVIII. annotavit.

V. Hinc, Marcomannos tum circa Rhenum Sedem habuisse, colligit Philippus Cluverius in antiquâ Germania, Lib. III. Cap. III: *Nihil autem*, inquiens, *probabilius, quam proximos sibi Sequanos in Auxilium contra Æduos*

Æduos vocasse Germanos. Propiores vero nulli esse potuerunt, quam qui inter Moenum, Danubium atque Rhenum Amnes incoluerunt. Unde dilucidissimo Argumento colligitur, eosdem habuisse Arioviſtinum in Germania Regnum Fines, quos ante Helvetii. Hæc igitur antiqua MARCOMANNORUM, Sedusiorum, Harudumque ac vera Sedes. Quibus innixus, inter hos tres ad Rhenum constitutos Populos, Marcomannos, Sedusios & Harudes, majorem attribuit Marcomannis Sedem. De quibus ibidem post quædam: *His igitur*, ait, *ampliores, quam illis, Agrorum tribuo Fines. Et, quia proximum sibi Regem Arioviſtum in Auxilium vocasse Sequanos jam ante demonstravi, Terminos eis statuo à Meridie Danubium, ab Occasu Rhenum, à Septentrionibus Nicrum.*

Confirmationis I. Refutatio.

VI. Sed, quis paulò circumspectior non videt, quam imbecille Philippus Cluverius Opinioni suæ posuerit Fundamentum? Quid obstat, quò minus potuerit Rex Arioviſtus Hostibus, primum Sequanorum potentibus Æduis, mox Germanorum potentissimis Romanis, præter suos, & alienos, & remotiores è Germania Populos opponere? Nam eorum habebat incredibiles Copias. Paulus Orosius in Historiis adversus Paganos Lib. VI. Cap. VII: *Postea Cæsar contra Arioviſtum Regem excitantem invehentemque secum incredibiles Germanorum Copias: quibus nuper universos Galliarum Populos se subegisse jactabat, apud Sequanos vicit. Cum autem diu Exercitus Cæsaris, Germanorum Multitudine & Virtute perterritus, pugnam detrectasset: Arioviſtus in Germaniam arrepta Navicula Rhenum transvectus effugit.* Eadem Paulus Diaconus in Historia Miscellâ Lib. VI. Cap XVI. refert.

VII. Num Germani prævidere non poterant, Iulium Cæsarem, Adversarium fortissimum, si, profligatò Arioviſtò, cum Romanis Legionibus Rhenum transgrederetur, Germaniæ, quantum liceret, Invasorem Domitoremque futurum? An non hinc ad omnes, certe plurimos, etiam MARCOMANNOS, in Moravia sedentes, justus Periculi Metus: ideoque magnus contra Iulium Cæsarem è diversis Germanorum, quanquam longinquius à Rheno habitantibus Populis Exercitus ad Arioviſtum transmissus pervenire potuit?

VIII. Certè, cum Iulius Cæsar in Germaniam Rhenò transiturus, Pontem confeciſſet: mox Suevi Nuncios in omnes Sueviæ Partes miserunt, ut omnes in unum Locum convenirent, Armis ferendis habiles. Iulius Cæsar Lib. IV. de bello Gallico, cap. XIX: *Hæc ab iis cognovit: Suevos, postquam per Exploratores Pontem fieri comperisset, More suo, Concilio habito,*

Nuntios in omnes Partes dimisisse, uti de Oppidis demigrarent, Liberos, Uxores, suaque omnia in Silvas deponerent, atque omnes, qui Arma ferre possent, unum in Locum convenirent: hunc esse Delectum medium ferè Regionum earum, quas Suevi obtinent: ibi Romanorum Adventum exspectare, atque ibi decertare constituisse. Quod si tum Suevi adversus communem Hostem, Iulium Cæsarem, ex remotissimis Terris, in unum Locum convenire potuerunt? cur Arioviſto contra eundem Adversarium in Germanis Marcomanni, quanquam longinqui, adesse non potuerunt?

IX. Nimirum, quæ Philippus Cluverius profert, illis Iulii Cæsaris Temporibus Marcomannos circa Rhenum hærere quidem potuisse, non autem hæsisse docent. Sic autem, Marcomannos Sedem in Moravia tum non habuisse, non demonstrat.

Negationis Confirmatio II.

X. Argumentum secundum, quod Marcomannis Sedem in Moravia subtrahit, est: *Marcomannos ex antiquissima in novissimam, id est, ex Rhenana in Bohemicam Terram esse progressos.*

XI. Maroboduus, Marcomannorum Rex, à Romanis tutior futurus *in inferiora* cum Marcomannis confugit: incertum, quô Annô: sed tamen Augusto Imperatore, priusquam ejus Filius adoptivus Tiberius Cæsar in Marcomannos Expeditionem [Anno Urbis 758, Christi 6. quod §. XXIII demonstrabimus] suscepit. Vellejus Paterculus Lib. II. Cap. CVIII: *Nihil erat jam in Germania, quod vinci posset, præter Gentem MARCOMANNORUM: quæ Maroboduo Duce, excita Sedibus suis, atque IN INFERIORA refugiens, incinctos Herciniæ Silvæ Campos incolebat. Nulla Festinatio hujus Viri Mentionem transgredi debet. Maroboduus Genere nobilis, Corpore prævalens, Animo ferox, Natione magis, quam Ratione barbarus, non tumultuarium, neque mobilem, & ex voluntate Parentium constantem inter suos occupavit Principatum: Sed certum Imperium, Vimque Regiam complexus Animô, statuit avocatâ procul à Romanis Gente suâ, eò progredi, ubi, cum propter potentiora Arma refugisset, sua faceret potentissima.*

XII. Confugit autem Maroboduus cum Marcomannis in Bohemiam: ubi, repulsis Bojis, Sedem fixerat, priusquam à Tiberio per Sentium Saturninum Armis peteretur. Vellejus Paterculus Lib. II. Cap. CIX: *Hunc Virum* (Maroboduum) *& hanc Regionem* (Bohemiam) *proximô Annô diversis è Partibus Tiberius Cæsar aggredi statuit. Sentio Saturnino mandatum, ut per Cattos, excisis continentibus Herciniæ Silvis, Legiones Bojohæmum [id*

id Regioni, quam incolebat Maroboduus, Nomen est] duceret: ipse à Carnunto, qui Locus Norici Regni proximus ab hac Parte erat, Exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orsus est.

XIII. Hæc interpretaturus Philippus Cluverius, *Superiora*, unde Maroboduus Marcomannos in *Inferiora* deduxit, quandam circa Rhenum Provinciam [quam Marcomanni, per Iulium Cæsarem, sub Arioviſto Germanorum Rege, cum aliis Germaniæ Populis fusi, tanquam Patriam, repetierint] non autem Danubio vicinam Moraviam fuisse statuit: quia *Moraviam* Bohemiâ non *superiorem*, sed *inferiorem* agnoscit. Nam Velleji Paterculi Verbis in antiqua Germania Lib. III. Cap. III. allegatis hæc subjicit: *Marcomannorum Gentem, Sedibus suis excitam in INFERIORA transgressam, incinctos Herciniæ Silvæ Campos, id est, Bojohæmum incoluisse ait Autor. Itaque in superioribus eos ante Locis constitisse, certum est. Quæ sunt autem illa Loca SUPERIORA? Quidam è dictis modo Velleji Verbis haud dubie colligunt, in Moravia Marcomannos fuisse, antequam Bojos è Bojohæmo expulerint. Sed quomodo MORAVIA BOIOHÆMO SUPERIOR? Haud equidem intelligo. Logi sanè sunt ac Nugæ meræ. Sequens mox Auctoris Verum ostendit Oratio. Maroboduus statuit, avocata procul à Romanis Gente suâ, eò progredi, ubi, cum propter potentiora Arma Romanorum refugisset, sua faceret potentissima. Si procul à Romanis in Bojohæmum refugit, certe in Moravia ante haud constitit: ut, quæ remotior à Romanis, quam ipsum Bojohæmum.*

Confirmationis II. Refutatio.

XIV. Sed primum, *Inferiora*, in quæ Maroboduus Marcomannos, procul à Romanis avocatos, traduxit, Vellejus Paterculus, secundum meliores Codices MStos, & ex iis publicatos, *Interiora* dixit. Ita legendum censent, Fridericus Sylburgius & Iustus Lipsius in Notis ad Vellejum. Ita legitur in Vellejo, quem Ianus Gruterus Hanoviæ, in Historiæ Augustæ Scriptoribus, Anno M. DC. XI. Ausonius Popma Franekeræ Anno M. DC. XX. Iohannes Henricus Boeclerus Argentorati Anno M. DC. XLII. edidit.

XV. Quin Res ipsa, non *Inferiora*, sed *Interiora*, legendum esse monet. Maroboduus enim, quoniam à Romanis longinquior securiorque futurus, incinctos, id est, circumcinctos Herciniæ Silvæ Campos incoluit, utique commodius, *Interiora*, quam *Inferiora* petiisse dicitur.

XVI. Deinde, cur illa, vel *Superiora* vel *Exteriora*, è quibus Maroboduus Marcomannos, vel in *Inferiora*, vel in *Interiora* transtulit, *Rhenanas*

quidem, non autem *Moravicas* Terras appellare potuit? Ideo, quia tum Romanis Provinciis remotiores Campi *Moravici*, quam *Bohemici* fuerunt? Hanc Philippus Cluverius affert Rationem: *Si procul*, inquiens, *à Romanis in Bojohæmum refugit, certè in Moravia ante haud constitit: ut, quæ remotior à Romanis, quam ipsum Bojohæmum.*

XVII. Sed Romani, quos Maroboduus cum Marcomannis refugiebat, Provincias tum non tantum Rheno, verum etiam Danubio cohærentes possidebant.

XVIII. Nam, sub Augusti Cæsaris Imperio, inter Populos Danubio, Germanorum & Romanorum Limiti, propinquos, Romani subegerunt Noricos, L. Domitio Ænobarbo, P. Scipione, Consulibus, Anno Urbis 737, ante Christum natum 14. Dio Cassius Lib. LIV. de Augusto Cæsare loquens: Interprete Guilielmo Xylandro: *His constitutis, L. Domitio, & P. Scipione Coss. in Galliam profectus est, obtendens Causam hujus Profectionis Bella, quæ ibi conturbata essent.* Ibidem, post quædam: *Pannonii cum Noricis in Histriam Incursiones fecerunt, & à Silio ejusque Legatis Incommodis affecti, rursus Pacem acceperunt, Noricisque etiam Causam Servitutis præbuerunt.*

XIX. Postea Romani proximos Danubio Pannones subegerunt, M. Valerio Messalla, P. Sulpicio Quirinio, Consulibus: Anno Urbis 741, ante C. N. 10. Dio Cassius Lib. LIV: de Augusto Imperatore: *Agrippam ex Syria reversum, Tribunitiâ Potestate in aliud Quinquennium prorogatâ honestavit, ac in Pannoniam, ubi jam Bellum gliscebat, cum majori Imperio, quam nullus alius extra Italiam haberet, misit. Agrippa eam Expeditionem, jam Hieme instante, quâ M. Valerius Messalla Barbatus, & P. Sulpicius Quirinius Consules fuere, fecit.* Ibidem, post quædam: *Tiberio prius ademta, quam habebat, Uxore [Filia Agrippæ ex alia, quam Iuliâ Conjuge] quæ & Infantem ex eo natum jam alebat, & Uterum ferebat, Iuliam ei despondit: ac contra Pannonios eum misit: qui, cum Metu Agrippæ quievissent, eô defuncto, ad Bellum consurrexerant. Eos Tiberius, usus egregiâ Scordiscorum, qui Pannoniorum Fines attingebant, eodemque Belli Apparatu utebantur, Operâ, multis Maleficiis, Agro Mortalibusque impositis, domuit, Arma ademit, Iuniorum plerosque in alias Regiones abducendos vendidit.*

XX. Easdem & Noricorum, & Pannonum, & aliorum Provincias Danubio vicinas, sub Augusti Cæsaris Imperio, per Tiberium Cæsarem Romanis subjectas fuisse, commemorat Vellejus Paterculus Lib. II. Cap. XXXIX: *At Tiberius Cæsar quam certam Hispanis parendi Confessionem extorserat Parens, Illyriis Dalmatisque extorsit. Rhætiam autem & Vindelicos, ac Noricos Pannoniamque & Scordiscos, novas Imperio nostro subjunxit Provincias.*

XXI. Iam, post alios ad Danubium Populos, maximè Pannones, Anno ante Christum Natum 10, à Romanis oppressos: Maroboduus, si procul à Romanis, multas circa Danubium Terras possidentibus, & facillimô per Danubium in Germaniam Transitu potitis, Marcomannos abducturus, è Terris Moravicis, ad Danubium extensis, in Bohemicas, à Danubio remotiores, denso Herciniæ Silvæ Munimento circumdatas, transtulit: an non *Exteriora*, simul & potentissimis, & felicissimis Hostibus obnoxia, refugiens, hoc Pacto ad *Interiora* confugit?

XXII. Quo minus autem, si non citius, at non diu post Pannones Romanis subjectos: inter spatium Temporis ab Anno Urbis 741, ante C. N. 10: ad Annum Urbis 758, Christi 6. per XV. Annos: Maroboduus è Moravia in Bohemiam Marcomannos transferre potuerit, nihil obstare video.

XXIII. Nam Tiberius Cæsar, Augusti Cæsaris Filius adoptivus, Expeditionem adversus Dalmatas suscepit, M. Æmilio Lepido, L. Aruntio, Consulibus: ut Dio Cassius Lib. LV. tradit: hoc est, Anno Urbis 758. Christi 6. At eodem Anno, Tiberius Cæsar Bellum adversus Maroboduum, Marcomannorum Regem, jam Bohemiâ potitum, ipse Dalmatico Bello implicatus, gerere non poterat: & propterea Sentio Saturnino gerendum committebat: ut Vellejus Paterculus Lib. II. Cap. CIX. refert, cujus Verba reperiuntur allegata §. XII.

XXIV. Ergo Sententiam eorum, qui Marcomannos, antequam sub Rege Maroboduo in Bohemiam commigrarent, jam in Moraviâ sedisse judicant, Philippus Cluverius arguit quidem, non autem convincit Erroris. Cur igitur Marcomannis in Moravia Sedem antiquissimam constituentium Iudicia pro meris Nugis habet?

Negationis Confirmatio III.

XXV. Argumentum tertium, quod Marcomannis Sedem in Moravia nullam concedit, est: *Si Marcomannis, cum in Bohemiam transierunt, in Moravia fuit Sedes: post eorum Discessum Moravia fuit Incolis destituta.* Sed hoc, quanquam notabile, quia nusquam in Monumentis reperitur: nec Indicia desunt, ex quibus, post Marcomannorum in Bohemiam Transitum, Moraviam habitatam colligi potest, peritis Antiquitatum Animis absur-

dum est. Quare Marcomanni, cum novissimam, in Bohemia fixerunt, non reliquerunt antiquissimam in Moraviâ, sed alibi retentam hactenus Sedem.

Confirmationis III. Refutatio.

XXVI. At hæc tanti non est Ratio, ut à Sententiâ suâ revocare possit eos, qui Marcomannos ex Moravia in Bohemiam sub Maroboduo digressos judicant.

XXVII. Nam primò, cum Maroboduus Bojos ex Bohemia [Bojorum Patria, Bojohemia] depulit, & in eam Marcomannos transtulit: Num Bojos in Bohemia delevit omnes: omnes in Bohemiam traduxit Marcomannos? Id neque Strabo [cujus Testimonium §. XXVIII. proferemus] neque Tacitus docet, cujus hæc sunt in Germania, Cap. XXVIII: *Inter Hercyniam Silvam, Rhenumque & Mœnum Amnes Helvetii: ulteriora Boji: Gallica utraque Gens, tenuere. Manet adhuc Bojemi Nomen, significatque Loci veterem Memoriam, quamvis mutatis Cultoribus.* Cap. XLII: *Præcipua Marcomannorum Gloria Viresque: atque ipsa etiam Sedes, pulsis olim Bojis, Virtute parta.* Certe parum congruit Vero, Marcomannos Sedem priscam, multis Sæculis, ab Alexandri Magni Ævo, quò jam vicini Quadis fuerunt, [id postea ostendemus §. 45.] retentam, vel Hostibus, vel aliis occupandam reliquisse totam.

XXVIII. Præterea Maroboduus non Marcomannos tantum, verum alios etiam multos Populos in Bohemiam transtulit. Strabo in Geographia, Lib. VII: (pag. 201.) de Germania: Ἐν ταυτῇ δ' ἐστὶ καὶ ὁ ἑρκύνιος δρυμὸς, καὶ τὰ τῶν Σουήβων ἔθνη, τὰ μὲν οἰκοῦντα ἐντὸς τοῦ δρυμοῦ καὶ πάπω τὰ τῶν κολδέλων, ἐν οἷς ἐστι καὶ τὸ Βοΐασμον [alii Βουβίεμον, alii Βοΐαιμον] τὸ τοῦ μαροβόδου βασίλειον. Εἰς ὃν ἐκεῖνος τόπον, ἄλλας τε μετανέστησε πλείους, καὶ δὴ καὶ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ μαρκομάνους. Ἐπέσχε γὰρ τοῖς πράγμασιν οὗτος ἐξ ἰδιώτου μετὰ τὴν ἐκ Ῥώμης ἐπάνοδον. Νέος γὰρ ἦν ἐνθάδε, καὶ εὐεργετεῖτο ὑπὸ τοῦ σεβαστοῦ. Ἐπανελθὼν δὲ ἐδυνάστευσε καὶ κατεκτήσατο πρὸς οἷς εἶπον, Λουΐους τὲ μέγα ἔθνος, καὶ Ζιμβρους, καὶ Βάτονας δὲ μαγίλωνας, καὶ Σιβινοὺς, καὶ τῶν Σουήβων αὐτῶν μέγα ἔθνος Σέμνονας. *In hac est etiam Hercynium Nemus, & Suevorum Nationes, partim sanè habitantes intra Nemus, quemadmodum Cordulorum Gentes. In quibus exstat Boviasmum* [alii Bubiemum, alii Boiemum] *Marobudi Regia. In quem ille Locum, cum alios complures traduxit, tum etiam Populares suos, Marcomannos. Siquidem hic, cum ante privatus fuisset, post Reditum ex Urbe Roma, Rebus administrandis præfectus est. Adolescens enim illic vixit, & Beneficiis ornatus est ab Augusto. Reversus autem in Patriam regnare cœpit, &, præter Gentes, quas nominavi, etiam Lujos, magnam Gentem, & Zumos, Butones, Mugilones, Sibinos, & ipsorum Suevorum populosam Nationem Semnones Imperio suo adjecit:* Tot Populos, prioribus Patriis relictis, totos in unam Bohemiam, qvibus omnibus capiendis ea non fuit, quis translatos credat?

XXIX. Quantum igitur conjicere possumus: Maroboduus, ille plurimorum Populorum Rex, potissimum sibi consulturus, ut procul à Romanis haberet Regiam, ubi suis, non tantum Marcomannis, sed cæteris etiam Populis, suæ Potestati subjectis, circa Bohemiam sedentibus, & tutius, & commodius imperare posset, in Bohemiam digressus, multos in Moravia residuos Marcomannos, patriæ, tum Regionis Custodes, tum Gentis Propagatores, sibi, quamvis intra Bohemiam agenti, subditos intra Moraviam habuit: à quorum Posteris cæteri Moravi, quos ibi Sæculum posterius vidit, provenerunt.

XXX. Quid multis? Marcomannos à Maroboduo non omnes in Bohemiam translatos, sed multos in Moravia relictos esse, clarissimò Testimonio patefaciam. Maroboduus enim Marcomannos, si non paulo ante Christum natum, certe primis Annis post eum natum, priusquam Tiberius Cæsar Anno Urbis 758, Christi 6, Expeditionem in Marcomannos suscepit, in Bohemiam transtulit: ut §. XI & XXIII. demonstravimus. Hi vero Marcomanni, quos Maroboduus in Bojorum Patriam traduxerat, ideoque Bojohemos Antiquitas nominat, postea Sedem, à cæteris Marcomannis, extra Bohemicas Terras, distinctam habuerunt. Hinc per eam, & à Bojohemis, & à Quadis, tanquam ab utrisque diversus Populus, separabantur. Id Testimonium nobis præbet Claudius Ptolemæus, Sæculo Christi secundo, sub Imperatore Marco Antonino superstes, in antiqua Geographia, Lib. II. Cap. XI: Ὑπὸ δὲ τὴν Γαβρίσαν ὕλην, ΜΑΡΚΟΜΑΝΟΙ. Ὑφ' οὓς ΣΟΤΔΙΝΟΙ. Καὶ μέχρι τοῦ Δανουβίου ποταμοῦ οἱ ΑΔΡΑΒΑΙΚΑΜΠΟΙ. Ὑπὸ δὲ τὸν ἑρκύνιον δρυμὸν ΚΟΤΑΔΟΙ. Ὑφ' οὓς τὰ σιδηρυχεῖα, καὶ ἡ ΛΟΥΝΑ ὕλη. Ὑφ' ἣν μέγα ἔθνος, οἱ ΒΑΙΜΟΙ, μέχρι τοῦ Δανουβίου. *Sub Gabrita vero Silva MARCOMANNI: Sub quibus Sideni: & usque ad Danubium Fluvium Adrabæcampi. Sub Silva autem Hercynia QUADI. Sub quibus Ferri Minera, & Luna Silva. Sub qua Gens magna BÆMI, usque ad Danubium.*

XXXI.

XXXI. Quamobrem, quoniam Marcomannos, Quadis proximos, Sedem ab Alexandri Magni Temporibus, (id poſtea oſtendemus) quibus utrique circa Danubium, in Germanorum Populis extremi, Sarmatis vicini, tenebant, ſub Auguſto Cæſare, cum in Bohemiam diſceſſerunt, circa Rhenum, non in Moraviâ, tenuiſſe, nondum idoneo Argumento quisquam oſtendit: adhuc ſtat eorum Sententia, qui Marcomannis Sedem in Moravia ſemper fuiſſe judicant.

XXXII. Scilicet non præter Cauſam *Marcomannos Moravos*, Marcomanniamque Moraviam Viri doctiſſimi ſtatuunt. Æneas Sylvius in Hiſtoria de Europa, Cap. XXXIII: *Quantum vero ex Lectione Ptolemæi accipere licet, Marcomanni & Sudini Candique Moraviam & Auſtriam, quæ trans Danubium jacet, incoluiſſe videntur.* Bilibaldus Pirckheimerus in Deſcriptione Germaniæ: *Marcomanni Merhern.* Andreas Althamerus in Scholiis ad Taciti Germaniam, Cap. XLII: *Ex quibus conſtat, Marcomannos primum circa Gabretam Silvam, id eſt Boëmicam, quæ in Suevis jacet, habuiſſe Sedes: ubi nunc Regio, quæ Moravia, Merhenland dicitur, ſita eſt.* Iodocus Willichius in Commentariis ad Taciti Germaniam, Parte II. Cap. XXI: *Gabreta autem Silva Boihemicorum montanorum ad Auſtrum Partem complectitur, circa quam habitarunt olim Marcomanni, id eſt, Moravi.* Henricus Glareanus in Annotationibus ad Iulii Cæſaris de bello Gallico Librum I. Cap. LI: de Marcomannis: *Satis conſtat, eſſe Moravienſes.* Stanislaus Sarnicius in veteris Poloniæ Chorographia: *Etſi autem variè ſe torquent Autores, Nomen Marcomannorum exponentes: tamen liquet, hac voce Populos illos intelligi, qui ad Flumen Moravam habitarunt, à quo etiam Nomen ſibi acquiſiviſſe, Sonus ipſe indicat.* Ioannes Stumpfius in Chronicis Helveticis Lib. II. Cap. IV. *Marcomanni Meerhern.* Abrahamus Ortelius in Theſauro Geographico: *Marcomannia Regio, ut Iulius Capitolinus habet. Merhern hodie eſt.* Petrus Montanus in Notis ad Claudii Ptolemæi Geographiam, Lib. II. Cap. XI. *Marcomanni: Marrhenland: Moravia.* Guidus Pancirolus in Commentario ad Occidentalis Imperii Notitiam, Cap. XXII: *Honoriani Marcomanni Seniores, & Honoriani Marcomanni Iuniores, ex illis Germaniæ Populis ſunt contracti, qui nunc Moravi vocantur.* Ibidem Capite LXXXIII: *Tribunus Gentis Marcomannorum, quos nunc Moravios vocant.* Plures huic Sententiæ ſubſcribentes indicabimus §. LIV.

QUA-

QUADORUM in Suevia Sedes An intra SILESIAM.

XXXIII. Nunc igitur, poſtquam Marcomannis in Moravia Sedem reſtituimus: ſupereſt, ut etiam Quadorum, ſemper Marcomannis proximorum, in Sileſia Sedem à ſuis Oppugatoribus vindicemus: quorum Vis omnis duobus innititur Argumentis.

Negationis Confirmatio I.

XXXIV. Prius Argumentum, quod in Sileſia Sedem Quadis adimit, eſt: *Sedem in Moravia fuiſſe Quadis.* Sic ſtatuit Philippus Cluverius in antiqua Germania Lib. III. Cap. XXXI: *Termini igitur Quadorum antiquitus fuerunt, ut ante dictum, à Meridie Danubius, ab Occaſu æquinoctiali atque æſtivo: primò Cluna Amnis, dein Bojohæmici Montes, ad Mari usque confluentem: ab Ortu æſtivo Marus.* Melchior Goldaſtus in Commentariis de Bohemia, Lib. I. Cap. XII. §. II: *QUADI ergo primi omnium fuerunt, qui Moraviam habuiſſe in Literarum Monumentis commemorantur.* Ibidem, poſt quædam: *Moraviam, non Sileſiam: ut plerique omnes hactenus opinati ſunt: quos eruditè confellit Cluverius.*

Confirmationis I. Refutatio.

XXXV. Philippus autem Cluverius quod audacter aſſerit, non evidenter oſtendit. Nam præcipua, quibus Opinionem ſuam fulcit, huic Fundamento innituntur: *Marcomannos prius circa Rhenum, poſt in Bohemia, nunquam in Moraviæ Sedem habuiſſe:* quod per ea, quæ protulimus, jam proſtratum jacet.

XXXVI. Non igitur mirum, à Philippo Cluverio Quados in Moraviam, ubi Marcomannos nunquam hæſiſſe putat, eſſe collocatos. Unus enim, vel nunquam, vel rarò tam ſterilis Error eſt, ut plures non pariat. Nimirum, Clariſſimus ille Vir, cum Sedem Marcomannis antiquiſſimam dediſſet ad Rhenum, & inde progreſſis noviſſimam crederet univerſis contigiſſe Bohemiam: hoc Pacto vacuam Incolis Marcomanniam, quæ noſtris Temporibus Moravia dicitur, implevit Quadis.

Negationis Confirmatio II.

XXXVII. Poſterius Argumentum, quod in Sileſia Sedem Quadis ſubducit, eſt: *Quadiam fuiſſe quandam velut Germaniæ Frontem Danubio prætextam.*

XXXVIII. Id Tacitus indicat de Germania Cap. XLII: *Iuxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomanni & QUADI agunt. Præcipua Marcomannorum Gloria Viresque, atque ipsa etiam Sedes, pulsis olim Bojis, Virtute parta, nec Narisci QUADI vè degenerant. Eaque GERMANIÆ velut FRONS est, quatenus DANUBIO prætexitur.* Quibus in antiqua Germania Philippus Cluverius prolatis verbis addit Lib. III. Cap. XXXI: *Ergo & QUADI in DANUBII Ripa: Scilicet infra Marcomannos.*

XXXI. At hodie Silesia, Meridiem versus, ubi Iablunca reperitur, extrema, novem Milliaribus Germanicis à Danubio distat. Non igitur par est, ut vel Quadia pro Silesia, vel Quadi pro Silesiis habeantur.

Confirmationis II. Refutatio.

XL. Sed huic etiam Opinionis caducæ Fulcro, partim labefactando, partim subvertendo servientia Instrumenta non desunt.

XLI. Nam primò, cur Tacitus *Quadiam* appellavit Germaniæ, non *Frontem*, sed *velut Frontem?* Num propter Vocis Notionem: quoniam Germaniæ, non propriè, sed impropriè Frons Quadia fuerit? An propter Rei Conditionem: quoniam Germaniæ, non ipsa *Frons*, id est, Danubio, Romanorum Germanorumque Limiti proxima, sed *velut Frons*, id est, à Danubio remotior fuerit Quadia?

XLII. Deinde, num Tacitus Quadiam Germaniæ nominat velut Frontem, *quatenus Danubio prætexitur?* Nam, si melioribus Codicibus, & ineditis, & editis credimus: scripsit Tacitus, non, *quatenus Danubio prætexitur*, sed, *quatenus Danubio pergitur.* Ita repererunt in MStis Iustus Lipsius, Curtius Pichena, Christophorus Colerus, ut in Notis ad hunc Locum testantur. Ita legitur in Tacito, quem Matthias Berneggerus Argentorati M. DC. XXXVIII: Ioannes Fridericus Gronovius Amstelodami M. DC. LXXII. Theodorus Ryckius Lugduni Batavorum M. DC. LXXXVII. emisit. Quid autem sibi vult; *quatenus Danubio pergitur?* Num *quatenus*, vel *circa Danubium*, vel *ad Danubium*, an *à Danubio* in remotiora Loca pergitur?

XLIII. Fac, intelligi Tacito, ut cæteras Provincias, Hermunduriam, Narisiam, Marcomanniam, sic Quadiam, omnino Germaniæ Frontem Danubio prætextam, id est, proximam. Num sic ad Danubium extensa Quadia non esse potest, à Danubio per novem Milliaria Germanica remotior Silesia? Quem in Historicis Geographicisque satis versatum latet, longè plurimas Regiones, quondam in latius porrectas, nunc in angustius contractas

tractas inveniri: quas tamen, sub Populorum, & veterum, quorum ampliores fuerunt, & recentium, quorum arctiores sunt Patriæ, quanquam Nominibus diversis denotatas, easdem censet justus eruditorum Virorum Consensus? Non enim tam ex Finibus, quam ex Terris, intra Fines, seu majores seu minores sitis, Iudicium de Provinciis, earumque Populis est ferendum.

XLIV. Sic Argumenta, quorum Fiduciâ Philippus Cluverius Sedem Marcomannis ad Rhenum antiquissimam, in Bohemia novissimam, in Moravia nullam tenuisse contendit: &, quemadmodum Bohemos in Marcomannos, ita Marcomannos in Quados convertit: hoc est, antiquos intra Bohemiam Moravos, intra Moraviam Silesios constituit, si fortius inspiciantur, inefficacissima deprehenduntur. Sic Adversarios, qui Marcomannos pro Moravis, Quados pro Silesiis habent, acriter quidem oppugnat, non autem feliciter vincit.

QUADORUM in Suevia Sedes intra SILESIAM.

XLV. Quadi, Archonte Athenis Evæneto, Olympiade III, Anno II, ante Christum Natum 333: cum Alexander Magnus ad Danubium pervenit, Germanicarum Gentium extremi, Marcomannis ad Occidentem, Sarmatis Iazygibus ad Meridiem, Bastarnis ad Orientem proximi, Sedem circa Danubium habebant.

XLVI. Tempus nobis indicat Diodorus Siculus Lib. XVII. Cap. II. Interprete Laurentio Rhodomanno: *Cum Archon Athenis Evaenetus, Romæ Consules essent L. Furius & C. Mænius: Alexander Gubernaculis Regni susceptis, justas ante omnia Pœnas Cædis paternæ Autoribus inflixit.* Ibidem, Cap. VIII: *Alexander verò compositis Græciæ Motibus, Arma in Thraciam expedit, Gentesque multas ibi tumultuantes perterrefaciens, ad imperata faciendum cogit. Tunc & Pœoniam Illyridemque & conterminas hisce Terras invadit, & Incolarum plurimis, qui à Fide Regis desciverant, subactis, Barbaros illis Finitimos Imperio suo adjungit.*

XLVII. Rem nobis exponit Arrianus Nicomediensis, in Historiarum, quas de Alexandri Magni Expeditione scripsit, Lib. I: Ἀπὸ δὲ τῆς μάχης ἀρξαῖος ἀφικνεῖται Ἀλέξανδρος ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν ἼΣΡΟΝ ποταμῶν τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην μέγιστον ὄντα, καὶ πλείστην γῆν ἐπερχόμενον, καὶ ἔθνη μαχιμώτατα ἀπείργοντα, τὰ μὲν πολλὰ κελτικά, ὅθεν γε καὶ αἱ πηγαὶ αὐτῷ ἀνίσχουσιν. Ὧν τελευταίους, ΚΟΤΑ-

ΔΟΤΣ κῃ ΜΑΡΚΟΜΑΝΟΤΣ, ἐπὶ δὲ Σαυροματῶν Μοῖραν, Ιάζυγας. Id est, Interprete Bonaventura Vulcanio: *Tertiô post hanc Pugnam Die Alexander ad Istrum Flumen pervenit, omnium, quæ in Europa sunt, maximum, quodque plurimum Terræ aluit, & bellicosissimas Nationes suo Tractu complectitur: ac quidem præcipuè CELTICAS, à quibus etiam Fontes ejus oriuntur. Harum Nationum extremi sunt QUADI & MARCOMANNI, deinde IAZYGES, Pars SAUROMATARUM.* His Quadorum in Germaniæ Provincia Silesia Sedem indicari, quô distinctius, eô clarius, ostendemus.

XLVII. Primo, Quadi fuerunt Germani: quanquam, ut Marcomanni, vocentur Celtæ. Nam Germanos etiam, non tantum Gallos, & alios Europæos, Celtas nominari constat. Id ostendimus hoc Libro Cap. II. & V. Accedit, quod & Marcomannos & Quados, quos Arrianus inter Celtas refert, Tacitus in Germanis recenseat in Germania Cap. XLII & XLIII. Præterea, Germanos esse, quos Arrianus Celtas vocat, Res ipsa loquitur. Hos enim ad Istrum, hoc est, Danubium, habitavisse narrat: in quorum Terris Fontes Danubii promanant. Oriuntur autem in eô Solo, quod Germanis etiam veteres Scriptores attribuerunt. Plinius Lib. IV. Cap. XII: *Inde Ostia ISTRI. Ortus hic in GERMANIÆ Iugis Montis Abnobiæ, ex adverso Raurici Galliæ Oppidi, multis ultra Alpes millibus, ac per innumeras lapsus Gentes, DANUBII Nomine, immenso Aquarum Auctu, & unde primum Illyricum alluit, ISTER appellatus, sexaginta Amnibus receptis, medio ferme Numero eorum navigabili, in Pontum vastis sex Fluminibus evolvitur.* Silesios vero Germanos esse quis neget?

XLIX. Secundô, Quadi fuerunt extremi Germanorum circa Danubium: qui Germanicis & Sarmaticis Gentibus ad Meridiem pro Limite fuit: ut Cap. VI. planum fecimus. Quis autem ignorat, in Germania Silesiam, quatenus Superior dicitur, non adeo multum à Danubio distare, cui fuit, cum Quadiæ Nomen sustinebat, si non proxima, certè propinquior: ut ex iis, quæ jam §. XL. & sequentibus, in medium attulimus, patet.

L. Tertiô, Quadi fuerunt Marcomannis proximi. Commemorat id Tacitus etiam in Germania Cap. XLII: *Iuxta Hermunduros Narisci, ac deinde MARCOMANNI ac QUADI agunt.* Ibidem, post quædam: *MARCOMANNIS QUADISque usque ad nostram Memoriam Reges manserunt.* Cap. XLIII: *Marsigni, Gothini, Osi, Burii, Terga MARCOMANNORUM QUADORUMque claudunt.* Silesii verò

verò Marcomannis, quos esse Moravos supra demonstravimus, etiamnum vicini sunt.

LI. Tertiô *Quadi*, non Marcomannis tantum, verum etiam Sauromatis, hoc est, *Sarmatis* proximi fuerunt, in Germanis extremi. Reperimus autem duplicis Generis Sarmatas, cum *Iazyges*, tum *Bastarnas*: quorum illi ad Meridiem, hi ad Orientem proximi fuerunt Germanis. Quadis, inter Germanos ultimis, proximi fuerunt ad Meridiem Sarmatæ Iazyges. His Sedes circa Danubium erat Regio, ad Amnem Tibiscum, hodie Teissam, extensa. De quâ Claudius Ptolemæus in Geographia, Lib. III. Cap. VII. Interprete Bilibaldo Pirckheimero: *IAZYGES Metanastæ terminantur à Septentrionibus Parte Sarmatiæ in Europa explicatæ: ab Austro vero Sarmaticis Montibus, usque ad Carpatum Montem: ab Occasu autem & Meridie, dicta GERMANIÆ Parte, quæ est à Sarmaticis Montibus usque ad Flexum DANUBII, qui juxta Carpim est: & hinc DANUBII Fluminis Parte, usque TIBISCI Amnis Divertigium.* Iam illa Regio, quam Sarmatæ proximi Quadis ad Meridiem possederunt, Hungaris subest: quos in Teschinensium Terrâ Silesii Superiores habent conterminos.

LII. Quartò Quadi *Sarmatis*, quemadmodum circa Danubium ad Meridiem *Iazygibus*, sic ad Orientem circa Vistulam *Bastarnis* proximi fuerunt. Nam, cum in Germaniæ Populis, circa Danubium, extremi Sarmatas Iazyges, id est, Hungaros, ut diximus, vicinos ad Meridiem habuerint: ad Orientem non alium Germanis oppositum Populum vicinum habere potuerunt, præter Sarmatas Bastarnas: quibus Sedes circa Danubium erat Regio ad Fluvium Vistulam, hodie Weixeliam, extensa. De quâ Claudius Ptolemæus in Geographia, Lib. II. Cap. XI: Interprete Bilibaldo Pirckheimero: *GERMANIÆ Latus Occidentale Rhenus terminat, Septentrionale verò Germanicus Oceanus.* Ibidem, post quædam: *Orientale autem Latus terminat Distantia, quæ fit à Flexu præfato, ad superjacentes Sarmatarum Montes.* Iterum post quædam: *Præterea Distantia, quæ est post Montes, ad dictum Caput VISTULÆ Fluvii, & ipse etiam Fluvius usque ad Mare.* Ibidem, Cap. V: *Sarmatia, quæ in Europa est, definitur à Septentrionibus Oceano Sarmatico.* Ibidem post quædam: *Ab Occasu verò terminatur VISTULA Fluvio, & Linea, quæ est inter Caput ipsius, & Sarmaticos Montes.* Nunc illa Regio, quam Sarmatæ proximi Quadis possederunt, Polonis subest: quos in Teschinensium Terra, ubi Fons Vistulæ promanat, Silesii Superiores habent confines.

LIII. Hæc cum ita ſint: nec alia reperiatur Germaniæ poſtrema Terra, Quadis aſſignanda, quæ Marcomannis, hoc eſt, Moravis ad Occidentem: Sarmatis Iazygibus, hoc eſt, Hungaris ad Meridiem: Sarmatis Baſtarnis, hoc eſt, Polonis ad Orientem proxima ſit: niſi, quæ Superior appellatur, Sileſia: vix ac ne vix quidem Dubium ſuperierit, Quados Sedem in Germania tenuiſſe, licet ampliorem, tamen eandem, quam hodie Superiores Sileſii tenent.

LIV. Non errant igitur, à quibus, ut *Marcomanni* pro *Moravis*, ſic *Quadi* pro *Sileſiis* habentur. Ioannes Dubravius in Hiſt. Bohem. Lib. VIII: de Sileſia: *Hæc quondam à Quadis, ſicut Moravia à Marcomannis regnabatur.* Martinus Boregkius in Bohemiæ Chronico, Parte I: de Sileſia: *Dieſelbe haben die Quaden bewonet, gleichwie das Mehrerland die Marcomanni.* Iacobus Auguſtus Thuanus, Initio Lib. II. Hiſtoriarum: *Nam & hodie Marcomanni ſeu Moravi, Quadi ſive Sileſii, ac denique Boemi, qui omnes priſcis Germaniæ Finibus continentur, Illyrica ſeu Slavica Lingua utuntur.* Nicolaus Henelius in Sileſiographia Cap. I: *Hoc tantum aſſeram, quod fidenter ab omnibus poſitum, & plerisque Doctis conſtanter creditum, neque id refragantibus Conjecturis: Regionem nimirum hanc, quæ Sileſia poſterius dicta eſt, Quadis olim, Marcomannorum & Conterminis & Sociis fuiſſe habitatam.* Ioachimus Curæus in Sileſiæ Annalibus: *Manet autem hodie Appellatio Marcomannorum, qui ſunt Moravi.* Poſt quædam: *Quadi collocantur, ut ſint magis Orientales, quam iſti (*Nariſci*), ita ut verſus Occidentem vicinos habeant Marcomannos: ad Orientem & Aquilonem Lygios, ad Auſtrum Pannonios. Et occuparunt hac Ratione bonam Partem Moraviæ, Sileſiæ illius, quæ nunc dicitur Superior: ubi ſunt Ducatus Teſchinenſis, Ratiborienſis, Opolienſis, Oppida Epiſcopi Vratislavienſis.* Eadem tranſtulit Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronicon, Lib. I. Cap. I. & Fridericus Lucas in Memorabilium Sileſiacorum Partem I. Cap. I. Parem in modum Marcomannos pro Moravis, Quados pro Sileſiis agnoſcunt Erneſtus Brotuffus in Martisburgenſium Chronico Lib. I. Cap. IV. Cyriacus Spangenbergius in Saxoniæ Chronico, Cap. I. Præterea Sileſiis Quados annumerant, Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. I. Cap. XII. Zacharias Schneiderus in Lipſienſi Chronico Lib. I. Davides Schweinicius in Præfatione, quam Genealogiæ Schweiniciorum præmiſit. Ioannes Crato in Narratione, quam de Sileſia ſcripſit, Laurentius Peccenſteinius Expoſitioni Rerum Sileſiacarum præmiſit.

LV. Quamobrem *Quadi* etiam, non *Lygii* tantum, merito à nobis & exiſtimantur, & declarantur *Sileſiorum* Majores: in quibus *Sileſiam* inferiorem *Lygios*, ſuperiorem *Quados* Sede firmâ coluiſſe, poſtea oſtendemus.

CAPUT XV.

SILESIORUM MAIORES LYGII & QUADI,

Ante CHRISTUM natum.

I.

HActenus Sileſiorum Majores in Germanis Suevos, maximè Lygios & Quados, quorum illis Inferior, his Superior Sileſia pro Sede fuit, quantum fieri potuit, demonſtravimus. Iam ſupereſt oſtendendum, intra Lygiam & Quadiam, id eſt, utramque Sileſiam, ſemper adeo firmiter hæſiſſe tum Lygios, tum Quados, ut quanquam Exteris, partim aliis Germanis, partim Slavis permixti, nunquam non plures in Patria ſua relinquerent, quibus, tanquam ſuis Majoribus, etiamnum Sileſii, tanquam Poſteri, Iure gaudeant. Non enim Gentem à Gente ſolus, quanquam potiſſimum vel Ortus, vel Sermo, verum etiam Regio diſtinguit.

II. Quin & Lygii & Quadi ſuas intra Sileſiam Sedes ante CHRISTUM natum habuerint, non habet, cur dubitet, quisquis Animo repetit, quæ jam de Lygiis Quadisque commemoravimus, Cap. XIII. & XIV.

III. Lygios enim, Sileſiorum Majores, ante CHRISTUM natum, exſtitiſſe potentem Populum, ipſa crebro laudati Strabonis Ætas nobis indicat. Is Geographiam ſuam, poſt Noricos & Carnos à Tiberio & Druſo devictos, Anno XXXIII ſcripſit. Hoc narrat Lib. IV: *Poſt hos*, inquiens, *vicini jam Adriatici Sinus intimo, & Locis ad Aquilejam habitant Noricorum quidam & Carni: Noricorum ſunt etiam Tauriſci. Horum omnium crebris Incurſionibus Finem impoſuit Tiberius & ejus Frater Druſus unica Æſtate. Et jam Annus agitur tertius ſupra trigeſimum, ex quo quieſcentes Tributum legitimè perſolvunt.* Noricus autem Tiberius & Druſus Romanæ Poteſtati ſubjecerunt, M. Druſo Libone, L. Calpurnio Piſone Conſulibus, ut Dio Caſſius Lib. LV. refert, id eſt, Anno Urbis 738, ante C. N. 13. Proinde Strabo ſcripſit Anno Chriſti 20 Geographiam ſuam. Ibi vero Lygiorum quos Lujos appellat, tanquam Populi veteris, cujus Magnitudo in Germanis Suevis

Suevis excreverit, Mentionem facit Lib. VII: ubi Λυΐους μέγα ἔθνος, *Lujos magnam Gentem* nominat.

Ante CHRISTUM natum 333.

IV. Quadi autem Sileſiorum Majores ante CHRISTUM natum Anno 333, ipſis Alexandri Magni Temporibus, in Germania poſtremam Terram poſſidebant, ad Occidentem Moravis, ad Meridiem Hungaris, ad Orientem Polonis confines: ut Cap. XIV. §. 47, & ſequentibus, commemoravimus.

V. Pos illa Iulius Cæſar, Cn. Pompejo Magno iterum, M. Licinio Craſſo, Conſulibus, Anno Urbis 698, ante C. N. 53. primus è Romanis in Germaniam, ut Hoſtis, Rhenô tranſibat, Sicambros [Quadis Lygiisque longinquos] debellaturus: de quô agunt, Suetonius in Iulio Cap. XXV. Dio Caſſius in Hiſtoriâ Lib. XXXIX. Non multô poſt, idem Cæſar, Cn. Domitio Calvino, M. Valerio Meſſalla, Conſulibus, Anno Urbis 700, ante C. N. 51. adverſus Suevos [quorum Pars Lygii & Quadi fuerunt] Expeditionem ſuſcipiebat: quam deſcribunt Florus Lib. III. Cap. X. §. 14. Dio Caſſius Lib. XL. Tum in Suevis & Lygios, & Quados, illos, ut bellicoſiſſimam, hos, ut magnam Gentem, repertos, non eſt, cur dubites: quia Suevi omnes contra Cæſarem in unum Locum convenerunt. Cæſar de Bello Gallico Lib. VI. Cap. VIII: *Cognita Cæſar Cauſa, reperit, ab Suevis Auxilia miſſa eſſe: Ubiorum Satisfactionem accepit, Aditus Viasque in Suevos perquirit. Interim paucis poſt Diebus fit ab Ubiis certior, Suevos omnes in unum Locum Copias cogere, atque iis Nationibus, quæ ſub eorum ſunt Imperio, denuntiare, ut Auxilia Peditatus Equitatusque mittant.* Ibidem, poſt quædam, Cap. IX: *Mandat, ut crebros Exploratores in Suevos mittant, quæque apud eos gerantur, cognoſcant. Illi Imperata faciunt, & paucis Diebus intermiſſis, referunt SUEVOS OMNES, poſteaquam certiores Nuntii de Exercitu Romanorum venerant, cum omnibus ſuis Sociorumque Copiis, quas coegiſſent, penitus ad extremos Fines ſe ſe recepiſſe.*

QUADORUM Rege TUDRO.

VI. Inter omnes Quadorum Reges, non alium reperimus antiquiorem, quam TUDRUM, Natione Quadum: cujus Progenies ad Cornelii Taciti Ætatem (id eſt, Sæculi primi Finem) Quadis præfuit. Tacitus in Germania, Cap. XLII: *Marcomannis Quadisque usque ad noſtram Memoriam Reges manſerunt ex Gente ipſorum, nobile Marobodui & TUDRI Genus.*

Iam & externos patiuntur; ſed Vis & Potentia Regibus ex Autoritate Romana. Quid autem Quadi Rege TUDRO geſſerint, non invenire potuimus.

VII. Prævalidam Quadorum Potentiam peregrini loquuntur in Germania Populi, Gothini Gallica, Oſi Pannonica Gens: quarum utraque tributaria fuit Quadis, Gothinos etiam Ferri Foſſores habentibus. Tacitus in Germania Cap. XLIII: *Gothinos Gallica, Oſos Pannonica Lingua coarguit, non eſſe Germanos: &, quod Tributa patiuntur. Partem Tributorum Sarmatæ, Partem Quadi, ut Alienigenis, imponunt. Gothini, quô magis pudeat, & Ferrum effodiunt.*

VIII. Multis etiam poſt CHRISTUM natum Sæculis, utraque, cum Lygiorum, tum Quadorum Gens, intra Sileſiam Sedes ſuas retinuit: niſi quod eas prô diverſo Temporum & Eventuum Habitu, mox in latius extendit, mox in anguſtius contraxit: quemadmodum patebit ex iis, quæ proferemus.

CAPUT XVI.

SILESIORUM MAIORES LYGII & QUADI,

Poſt CHRISTUM natum SÆCULO I.

Romanorum Imperatore AUGUSTO.

I.

IAm, quicquid Memoriâ dignum de Lygiis & Quadis, tanquam Sileſiorum Majoribus, annotatum reperimus, Temporum Ordine proferemus. Eum Annis Romanorum Imperatorum, cum quibus Lygii, maximè Quadi, crebro Bella geſſerunt, applicabimus. Auguſtus Imperio, cujus Initium, poſt Iulium Cæſarem occiſum, in Annum Urbis 709, ante Chriſtum natum 42, incidit, ad Annum Urbis 766, Chriſti 14, præfuit.

II. Illum Pannoniæ Tractum, quem Danubius & Dravus Amnes claudunt, Galerius Maximianus Imperator [Anno Urbis 1063, Chriſti 311, mortuus] in Uxoris, quæ Diocletiani Cæſaris erat Filia, Memoriam, cognominavit Valeriam, Aurelius Victor in Cæſaribus, Cap. XL: de Galerio:

Vulnere peſtilenti conſumtus eſt: cum Agrum ſatis Reipublicæ commodantem, cæſis immanibus Silvis, atque emiſſo in Danubium Lacu Pelſone apud Pannonios feciſſet. Cujus Gratiâ Provinciam Uxoris Nomine VALERIAM appellavit. Ammianus Marcellinus Lib. XIX. (Gruterianus) Cap. XXIII: (Valeſianus Cap. XI:) *Imperator, ut dictum eſt, Valeriam venit, Partem quondam Pannoniæ, ſed ad Honorem Valeriæ, Diocletiani Filiæ, & inſtitutam & ita cognominatam.*

III. Hinc ad alterius *Valeriæ*, quam *Italiæ* Provinciam eſſe conſtat, Differentiam, *Pannoniæ Valeria* dicitur. Ammianus Marcellinus Lib. XXVIII, (Gruterianus) Cap. XVII: (Valeſianus Cap. III:) *Valentinus quidem in Valeria Pannoniæ ſuperbi Spiritus Homo.* Ambroſius eam *Valeriam Pannoniorum* vocat Libro II. extremo, quem de Fide ſcripſit.

IV. Eandem Provinciam ex Situ æſtimatam hodie *Styriam* eſſe judicant, Æneas Sylvius in Europa, Cap. I. Franciſcus Irenicus in Germania Lib. I. Cap. XXII. Melchior Goldaſtus in Commentariis de Bohemorum Regno, Lib. I. Cap. XII. §. 4. Thomas Zechorodus in Marte Moravico, Lib. I Cap. II.

V. Hanc Pannoniæ Partem, recentioribus Temporibus Nomen Valeriæ conſecutam, QUADI cum Marcomannis [quantum conjici poteſt] ſub Arioviſto Germanorum Rege, contra Iulium Cæſarem, Anno Urbis 695, ante C. N. 56, militantes, cum Sociis in Fugam à Romanis acti, cum Domum reverterentur, inſederant. De quâ Germanorum contra Cæſarem Expeditione videantur, quæ diximus Cap. XIV. §. 4.

Anno CHRISTI 10.

VI. Diu poſt ea, Cornelio Dolabella, Iunio Silano, Conſulibus, id eſt, Anno Urbis 762, CHRISTI 10, Auguſtus Imperator per Tiberium Cæſarem, Privignum, in Dalmatiam miſſum, adigebat Bathonem, Pannonum Regem, ut ſe Romanis dederet. Dio Caſſius Lib. LVI: Interprete Ioanne Leunclavio: *Sub idem Tempus Bato, miſſo ad Tiberium Sceva Filio, ſi Impunitas detur, traditurum ſe ſuosque ei pollicitus eſt: Fideque accepta, noctu in Caſtra venit, adductusque poſtridie ad Tiberium pro Tribunali ſedentem, nullum ſuum Periculum deprecatus, Caputque etiam, tanquam abſcindendum protendens, multa pro reliquis Verba purgandis habuit: iterumque à Tiberio, ut ante, interrogatus, quæ de Cauſa rebellaſſent, Bellumque tamdiu protuliſſent: eadem, quæ prius reſpondit: Romanos Cauſam ejus eſſe, qui ad ſuos Greges cuſtodiendos, non Canes, neque Paſtores, ſed Lupos mitterent. Hoc Modo Bellum id iterum confectum eſt.*

VII.

VII. Tum Auguſtus faciliore Negotio per Lucium Prætorem ex Valeria cum Marcomannis QUADOS expellebat. Sextus Rufus (Anno Urbis 1121, Chriſti 369, ſuperſtes, ut noſter de Romanarum Rerum Scriptoribus Liber I. Parte I. Cap. XXXII, indicat) in Rerum Romanarum Epitome, Cap. VIII: *Bathone Pannoniorum Rege ſubacto, in Ditionem noſtram Pannoniæ venerunt. Amantinis inter Savum & Dravum proſtratis, Regio Savenſis ac ſecundorum Pannoniorum Loca obtenta ſunt. Marcomanni & QUADI de Locis Valeriæ, quæ ſunt inter Danubium & Dravum, pulſi ſunt: & Limes inter Romanos & Barbaros ab Auguſto per Vindelicum, per Noricum, Pannonias ac Mœſias eſt conſtitutus.* Iornandes, Epiſcopus Ravennas, de Regnorum Succeſſione, Cap. L: [ſecundum Friderici Lindenbrogii Editionem:] *Pannoniarum quoque Regem in Certamine ſuperans, idem Lucius* (Prætor) *redegit in Provinciam utrasque Pannonias. Amantinos autem, qui inter Savum Dravumque Flumina inſident, Rege eorum interemto, ipſa Vice Romanam fecit Provinciam. Marcomanni & QUADI in illa Valeria, quæ inter Dravum Danubiumque interjacet, ab eodem tunc Ductore oppreſſi, Finesque inter Romanos & Barbaros ab Auguſto per Vindelicum, per Noricum, Mœſiamque diſpoſiti.*

Rege Lygiorum Quadorumque MAROBODUO.

VIII. Maroboduus, Genere Nobilis, Natione Marcomannus, Ætate, non Ratione, Iuvenis, neſcio, quâ Occaſione Romam profectus, ab Auguſto indulgenter habitus, ex Italia in Germaniam, incertum, quando rediit. Strabo in Geographia, Lib. VII: Ἐπέσχε γὰρ τοῖς πράγμασιν ἔτος ἐξ ἰδιώτης, μετὰ τὴν ἐκ Ῥώμης ἐπάνοδον. νέος γὰρ ἦν ἐνθάδε καὶ εὐεργετεῖτο ὑπὸ τῦ Σεβαςῦ. *Adhibitus enim eſt Rebus gerendis ante privatus, poſtquam erat Româ reverſus: ubi Iuvenis ab Auguſto Beneficiis affectus erat.*

IX. Non inanis ad Marcomannos ſuos à Romanis reverſus, in Germaniam reportaverat Romanæ magnam, ut Reipublicæ Diſciplinæque, ſic Prudentiæ Linguæque Notitiam. Nam quomodo Romanorum ſine Lingua Prudentiam ſibi tantam comparare potuiſſet, ut nec in Imperio, nec in Bello multum diſpar Romanis, vehementius, quam aut Pyrrhus Græcorum, aut Antiochus Syrorum Rex, metuendus eſſet? Tradunt ea, quæ diximus, Vellejus Paterculus Lib. I. Cap. CIX: de Maroboduo: *Corpus ſuum cuſtoditum, Imperium perpetuis Exercitiis pæne ad Romanæ Diſciplinæ Formam*

mam redactum, brevi in eminens & nostro quoque Imperio timendum perduxit Fastigium; gerebatque se ita adversus Romanos, ut neque Bello nos lacesseret, & si lacesseretur, superesse sibi Vim ac Voluntatem resistendi declararet. Legati, quos mittebat ad Cæsares, interdum, ut supplicem, commendabant: interdum, ut pro pari, loquebantur. Gentibus Hominibusque à nobis deficientibus erat apud eum Perfugium: totumque ex malè dissimulato agebat æmulum: Exercitumque, quem LXX. millium Peditum, quatuor Equitum fecerat, assiduis adversus finitimos Bellis exercendo, majori, quam quod habebat, Operi præparabat. Eratque etiam eò timendus, quod, cum Germaniam ad Lævam, & in Fronte Pannoniam ad Dextram, à Tergo Sedium suarum haberet Noricos, tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus timebatur. Nec securam Incrementi sui patiebatur esse Italiam: quippe cum à summis Alpium Iugis, quæ Finem Italiæ terminant, Initium ejus Finium haud multo plus CC millibus Passuum abesset. Cornelius Tacitus in Annalibus, Lib. II. Cap. LXIII. de Tiberio Cæsare: *Cæterum, apud Senatum* (de Maroboduo) *disseruit, non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum aut Antiochum Populo Romano perinde metuendos fuisse. Extat Oratio, qua Magnitudinem Viri, Violentiam subjectarum ei Gentium, & quam propinquus Italiæ Hostis, suaque in destruendo Consilia extulit.*

X. Rex erat, non tantum Marcomannorum suorum, verum etiam in Germanis multorum aliorum Populorum. Inter hos fuerunt, quos subegerat, LYGII, Corduli, Zumi, Butones, Mugilones, Sibini, Semnones. Strabo Lib. VII: de Germania: Ἐν ταυτῇ δ' ἐστὶ καὶ ὁ Ἑρκύνιος δρυμὸς, καὶ τὰ τῶν Σουήβων ἔθνη, τὰ μὲν οἰκοῦντα ἐντὸς τοῦ δρυμοῦ κατάπαιν τῶν Κολδούλων. Ἐνοῖς ἐστι, καὶ τὸ βασίλειον τοῦ Μαροβόδου βασίλειον. Εἰς ὃν ἐκεῖνος τόπον, ἄλλους τε μετανέστησε πλείους, καὶ δὴ καὶ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομάνους. *In hac est etiam Hercynium Nemus, & Suevorum Nationes, partim sanè habitantes intra Nemus, quemadmodum Cordulorum Gentes. In quibus exstat Boviasmum, Marobodui Regia. In quem ille Locum, cum alios complures traduxit, tum etiam Populares suos Marcomannos.* Ibidem post pauca: Ubi λυγίους Lygios, ut Tacitus in Germania, Cap. XLIII. appellat, λοίους Lujos nominat: Ἐπανελθὼν δὲ ἐδυνάστευσε καὶ κατεκτήσατο πρὸς οἷς εἶπον, λουΐους τε μέγα ἔθνος, καὶ Ζούμους, καὶ Βούτονας δὲ μυγίλωνας, καὶ Σισινὰς, καὶ τῶν Σουήβων αὐτῶν μέγα ἔθνος Σέμνονας. *Reversus autem* [Româ in Patriam] *regnavit & sibi subjecit, præter Gentes, de quibus dixi, LUIOS, magnam Gentem, Zumos, Butones, Mugilones, Sibinos, & ipsorum Suevorum magnam Gentem Semnones.*

XI. Neque dubium est, quin Maroboduus sibi QUADOS etiam subjectos habuerit. Nam, ut Marcomannis Quadi, sic Quadis Lygii fuerunt proximi: quod Cap. X. & XIV. ostendimus. Maroboduus autem *finitimos omnes* aut Bello domuit, aut Conditionibus sui Iuris fecit. Vellejus Paterculus Lib. II. Cap. CVIII: *Maroboduus Genere nobilis, Corpore prævalens, Animo ferox, Natione magis, quam Ratione barbarus, non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem & ex Voluntate parentium constantem, inter suos occupavit Principatum, sed certum Imperium, Vimque regiam complexus Animo, statuit, evocata procul à Romanis Gente sua, eò progredi: ubi, cum propter potentiora Arma refugisset, sua faceret potentissima. Occupatis igitur, quos prædiximus, Locis, FINITIMOS OMNES, aut Bello domuit, aut Conditionibus sui Iuris fecit.*

XII. Præterea Maroboduus Bojohemiam, id est, Bojorum Patriam, invadebat, & Bojis aut subactis aut expulsis [propinquam Noricorum Terram, postea Bojariam, hodie Bavariam dictam intrantibus,] occupabat. Tacitus in Germania Cap. XXVIII: *Inter Hercyniam Silvam, Rhenumque & Mœnum Amnes, Helvetii: ulteriora Boji, Gallica utraque Gens, tenuere. Manet adhuc Bojemi Nomen, significatque Loci veterem Memoriam, quamvis mutatis Cultoribus.* Cap. XLII: *Præcipua Marcomannorum Gloria Viresque, atque ipsa etiam Sedes, pulsis olim Bojis, Virtute parta.* Vellejus Paterculus Lib. II. Cap. CIX: *Sentio Saturnino mandatum, ut per Cattos, excisis continentibus Hercyniæ Silvis, Legiones Bojohemum, (id Regioni, quam incolebat Maroboduus, Nomen est) duceret.*

XIII. Tot Populorum Rex Maroboduus in Bojohemia, cujus Nomen in Marcomanniam non mutatum permansit, tanquam in Terrarum suarum Medio, Regiam suam figebat: ut refert Strabo, cujus Verba §. X. reperiuntur. Eam, secundum Strabonis, partim MStos, partim editos Codices diversos, qui variis Conjecturis Ansam dederunt, alii *Boviasmum*, alii *Boviemum*, alii *Bojemum*, alii aliter, quidam *Bojohemum* nominare solent: ita nominatam olim à Bojis conditam, (unde nomen acceperit universa Regio, Bohemia) postea Maroboduum, tandem *Pragam*. Hoc (ut alios, de Marobodui Regia dissentientes, Silentio prætereamus) indicat Ioannes Aventinus in Boicis Annalibus Lib. I: *Quam Regionem ab ipsis* (Bojis) *adhuc Bojemiam cognominamus, quasi tu dicas Bojorum Patriam & Domum. Id enim nostro Sermone Bojemia declarat. Condidit ibi Bubienum, sive Bojobinum Urbem, quæ & Marobudum postea fuit, nunc Praga est.* Ibidem post multa de Marobodo: *Ipse Bubienum Caput Bojemiæ Marobodum à se cognominavit, quam nunc Pragam dicimus.*

XIV. Ita potens, ita munitus, quanquam Romanis formidandus, tamen antiquâ Germanorum Virtute Fideque Maroboduus veterem cum Augustô Imperatore tum Pacem, tum Amicitiam (melior quibusdam Christianis Paganus) adeo non violabat, ut omnem Gloriæ posthaberet Vanitatem: quæ Potentiam suam, etiam cum extendere non potest, monstrare gaudet.

XV. Non autem, quô Maroboduus Romanas, eô Tiberius Cæsar, Imperatoris Augusti & Privignus, & Filius Adoptivus, Germanicas Res Animo respiciebat. Hic enim Germanorum crescentem sub Maroboduo Potentiam, licet Romanorum nulli noxiam, solâ stimulatus Invidia, supprimere conabatur. Id Propositum, M. Æmilio Lepido, L. Aruntio, Consulibus, id est, Anno Urbis 758, Christi 6, quô Imperator Augustus adhuc vivebat, exsequi cogitabat: Marcomannos, & per Sentium Saturninum, & ipse, diversis è Locis aggressurus. Vellejus Paterculus Lib. II. Cap. CIX. de Maroboduo: *Hunc Virum & hanc Regionem proximo Anno diversis è Partibus Tiberius Cæsar aggredi statuit. Sentio Saturnino mandatum, ut per Cattos, excisis continentibus Hercyniæ Silvis, Legiones Bojohæmum (id Regioni, quam incolebat Maroboduus, Nomen est) duceret: ipse à Carnunto, qui Locus Norici Regni proximus ab hac Parte erat, Exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orsus est.*

XVI. Sed, quo minus destinata susciperet, impediebatur Bellô magis necessariô adversus Pannones & Dalmatas. Vellejus Paterculus Lib. II. Cap. CX: *Rumpit, interdum moratur Propositæ Hominum Fortunæ. Præparaverat jam Hiberna Cæsar* (Tiberius) *ad Danubium, admotoque Exercitu non plus, quam quinque Dierum Iter à primis Hostium, Saturninum admoveri placuerat:* [cujus Copiæ] *pæne æquali divisæ Intervallo ab Hoste, intra paucos Dies, in prædicto Loco, cum Cæsare juncturæ erant: cum universa Pannonia, insolens longæ Pacis Bonis, & adultæ Viribus Dalmatia, omnibus Tractus ejus Gentibus in Societatem adductis, ex constituto Arma corripuit. Tum necessaria gloriosis præposita: neque tutum visum, abdito in Interiora Exercitu, vacuam tam vicino Hosti relinquere Italiam.*

Romanorum Imperatore TIBERIO.

XVII. Tiberius, Imperatoris Augusti, cujus, ut diximus, & Privignus & Filius adoptivus erat, ab Anno Urbis 766, Christi 14, ad Annum Urbis 789, Christi 37, Successor, quod differre cogebatur, id, postea diffisus Armis, prosequebatur Insidiis. Maroboduus enim, tum Fortitudine, tum Prudentia Romanis & æmulus, & compar, quem adeo non opprimere valebant, ut premere vix auderent, illustrissimum Exemplum, quantum congenita simul & erudita Germanorum Indoles posset, eô Felicitatis progressus erat, ut, nisi Arminium, Cheruscorum Regem, in Germanis neminem haberet parem. Popularibus Maroboduum, & Regis Nomen, quod assumserat, & Amicitia cum Romanis, quam conservabat, ut Patriæ Proditorem, Cæsaris Clientem, invisum: Arminium Favor Libertatis, quam defendebat, gratum reddebat. Utrique majorem Auxilia Fiduciam excitabant: Maroboduo Inguiomerus (Arminii Patruus) magnis Amicorum Copiis: Arminio validi Suevorum Populi, Semnones atque Langobardi.

XVIII. Hos duos Germanorum maximos Reges Tiberius, ut erat Ingenio vafer, ad enervandas Vires Romanis formidabiles, secretâ per Drusum Filium Arte comiter in Odia mutua concitabat: Germanos tractandi peritus, ad quos ab Augusto novies missus erat. Ipse Tiberius in Literis ad Germanicum, apud Tacitum in Annalibus Lib. II. Cap. XXVI: *Se novies à divo Augusto in Germaniam missum, plura Consilio, quam Vi perfecisse.* Vellejus Lib. II. Cap. CXXIX. de Tiberio: *Quâ Vi, Consiliorum suorum Ministro & Adjutore usus Druso, Filio suo, Maroboduum inhærentem occupati Regni Finibus, Pace Majestatis ejus dixerim, velut Serpentem abstrusam Terræ, salubribus Consiliorum suorum Medicamentis coëgit egredi?* Quam *illum & honoratè, nec securè continet?* Aurelius Victor de Cæsaribus Cap. II. in Tiberio: *Maroboduum Suevorum Regem callide circumvenit.* Videantur, quæ dicemus §. XXI. XXII. & XXIV.

Anno CHRISTI 19.

XIX. Ita præparati, Maroboduus & Arminius, Prælium M. Silano Iurio, L. Norbano Flacco, Consulibus, Anno Urbis 771, Christi 19, acerrimum inibant. Hoc Tacitus in Annalibus Libro II. describit. Primum exponit Causas Cap. XLIV: de Germanis Suevis & Cheruscis: *Discessu Romanorum, ac vacui externo Metu, Gentis Adsuetudine, & tum Æmulatione Gloriæ, Arma in se verterant. Vis Nationum, Virtus Ducum in æquo. Sed Maroboduum Regis Nomen invisum apud Populares: Arminium pro Libertate bellantem Favor habebat. Igitur non modo Cherusci Sociique eorum, vetus Arminii Miles, sumsere Bellum: sed è Regno etiam Marobodui Suevæ Gentes ac Langobardi defecere ad eum. Quibus additis præpollebat, ni Inguiomerus* [Arminii Patruus, ut Tacitus in Annalibus Lib. I. Cap. LX. indicat) *cum Manu Clientum*

tum ad Maroboduum perfugisset: non aliam ob Causam, quam quia Fratris Filio Iuveni Patruus Senex parere dedignabatur. Postea Præparationem addit; Cap. XLV: *Diriguntur Acies pari utrimque Spe, nec, ut olim, apud Germanos, vagis Incursibus, aut disjectas per Catervas: quippe longâ adversus nos Militia insueverant sequi Signa, Subsidiis firmari, Dicta Imperatorum accipere.* Tum ad utrumvis habitas Exercitum Orationes affert: Arminii quidem: *At tunc Arminius Equo collustrans cuncta, ut quosque advectus erat; Recuperatum Libertatem, trucidatas Legiones, Spolia adhuc & Tela Romanis directa in Manibus multorum ostentabat. Contra fugacem Maroboduum appellans, Præliorum expertem, Hercyniæ Latebris defensum: ac mox per Donaria & Legationes petiisse Fœdus, Proditorem Patriæ, Satellitem Cæsaris, haud minus infensis Animis exturbandum, quam Varum Quintilium interfecerint. Meminissent modo tot Præliorum, quorum Eventu, & ad postremum ejectis Romanis, satis probatum, penes utros Summa Belli fuerit.* Marobodui autem, Cap. XLVI. *Neque Maroboduus Iactantia sui, aut Probris in Hostem abstinebat: sed, Inguiomerum tenens, Illo in Corpore Decus omne Cheruscorum, illius Consiliis gesta, quæ prospere cecidirent, testabatur. Vecordem Arminium, & Rerum nescium, alienam Gloriam in se trahere, quoniam tres vacuas Legiones & Ducem Fraudis ignarum Perfidia deceperit: magna cum Clade Germaniæ & Ignominia sua, cum Conjux, cum Filius ejus Servitium adhuc tolerent. At se duodecim Legionibus petitum Duce Tiberio, illibatam Germanorum Gloriam servavisse. Mox Conditionibus æquis discessum; neque pœnitere, quod ipsorum in Manu sit, integrum adversus Romanos Bellum, an Pacem incruentam malint.* Quid præterea utrumque stimulaverit Exercitum, paucis annectit: *His Vocibus instinctos Exercitus propriæ quoque Causæ stimulabant: cum à Cheruscis Langobardisque pro antiquo Decore, aut recenti Libertate: & contra, augendæ Dominationi certaretur.* Denique subjungit Eventum Prælii, quô summi Germanorum Heroës, Maroboduus & Arminius, æquales adhibuerunt Vires, inæquales discesserunt Bellatores, Arminius durabilior, infirmior Maroboduus. *Non alias*, inquit, *majore Mole concursum, neque ambiguo magis Eventu, fusis utrimque dextris Cornibus. Sperabaturque rursum Pugna, ni Maroboduus Castra in Colles subduxisset. Id Signum perculsi fuit: & Transfugis paulatim nudatus, in Marcomannes concessit.*

XX. Maroboduus ad Marcomannos suos digressus, ab Imperatore Tiberio expetebat, sed non impetrabat Auxilium: obtinebat tamen Drusum Filium, Autorem Pacis inter Maroboduum & Arminium. Tacitus in Annalibus Lib. II. Cap. XLVI. de Maroboduo: *Misitque Legatos ad Tiberium oraturos Auxilia: Responsum est: Non Iure eum adversus Cheruscos Arma Romana invocare, qui pugnantes in eundem Hostem Romanos nulla Ope juvisset. Missus tamen Drusus, Pacis Firmator.*

XXI. Erat verò Drusus inter Maroboduum & Arminium, ut Reparator Pacis apertus, sic Belli clandestinus Instaurator, ad opprimendum Maroboduum. Tacitus in Annalibus Lib. II. Cap. LXII. *Dum ea Æstas Germanico plures per Provincias transigitur, haud leve Decus Drusus quæsivit illiciens Germanos ad Discordias: utque fracto jam Maroboduo usque in Exitium insisteretur.*

XXII. Sanè Maroboduus callidis Drusi Consiliis excitatum in Germanis Catualdam, Natione Gothonem, Iuvenem (de quo plura § XXVI. & sequentibus) olim offensum, miser Ultorem expertus, à suis etiam, ut in asperis Rebus fieri solet, Marcomannis deserebatur. Tacitus in Annalibus, Lib. II. Cap. LXII. *Erat inter Gothones nobilis Iuvenis Nomine Catualda, profugus olim Vi Marobodui, & tunc dubiis Rebus ejus, Ultionem ausus. Is valida Manu Fines Marcomannorum ingreditur, corruptisque Primoribus ad Societatem, irrumpit Regiam, Castellumque juxta situm.*

XXIII. Tum, ad instabilis Sortis Morem, ex potentissimo imbecillis Rex Maroboduus Præsidium in Tiberii Gratia quærebat. Tacitus ibidem: *Maroboduo undique deserto non aliud Subsidium, quam Misericordia Cæsaris fuit. Scripsit Tiberio, non, ut profugus aut supplex, sed ex Memoria prioris Fortunæ. Nam multis Nationibus clarissimum quondam Regem ad se vocantibus, Romanorum Amicitiam prætulisse.*

XXIV. Tiberius Maroboduo Vires, ne posset unquam recolligere, cunctas ademturus, per Blanditias ex Germania provocato Sedem in Italiâ, tutam honoratamque conferebat: ubi, per XVIII Annos, Spe Auxiliorum inani, Germanis, quasi rediturus, in Terrorem detentus, Ravennæ consenuit, donec Anno Urbis 789, Christi 37, Fatis concederet. Tacitus in Annalibus Lib. II. Cap. LXIII. *Responsum à Cæsare* (Tiberio) *tutam ei honoratamque Sedem in Italia fore, si maneret: sin Rebus ejus aliud conduceret, abiturum Fide, quâ venisset.* Ibidem post quædam: *Et Maroboduus quidem Ravennæ habitus, si quando insolescerent Suevi, quasi rediturus in Regnum, ostendebatur. Sed non excessit Italia per duodeviginti Annos, consenuitque multum imminutæ Claritate ob nimiam vivendi Cupidinem.* Suetonius in Tiberio, Cap. XXXVII: *Reges infestos suspectosque Comminationibus magis, & Querelis, quam Vi repressit. Quosdam per Blanditias atque Promissa extractos ad se non remisit: ut Maroboduum Germanum.*

XXV. Hanc Vitæ Clauſulam inter antiquiſſimos celeberrimus Marcomannorum, id eſt, Moravorum, &, quos ſuæ Poteſtati ſubdiderat, cum Lygiorum, tum Quadorum, id eſt, Sileſiorum Dux habuit: à quô Latinorum, ut in Armis, ſic in Literis Peritiam divulgatam propagatamque non indicat nobis Antiquitas: cujus in talia Propenſionem fortaſſis Amiſſio Regni cohibuerit.

Rege Lygiorum Quadorumque CATUALDA. Anno CHRISTI 20.

XXVI. *Catualdam*, recentiores *Gotualdam* vocant, Michael Sachſius in Cæſarum Chronico, de Tiberio Cap. V. Cyriacus Spangenbergius in Chronico Saxonico, Cap. XXXIV. Thomas Zechorodus in Marte Moravico, Lib. I. Cap. II.

XXVII. Marobodui Succeſſor, Germanus è Gothonum Gente, qui Terram Lygiis, hoc eſt, inferioribus Sileſiis, proximam tenebant, erat. Tacitus in Germania, Cap. XLIII. *Trans Lygios, Gothones regnantur.* Videantur Taciti, quæ protulimus §. XXII.

XXVIII. Breviſſimi Temporis Rex, eô Regnum Modô, quô acquiſiverat, perdebat. Suis enim, ſeu quod durior imperaret, exoſus: ſeu quod cum Romanorum Druſo, Germanorum Inſidiatore, familiarior viveret, ſuſpectus, Hermunduros, Vibilio Duce gaudentes, in Auxilium arripientibus removebatur. Exſul apud Romanos Præſidium, quod affectaverat, non aliud inveniebat, niſi ut in Tutelam ab Imperatore Tiberio, per Druſum Cæſarem, Imperatoris Auguſti Privignum, Anno Urbis 772, Chriſti 20, receptus, in Narbonenſis Galliæ Coloniam, Forum Iulium mitteretur. Tacitus in Annalibus Lib. II. Cap. LXIII. de Maroboduo locutus: *Idem Catualdæ Caſus, neque aliud Perfugium. Pulſus, haud multo poſt, Hermundurorum Opibus, & Vibilio Duce: receptusque Forum Iulium, Narbonenſis Galliæ Colonam, mittitur.*

Rege Lygiorum Quadorumque VANNIO. Anno CHRISTI 21.

XXIX. Vannus ab Imperatore Tiberio dabatur Catualdæ Succeſſor, Natione Quadus. Is præerat Subditis, tum aliis, quos deinde commemorabimus, tum etiam Maroboduum & Catualdam Exſules comitatis: quos Tiberius, ne quietas Romanorum Provincias turbarent, in Germaniam redire

dire juſſos, ultra Danubium inter Amnes Marum & Cuſum collocabat. Tacitus in Annal. Lib. II. Cap. LXIII, de Maroboduo & Catualda: *Barbari utrumque comitati, ne quietas Provincias immixti turbarent, Danubium ultra inter Flumina Marum & Cuſum locantur, dato Rege Vannio Gentis Quadorum.* Lib. XII. Cap. XXIX: *Vannius Suevis à Druſo Cæſare impoſitus.*

XXX. Locus Vannianis Suevis, tanquam novis Colonis, aſſignatus, in dubium vocari ſolet. De *Maro*, quem Plinius *Morum* dixit, recentiores alii *Marcam*, alii *Moravam* nominant, quin *Moraviæ* fluvius ſit, pauciores dubitant: de *Cuſo* quis ſit, plerique dubitant. *Tranſylvaniæ* Fluvios, *Marum* quidem *Mariſum*, *Cuſum* vero *Chryſam* ſtatuit Beatus Rhenanus Lib. I. Rerum Germanicarum Cap. XXIX. *Marum*, inquit, *& Cuſum ſuſpicor eſſe Fluvios, qui hodie Mariſus & Chryſa dicuntur in Daciæ Parte, quæ hodie vulgo Tranſylvania appellatur: ut fortaſſis apud Tacitum Cruſus ſcribi debeat.* Ibidem poſt quædam: *Satis autem conſtat, trans Germanicam ſive ſiniſtram Danubii Ripam deportatos, ſi quis Rem exactè perpendat. Nam Germani tam Maroboduum ipſum, quam poſtea Catualdam ultra Danubium comitati fuerant in Noricum vel longius. Unde ex Provincialium Agris translati ſunt ultra Danubium, proximè Sarmatas Iazyges & Dacos, & Vannio Natione Quado ſubjecti.* Contra, *Marum* quidem *Moraviæ*, *Cuſam* vero *Pannoniæ* Fluvium, Sententiâ probabiliore ſtatuit Philippus Cluverius in Antiqua Germania Lib. III. Cap. XXXI. *Ego*, ait, *ex his univerſis, quæ hactenus allata, iſta colligo: primo Suevos illos, inter Marum Cuſumque locatos in Quadorum tranſiiſſe commune Nomen: Vanniique Regnum fuiſſe à Cluna Amne (quo Marcomannos in Danubii Ripa ab Oriente finivi) ad Vagum usque tam in antiquos Quados, inter Clunam Marumque ſitos, quam in eos Suevos, qui poſtea inter Marum Vagumque Nomini illorum acceſſerunt.*

XXXI. Erraverit vehementer, quisquis univerſum Vannii Regnum exiguis inter Marum Moravorum & Vagum Pannonum Amnem Spatiis (nunc partim ad Moravos partim ad Hungaros pertinentibus) finitum crediderit: quod Amplitudine magnum, Divitiis abundans (ut mox narrabimus) in duo fuit Regna diviſum. Accedit Plinii Teſtimonium: ex quo Vannianum Germanorum Suevorum Regnum intra Germaniam à Sarmatis Iazygibus (id eſt, Hungaris) ſeparatum, Sarmatis, Baſtarnis, quos Lygii & Quadi (hoc eſt, inferiores & ſuperiores Sileſii) habuerunt vicinos, hodie Polonis, propinquum agnoſcitur. *Superiora autem*, inquit Plinius Lib. IV. Cap. XII. *inter Danubium & Hercynium Saltum, usque ad Pannonica Hiberna Carnunti, Germanorumque ibi Confinium: Campos & plana Iazyges Sarmatæ: Montes*

vero & Saltus pulsi ab his Daci ad Pathyssim Amnem, à Moro, sive is Duria est, à Suevis Regnoque Vanniano dirimens eos: adversa Basternæ tenent aliique inde Germani.

Romanorum Imperatore CALIGULA. Anno CHRISTI 37.

XXXII. Tiberii Successor Caligula Romanis præfuit ab Anno Urbis 789, Christi 37, ad Annum Urbis 793, Christi 41. Horum Imperatorum Tempore Vannius, non tantum Lygiorum & Quadorum, verum etiam Marcomannorum & Bojohemorum Rex, primum Ingenio liberalis, Dominatione tolerabilis, gratus Gentibus suis: ad ultimum, præviorum Marobodui & Casualdæ Casuum immemor, ob Prædationes Accolis, ob Vectigalia Incolis, maximè propter Superbiam utrisque molestus, à se prorsus aversis Animis, sentiebat hostiles, cum Suorum, tum Vicinorum Vires. Has in Vannium irritabant, præter amplam Regni Opulentiam, Lygios aliosque Populos advocantem, duo ex Sorore progeniti Nepotes, Vangio & Sido, civilis Belli Autores Subditis: quibus inter Exteros accedebat Vibilius [aliis Iubilius] Hermundurorum Rex. Tacitus in Annalibus Lib. XII. Cap. XXIX. *Peridem Tempus Vannius Suevis à Druso Cæsare impositus, pellitur Regno. Prima Imperii Ætate clarus acceptusque Popularibus: mox Diuturnitatem in Superbiam mutans, & Odio Accolarum, simul domesticis Discordiis circumventus. Autores fuere Iubilius Hermundurorum Rex, & Vangio ac Sido Sorore Vannii geniti.* Post quædam: *Vis innumera, LYGII aliæque Gentes adventabant, Fama ditis Regni, quod Vannius XXX per annos Prædationibus & Vectigalibus auxerat.*

Romanorum Imperatore CLAUDIO. Anno CHRISTI 41.

XXXIII. Tum Romanis Claudius, Caligulæ Successor, Imperium Anno Urbis 789, Christi 37, nactus, præerat: quod ad Annum Urbis 806. Christi 54. gessit. Hic etsi frequenter imploratus, Vannio nihil Subsidiorum mittebat: tamen in Solatium, si removeretur, tutum ad Romanos Perfugium pollicebatur; de Pannonia Romanis subjecta solicitus, quam Copiis muniebat, repulsuris Victores, victos adjuturis. Tacitus in Annalibus Lib. XII. Cap. XXIX. *Nec Claudius, quanquam sæpe oratus, Arma certantibus Barbaris interposuit, tutum Vannio Perfugium promittens, si pelleretur.*

Scripsitque P. Atellio Histro, qui Pannoniæ præsidebat, Legionem, ipsaque è Provincia lecta Auxilia pro Ripa componeret, Subsidio victis, & Terrori adversus Victores, ne Fortuna elati, nostram quoque Pacem turbarent.

XXXIV. Vannius solis Peditibus pollens, à vicinis Sarmatis Iazygibus Equites nactus, cum deprehenderet suum Adversariorum Numero minorem, in Castellis se tueri conatus, à Sarmatis se non includi passis, per aperta circumvagantibus, ad Prælium cum obviis *Lygiis*, Hermunduris aliisque committendum adigebatur. Tacitus in Annalibus Lib. XII. Cap. XXIX: de Vannio: *Ipsi Manus propria Pedites, Eques è Sarmatis Iazygibus erat, impar Multitudini Hostium: eoque Castellis se se defensare, Bellumque ducere statuerat. Sed Iazyges Obsidionis impatientes, & proximos per Campos vagi, Necessitudinem Pugnæ attulere, quia LYGIUS Hermundurusque ingruerant.*

XXXV. In eo Prælio Vannius Animum strenuum, Manum infirmam testatus, Fugâ sibi consulebat, trajectôque Danubiô, in Pannonia, sub Romanorum Tutela Securitatem inveniebat. Tacitus in Annalibus Lib. XII. Cap XXX: *Igitur digressus Castellis Vannius, funditur Prælio: quanquam Rebus adversis laudatus, quod & Pugnam Manu capessiit, & Corpore adverso Vulnera excepit. Cæterum ad Classem in Danubio opperientem perfugit. Secuti mox Clientes, & acceptis Agris in Pannonia locati sunt.* Sic Vannius Regnum, quod Annis XXX. tenuerat, amittebat Anno Urbis 797, Christi 50.

Rege Lygiorum Quadorumque SIDONE. Anno CHRISTI 50.

XXXVI. Vanniani Regni postea divisi, quantum Conjecturis vero simillimis assequi possumus, Partem majorem, id est, *Marcomanniam*, cui *Bojohemia* tum suberat, VANGIO: minorem, id est, *Quadiam* & *Lygiam* SIDO accepit: Uterque sub Romanorum Patrocinio, Subditis inter Initia charus, ad extremum exosus. Tacitus in Annalibus, Lib. XII. Cap. XXX: *Regnum Vannio ac Sido inter se partivere, egregia adversus nos Fide: Subjectis, Suóne an Servitii Ingenio, dum adipiscerentur Dominationes, multa Charitate: & majore Odio, postquam adepti sunt.*

Romanorum Imperatore Flavio VESPASIANO.

Anno CHRISTI 69.

XXXVII. Romani, Succeſſorem Claudii, Neronem Anno Urbis 806, Chriſti 54: Neronis, Galbam, Othonem, Vitellium, & poſt eos exſtinctos, Flavium Veſpaſianum, Imperatores ab Anno Urbis 820, Chriſti 68, ad Annum Urbis 831, Chriſti 79, habuerunt.

XXXVIII. Veſpaſianus Anno Urbis 821, Chriſti 69, cum Vitellio de Imperio certabat. Sido Lygiorum Quadorumque Rex præter Italicum, Hermundurorum Regem, ad Veſpaſiani Partes contra Vitellium accedebat. Tacitus in Hiſtoria Lib. III. Cap. V: *Trahuntur in Partes* [Veſpaſiani adverſus Vitellium] *SIDO atque Italicus Reges Suevorum, quibus vetus Obſequium erga Romanos, & Gens Fidei commiſſæ patientior.*

XXXIX. In Prælio, quò Veſpaſianus Vitellium ſuperabat, *Sido* inter primos in Acie ſtabat. Tacitus in Hiſtoria Cap. XXI, deſcribens Ordines in Veſpaſiani Exercitu: *Cohortes Auxiliorum in Cornibus: Latera ac Terga Equite circumdata. SIDO atque Italicus Suevi cum delectis Popularium primori in Acie verſabantur.*

Romanorum Imperatore DOMITIANO.

Anno CHRISTI 81.

XL. Romanis poſt Flavii Veſpaſiani Succeſſorem, Titum Veſpaſianum, Domitianus ab Anno Urbis 833, Chriſti 81: ad Annum Urbis 847, Chriſti 95, imperavit. Hujus Ætate, *Lygiis* contra Suevos in *Myſiâ* fuit Bellum. Id ubi geſtum ſit, propterea quæritur, quia triplex *Myſiâ* reperitur. Prima eſt *Aſiatica:* de qua Claudius Ptolemæus in Geographia Lib. V. Cap. II. agit. Secunda *Europæa* eſt, trans Danubium, ad *Pannoniam* ſita: quam Ptolemæus Lib. III. Cap. IX & X. deſcribit. Tertia *Europæa* eſt, cis Danubium, intra *Germaniam* ſita: de qua diſputari ſolet.

XLI. Sunt enim, ſecundum quos in Germania Myſi, Populus Ortu Aſiaticus, poſtea Europæus, ante Pannonicus, tandem Germanicus Hermunduris aut pulſis ſucceſſerunt, aut preſſis prævaluerunt: toti Regioni, quæ nunc *Miſnia* dicitur, novum *Myſiæ* nomen imponentes. Sic de Myſiis his judicant, Sententiam ſuam Teſtimoniis Rationibusque probabilem reddentes, Philippus Melanchthon in Oratione, quam de Myſorum, tum Regione, tum Gente compoſuit. Reinerus Reineccius in Commentario Germanico, quem de Miſenorum Origine ſcripſit, Latinum Elias Reuſnerus fecit: & in Heroico Syntagmate, quod Hiſtoriam Iuliam vocat, Parte II. Regno XIV. quod eſt Myſium. Petrus Albinus in Miſniæ Chronico, Parte I. Titulo III & IV. Zacharias Rivander, Iohannes Bechererus, Iohannes Binhardus in Thuringiæ Chronicis. Contra ſunt, quibus hæc non arridet Aſſertio. Inter hos eandêm multis Argumentis deſtruere conatur Iohannes Philippus Vorburgius in Hiſtoria Romano-Germanica, Tomo II. ad A. C. 215.

XLII. In Europæa certe, ſi non Germanica, tamen ad Pannoniam, Myſia, *Lygii*, cum quibusdam Suevis Bellum gerentes, expetebant ab Imperatore Domitiano Auxilium, in quod duntaxat centum Equites obtinebant. Dio Caſſius Lib. LXVII, in Excerptis per Theodoſium: ἐν τῇ Μυσίᾳ Λύγιοι Σουήβοις τισὶ πολεμηθέντες, πρέσβεις ἔπεμψαν, αἰτοῦντες, συμμαχίαν παρὰ Δομιτιανοῦ, καὶ ἔλαβον τὸ πλῆθει ἰσχυρᾷ, ἀλλὰ τῷ ἀξιώματι. ἑκατὸν γὰρ ἱππεῖς μόνοι αὐτοῖς ἐδόθησαν. *In Myſia LYGII cum quibusdam Suevis Bellum gerentes, miſerunt Legatos à Domitiano Auxilia petentes: eaque conſecuti ſunt, non tam Numero valida, quam Dignitate. Nam centum eis tantum Equites dati ſunt.*

Anno CHRISTI 88.

XLIII. Domitianus Anno Urbis 840, Chriſti 88, ipſe piger atque libidinoſus, per Duces infeliciter oppugnabat Dacos, quorum Regnum Decebalus poſſidebat. Hoc Dio Caſſius in Iohannis Xiphilini Excerptis ex Libro LXVII. refert. *Quadi* cum Marcomannis adverſus Dacos nihil Auxiliorum Domitiano tulerant. Is propterea cum in *Quados*, tum etiam in Marcomannos Arma convertebat: Legatos utriusque Populi de Pace componendâ miſſos, trucidabat. Dio Caſſius Libro LXVII, in Excerptis per Theodoſium: ὁ Δομιτιανὸς Κουάδους καὶ Μαρκομάνους ἀμύνασθαι, ὅτι μὴ ἐβοήθησαν οἱ κατὰ Δακῶν, ἠθέλησε. Καὶ ἦλθεν ἐς Παννονίαν, σφίσι πολεμήσων, καὶ τοὺς πρεσβευτὰς τοὺς δευτέρους, οὓς ἔπεμψαν ὑπὲρ εἰρήνης, ἀπέκτεινεν. *Domitianus QUADOS & Marcomannos, quod nulla ſibi adverſus Dacos Subſidia miſiſſent, ulciſci voluit: & in Pannoniam venit, eis Bellum illaturus: & alteros ipſorum Legatos, ob Pacem componendam miſſos, interfecit.*

CA-

CAPUT XVII.

SILESIORUM MAIORES, LYGII & QUADI:

SÆCULO II.

Romanorum Imperatore TRAIANO.

I.

SUccessor Domitiani Nerva, Nervæ Trajanus ab Anno Urbis 850, Christi 98: ad Annum Urbis 869, Christi 117, fuit. Intra Tempus hoc Trajanus cum *Quadis* Bellum gessit. At Testem non antiquiorem producere possumus, quam Raphaelem Volaterranum in Commentariis Urbanis Lib. VII. Cap. IV. de Bohemia. *Bemos*, ait, *in ea Parte Ptolemæus Gentem maximam esse dicit: juxta vero Marcomannos & QUADOS, Gentes bellicosissimas, à Trajano, deinde à Marco Antonino debellatos; & huc usque Romanum prorogatum imperium.*

Romanorum Imperatore ANTONINO PIO: Anno CHRISTI 140.

II. Trajani Successor Antoninus Pius Romanis ab Anno Urbis 890, Christi 138: ad Annum Urbis 913, Christi 161, præfuit. Sub eo quid vel *Lygii*, vel *Quadi* egerint, non reperimus. Invenimus tamen ab Antonino Pio cum tertium gereret Consulatum, hoc est, Anno Urbis 892, Christi 140, *Quadis* Regem datum. Id nos Antonini Pii Nummus docet: cujus Inscriptionem Adolphus Occo in Romanorum Imperatorum Numismatibus ad Annum Urbis 892: Imaginem ipsam Laurentius Begerus in Thesauro Brandenburgico, Parte II, de Numismatibus in Antonino Pio exhibet. Repræsentat in eo Nummo Latus adversum Antonini Caput: adjunctâ Epigraphe: ANTONINUS AUG. PIUS. Aversum Viros duos stantes: quorum prior Imperator, posterior Rex, Imperatori Dexteram porrigens: Literis additis: REX QUADIS DAT.

Romanorum Imperatore Marco ANTONINO.

III. Antonini Pii Successor Marcus Antoninus, Cognomento Philosophus, ab Anno Urbis 913, Christi 161: ad Annum Urbis 932, Christi 180,

180, vixit: cui grave cum *Quadis* fuit Bellum. Hi felicissimis Armis Sedem suam, quam Silesia superior, circa Vistulæ Caput, terminaverat, in Pannoniam inferiorem, ad Amnem Granuam extenderant. Testem habemus oculatum, certissimum, optimum: ipsum Imperatorem Marcum Antonium in *Quadia* Scriptorem istorum, quibus de Vita suâ Librum primum claudit. *Τὰ ἐν κουάδοις πρὸς τῷ Γρανύᾳ. Hæc in QUADIS ad Granuam.* Ita Guilielmus Xylander vertit: neque mutandum Mericus Casaubonus censuit. *Quæ apud QUADOS ad Granuam*: interpretatur Thomas Gatakerus.

IV. Marco primum Fortitudinis solitô grandioris Documentum edebant *Quadi* cum Marcomannis, cum Romanas intra Italiam Urbes, Aquilejam obsiderent, Opitergium destruerent. Ammianus Marcellinus Lib. XXIX. [Gruterianus] Cap. XXV: [Valesianus Cap. V:] *Dum hoc Pulvere per Mauritaniam Dux ante dictus anhelat & Africam: QUADORUM Natio Motu est excita repentino, parum nunc formidanda, sed immensum quantum antehac Bellatrix & potens: ut indicant perpetrata, quoniam proclivia; obsessaque ab iisdem ac Marcomannis Aquileja, Opitergiumque excisum: & cruenta complura perceleri acta Procinctu: vix resistente perruptis Alpibus Julis Principe serio, quem ante docuimus, Marco.*

Rege Quadorum FURTIO: Anno CHRISTI 174.

V. *Quadi* cum Marcomannis, Sensu Virium, Victoriarumque Successu audaces, Anno Urbis 926, Christi 174, ingens Romanis opprimendis excitabant *Bellum*. Id plerisque *Marcomannicum*: aliis, quoniam in eo & Marcomanni & Quadi Personas præcipuas egerunt, *Marcomannico-Quadicum*: aliis, quoniam in eodem Germanis Sarmatæ conjuncti fuerunt, *Germanico-Sarmaticum* dicitur. Nam in hoc Marcomanni & Quadi non ex cæteris tantum Germanis multos, verum ex Sarmatis etiam quosdam Populos assumserant.

VI. Marcomannis & Quadis speciatim Astringos, Dancrigos, Jazyges, addit Dio Cassius Lib. LXXI. Alanos, Bastarnas, Buros, Costobocos, Hermunduros, Latringes, Nariscos, Peucinos, Roxolanos, Sicobotes, Sosibes, Svevos, Victovalos, adjungit Capitolinus in Marco Antonino, Cap. XXII. *Gentes*, inquit, *omnes ab Illyrici Limite usque Galliam conspiraverant: ut MARCOMANNI, Narisci, Hermunduri & QUADI: Suevi, Sarmatæ, Latringes, & Buri: hi aliique cum Victovalis, Sosibes, Sicobotes,*

Sicobotes, Roxolani, Baſtarnæ, Alani, Peucini, Coſtoboci. Dacos annectit Euſebius in Chronico ad Annum 2184: *Romani contra Germanos, MARCOMANNOS, QUADOS & Dacos dimicant.* Georgius Syncellus in Chronographia ad A. M. 5653: *Romani Germanos, Sarmatas, Dacos & QUADOS expugnaverunt.* Marianus Scotus in Chronographia ad Annum Chriſti 169: *Romani contra Germanos, MARCOMANNOS, QUADOS, Sarmatas & Daces dimicant.* Vandalos adjicit Eutropius Lib. VIII. Cap. V. de Bello Marcomannico: *Quod cum his* [Marcomannis] *QUADI, Vandali, Sarmatæ, Suevi, atque omnis Barbaria commoverat.* Paulus Oroſius Lib. VII. Cap. XV. de eodem Bello: *Cum inſurrexiſſent Gentes Immanitate barbaræ, Multitudine innumerabiles, hoc eſt, MARCOMANNI, QUADI, Vandali, Sarmatæ, Suevi, atque omnis pæne Germania.*

VII. Quare tantum ipſis etiam Scriptoribus Romanis habetur id Bellum, ut maximis æquetur, in quibus Punica fuerunt. Capitolinus in Marco Antonino, Cap. XIII: *Dum Parthicum Bellum geritur, natum eſt Marcomannicum: quod diu eorum, qui aderant, Arte ſuſpenſum eſt, ut ſimulato jam Orientali Bello Marcomannicum agi poſſet. Et cum Famis Tempore Populo inſinuaſſet de Bello, Fratre* (Lucio Antonino) *poſt Quinquennium reverſo, in Senatu egit, ambos neceſſarios dicens Bello Germanico Imperatores. Tantus autem Terror Belli Marcomannici fuit, ut undique Sacerdotes Antoninus acciverit, peregrinos Ritus impleverit, Romam omni Genere luſtraverit, retardatusque à bellica Profectione ſit.* Ibidem Cap. XVII. *Contra Germanos Res feliciter geſſit. Specialiter ipſe Bellum Marcomannicum, ſed quantum nulla unquam Memoria fuit, tum Virtute, tum etiam Felicitate transegit.* Eutropius Lib. VIII. Cap. V. de Marco Antonino: *Bellum ipſe unum geſſit, Marcomannicum, ſed quantum nullâ Memoriâ fuit, adeo, ut Punicis conferatur.* Eadem repetit Paulus Diaconus in Hiſtoria Miſcella, Cap. XVI.

VIII. Marcus igitur fortes Hoſtes non niſi paribus Auxiliatoribus repellendos ratus, Germanos, Germanis opponendos, ſibi conjungebat. Capitolinus in Marco Antonino, Cap. XXI. *Emit & Germanorum Auxilia contra Germanos. Omni præterea Diligentia paravit Legiones ad Germanicum & Marcomannicum Bellum.*

IX. Ita ſimul & Romanis & Germanis inſtructus Imperator Marcus Antoninus, Marcomannos & Quados, eorumque Socios maxime copioſos debellaturus, Danubium transgrediebatur. Initia Belli moeſta ſentiebat. Alexandro Divinationibus, ſed fallacibus Nomen affectanti, feliciſſimam Expeditionem pollicenti confiſus, Spes omnes, non in vero Deo repoſitas,

Eventu

Eventu noxio vanas experiebatur, Cladem magnam, prope XX Millibus amiſſis, paſſus. Lucianus in Alexandro, ſeu Pſeudomante quaſi extremo: Eraſmo Roterodamo interprete: *Accipe jam Facinus quoddam Hominis ſceleratiſſimi* [Alexandri] *unum inter omnia multô impudentiſſimum. Cum jam non mediocrem in Regiam Aditum ſibi feciſſet, inque Aulam Cæſaream, præſertim Rutiliano Rem adjuvante, atque approbante: cum Bellum, quod in Germania gerebatur, maximè flagraret, divo Marco cum MARCOMANNIS & QVADIS conſerente, Oraculum divulgavit, quo jubebat, uti duos Leones vivos in Danubium immitterent, variis cum Odoribus, ac Sacris quibusdam magnificis. Sed præſtat ipſum Oraculum referre.*

Gurgitibus Fluvii turgentis ab Imbribus Iſtri
Immiſiſſe duos Cybeles edico Miniſtros,
Monte feras alitas: tum quantum alit Indicus Aer
Florum atque Herbarum bene olentum: moxque futura eſt
Et Victoria, Pax & amabilis, & Decus ingens.

Ea cum eſſent facta, quemadmodum ille præſcripſerat: Leones quidem ſimul atque in Hoſtium Regionem enataſſent, Barbari Canes aut Lupos eſſe rati, Fuſtibus arcebant. At noſtrorum protinus maxima Strages eſt conſecuta, XX ferme Millibus ſimul exſtinctis.

X. Abierat in duas Partes univerſus Germanorum Exercitus, Romanis oppoſitus. Pro Capitibus continebat una *Marcomannos*, altera *Quados*, utraque ſuos Aſſeclas. Ideo Marcus Imperator, cum Marcomannos jam & multis, & magnis Prœliis fregiſſet, *Quados* aggrediebatur. Dio Caſſius Lib. LXXI. Μαρκομάννους μὲν δὴ καὶ Ἰάζυγας πολλοῖς καὶ μεγάλοις ἀγῶσι, καὶ κινδύνοις Μάρκος ὑπέταξεν. Ἔπειτα ἐκ παρατάξεως τοὺς καλεμένους Κυάδους, καὶ πόλεμος αὐτῶ συνέστη μέγας. *MARCOMANNOS igitur & Jazygas multis & magnis Prœliis & Periculis ſubegit. Poſt hæc Aciem ordinavit ad eos, qui vocantur QUADI: cum quibus ei Bellum fuit magnum.*

XI. Romani *Quadiam* ingreſſi Fortunam habebant Initio difficilem, mox aſperam, denique proſperam. Fortiter quidem pugnabant, ſed à Quadis, Loca quæque proxima obſidentibus, clauſi. Quamobrem *Quadi* certi, Romanos, aut ob Æſtum & Sitim perituros, aut Deditione tandem ſe conſervaturos, Prœlium differebant. Romanis tamen, ut neque prius pati, neque poſterius facere cogerentur, Beneficium Dei peculiare ſuccurrebat. Tempeſtas ſubito exorta univerſas Romanorum Copias Imbre largiſſimo recreabat, *Quados* crebro Fulmine proſternebat. Paulus Oro-

sius Lib. VII. Cap. XV. de Marcomannico Bello: *In QUADORUM usque Fines progressus* (Romanorum) *Exercitus.* Idem commemorat, præter Paulum Diaconum in Historia miscella, Lib. X. Cap. XVI, Eusebius: cujus Testimonium afferemus §. XIV. Dio Cassius Lib. LXXI. in Excerptis per Johannem Xiphilinum: Gvilielmo Xylandro Interprete: de Romanorum Bello cum Quadis: *Quo ex Bello Victoria, præter Spem, vel potius Dei Beneficio feliciter consecuta est propterea, quod Romani, cum essent in Prælio atque in maximum Periculum venissent, mirabiliter sane ac divinitus conservati sunt. Cum enim intercluſi à QUADIS in Locis opportunis, constipatis Clypeis pugnarent fortiter, atque interim Barbari differrent Prælium, sperantes, eos facile tam ob Æstum, quam Sitim venturos in Potestatem, quos circum occupatis Locis omnibus sic concluserant* [*erant enim multo plures*] *ut Aquam habere nullo Pacto possent. cumque Romani in tantas Difficultates incurrissent, ut Labore, Vulneribus, Ardore Solis ac Siti vexarentur, nec ob eas Res pugnare possent, aut alio secedere, sed in Acie stantes, atque iis in Locis constituti arderent: multæ Nubes derepente ita coactæ sunt, ut maximus Imber ceciderit, non sine Dei Beneficio.* Ibidem post quædam: *Addit Dio, Romanos, cum primum Pluvia caderet, omnes suspexisse in Cœlum, eamque in Ora recepisse: deinde Scutis, Galeisque subjectis, inde sorbsisse largiter, Equisque ad bibendum dedisse. Cumque Barbari inipsos Impetum facerent, eos simul bibisse & pugnasse: com plu resque saucios Sanguinem, infusum in Galeas, simul cum Aqua absorbuisse. Hi propterea gravia Damna accepissent, urgentibus Hostibus, quod magna ex parte in bibendo occupati: nisi vehemens Grando complu raque Fulmina in Hostes cecidissent. Itaque videre licebat in eodem Loco Aquam Ignemque simul de Cœlo cadere, atque ob eam Causam humectari alios & bibere, exurique alios ac prorsus interire. Non attingebat Ignis Romanos, aut si forte* [*interdum*] *ad eos accessisset, exstingvebatur subito. Neque Imber juvabat Barbaros, sed immissas ei Flammas etiam magis, vel ut Oleum, excitabat, ut Aquam requirerent, Pluvia perfusi: infligerentque Pars sibi Vulnera, quo Ignem Sangvine restingverent: Pars confugerent ad Romanos, quasi illis tantummodo Aqua salutaris esset: ita, ut eorum Marcus etiam misertus sit.*

XII. Hoc DEI Beneficium ex Historicis Paganis, alius Cæsaris Marci Antonini Precibus, alius vel Juliani Chaldæi Philosophi, vel Arnuphis Ægyptii Magi Artibus adscribit. Iulius Capitolinus in Marco Antonino, Cap. XXIV: *Fulmen de Cœlo Precibus suis contra Hostium Machinamentum extorsit, suis Pluvia impetrata, cum Siti laborarent.* Suidas in Voce Iulianus, Æmilio Porto Interprete: *Julianus, ante dicti* [Iuliani] *Filius, fuit sub Marco Antonino Imperatore.* Post quædam: *Quidam tradunt hunc Romanis, aliquando*

aliquando Siti laborantibus, subito effeciſſe, ut atræ Nubes congregarentur, & ingentem Imbrem effunderent, cum crebris Tonitribus & Fulguribus. Idque Sapientia quadam effeciſſe Iulianum. Alii vero Arnuphin Ægyptium Philoſophum hoc Miraculum edidiſſe tradunt. Johannes Xiphilinus in Excerptis ex Dionis Cassii Lib. LXXI: *Fama est, Arnuphin Magum Ægyptium, qui cum Marco erat, Mercurium præsertim illum, qui est in Aere, aliosque Dæmonas quibusdam Artibus Magicis invocasse, ac per eos Pluviam elicuisse.*

XIII. Claudianus Poëta [de quo, num Paganus an Christianus fuerit, Libro I. de Romanarum Rerum Scriptoribus, Cap. XXXV. §. 3. & 4. egimus] non Mago, sed Marco, Virtutibus suis reddenti propitium Romanis Deum, attribuit in Carmine XXVIII, quod de Honorii Consulatu VI. scripsit, Versu 340:

Clemens, Marce, redis, cum Gentibus undique cincta
Exuit Hesperiam paribus Fortuna Periclis.
Laus ibi nulla Ducum: nam flammeus Imber in Hostem
Decidit: hunc Dorso trepidum flammante ferebat
Ambustus Sonipes: hic tabescente solutus
Subsidit Galea, liquefactaque Fulgure Cuspis
Canduit, & subitis fluxere Vaporibus Enses.
Tunc contenta Polo mortalis nescia Teli
Pugna fuit: Chaldæa mago seu Carmina Ritu
Armavere Deos: seu, quod reor, omne Tonantis
Obsequium Marci Mores potuere mereri.

XIV. Quemadmodum Scriptores Christiani tradunt: eum *Romanis* salutarem, *Quadis* noxium Imbrem à Deo, quem Adjutorem invocaverant, Christiani Desideriis suis obtinuerunt. Imperatori Marco extrema, quæ jam prævidebat, metuenti Præfectus Prætorianorum indicabat: Nihil esse, quod Christiani, quorum una in Castris Legio militabat, à Deo Precibus obtinere non possint. Ad eas Deo supplices admirandum descendit *Romanis* Auxilium, *Quadis* Damnum. Tertullianus ad Scapulam Cap. IV: *Marcus quoque Aurelius in Germanica Expeditione Christianorum Militum Orationibus ad Deum factis Imbres in Siti illa impetravit.* Iohannes Xiphilinus in Dionis Cassii ex Libro LXXI. Excerptis, cum Dionem aut Erroris, aut Mendacii Reum declaravisset: Interprete Gvilielmo Xylandro: *Cum Marcus Legionem unam haberet ex Militibus Melitenis (hi omnes Christum colunt) ad eum Præfectus Prætorianorum venit, nescientem in illo Prælio, quid Consilii caperet, timentemque, toti Exercitui, eique fertur dixisse: Nihil esse, quod ii, qui Christiani nominantur, Precibus impetrare non possint:*

sint: esseque Legionem integram in Exercitu Hominum hujus Generis. Qua Re cognita, Marcum ab iis petiisse, ut Deo suo supplicarent. Quod cum fecissent, Deum eos exaudiisse subito, percussisseque Hostes Fulmine, ac Romanos Pluvia recreasse.

XV. His, quæ diximus, partim consentiunt, partim duo memorabilia superaddunt multo plures in Christianis Autores. Prius est: Imperatorem Marcum Literis ad Senatum scriptis partam de Germanis in Quadia Victoriam attribuisse Christianorum Precibus: quos in posterum non persequendos censuerit. Posterius est: Christianorum *Legionem*, cujus Precibus à Deo Præsidium Romanis adversus Quados impetraverat Imperator, ab eo dictam propterea *Fulminatricem*. Eusebius in Chronico ad Annum 2189: *Imperator Antoninus multis adversum se nascentibus Bellis sæpe ipse intererat, sæpe Duces nobilissimos destinabat. In quibus semel pertinaci Exercitui, & qui cum eo in QUADORUM Regione pugnabat, Siti oppresso, Pluvia divinitus missa est: cum ê contrario Germanos & Sarmatas Fulmina persequerentur, & plurimos eorum interficerent. Exstant Literæ Marci Aurelii, gravissimi Imperatoris, quibus illam Germanicam Sitim, Christianorum forte Militum Precationibus, impetrato Imbri, discussam contestatur.* Et in Ecclesiastica Historia Lib. V. Cap. V. Henrico Valesio Interprete: *Marcum Aurelium Cæsarem, cum adversus Germanos & Sarmatas pugnaturus Aciem instrueret, & Exercitus ipsius Siti premeretur, pœne ad Inopiam Consilii redactum esse memorant. Tum vero Milites Legionis Melitinæ, quæ Fidei Merito etiam nunc manet, dum Acies adversus Hostes ordinatur, flexis in Terram Genibus, ut nostris orantibus Mos est, Preces ad Deum fudisse perhibentur. Cujus Spectaculi Novitate Hostibus stupefactis, aliud quiddam longe majori dignum Admiratione accidisse narrant: hinc quidem Fulminum Jactus, quibus Hostium Copiæ in Fugam versæ atque exstinctæ sint: illinc vero Imbrium Vim, quibus Exercitus eorum, qui Deum precati fuerant, jam jam Siti periturus, præter Spem recreatus est. Atque ea Res tum à Scriptoribus à Fide nostra penitus alienis, quibus Curæ fuit Res eo Tempore gestas Memoriæ mandare, tum à nostris etiam Hominibus refertur. Sed Gentilium Scriptores, utpote à Religione nostra dissidentes, hoc quidem Miraculum commemorarunt: non tamen id nostrorum Precibus factum esse confessi sunt. Nostri vero, utpote Veritatis Cultores, simpliciter atque ingenue Rem ipsam Literis tradiderunt. Ex his est Apollinaris: qui Legionem ipsam, cujus Precibus id Miraculum perpetratum est, exinde congruo Rei Vocabulo Fulmineam ab Imperatore cognominatam esse scribit. Sed & Tertullianus ejusdem Rei idoneus Testis est in Apologetico, quem pro Fidei nostræ Defensione ad Senatum Urbis Romæ Latino Sermone conscripsit: cujus etiam suprà Mentionem fecimus, ubi hanc*

hanc Historiam validiore atque evidentiore Argumento confirmat. Scribit enim, Marci gravissimi Imperatoris Literas adhuc sua Ætate exstitisse; quibus testabatur, Exercitum Romanum in Germania, cum Aquæ Penuriâ jam jam periturus esset, Christianorum Precibus esse servatum. Eundem quoque Principem Capitis Pœnam comminatum esse dicit Accusatoribus Christianorum. Eadem commemorant, Gregorius Nyssenus in Oratione II. quam de Quadraginta Martyribus scripsit. Paulus Orosius Lib. VII. Cap. XV. Freculphus Lexoviensis Tomo II. Lib. II. Cap. XIV. Georgius Cedrenus in Historiarum Compendio, de M. Antonino. Johannes Zonaras in Annalibus, Tomo II. de M. Antonino. Otto Frisingensis in Chronico, Lib. III. Cap. XXV. Nicephorus in Historia Ecclesiastica, Lib. IV. Cap. XII.

XVI. Præterea sunt, quibus in Memorabilium, quæ singulariter indicavimus, utroque falsum vero mixtum censetur. Nam primum, qui neque Miraculum, neque propter id ab Imperatore Literas ad Senatum scriptas negant, negant, *Epistolam* eam, quam Græcam Iustini Martyris ad Imperatorem Antoninum Pium pro Christianis Orationi subjunctam reperimus: Latinam Onuphrius Panvinius Commentario in Fastos ad Annum Urbis 927: & Cæsar Baronius Annalibus ad Annum Christi 176. Num: XXI, inserui, esse Marci genuinam. Deinde, qui *Legionem* Romanis *Fulminatricem* fuisse concedunt, non concedunt, eam ob Fulmina Precibus obtenta Fulminatricem ab Imperatore Marco dictam: quoniam Legio Fulminatrix jam Imperatoris Trajani Temporibus extiterit: non autem Legio Fulminatrix secunda reperiatur apud Autores, qui Romanorum Legiones numerari solitas describunt. At sunt etiam, qui dubitantibus adimere Suspicionem falsi vel in altero, vel in utroque conantur. Nos utramque Controversiam, quia nihil ad Propositum nostrum facit, in medio relinquimus: de qua consuli possunt, præter Onuphrium Panvinium & Cæsarem Baronium, Arnaldus Pontacus & Iosephus Scaliger in Notis ad Eusebii Chronicon, Annum 2189. Guidus Pancirolus in Commentario ad Imperii Orientalis Notitiam, Cap. XXXV. Claudius Salmasius in Notis ad Iulii Capitolini Marcum Antoninum, Cap. XXIV. Christophorus Adamus Rupertus in Observationibus ad Historiam Universalem de M. Antonino. Henricus Valesius in Annotationibus ad Eusebii Ecclesiasticam Historiam, Lib. V. Cap. V.

XVII. Finitô cum Marcomannis & Quadis in Germania Bellô, Marcus Imperator Anno Urbis 927. Christi 175 in Orientem profectus, cum in Ægyptum cogitans, Palæstinam transiret, Iudæos *Quadis* & Quadorum Sociis, Marcomannis Sarmatisque dispares judicabat. Ammianus Marcellinus

linus Lib. XXII. (Gruterianus) Cap. VII. (Valesianus Cap. V.) de Iuliano: *Sæpeque dictitabat: Audite me, quem Alamanni audierunt & Franci: imitari putans Marci Principis veteris Dictum. Sed parum advertit hoc ab eo nimium discrepare. Ille enim cum Palæstinam transiret, Ægyptum petens, fœtentium Iudæorum & tumultuantium sæpe Tædio percitus, dolenter dicitur exclamasse: O MARCOMANNI, ô QUADI, ô SARMATÆ, tandem alios Vobis inertiores* (alii legunt, inquietiores) *inveni.*

Anno CHRISTI 176.

XVIII. Reversus in Occidentem Marcus Imperator Apro & Pollione Consulibus, id est, Anno Urbis 928, Christi 176: de Marcomannis, *Quadis*, eorumque Sociis, quos Triennio debellaverat, denique superatis, (nequaquam exstinctis, postea sæpius Bellum adversus Romanos gerentibus) cum Filio Antonino Commodo, quem suum in Bello cum Marcomannis & Quadis Germanico Comitem jam Cæsarem declaraverat, Romæ triumphabat. Iulius Capitolinus in M. Antonino, Cap. XVII. *Pannonias ergo Marcomannis, Sarmatis, Vandalis, simul etiam QUADIS exstinctis, Servitio liberavit: & Romæ cum Commodo, quem jam Cæsarem fecerat, Filio, ut diximus, suo triumphavit.* Ælius Lampridius in Antonino Commodo, Cap. II: *Cum Patre Imperator est appellatus quinto Calendarum Decembrium Die: Pollione & Apro Consulibus: & triumphavit cum Patre. Nam & hoc Patres decreverant. Profectus est cum Patre & ad Germanicum Bellum.* Eutropius Lib. VIII. Cap. V. de M. Antonino: *Ingenti ergo Labore & Moderatione, cum apud Carnuntum jugi Triennio perseverasset, Bellum Marcomannicum confecit: quod cum his QUADI, Vandali, Sarmatæ, Suevi, atque omnis Barbaria commoverat: multa Hominum Millia interfecit: ac Pannoniis Servitio liberatis, Romæ rursus cum Commodo Antonino Filio suo, quem jam Cæsarem fecerat, triumphavit.* Iornandes de Regnorum Successione, Cap. LXXV. [non ut à Iano Grutero, sed ut à Friderico Sylburgio & Friderico Lindenbrogio edita sunt] de M. Antonino: *Senior vero multis sæpe Bellis interfuit, sæpiusque per Duces suos Triumphum revexit: maxime de Gente QUADORUM, è quibus cum magna Gloria triumphavit.*

XIX. *Quadi* per Fulminum Vim, humanâ Potentiâ superiorem, non per Hostium, cui repellendo fuissent, Robur victi, revera profligati, non subacti, recolligendis Viribus expetitam ab Imperatore Marco Pacem obtinebant. Per eam, Romanis perniciosum Consortium Quadorum cum Marcomannis & Sarmatis Iazygibus dissoluturo, tredecies mille captivos redde-

reddebant, cæteros redditurі: pro quibus interim multos & Equos, & Boves donabant. Dio Cassius in Theodosii Excerptis ex Lib. LXXI. de Legatis ad Imperatorem missis: *Alii Pacem petebant, ut QUADI, & obtinuerunt eam: quò videlicet à Marcomannis avellerentur: atque etiam propterea, quod Equos & Boves multos dederant, ac Transfugas omnes & captivos, primum ad tredecim Millia, post etiam cæteros, se reddituros promitterent. Non tamen & Commerciorum cum cæteris, ac Mercatuum adeundorum Potestas eis facta fuit: ne pariter & Marcomanni & Iazyges, quos nec recepturos se, nec per Agrum suum, ut Iter facerent, permissuros juraverant, eis se permiscerent, ac tanquam & QUADI ipsi, Res Romanas specularentur, & necessaria sibi compararent.* Petrus Patricius in prioribus Excerptis, quæ primus Græce Davides Hoeschelius, Latine Carolus Cantoclarus edidit: *QUADI Legatos miserunt ad Marcum, Pacem petituros, & consecuti sunt. Itaque multos Equos & multas Boves dederunt: & tredecim Mille captivos, & plures etiam postea Libertati restituerunt.*

XX. At non integra Fide *Quadi* cum Marco minus integro agebant. Nam, inter Pacis Conditiones, jussi Romanis omnes Captivos reddere, non nisi paucos, eosque solos aut inutiles, aut Cognatorum retentorum Desiderio mox in Quadiam sponte sua reversuros reddebant. Dio Cassius in Theodosii Excerptis ex Lib. LXXI: *Miserunt & Iazyges ad Marcum Legatos, Pacem postulatum: qui tamen nihil impetrarunt. Quippe cum Marcus infidum hoc Genus Hominum esse nosset: & à QUADIS præterea deceptus esset: omnino ad Bellum prodire voluit. Nam QUADI non tantum illis tunc Opem in Bello, ceu Socii, tulerant: Sed prius etiam Marcomannis, cum Bellum adhuc gereretur, suam in Regionem confugientes, ubi Vim Romanam sustinere non potuerunt: ac neque quicquam aliud eorum, quæ Legibus Pacis continebantur, præstabant: neque captivos omnes reddiderant, sed paucos tantum, & illos quidem, quibus nec distrahendis, nec ad Operas aliquas Usus esse poterat. Quod si vegetæ quosdam Ætatis restituerent, saltem propinquos eorum domi detinebant, ut & ipsi ad eos ultro transfugerent.*

Rege Quadorum ARIOGÆSO.

Anno CHRISTI 177.

XXI. Hactenus QUADI Regem FURTIUM coluerant. Huic rejecto ARIOGÆSUM Autoritate propria substituebant. Marcus Imperator nec Ariogæsum Regem, nec Quados dignos, cum quibus Pacta renovaret, agnoscebat: posthabitis, quos satis liberales Quadi offerebant,

captivorum quinquaginta Millibus. Dio Cassius in Theodosii Excerptis ex Libro LXXI: de Quadis: *Ejecto quoque Rege suo FURTIO, ARIOGÆSUM ipsi Autoritate propria Regem sibi constituerant. Et Imperator eis propterea nec hunc, quasi legitimè factum, confirmare voluit: nec cum eis Fœdera, licet quinquaginta captivorum Millia se reddituros pollicerentur, renovavit.*

XXII. Quin ARIOGÆSO Marcus in tantum erat contrarius, ut per Præconem publicè promitteret pro capto mille, pro trucidato quingentos Nummos aureos. Tamen postea mutatus, oblato parcebat, & Alexandriam in Exsilium mittebat. Dio Cassius in Excerptis, quæ Nicolaus Fabricius Peirescius, ex Constantini Augusti Porphyrogenetæ Collectaneis possedit, Henricus Valesius primum Parisiis edidit, ex Libro LXXI: eodem Valesio Interprete: *Marcus adeo infensus erat ARIOGÆSO, ut publicè per Præconem pronunciari jusserit, si quis illum vivum adduceret, mille aureos: sin occisi Caput attulisset, quingentos accepturum: etsi alioqui summa Humanitate etiam in acerbissimos Hostes uteretur. Nam Tiridatem Satrapam, qui Armeniæ Statum turbaverat, & Heniochorum Regem occiderat, ac Martio Vero ob hæc eum objurganti Gladium intentaverat, satis habuit, in Britanniam relegare. Eâ igitur Iracundiâ Marcus tum adversus ARIOGÆSUM excanduit: postmodum verò captum nullo affecit Supplicio, sed Alexandriam misit.*

XXIII. Tum *Quadi* Romanis, se, quamvis creatum, non approbaturos Regem, nisi Marco & Lucio Antoninis Imperatoribus placuisset, promittebant. Iulius Capitolinus in Marco Cap. XIV. *QUADI autem amisso Rege suo, non prius se confirmaturos eum, qui erat creatus, dicebant, quam id nostris placuisset Imperatoribus.*

XXIV. Post hæc *Quadi*, cum Romanorum Militum in exstructis Castellis, quæ fastidiebant, non amplius ferre possent Insolentiam, ad Semnones à Sede sua migrare conabantur. Id Propositum Marcus Imperator necessarias Vias obstruens impediebat. Dio Cassius in Excerptis per Theodosium ex Lib. LXXI: *QUADI verò & Marcomanni per Legatos Marco significarunt, viginti Militum Millia, quæ in Castellis degerent, nec securè pascendi, nec Agros colendi, nec alterius Rei faciendæ Copiam sibi facere: sed, tum Transfugas suos, tum captivos ex suis complures suscipere; cum interim ipsi non admodum incommodè Vitam agerent, quod tum Balinea, tum Res necessarias omnes affatim haberent. Unde factum esset, ut QUADI Castellorum Structuras minimè ferentes, ad Semnones tota cum Gente sua, mutatis Sedibus, migrare conati fuerint. Antoninus autem, præcognito ipsorum Instituto, Itinera, quibus eis transeundum erat, obstruxit: & hoc Modo eos impedivit. Quippe sic non tam Ditionem ipsorum acquirere, quam Homines ulcisci velle videbatur.*

Romanorum Imperatore COMMODO Antonino.

XXV. Marci Antonini Successor Filius Commodus Antoninus, ab Anno Urbis 932, Christi 180: ad Annum Urbis 944, Christi 192, imperavit. Expeditionem, quam cum Patre contra Germanos susceptam feliciter finierat, tanti faciebat, ut, cum nova cunctis Mensibus imponeret Nomina, SEPTEMBREM (quem Adulatores HERCULEM, quia Commodus ita se ipsum appellabat, dicebant) ipse propter QUADOS feliciter in Germania victos COMMODUM statueret vocandum. Herodianus Lib. I. Cap. XIV. §. 14. Interprete Angelo Politiano, de Commodo: *Eoque Vecordiæ & Petulantiæ processit, ut paternum primo Cognomen repudiaret, ac pro COMMODO, Marci Filio, HERCULEM se Jovis Filium jusserit appellari.* Post quædam §. 17: *Idemque Mensium Nomina demutavit, ac pro vetustis Appellationibus novas de suis Cognominibus imposuit, quorum ad Herculem pleraque, tanquam scilicet ad fortissimum, referebantur.* Ælius Lampridius in Commodo, Cap. XI: *Menses quoque in Honorem ejus, pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exsuperatorium, pro Decembri Amazonium, ex Signo ipsius Adulatores vocabant.* Eusebius in Chronico ad Annum 2199: *Commodus septimum Mensem Nomine suo appellavit.* Eutropius Lib. VIII. Cap. VI. *Commodus nihil paternum habuit, nisi quod contra Germanos feliciter & ipse pugnavit. SEPTEMBREM Mensem ad Nomen suum transferre conatus est, ut COMMODUS diceretur.* Aurelius Victor de Cæsaribus, Cap. XVII: *Bello planè impiger, quò in QUADOS prosperè gesto SEPTEMBREM Mensem COMMODUM appellaverat.*

XXVI. Pacem cum *Quadis*, quam Pater M. Antoninus inierat, tredecim Millibus Militum exactis, renovabat. Dio Cassius in Excerptis per Theodosium ex Lib. LXXII: de Marcomannis: *Quamobrem duos duntaxat è Primoribus, & duos Ordinis inferioris Legatos ad Commodum pro Pace miserunt. Is verò cum eos ad Internecionem delere nullo Negotio posset, Homo fugiens Laboris, & urbanas ad Tranquillitates properans, cum aliis Conditionibus, quibus & Pater ejus pactus fuerat, tum his præterea Pacem fecit: ut Transfugas & captivos, quos ab illo Tempore accepissent, Commodo restituerent: & Frumentum quoddam certum quotannis penderent: quod eis postea remisit. Etiam ab ipsis Arma quædam exegit, & tredecim*

Millia Militum à QUADIS, pauciores à Marcomannis: pro quibus tamen permisit, ut singulis Annis aliquos darent.

CAPUT XVIII.

SILESIORUM MAIORES LYGII & QUADI:

SÆCULO III.

Romanorum Imperatore Antonino CARACALLA. Rege Quadorum GAIOVOMARO.

I.

IMperatoris Septimii Severi Filius Antoninus Caracalla Romanis ab Anno Urbis 963, Christi 211: ad Annum Urbis 969, Christi 217, præfuit: Tum *Quadorum* Rex GAIOVOMARUS Imperio Romano subjectus erat. Hunc Caracalla interemit accusatum: cujus ex Familiaribus voluntaria Morte sublati Corpus in Dehonestamentum Barbaris tradidit. Dio Cassius in Excerptis [quorum Mentionem Cap. XVII. §. 21. fecimus] Peirescianis, ex Libro LXXVII: de Antonino Caracalla: Ἐμεγαλοφρονήτο δὲ ἐπὶ τῷ τὸς Βανδίλους, καὶ τὸς Μαρκομάνους, φίλους ὄντας ἀλλήλοις συγκεκροτικέναι. Καὶ ὅτι καὶ τὸν τῶν Κουάδων βασιλέα Γαϊοβόμαρον κατηγορηθέντα ἀπεκτόνει. Καὶ ὅτι τῶν συνόντων τις καὶ συγκατηγορημένων αὐτῷ προσαπήξατο, ἐπέτρεψε τοῖς βαρβάροις τὸν νεκρὸν αὐτὸ καλατρῶσαι, ἵν' ὡς καὶ καταδεδικασμένος ἐσφάσθαι, ἀλλὰ μὴ ἑκουσίως (ὅπερ ἔυδοξον παρ' αὐτοῖς ἐνομίζετο) τελευτηκέναι νομισθείη. *Et gloriabatur tamen, quod Vandalos & Marcomannos antehac Amicos & Socios inter se commisisset: quodque QUADORUM Regem GAIOVOMARUM accusatum interemisset. Cum verò unus ex Regis Familiaribus, qui una cum ipso accusatus fuerat, Laqueo sibi Gulam fregisset, hujus Cadaver Barbaris convulnerandum dedit, ne voluntaria Morte, quod apud eos præclarum habetur, sed ut damnatorum Exitu periisse crederetur.*

Romanorum Imperatore MAXIMINO.

II. Imperatoris Alexandri Successor Maximinus ab Anno Urbis 987, Christi 235: ad Annum Urbis 989, Christi 237, fuit. Tum *Quadi*, Ro-

Romanis ob Imperatores plures simul electos magno Bellorum intestinorum Strepitu certantibus, securiores, cum Marcomannis Dacorum Sociis Danubium transgressi, Regiones Romanis subditas depopulabantur. Ioannes Aventinus in Annalibus Boicis Lib. II. de Gordiano Iuniore: *Dum Romani cum Maximino decertant, Daci (qui & Getæ sunt, quos Germano Sermone Gothos, communi Vocabulo Scythas appellare solent) à Trajano perdomiti fractique, hactenus Quietem agitarant, hac Tempestate Vires recuperant, Regem Argunthem (quem nostri Austrogotham vocant) creant, deinde conjunctis sibi finitimis, Vandalis, Gepidis, Suevis, Marcomannis, QUADIS, Peucinis, Basternis, Carpis, Bojis, transito Danubio Mœsias, Thracias depopulantur. Marcionopolin Caput Mœsiarum obsident, obsessi Pacem Auro emunt.*

Romanorum Imperatore VALERIANO.

III. Valerianus ab Anno Urbis 1005, Christi 253: ad Annum Urbis 1012, Christi 260, Romanis præfuit. Sub eô Tribunus, nondum Imperator, Probus Valerium Flaccum, Valeriani Patrem, è *Quadorum* Manu eripuit. Flavius Vopiscus de Probo, Cap. V: *Cum Bello Sarmatico jam Tribunus, transmisso Danubio, multa fortiter feciſſet, publice in Concione donatus est Hastis puris quatuor, Coronis vallaribus duabus, Corona civica una, Vexillis puris quatuor, Armillis aureis duabus, Torque aureo uno, Patera sacrificali quinquelibri una. Quo quidem Tempore Valerium Flaccum, Adolescentem nobilem, Parentem Valeriani, è QUADORUM liberavit Manu. Unde illi Valerianus Coronam civicam detulit. Verba Valeriani pro Concione habita: Suscipe, Probe, Præmia pro Republica: suscipe Coronam civicam pro Parente.*

Romanorum Imperatore GALLIENO. Anno CHRISTI 265.

IV. Gallienus, ad Imperii Consortium à Patre Valeriano assumtus, post eum Anno Urbis 1012, Christi 260, mortuum, solus ad Annum Urbis 1020, Christi 268, imperabat. Anno Urbis 1017, Christi 265, *Quadi* cum Sarmatis Pannoniam, Romanorum Provinciam, devastabant. Eusebius in Chronico (Iosephi Scaligeri) ad Annum Abrahami 2278: Gallieni IX: [Arnaldi Pontaci, ad Annum Abrahami 2280, Gallieni X:] *QUADI & Sarmatæ Pannonias occupaverunt.* Eutropius Lib. IX. Cap. IX. *Pan-*

nonia à Sarmatis QUADISque *populata est.* Paulus Orosius Lib. VII. Cap. XXII. *QUADI & Sarmatæ Pannonias depopulantur.* Iornandes de Regnorum Successione, Cap. LXXXIII. de Gallieno: *Dum nimis in Regno lasciviret, nec virile aliquid ageret, Parthi Syriam Ciliciamque vastaverunt. Germani & Alani Gallias deprædantes, Ravennam usque venerunt. Græciam Gothi vastaverunt.* QUADI *& Sarmatæ Pannonias invasérunt.* Eadem Otto Frisingensis in Chronico, Lib. III. Cap. XXXIX. tradit.

Romanorum Imperatore PROBO.
Rege Lygiorum SEMNONE.

V. Imperatoris Taciti Successor Probus ab Anno Urbis 1028, Christi 276: ad Annum Urbis 1030, Christi 282, fuit. Cum Probo *Lygii*, Regem SEMNONEM habentes, Armis certaverunt. Victi Prælio, non Bello, tamen supplices, captum à Probo Regem Regisque Filium, ad Conditiones Pacis æquas, recipiebant. Zosimus Lib. I. de Probi Rhenum transgressi Bellis cum Civitatibus Germanicis locutus: Μάχας δὲ κατεργὰς ἠγωνίσατο, πρότερον μὲν πρὸς Λογίωνας, ἔθνος Γερμανικόν. ὃς καταγωνισάμενος, καὶ Σέμνωνα ζωγρήσας ἅμα τῷ παιδὶ τὸν τούτων ἡγούμενον, ἱκέτας ἐδέξατο, καὶ τὰς αἰχμαλώτους, καὶ τὴν λείαν πᾶσαν, ἣν εἶχον Σέμνωνα, μετὰ τῦ παιδὸς ἀπέδωκε. *Pugnas etiam acres commisit, primum contra* LOGIONES, *Gentem Germanicam. Quibus devictis,* SEMNONE *que eorum Duce, cum Filio in Potestatem redacto, supplices factos in Fidem recepit: & captivis, omnique Præda recuperata, quam habebant, certis eos Conditionibus remisit, ipso quoque, cum Filio* SEMNONE *reddito.* Ubi, quamvis non *Lygii*, sed *Logiones* vocentur, tamen ideo non est, ut dubites, fuisse *Lygios.* Horum enim Nomen miris Modis depravatum apud Scriptores potissimum recentiores invenitur: quibus *Lugi, Lugii, Logi* vocantur: ut supra monuimus Cap. XII. Nobiscum sentit Philippus Cluverius in Antiqua Germania Lib. III. Cap. XXXIII: *Dicti igitur sunt Zosimo* LOGIONES, *quasi Lugiones, qui aliis Lugi ac Lugii; quemadmodum & ipsi Burgundi aliis Autoribus vocantur Burgundii ac Burgundiones.*

Romanorum Imperatore DIOCLETIANO.

VI. Diocletianus ab Anno Urbis 1036, Christi 284: ad Annum Urbis 1055, Christi 303, imperavit: cujus hoc Anno depositum Imperium Constantius Chlorus, Imperatoris Constantini Magni Pater, accepit, antea Cæsar, post Augustus: ad Annum Urbis 1058, Christi 306, superstes. Ad eum Constantium, adhuc Cæsarem, nondum Augustum, cujus à Libellis & Epistolis fuit, Eumenius, post Britanniam à Romanis recuperatam, Anno Urbis 1048, Christi 296, scripsit Panegyricum. In eô, victis sub Imperatore Diocletiano Gentibus *Quados* annumerat: Cap. X: *Nunc verò toto Orbe Terrarum, non modo, qua Romanus fuerat, Virtute vestra recepto, sed etiam, qua hostilis, edomito: cum toties proculcata esset Alamannia, toties obvia Sarmatia, Vitungi,* QUADI, *Carpi toties profligati.*

CAPUT XIX.
SILESIORUM MAIORES LYGII & QUADI:
SÆCULO IV.

I.

DE LYGIIS hoc Sæculo nihil proferre possumus, nisi quod priscam in Germania Sedem adhuc retinuerint: id est, inferioris SILESIÆ Cultores permanserint. Id nobis, quanquam depravatum, Nomen indicat, quô Lygii designati reperiuntur.

II. Nam id, non minus, quam Populorum aliorum Vocabula, Mutationibus crebris fuit obnoxium. Pro Exemplo sunt BOII: quos *Boiarios, Boioarios, Baibaros, Bajobaros, Bajuvarios, Bavivaros, Babaros,* denique BAVAROS appellari constat. Has enim, ut alias taceam, Bojarum Nominis Formas invenimus in Libris, quos Iornandes Episcopus de Gothorum Rebus, & Paulus Diaconus de Langobardorum Gestis conscripserunt: Petrus Pithoeus, Fridericus Sylburgius, Ianus Gruterus, Fridericus Lindenbrogius, cum veterum MStorum Varietatibus, ediderunt. Non igitur mireris, Lygiorum Nomen, ut supra monuimus, Cap. XII. §. 2. & 3. Cap. XVIII. §. 2. consimiles obiisse Mutationes. Græcis aliis λύγιοι *Lygii*, aliis λούγοι *Lougi, Lugi:* postea λόγοι *Logi*; λόγγοι *Longi:* &, ut Burgundi etiam Burgundiones, sic aliis *Logiones*, aliis *Longiones* sunt vocati: quemadmodum ex antiquis Codicibus patet. Hinc usitata Scriptoribus Consuetudine, qua *Longum* in *Langum*, & *Langum* in *Longum* vertitur, sicut *Langobardi* etiam *Longobardi* nominantur, ita *Longiones* in *Langiones* transierunt. Hoc ultimo Vocabulo denotatam *Lygiorum* Gentem in Germania superstitem, intra Sæculum quartum ostendere possumus.

III.

III. Nam Cosmographiam, quam Æthicus Ister Sophista scripsisse dicitur: primum ex Petri Pithœi Bibliotheca Josias Simlerus edidit: Henricus Valesius in Annotationibus ad Ammiani Marcellini Lib. XXIX. Cap. V. totam ex Iulii Honorii Oratoris Cosmographia desumtam, ideoque non Æthici, sed Honorii vocandam esse judicat: Autor post Imperium Romanum jam Imperatoribus Christianis subjectum, consignavit: quô Sæculô, quô Annô, non habemus exploratum: de quo hærent dubii, Conradus Gesnerus in Bibliotheca: Caspar Barthius in Adversariis, Lib. XLV. Cap. XIII. Gerardus Ioannes Vossius de Historicis Latinis Lib. III. Parte II. quæ Historicos Ætatis incertæ continet.

IV. Est illa Cosmographia recentior Urbe Constantinopoli, quam prius Byzantium dictam, Symmacho & Gallicano Consulibus, id est, Anno Christi 330, Imperator Constantinus Magnus, in sui Memoriam, nominavit Constantinopolin: ut ostendit Iosephus Scaliger in Opere, quod de Temporum Emendatione scripsit, Lib. V. *Nam, juxta Constantinopolin,* ait laudatus Cosmographus, *longè mittuntur Augustiæ, donec eas Mare, quod dicimus nostrum, accipiat.*

V. Etiam recentior est Templis, Romæ conditis, S. Petri, S. Pauli, S. Felicis: quæ Viis Romæ priscis nova Nomina dederunt. Nam, *Ingressus,* inquit, *per Divi Apostoli Petri Portam: intra Ostiensem Portam, quæ est Divi Pauli Apostoli: & Viam Portuensem, quæ est S. Felicis Martyris, Urbem egreditur, quâ Naves de Portu Urbis ad Dominam totius Mundi Romam ascendunt.* Hanc Nominum in Romanis Portis Mutationem tum demum ortam, cum maximè Christiani Paganis prævalerent, post Constantini Magni Excessum, id est, Annum Urbis 1089, Christi 337, non facile quisquam negaverit.

VI. Antiquior autem est Aurelio Cassiodoro, qui Romæ Consulatum solus Anno Urbis 1266, Christi 514, gessit. Nam Iulium Honorium Cassiodorus in divinis Lectionibus Cap. XXV, quo de Cosmographis legendis agit, ita commendat: *Libellum Iulii Oratoris, quem vobis reliqui, studiosè legere festinetis: qui Maria, Insulas, Montes famosos, Provincias, Civitates, Flumina, Gentes, ita quadrifaria Distinctione complexus est, ut pene nihil Libro ipsi desit, quod ad Cosmographi Notitiam cognoscitur pertinere.*

VII. Hic autem Cosmographus, seu Æthicus Ister, seu Iulius Honorius sit, in Opusculo suo, inter priscos Germaniæ Populos, Gothos, Thuringos, Marcomannos, Mentionem *Lygiorum* facit, quibus *Langionum* Nomen attribuit. *Oceanus,* ait, *Occidentalis habet Gentes: Gothos, Thuringos, Herulos, Sarmatas, Marcomannos, Longobardos, Alamannos.* Ibidem post quædam: *Suevos, Alanos, Francos, LANGIONES, Burgundiones, Gippidas, Armolaos, Manianos, Quadivastos.*

VIII. Præ-

VIII. Præterea Iulii Honorii Oratoris, vel ex eo alterius excerpta Geographia, quam Iacobus Gronovius ex Iacobi Augusti Thuani Bibliotheca primus Anno M.DC.XCVI. edidit, citra dubium Opusculo, quod Æthico ascribitur, aliquantô vetustior est. Horum Excerptorum Autor, & *Lygios;* sub *Langionum* Nomine, tanquam inferioris, & *Quados,* tanquam superioris Silesiæ Possessores: utrosque Sarmatis (*Lygios* Bastarnis, hodie Polonis: *Quados* Iazygibus, hodie Hungaris) propinquos, Populis Occidentalibus adjungit. *Gentes,* inquit, *Occidentalis Oceani: Tolosates Gens, Novempopuli Gens, Narbonenses, Morini, Suebi, Langobardi, Tutuncii, Burbundiones, Armilausini, Marcomanni, Mannii, Francii, Alanii, Amsivari, LANGIONES, QUADI Gens, Sarmatæ Gens, Bastarnæ, Carpii, Gothii, Cippedi, Heruli.*

IX. Quare dubium non est, *Lygios,* denique *Langiones* dictos, Sæculo Quarto, inter Germanos, intra Silesiam inferiorem adhuc fuisse fixos. *Quadis* hoc Sæculo minimè dubia superest Fama: quorum Acta præcipua mox recensebimus.

Romanorum Imperatore CONSTANTINO Magno.

X. Imperatoris Constantii Chlori Successor Filius Constantinus Magnus ab Anno Urbis 1058, Christi 306: ad Annum Urbis 1089, Christi 337, fuit. Is ob *Quados,* nescio quod Honoris Genus obtinuit. Nam Monumentum, quod Janus Gruterus in Romanarum Inscriptionum Opere, pag. CCLXXXII. Num. V. exhibet, non est integrum: CONSTANTINO BEATISSIMO OB PERENNEM DE QUADIS.

Post divisum ROMANORUM Imperium: Imperatore Orientis CONSTANTIO II. Occidentis CONSTANTE.

XI. Ab Imperatore Constantino Magno relictum Imperium, Tatiano & Feliciano Consulibus, id est, Anno Urbis 1089, Christi 337, dividebatur inter Filios Constantinum II, Constantium II, & Constantem. Constantinus Portione sua non contentus, Fratrem Constantem debellare nihil veritus, Anno Urbis 1092, Christi 340, trucidabatur. Post hæc igitur Con-

ſtantius Orientis, ad Annum Urbis 1113, Chriſti 361: Conſtans Occidentis, ad Annum 1152, Chriſti 350, etat Imperator.

Anno CHRISTI 355.

XII. Poſt Conſtantis Mortem, Lolliano & Arbetione Conſulibus, id eſt, Anno Urbis 1107, Chriſti 355, *Quadi* cum Sarmatis *Valeriam* (Styriam eſſe putant, quos ſupra indicavimus, Cap. XVI. §. 4.) Myſiam, Pannoniamque, Provincias Romanas depopulabantur. His aliisque Romanorum Hoſtibus Conſtantius ſolus impar, Julianum, eodem Anno, Die VI Novembris, ut Idacius in Faſtis refert, ad Imperii Conſortium, in Auxilii Partem, declarabat Cæſarem: cui Gentes Tranſalpinas committebat. Ipſe, poſtquam Conſulatum octavum cum Iuliano Cæſare ſuſceperat, Anno Urbis 1108, Chriſti 356, Expeditionem adverſus *Quados* & Sarmatas feliciter ſiniebat. Ammianus Marcellinus Lib. XVI. (Gruterianus) Cap. XVIII. (Valeſianus Cap. X.) de Conſtantio: *Cupiens itaque auguſtiſſima omnium Sede morari diutius Imperator, ut Otio puriore frueretur & Voluptate, aſſiduis Nuntiis terrebatur & certis, indicantibus, Svevos Rhætias incurſare, QUADOSque Valeriam, & Sarmatas latrocinandi peritiſſimum Genus, ſuperiorem Mœſiam, & ſecundam populari Pannoniam.* Zoſimus Initio Libri III Ioanne Leunclavio Interprete: *His in Gallum Cæſarem perpetratis, è Pannonia Conſtantius in Italiam tranſiit. Cum autem videret, omnes Romanis ubique ſubditas Provincias barbaricis Incurſionibus interceptas: Francos & Alemannos, & Saxones jam quadraginta ſitas ad Rhenum Urbes cepiſſe, prorſus easdem devaſtaſſe, Cives & Incolas infinitæ Multitudinis, cum innumerabili Spoliorum Copia ſecum abduxiſſe: QUADOS cum Sarmatis magna Licentia & Securitate per Pannoniam, perque Myſiam ſuperiorem graſſari: Perſas Orienti moleſtos eſſe non deſinere, licet antea quieviſſent, veriti, ne Gallus Cæſar eos adoriretur: his igitur omnibus ad Animum revocatis, &, quid faceret, ambigens, ſolum quidem ſe minimè ſufficere poſſe putabat, ut afflictis adeo Rebus & laborantibus Opem ferret: Imperii verò Conſortem deligere non audebat.* Ibidem poſt quædam: *Conſtantius Iulianum Athenis arceſſit, cum Philoſophantibus ibi familiariter viventem, & in omni Genere Doctrinæ Magiſtros ſuos excellentem. Poſteaquam in Italiam arceſſitus adveniſſet, Cæſarem Conſtantius declarat: & Helenam ei Sororem in Matrimonium tradit, & ad Nationes Tranſalpinas eum dimittit.* Iterum poſt quædam: *Rebus ad Iulianum ſpectantibus in hunc Modum diſpoſitis, ipſe Conſtantius in Pannoniam Myſiamque proficiſcitur: &, ibidem ſe datis QUADORUM Sarmatarumque Motibus, verſus Orientem pergit, Perſicis eum ad Bellum pertrahentibus.*

XIII.

XIII. *Quadi* verò cum Sarmatis, quamvis repreſſi, tamen nondum ſubacti, poſt hæc parem in Modum utramque Pannoniam & Mœſiarum alteram irrumpebant: inſtructiſſimi ad Prædas longis Haſtis, Loricis corneis, Equis caſtratis, velocibus, morigeris. Ammianus Marcellinus Lib. XVII. (Gruterianus) Cap. XXIII. (Valeſianus Cap. XII.) *Auguſto* (Conſtantio) *inter hæc quiescenti per Hiemem apud Sirmium, Nuntii graves & crebri, permiſtos Sarmatas & QUADOS, Vicinitate & Similitudine Morum Armaturæque concordes, Pannonias Mœſiarumque alteram Cuneis incurſare diſperſis. Quibus ad Latrocinia magis, quam aperto habilibus Marti, Haſtæ ſunt longiores, & Loricæ ex Cornibus raſis & levigatis, Plumarum Specie linteis Indumentis innexæ: Equorumque plurimi ex Uſu caſtrati, ne aut Faminarum Viſu exagitati raptentur, aut in Subſidiis ferocientes, prodant Hinnitu denſiore Vectores. Et per Spatia diſcurrunt ampliſſima ſequentes alios, vel ipſi Terga vertentes, inſidendo velocibus Equis & morigeris, trahentesque ſingulos, interdum & binos, uti Permutatio Vires foveat Iumentorum, Vigorque Otio integretur alterno.*

XIV. *Mœſiarum* altera, id eſt, *inferior*, quænam Provincia ſit, non ſatis certum. Pleriſque *Bulgariam* ſtatuunt. Laonicus Chalcocondylas de Turcicis Rebus Lib. I. Franciscus Irenicus in Germania, Lib. VI. Cap. XXII. Gvidus Pancirolus in Commentario ad Orientalis Imperii Notitiam, Cap. CLII. Sunt tamen etiam, quibus *Valachia* creditur. Diſſentientes conciliare poſſumus, ſi *Mœſia* inferior & *Bulgariam* & *Valachiam* complectitur: ut Ioannes Cuſpinianus in Scholiis ad Sexti Rufi de Populi Romani Geſtis Breviarium Cap. VIII. judicat.

Anno CHRISTI 358.

XV. Hinc Conſtantius Imperator, Datiano & Cereale Conſulibus, Anno Urbis 1110, Chriſti 358, in graviorem Vindictam excitatus, Danubium transgreſſus, *Sarmatas* invadebat: in Anguſtias quidem compellebat, tamen in Ultionem obſtinatos, & Inſidias pronos, experiebatur. Ammianus Marcellinus Loco dicto: *Æquinoctio itaque Temporis verni confecto, Imperator* [Conſtantius] *coacta Militum valida Manu, Ductu lætioris Fortunæ profectus, cum ad Locum apertiſſimum perveniſſet, Flumen Iſtrum exundantem Pruinarum jam reſoluta Congerie, ſuper Navium Foros Ponte contexto transgreſſus, populandis Barbarorum incubuit Terris: qui Itinere feſtinato prævenit, Catervas Bellatoris Exercitus Iugulis ſuis imminere cernentes, quem nondum per Anni Tempus colligi poſſe rebantur, nec ſpirare auſi, nec ſtare, ſed vitantes Exitium inſpera-*

insperatum, semet omnes effuderunt in Fugam. Stratisque plurimis, quorum Gressus vinxerat Timor, hi, quos exemit Celeritas Morti, inter latebrosas Convalles Montium occultati, videbant Patriam Ferro pereuntem: quam vindicassent profecto, si Vigore, quo discesserant, restitissent. Gerebantur hæc in ea Parte SARMATIÆ, quæ secundam prospectat Pannoniam: parique Fortitudine circa Valeriam Opes Barbaricas, urendo rapiendoque occurrentia, militaris Turbo vastabat. Cujus Cladis Immensitate permoti, posthabito Consilio latendi, SARMATÆ petendæ Specie Pacis Agmine tripertito agentes, securius nostros aggredi cogitarunt: ut nec expedire Tela, nec Vim Vulnerum declinare, nec, quod est in Rebus arctissimis ultimum, verti possent in Fugam.

XVI. *Quadi* Sarmatis fidi Socii, nullam Periculorum Magnitudinem timentes, partim fractis, partim fatigatis celeriter in Auxilium quidem occurrebant, Romanorum tamen Fortitudini cedere cogebantur. Ammianus Marcellinus Loco supra indicato: *Aderant autem illico Sarmatis Periculorum QUADI participes, qui Noxarum sæpe Socii fuerant indiscreti: Sed nec eos prompta juvit audacia, in Discrimina ruentes aperta. Cæsis enim compluribus, Pars, quæ potuit superesse, per notos Colles evasit.*

XVI. Ut ea, quæ porro de *Quadis* proferemus, recte capiantur, præmonenda sunt duo. Primum, *Regales* vocabantur Regibus proximi, hoc est, Regum Filii & Agnati. Quod ignoravit Gregorius Turonensis in Francorum Historia, Lib. II. Cap. IX. de Sulpitio Severo, Marcomerem & Sunnonem Regales appellante: *Cum autem eos Regales vocet, nescimus, utrum Reges fuerint, an Vices tenuerint Regum.* Non ignoravit Anonymus Autor de Vocum Differentiis, quem Elias Putschius in Grammaticæ Latinæ Autoribus antiquis edidit: *Inter Regem & Regalem hoc interest, quod Regis Puer Regalis est, Rex, qui regit Regnum.* Ammianus Marcellinus Libr. XVI. (Gruterianus) Cap. XXVII. (Valesianus Cap. XII:) *Hos sequebantur Potestate proximi Reges, Numero quinque, Regalesque decem & Optimatum Series magna.*

XVIII. Deinde *Quadorum* Populus his Temporibus, de quibus agimus, numerosissimus, in duas Gentes divisus, totidem habebat Reges.

XIX. Prior erat *Quadorum Transjugitanorum*: trans Iuga, id est, Montes Bohemicos (intra superiorem Silesiam) habitantium. Hos, trans Vistulam, Polonorum hodie Flumen, cujus Fons intra Silesiam superiorem oritur, Sedem tenentes, *Transvistulanos* appellandos censet Beatus Rhenanus de Rebus Germanicis Lib. I. Cap. XLVII. (pag. 121:)

XX. Posterior erat *Quadorum aliorum*: ad Granum hodie Pannonium

num inferiorum Amnem hærentium. Nam eò Regionem suam extenderant Quadi jam sub Imperatore Marco Antonino. De quo supra Cap. XVII. §. 3.

XXI. Hos *Quados* nonnulli *Carpos* fuisse judicant. Ideo, quod de *Carpis* refertur, id *Quadis* adscribunt. Melchior Goldastus de Bohemiæ Regno, Lib. I. Cap. XIII. §. 7. *A Diocletiano & Maximiano Herculeo Carpi, Quadorum Natio, victi & translati sunt in Solum Romanum.* Ibidem §. 8: *Arabarius Rex fuit Quadorum Transjugitanorum, id est trans Iugа Hungarica, vel Sarmaticos Montes habitantium: Viduarius Quadorum Carpensium ad Granam Fluvium.* Boheslaus Balbinus in Miscellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. II. Capite III: *Marcomanni & Quadi, Diocletiani Imperatoris (qui se Imperio, eo Anno abdicavit) Auspiciis victi & triumphati sunt. Carpi, Quadorum Pars & Natio in Solum Romanum translati.*

XXII. Nos haudquaquam negamus, à Diocletiano Carpos, ex antiquis Sedibus, in Romanum Solum, ad Danubium, intra Pannoniam collocatos. Id enim tradunt, Eusebius in Chronico ad Annum 2309: Dioeletiani 8: *Carporum & Basternarum Gentes in Romanum Solum translatæ sunt.* Aurelius Victor de Cæsaribus Cap. XXIX. de Diocletiano: *Intereà eæsi Marcomanni, Carporumque Natio translata omnis in nostrum Solum.* Eutropius Lib. IX. Cap. XXI. de Diocletiani Rebus: *Varia deinceps & simul, & viritim Bella gesserunt, Carpis & Basternis subactis, Sarmatis victis: quarum Nationum ingentes captivorum Copias in Romanis Finibus locaverunt.* Ammianus Marcellinus Lib. XXVIII. (Gruterianus) Cap. II. (Valesianus Cap. I.) de Maximino: *Obscurissime natus est, Patre Tabulario Præsidialis Officii, orto à Posteritate Carporum, quos antiquis excitos Sedibus Diocletianus transtulit in Pannoniam.*

XXIII. Quis autem Veterum tradit *Carpos* fuisse *Quadorum* Nationem? Neminem invenire potuimus. Contra sunt in recentioribus, qui Carpos Quadis propinquos in Sarmatis Bastarnis Nationem fuisse docent. Inter hos est Beatus Rhenanus de Rebus Germanicis Lib. I. Cap. XXVII: & Philippus Cluverius in antiqua Germania Lib. III. Cap. XLIII. Quamobrem *Carporum* Acta non in *Quadorum* Rebus commemoranda judicavimus.

XXIV. Constantius Imperator, prius Sarmatis, mox eorum Sociis Quadis, ultra Provinciarum Romanarum, quas invaserant, Terminos depulsis, majorem Cladem inferre conabatur. Hinc ad duo Quadorum Regna præparatas ducebat Copias. *Quadi* ex Malis præteritis futura prævidentes, Pacem Bello anteponebant, & in Salutem suam expetebant. Am-

mianus Marcellinus Lib. XVII. (Gruterianus) Capite XXIV. (Valesianus Cap. XII.) *Quô* (profligatorum Quadorum) *Eventu Vires & Animos incitante, junctis densius Cuneis, ad QUADORUM REGNA properabat* (Romanorum) *Exercitus. Qui ex præterito Casu impendentia formidantes, rogaturi suppliciter Pacem, sidentes ad Principis venere Conspectum, erga hæc & similia lenioris.*

XXV. Tum etiam *Sarmatæ* judicabant dubio Armorum Eventui Consilium Pacis non posthabendum. Ad eam quærendam mittebant Regalem Zizain Iuvenem, Subregulos (id est, potentiorum Regum Placitis subjectos Reges) Rumonem, Zinafrum, & Fragiledum. Hos Imperator, ut erat benignus, non tantum in Severitate, quantum in Æquitate Momentum, ad Securitatem positum esse ratus, supplices, captivis redditis, Obsequia Romanis Præceptis pollicentes, Fidemque datis Obsidibus postulatis corroborantes, in Gratiam recipiebat: & in Sedibus suis relinquebat. Ammianus Marcellinus Loco dicto: *Zizais quoque etiamtum Regalis, haud parvi Corporis Iuvenis, Ordines Sarmatarum More Certaminis instruxit ad preces: visoque Imperatore, abjectis Armis, Pectore toto procubuit exanimis stratus. Et amisso Vocis Officio præ Timore, tum, cum orare deberet, majorem Misericordiam movit, conatus aliquoties, parumque, impediente Singultu, permissus explicare, quæ poscebat. Recreatus denique tandem, jussusque exsurgere, Genibus nixus, Usu Linguæ recuperato, Concessionem Delictorum sibi tribui supplicavit & Veniam: eoque ad precandum admissa Multitudo, cujus Ora Formido muta claudebat, Periculo adhuc præstantioris ambiguo: ubi ille Solo jussus attolli, orandi Signum exspectantibus diu monstravit, omnes, Clypeis Telisque projectis, Manus Precibus dederunt, plura excogitantes, ut vincerent Humilitate supplicandi Regalem. Duxerat potior cum cæteris Sarmatis etiam Rumonem & Zinafrum & Fragiledum Subregulos, plurimosque Optimates, cum impetrandi Spe similia petituros. Qui licet elati Gaudio Salutis indultæ, Conditionum Sarcinâ compensare immicè facta pollicebantur, seque cum Facultatibus & Liberis & Conjugibus Terrarumque suarum Ambitu, Romanæ Potentiæ libenter offerrent: prævaluit tamen Æquitati juncta Benignitas: jussique obtinere Sedes impavidi, nostros reddidere Captivos. Duxeruntque Obsides postulatos, & obedire Præceptis deinde promtissimè sponderunt.*

XXVI. *Quadi* hoc Clementiæ Documento quidem provocabantur, non erant vero, nec ad Imperium Romanorum recipiendum proclives, nec in Promissis adeo liberales. Tamen, quam credebant æquam, Imperatori, ut impares, exhibebant Reverentiam, ut optatam consequerentur

tur Benevolentiam. Tum *Quadis*, ut supra monuimus, duo Regna possidebantur, aliud *Transjugitanis*, aliud *Cæteris*. Aliter illi, aliter hi Pacem à Romanis & implorabant, & obtinebant. *Transjugitanorum* accedebant ad Constantium Regalis ARABARIUS (aliis Abraharius) &, qui subjectus Arabario erat, Sarmatarum Regalis, USAFER. Non utrumque Constantius, illum ab hoc separans, eodem excipiebat, quos diverso dimittebat Modo. *Quadi*, quorum Regalis *Aribarius* tali Rerum Statu se constrictum sentiebat, tum Romanis solitô submissiores, primum ad impetrandam Pacem postulatos in Fidem Obsides dabant. Ammianus Marcellinus eodem Lib. XVII. (Gruterianus) cap. XXVI. (Valesianus Cap. XII.) *Hortante* hoc (Imperatoris Constantii adversus Sarmatas, de quibus supra diximus) *Exemplo Clementiæ, advolarunt Regales cum suis omnibus ARABARIUS & USAFER, inter Optimates excellentes, Agminum Gentilium Duces, quorum alter TRANSIUGITANORUM QUADORUM* (sic legendum, ut legitur in Codicibus & MStis, & editis, tum aliis, tum Friderici Sylburgii & Friderici Lindenbrogii, non, *Transjugitanorum Quadorumque*, sicut in Iani Gruteri & Henrici Valesii legitur) *Parti, alter quibusdam SARMATIS præerat, Locorum Confiniis & Feritate junctissimis: quorum Plebem veritus Imperator, ne ferire Fœdera simulans, in Arma repente consurgeret, discreto Consortio, pro Sarmatis obsecrantes jussit paulisper abscedere, dum ARABARII & QUADORUM Negotium spectaretur. Qui cum eorum Ritu oblati, stantes curvatis Corporibus, Facinora gravia purgare non possent, ultimæ Sortis Infortunia metuentes, dederunt Obsides imperatos, NUNQUAM ANTEA PIGNORA FOEDERIS EXHIBERE COMPULSI.*

XXVII. *Sarmatæ*, quorum Regalis *Usafer* Constantium non ita propitium sentiebat, in posterum Romanis parere jubebantur. *Arabarius* eos Sarmatas sibi antea subditos, jam ereptos, graviter conquestus, nequicquam reclamabat. Sic Arabarius Potestatis, Usafer Dignitatis faciebat prioris Iacturam. Ammianus Marcellinus Loco dicto: *His* [inter Romanos & Quados] *ex æquo bonoque compositis, USAFER in Preces admissus est: ARABARIO pertinaciter obstrepente, firmanteque, Pacem, quam ipse meruit, ei quoque debere proficere, ut participi, licet inferiori, & obtemperare suis Imperiis consueto. Verum Quæstione discussa, alienæ Potestati Sarmatæ eripi jussi, ut semper Romanorum Clientes, offerre Obsides, Quietis Vincula conservandæ, gratanter amplexi sunt.* Hæc in Quadorum Transjugitanorum Regno (id est, intra Superiorem Silesiam, circa Fluvium Vistulam) peracta sunt.

Rege

Rege Quadorum VIDUARIO.

XXVIII. Imperator Conſtantius ex Transjugitanorum Regno in cæterorum Quadorum Regnum (id eſt, in Pannoniam inferiorem, circa Fluvium Granuam) ad Urbem Bregetionem (fortaſſis hodie Strigonium, de quo infra §. 50.) progrediebatur. Tum hi etiam *Quadi*, Romano Exercitu intra medium Regni patrii Solum viſo, majorem in Modum territi, per VITRODURUM Regalem, Regis VIDUARII Filium, AGILIMUNDUM Subregulum, & Optimates Iudicesque variis Populis præſidentes, Pacem, quam humiles expetebant, datis Obſidibus, impetrabant: nudatisque Mucronibus, quibus parem Numinibus, Reverentiam exhibere conſueverant, Fidem promiſſis ſtabilem futuram jurabant. Ammianus Marcellinus Lib. XVII. (Gruterianus) Cap. XXVII. (Valeſianus Cap. XII:) *His in* [Sarmatarum] *barbarico geſtis, Bregetionem Caſtra commota ſunt: ut etiam ibi Belli QUADORUM Reliquias, circa illos agitantium Tractus, Lacrumæ vel Sanguis exſtingueret. Quorum Regalis VITRODURUS, VIDUARII Filius Regis, & AGILIMUNDUS Subregulus, aliique Optimates, & Iudices, variis Populis præſidentes, viſo Exercitu in Gremio Regni Solique genitalis, ſub Greſſibus jacuere Militum, & adepti Veniam juſſa fecerunt: Sobolemque ſuam Obſidatus Pignore, ut obſecuturi Conditionibus impoſitis, tradiderunt: eductisque Mucronibus, quos pro Numinibus colunt, juravere, ſe permanſuros in Fide.*

XXIX. Feliciter his expeditis, Conſtantius Imperator Militibus iterum Sarmaticus cognominatus è Tribunali commendabat ſuam in *Quadis* Sarmatarum Sociis ſuperandis Felicitatem. Ammianus Marcellinus Lib. XVII. (Gruterianus) Cap. XXXIII. (Valeſianus Cap. XIII:) *Viſis*, inquiebat Conſtantius, *Terris hoſtilibus & calcatis, obſtinatis ad Mortem Animis conatos reſiſtere Sarmatas, absque noſtrorum Diſpendio ſtravimus: parique Petulantiâ ruentes in Agmina nobilium Legionum QUADOS, Sarmatis Adjumenta ferentes, attrivimus: qui poſt ærumnoſa Diſpendia inter Diſcurſus & repugnandi minaces Anhelitus, quid noſtra valeat Virtus, experti, Manus ad dimicandum paratas, Armorum abjecto Munimine, pone Terga vinxerunt: reſtareque ſolam Salutem in Precibus, affuſi ſunt Veſtigiis Auguſti clementis, cujus Prælia ſæpe compererant Exitus habuiſſe felices.*

XXX. Poſt hæc *Quadi*, quos in Germanis Ortu *Suevos* Cap. XIV. demonſtravimus, quibusdam Scriptoribus Natione *Saxones* habentur: à quibus in Romanorum Terram, ut Hoſtes, ſunt emiſſi. Præbuit hanc fo-

ven-

ventibus Opinionem Zoſimus Lib. III. his Verbis: Πάντων δὲ (ὡς εἰπεῖν) τῶν ἀυτόθι βαρβάρων ἀπογνόντων ἐλπίδι πάσῃ, καὶ ὅσον ἐδέπω τὸς ἔτι περιλελειμμένους ἀπολέισθαι παναλεθρίᾳ προσδοκησάντων, Σάξονες, οἱ πάντων δὴ καρτερώτατοι τῶν ἐκεῖσε νεμομένων βαρβάρων, θυμῷ καὶ Ρώμῃ καὶ καρτερίᾳ τῇ περὶ τὰς μάχας, εἶναι νομίζοντες, Κουάδους, μοίραν σφῶν ὄντας, εἰς τὴν ὑπὸ Ρωμαίων κατεχομένην ἐκπέμπουσι γῆν. Id eſt, Ioanne Leunclavio Interprete: *Omnes jam propemodum in iis Locis Barbari Spem omnem abjecerant, tantumque non ad Internecionem perituras exiſtimabant ſuorum Reliquias: Cum SAXONES omnium eas Regiones incolentium Barbarorum, & Animis, & Corporum Viribus, & Laborum in Præliis Tolerantiâ fortiſſimi habiti: QUADOS, NATIONIS SUÆ PARTEM, in Solum à Romanis occupatum emittunt.*

XXXI. Eam (præter alios) Interpretationem ſequitur Nicolaus Vignerius in Tractatu, quem de Veterum Francorum Origine ſcripſit: (neſcio quis ex Gallico in Latinum convertit: Andreas Ducheſnius inter Hiſtoriæ Francorum Scriptores, Tomo I. edidit) ad Annum 341: *Scribit Zoſimus ipſos nimirum Salios ex Francis ortos, à QUADIS SAXONUM POPULIS, Finibus expulſos.* Ibidem ad Annum 358: *Primum quidem Zoſimi Locum integrum proferre lubet: ubi ait: SAXONES, qui tunc Temporis omnium Germaniæ Populorum fortiſſimi ac bellicoſiſſimi habebantur, QUADOS Finibus ſuis emiſiſſe, ut in Romanorum Provinciis Locum HABITATIONI ſuæ quærerent.*

XXXII. At enim Zoſimus, quod indicare videtur, non indicat. Nam ibi, cum narraviſſet, ſubditas Romanis Provincias ad Rhenum à Francis, Alamannis & Saxonibus: intra Pannoniam & Myſiam à Quadis & Sarmatis devaſtatas: poſtea vero, tum Quados, tum Sarmatas à Romanis ad Quietem adactos: ſubjungit: Saxones Κουάδους μοίραν σφῶν ὄντας, *Quados Partem ipſorum* (Saxonum) *exiſtentes:* non, *Nationis ſuæ Partem*, ut Leunclavius interpretatur: nec, ut Vignerius explicat, *ipſorum* (Saxonum) *Populos:* εἰς τὴν ὑπὸ Ρωμαίων Κατεχομένην ἐκπέμπουσι γῆν: *in Romanorum acquiſitum emittunt Terram:* non, *Finibus ſuis emiſſos, ut in Romanorum Provinciis Locum Habitationi ſuæ quærerent.*

XXXIII. Quô reſpectu Zoſimus Quados Partem Saxonum dixerit, dubius hæret Reinerus Reineccius in Hiſtoria Iulia, Parte III. Regno XXXVII: quod Germanicum eſt, de Quadis: *Autor ille* (Zoſimus) *QUADOS hoſce non SUEVOS, ſed SAXONES agnoſcit. Ut ſuſpicari libeat, Partem QUADORUM SAXONIBUS ſe immiſcuiſſe, ut poſteà*

Angrivarii eis se immiscuere. Cæteroqui Sedium Diversitas de Quadis Suevis credere ita vix sinit.

XXXIV. Nos judicamus, inter Populos cum Romanis certantes, à Saxonibus Quados, tanquam veteranos Romanorum Hostes, Manu strenuos, in Societatem assumtos. Hinc Zosimus à Saxonibus *Quados*, Partem *Saxonum*, tanquam *Sociorum*, in Romanorum Terram, non *habitandam*, sed *oppugnandam*, emissos. Ita non erit, ut quenquam Solicitudo subeat, quemadmodum Quadi, *Pars Suevorum* antea, denique *Pars Saxonum* evaserit.

Romanorum Cæsare IULIANO.

XXXV. Imperator Constantius, Anno Urbis 1107, Christi 355, (ut diximus §. XII) Iulianum in Curarum Bellorumque Partem, creaverat Cæsarem: cui certas committebat, vel in Officio retinendas, vel ad Obsequium adigendas Gentes. Anno Urbis 1113, Christi 361, Constantio mortuo Iulianus, ut Augustus, succedebat.

XXXVI. Cæsare, nondum Augusto, Iuliano, *Quadi*, Saxonum Socii, Romanam Terram invasuri, cum à finitimis Francis, ne Romanos rursus irritarent, Transitum prohibentibus, impedirentur, Rhenô Franciam prætervecti, ex Insula, quam Rhenus facit, Batavià Salios, Francorum Gentem, Vi Saxonum è patriis Sedibus eò rejectam, expellebant. Zosimus Lib. III. de Quadis Romanum Solum invasuris: *At finitimis Francis eos Transitu prohibentibus, qui metuerent, ne justam Cæsari* (Iuliano) *Causam præberent, se rursus invadendi: Navibus constructis, Rhenô prætervecti, parentem Francorum Imperio Regionem, in Romani Iuris Solum contenderunt: & appulsis ad Bataviam Navibus, quam divisus Rhenus Insulam efficit, quavis Insula flumnea majorem, Saliorum Nationem, Francorum à Parte profectam, & Vi Saxonum in hanc Insulam suis è Sedibus rejectam expulerunt. Hæc Insula prius Romanis in universum parens, à Saliis hoc Tempore possidebatur.*

XXXVII. Id ulturus Cæsar Iulianus, Copiis suis præcipiebat, ut Saliis omnino parcerent, neque Transitum in Romanorum Provincias præcluderent: *Quadis* solis acriter obstarent. Zosimus Lib. III. de Iuliano: *Cæsar, eâ Re cognitâ, Quados ille quidem vicissim aggrediebatur: sed jusso prius Exercitu cum QUADIS acriter dimicare, Saliorum neminem occidere, neque prohibere, quô minus in Romanorum Fines illi transirent: quod non,*

non, ut Hostes, Romanam Regionem peterent, sed per Vim & Coactionem à QUADIS pellerentur.

XXXVIII. *Quadi*, non tam Præliis, quam Prædis intenti, Romanos clandestinis Excursionibus circa Rhenum sic atterebant, ut aperto Marte vinci à Iuliano minimè possent. Hinc Necessitate compulsus, occulto Astu, per Chariettonem Barbarum, magnâ Corporis Staturâ, subdolo Mentis Habitu, Latrociniis assuetum, necessariis instructum Auxiliis, Quados crebris per Noctem, More Latronum, enervabat Oppressionibus: capto Quadorum Regis Filio, & imminutos, & pavidos, ut Pacem peterent, ut Deditionem facerent, cogebat. Tum Quadis, Romanos Victores agnoscentibus, ex quibus Filium Regis ceperat, Deditionem cum Rege facientibus, Pacem, cum & Regis Filium, & quosdam Nobiles Obsides accepisset, eâ Lege dabat, ne Romanos unquam debellarent. Zosimus Lib. III. de Quadis: *Cæsar* (Iulianus) *non jam ad Bellum gerendum promtos & audentes amplius Barbaros videns, sed clandestinis Incursionibus & Latrociniis intentos, haud levibus inde Malis ac Detrimentis Regionem afficere: quid ageret, dubius, hanc Artem Barbarorum prudenti Stratagemate vicissim ultus est.* Ibidem post quædam, cum Chariettonis Artem opprimendi Quados exposuisset: *Cum autem & alii Latrones cum eo se conjunxissent, & singillatim collecti quandam ad Multitudinem excrevissent: tum verò Charietto (nam hoc Nomen erat ei, qui primus Insidias hasce contra Barbaros excogitaverat) adito Cæsare, Rem ei non multis antea cognitam, aperit. Cæsar, cui facile non esset, cum Exercitu nocturnas & clandestinas Barbarorum Excursiones coërcere: (nam exiguo Numero, multisque Locis dispersi, latrocinabantur: & ubi Dies illuxisset, neminem omnino videre erat, quod in Saltus Agris vicinos semet abderent, ex iis victitantes, quæ hoc Latrocinio acquirerent) cum ad Animum revocasset, quam difficulter Hostes domiturus esset: ad eam redactus est Necessitatem, ut non Exercitu tantum, sed etiam Latronum Globo quodam Latrones persequendos statueret. Quamobrem Charietton cum suis recepto, & iisdem è Saliorum Numero compluribus adjunctis: hos noctu, velut exercitos Latrociniis, in Latrocinantes QUADOS emittebat: interdiu dispositas sub dio Militum Stationes habebat, & omnes, qui Latronum Manus evadere potuerant, trucidabat. Id facere non desinebat, donec QUADI maximas ad Angustias redacti, deque multis pauci facti, cum Duce suo Cæsari se dederent: qui & magnam superioribus Impressionibus Captivorum Multitudinem adeptus fuerat, &, inter alios, ipsum quoque Regis Filium, à Chariettone captum habebat. Cum miserabilem in modum supplices factos, Obsides dare juberet, Homines quosdam nobiles, & in his ipsum Regis Filium: Dux Barbarorum, Lamentatione maximè miserabili*

ſublatæ, cum Lacrumis dejerabat: inter alios & Filium ſibi periiſſe. Quamobrem paternas miſeratus Lacrumas Cæſar, Filium ei commonſtrat, qui delicatè alebatur: ſimulque profeſſus, eum ſe Obſidis habere Loco, deque Numero nobilium aliis quoque, præter hunc, Obſidibus acceptis, Pacem ipſis eâ largitus eſt Lege, ne contra Romanos unquam Arma caperent.

XXXIX. Præterea Iulianus, ſingulari *Quadorum* Fortitudine perſpectâ, certum eorum Numerum Legionibus Romanis adſcribebat. Zoſimus ibidem: *His Rebus ita conſtitutis, & Salios Cæſar, & QUADORUM Partem, & quosdam incolentes Inſulam Bataviam, Legionibus adſcripſit: quorum Ordines noſtro quoque Tempore ſuperſtites eſſe videntur.*

Romanorum Imperatore VALENTINIANO I.
Anno CHRISTI 364.

XL. Valentinianus Primus à Romanis Auguſtus Anno Urbis 1116, Chriſti 364, declaratus, Valentem Fratrem ſtatim declarabat Auguſtum: ad Annum Urbis 1127, Chriſti 375, ſuperſtes. *Quadi* novos Imperatores nihil veriti, mox, cum Imperium ſuſcepiſſent, velut incertæ Fortitudinis quoddam Experimentum facturi, cum Sarmatis Pannonias iterum devaſtabant. Ammianus Marcellinus Lib. XXVI (Gruterianus) Cap. X: (Valeſianus) Cap. IV. cum utriusque Principis ad Dignitatem Auguſtam evecti meminiſſet: *Hoc Tempore velut per univerſum Orbem Romanum bellicum canentibus Buccinis, excitæ Gentes ſævisſimæ Limites ſibi proximos perſultabant. Gallias Rhætiasque ſimul Alamanni populabantur: Sarmatæ Pannonias & QUADI.*

Rege Quadorum GABINIO.
Anno CHRISTI 374.

XLI. Gratiano Auguſto tertium & Æquitio, Conſulibus: Anno Urbis 1126, Chriſti 374, *Quadi* novam eamque juſtam Romanos Irâ proſequendi Materiam conſequebantur. Valentinianus Imperator nimio cuſtodiendorum Limitum ſtudio, trans Iſtrum, in ipſis Quadorum Terris, quaſi Romano Imperio ſubditis, Caſtella præſidiaria poſuerat. Hæc Quadi pro Signis, Libertatem ſuam vel jam imminutam, vel mox imminuendam loquentibus intuentes, nec Oculis, nec Animis æquis ferebant. Sed tamen ea non violentis Armis, verum modeſtis Precibus removere conabantur. Ea verò Marcellianus (aliis Celeſtius dicitur) per Valeriam Dux, adeo non deſtruebat, ut potius firmiore Munimento perficeret. Ammianus Marcellinus Lib.

Lib. XXIX. (Gruterianus) Cap. XXXV: (Valeſianus Cap. VI:) *Dum hoc Pulvere per Mauritaniam Dux antedictus* (Theodoſius, Imperatoris Theodoſii Pater) *anhelat & Africam, QUADORUM Natio Motu eſt excita repentino, parum nunc formidanda, ſed immenſum quantum antehac Bellatrix & potens, ut indicant perpetrata.* Ibidem poſt quædam: *Et erat, ut Barbaris, Ratio juſta Querelarum. Valentinianus enim Studio muniendorum Limitum glorioſo quidem, ſed nimio, ab ipſo Principatus Initio flagrans, trans Flumen Iſtrum, in ipſis QUADORUM Terris, quaſi Romano Iuri jam vindicatis, ædificari præſidiaria Caſtra mandavit: quod Accolæ ferentes indignè, ſuique cautiores, Legatione tenus interim & Suſurris arcebant. Sed Maximinus in omne avidus Nefas, & genuinos mitigare nequiens Flatus, quibus Præfecturæ acceſſerat Tumor, increpabat Æquitium per Illyricum eo Tempore Magiſtrum Armorum, ut pervicacem & deſidem, necdum Opere, quod maturari diſpoſitum eſt, conſummatô: addebatque, ut conſulens in commune, quod ſi paruo* (id eſt, Filio) *ſuo Marcelliano deferretur Poteſtas per Valeriam Ducis, Munimentum absque una Cauſatione conſurgeret. Utrumque mox eſt impetratum. Qui promotus profectusque, cum veniſſet ad Loca, intempeſtivè turgens, ut Filius, nullis Affatibus delenitis iis, quos nunquam tentatæ Cupiditatis Figmenta Regionum ſuarum faciebant extorres, Opus paulo ante inchoatum aggreditur, admiſſâ Copiâ rogandi ſuſpenſum.*

XLII. Mox durior in *Quados* Marcellianus, ne quid novaret, ipſum Quadorum Regem GABINIUM Moderatione congrua poſcentem, Simulator peſſimus, tanquam Deſideriis ſatisfacturus, ingenuâ Fide fallaciter promiſſâ, Hoſpitem in Convivio humaniter habitum, iniquiſſimè trucidabat. Ammianus Marcellinus Loco dicto, de Marcelliano: *Denique GABINIUM* (Quadorum) *Regem, ne quid novaretur, modeſtè poſcentem, ut aſſenſurus, Humanitate ſimulatâ, cum aliis ad Convivium corrogavit: quem digredientem poſt Epulas, Hoſpitalis Officii Sanctitate nefariè violata, trucidari ſecum effecit.*

XLIII. Hoc Facinore *Quadi* exacerbati, aſſumtis Sarmatis Danubium transgreſſi, Romanas Provincias, nihil hoſtile timentes, Pannoniam & Myſiam, cum Valentinianus Imperator contra Firmum ab Afris electum Imperatorem, Milites in Africam miſiſſet, non ſatis cuſtoditas invadebant: in Pannonia per Agros circa Meſſem occupatis Ruricolis, aut Vitam, aut Pecus auferebant. Ammianus Marcellinus Lib. XXIX. (Gruterianus) Cap. XXXVI. (Valeſianus Cap. VI.) de Gabinio interemto: *Cujus Rei tam atrocis diſſeminatus Rumor illico per diverſa & QUADOS, & Gentes circumſitas efferavit: Regisque flentes Interitum, in unum coactæ miſerè*

vastatorias Manus: quæ Danubium transgressæ, cum nihil exspectaretur hostile, occupatam circa Messem, agrestem adortæ sunt Plebem: majoreque Parte truncata, quicquid superfuit, domum, cum Multitudine variâ Pecoris, abduxerunt. Zosimus Lib. IV: *Afri non ferentes Avaritiam Romani, qui apud Mauros Magistri Militum Officio fungebatur, amictum Purpura Firmum, Imperatorem crearunt. Cujus Rei Nuntius allatus haud abs Re Valentinianum perturbavit. Ideoque confestim Numeros quosdam Militum, relictis Pannoniæ Mysiæque superioris Custodia, in Africam navigare jussit. Quo facto Sarmatæ & QUADI jam pridem illi, cui credita erat horum Locorum Custodia, (& erat is Celestius) infensi, post Militum Profectionem in Africam, Pannonios & Mysos invadunt. Nam quod ipsorum Principem Celestius* (aliis Marcellianus dicitur) *interpositâ Fide, Sacramento confirmatâ, circumvenerat: eumque Fraude necaverat, necdum remotâ Mensæ non abs Re Barbari hanc Expeditionis natti Occasionem, in vicinos Istro grassabantur, quicquid esset extra Oppida, diripientes. Itaque Pannonii Barbarorum Prædis erant expositi, dum Milites segniter Oppida defenderent, & cis Amnem posita Loca, non minus, quam Barbari vexarent.*

XLIV. Tum in Pannoniæ Villa, quæ longius ab Urbe Sirmio, ad XXVI Lapidem, distabat, Cibo recreabatur Imperatorum Constantii II. Filia, Gratiani Sponsa, Valentiniani I. futura Nurus. Hæc, parum aberat, ne *Quadorum* Præda nobilissima fieret: quam Messalla, Pannonum Rector, Carpento celeriter impositam, Sirmium transferendam, Hostibus præripiebat. Ammianus Marcellinus Lib. XXIX. (Gruterianus) Cap. XXXVI. (Valesianus Cap. VI:) *Evenisset profecto tunc inexpiabile Scelus, numerandum inter probrosas Rei Romanæ Jacturas: paulo enim abfuit, quin Filia caperetur Constantii, Cibum sumens in publica Villa, quam appellant Pistrensem, cum duceretur Gratiano nuptura: ni Fauore propitii Numinis præsens Messalla Provinciæ Rector, eam judiciali Carpento impositam, ad Sirmium, XXVII. Lapide disparatum, Cursu reduxisset effuso. Hoc Casu prospero Regia Virgine Periculo miserandæ Servitutis exemta, cujus, nisi potuisset impetrari Redemtio capta, magnas inussisset Reipublicæ Clades.*

XLV. Ex eò *Quados* cum Sarmatis longius latiusque grassantes, omnia Cædibus Prædationibusque vastantes, in Pannonia quidem, à Sirmio, cujus Oppugnationem intendebant, Prætorio Præfectus Probus: in Mœsia verò, ab Incursionibus, quas continuabant, Militum Magister Theodosius, postea Imperator, avertebat. Ammianus Marcellinus Lib. XXIX. (Gruterianus) Cap. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. (Valesianus Cap. VI:) *Latius se cum Sarmatis QUADI pandentes, ad Raptus & Latrocinia Gentes aptis-*

simæ, Prædas Hominum (virile & muliebre secus) agebant, & Pecorum, Villarum Cineribus exustarum, cæsorumque incolentium exsultantes Ærumnis, quos nec opinantes sine ulla Parcimonia deleverunt. Per omnia itaque propinqua Malorum similium dispersa Formidine, Præfectus Prætorio agens tunc apud Sirmium PROBUS, nullis Bellorum Terroribus assuetus, Rerum nouarum lugubri Visu præstrictus, Oculosque vix attollens, hærebat diu, quid capesseret, ambigens. Didicerat enim omnes secuturos confestim, qui Mœnibus claudebantur, tegendos Latebris opportunis. Quod si contigisset, impropugnata Civitas venisset in Manus hostiles. Proinde parumper lenito Pavore, ad arripienda, quæ urgebant, acri Animo assurgens, reterit obrutas Ruderibus Fossas, Murorumque maximam Partem, Pacis Diuturnitate contemtam, & subversam ad usque celsarum Turrium Minas expedit, Studio ædificandi coalitus. Hac Ratione Opere velociter absoluto, quod Impensus ædificandi Causa Theatri dudum congestas, sufficientes ad id, quod efficere maturabat, invenit. Atque huic spectato Consilio salutare addidit aliud: & Sagittariorum Cohortem è Statione proxima, adfuturam, Obsidio si venisset, accivit. Zosimus Lib. IV: de Quadis Pannoniam devastantibus locutus: *Mysia verò propterea nihil Mali perpessa fuit, quod Magister Militum THEODOSIUS viriliter obstitisset, & inuadentes Fugâ sibi consulere coegisset. Unde factum, ut ex hac Victoria Gloriam consecutus ad Imperium deinceps pervenerit.*

XLVI. *Quadi* à Sirmii Obsidione, quam minus apti facilius deserebant, Romanis & Consiliis & Minis depulsi, cum Sociis Sarmatis ex Pannonia in Valeriam contendebant, Æquitium Præfectum, cujus Dolo Cædem Gabinii Regis imputabant, Armis petituri, obvias Romanorum duas Legiones, Pannonicam & Mœsiacam, Discordiâ Conjunctionem solventes, propemodum totas, stimulante Fortitudinem Successu, delebant. Ammianus Marcellinus Lib. XXIX. (Gruterianus) Cap. XXXVIII. (Valesianus Cap. VI.) de Quad s: *Obsidionem Sirmii omittentibus: His velut Obicibus Barbari ab oppugnanda Urbe depulsi, parum ad has Calliditates dimicandi solertes, Sarcinisque impediti Prædarum, ad Æquitii vertuntur Indaginem. Et, eum ad Valeriæ Spatia longè remota secessisse captorum didicissent Indiciis, illuc properato petierant Gradu frendentes, hacque ex Causa Iugulo ejus intenti, quod per ipsum circumventum Regem existimabant insontem. Quibus concito Cursu ruentibus infestius, obviam Legiones motæ sunt duæ, Pannonica & Mœsiaca, valida Prælii Manus: quæ, si conspirasset, abierat procul dubio Victrix. Sed dum discretim Grassatores adoriri festinant, ortis inter se Discordiis impediti, de Honore certabant & Dignitate. Quò intellecto Sarmatæ sagacissimi, non exspectato certandi Signo solenni, Mœsiacam primam incessunt: dumque Milites Arma*

ma tardius per Tumultum expediunt, interfectis plurimis, auctis Fiducia Aciem perrupere Pannonicam: disjectaque Agminis Mole, geminatis Ictibus omnem pœne delessent, nè Periculo Mortis aliquos citum extraxisset Effugium.

Anno CHRISTI 375.

XLVII. Valentinianus Imperator, post Gratiani Augusti tertium, & Æquitii Consulatum, Anno Urbis 1127, Christi 375, Carnuntum, Illyriorum Oppidum, ingressus, Odiô quidem nocentes Romanis *Quados*, non autem innocentis Gabinii, Quadorum Regis, crudelem Interitum, Scaturiginem Damnorum principem, Ultione prosequebatur. Zosimus Lib. IV. de Quadis Pannoniam Mœsiamque vastantibus locutus: *Valentinianus autem, quæ nuntiata fuissent, audire non sustinens, è Celtis profectus, in Illyricum transiit: de Bello QUADIS & SARMATIS inferendo deliberans.* Ammianus Marcellinus Lib. XXX. (Gruterianus) Cap. XVII: (Valesianus Cap. V.) de Valentiniano: *Cumque exinde Carnuntum, Illyriorum Oppidum introisset, desertum quidem nunc & squalens, sed Ductori Exercitus perquam opportunum, ubi Fors Copiam dedisset aut Ratio, è Statione proxima reprimebat barbaricos Appetitus. Et, quanquam Terrori cunctis erat, dum sperabatur, ut acer & vehemens, mox Iudices damnari jussurus, quorum Perfidia vel Secessione Pannoniarum nudatum est Latus: cum illuc venisset, ita intepuit, ut neque GABINII Regis inquirerent Necem, neque injusta Reipublicæ Vulnera, quo sinente vel agente signius evenissent, accuratius vestigaret: eô videlicet More, quô erat severus in gregariis corrigendis, remissior erga majores Fortunas, vel Verbis asperioribus incessendas.*

XLVIII. Cæterum illatas Romanis Clades vindicaturus in *Quadis*, rarâ duarum Legionum Romanarum feliciter oppressarum Gloriâ terocientibus, in Carnuntinorum Urbe, tribus Mensibus æstivis, Bello Quadico Alimenta colligebat, Arma præparabat. Satis jam instructus, in *Quadorum* Regiones præmittebat Merobaudem, Peditum Ducem, ad perdendos Pagos: ipse Viâ progressus aliâ, cum in eas pervenisset, citra Discrimen Ætatis, sæviebat in Hostes, quorum Domos Flammis subjiciebat. Ammianus Marcellinus Lib. XXX. (Gruterianus) Cap. XX: (Valesianus Cap. V:) *Agens itaque apud Carnuntum Imperator, per continuos tres Menses æstivos, Arma parabat & Alimenta, si qua Fors secundasset, pervasurus opportunè QUADOS, Tumultus atrocis Autores.* Ibidem post quædam: *Præmisso igitur Merobaude cum militari Peditum Manu, quam regebat, ad vastandos cre-*

cremandosque barbaricos Pagos, Comite adjuncto Sebastiano, Valentinianus Acincum propere Castra commovit: Navigiisque ad repentinum Casum conjunctis, & contabulato celeri Studio Ponte, per Partem aliam transiit in QUADOS, speculantes quidem ex direptis Montibus ejus Adventum, quò plerique ancipites incertique accidentium, cum suis Charitatibus secesserunt: sed Stupore defixos, cum in Regionibus suis, contra quam opinabantur, Augusta cernerent Signa. Progressus ergo coacto Gradu, in quantum Res tulit, jugulatâque Ætate promiscua, quam etiam tum palantem subitus occupavit Excursus, & Tectis combustis, rediit cum incolumibus cunctis, quos duxerat secum.

XLIX. His defunctus, Autumno præcipite Valentinianus, *Quadorum* magis Terror, quam Victor, dispositis ad Hiberna Rebus, Quietem capturus, BREGETIONEM Urbem intrabat. Ammianus Marcellinus Loco dicto: de Valentiniano: *Autumno præcipiti, per Tractus conglaciari Frigoribus assuetos, commoda quærebat Hiberna: nullaque Sedes idonea reperiri, præter Sabariam, poterat: quamvis eô invalidam Tempore, assiduisque Malis afflictam. Unde hoc, etiamsi magni intererat, paulisper sequestrato, impigrè motus, peragratâ Fluminis Ripâ, Castrisque Præsidio competenti munitis atque Castellis, BREGETIONEM pervenit.*

L. Nomen Urbis hoc variis Mutationum Formis obnoxium reperitur. Nam vocant eam (I) *Bregetionem*, Ammianus Marcellinus Lib. XVII. Iani Gruteri & Friderici Lindenbrogii, Cap. XXVII. Henrici Valesii & Iacobi Gronovii, Cap. XII. Antoninus Augustus in Itinerario, sicut est à Iosia Simlero Basileæ M. D. LXXV: & à Petro Bertio in veteris Geographiæ Tomo II, Lugduni Batavorum M. DC. XVIII. editum. (II) *Bergentium*, Aurelius Victor in Epitome de Cæsaribus: sicut eam Ianus Gruterus & Samuel Pitiscus ediderunt, Cap. XLV. (III) *Bergetionem*, Nicephorus in Historia Ecclesiastica, Lib. XII. Cap. XXXIII. (IV) *Bergitionem*, Socrates in Ecclesiastica Historia Lib. I. Cap. XXXI. (V) *Brecentionem*, Iulius Honorius in Excerptis Cosmographicis. (VI) *Bregætium*, Claudius Ptolemæus in Geographia, Lib. II. Cap. XV. (VII) *Bregantium*, Æthicus in Cosmographia, sicut eam Iacobus Gronovius edidit. (VIII) *Bregitionem*, Ammianus Marcellinus, alio, quam supra citato Loco, Lib. XXX. Gruterianus Cap. XX. Valesianus & Gronovianus. Cap. V. Iornandes de Regnorum Successione, sicut eum Librum Ianus Gruterus edidit, Cap. XCI. (IX) *Brigentionem*, Æthicus in Cosmographia, sicut eam Henricus Stephanus & Iosias Simlerus ediderunt. (X) *Brigionem*: quemadmodum in Paulo Diacono scriptum repererunt, Abrahamus Ortelius in Thesauro Geographico: & Guidus Pancirolus in

Commentario ad Occidentalis Imperii Notitiam, Cap. LXXXII. (X) *Brigitionem*, Iornandes de Regnorum Succeſſione, ſicut eum Librum Fridericus Lindenbrogius edidit, Cap. XCI. Paulus Diaconus, ſecundum Petri Pithœi & Iani Gruteri Editionem, in Hiſtoria Miſcella, Lib. XII. Cap. VIII. Aurelius Caſſiodorus in Chronico, ad Valentis quintum & Valentiniani Primi ſecundum Conſulatum, A. C. 376.

LI. Tot denotatam Vocabulis Urbem *Bregetionem* Sileſiorum *Bregam* eſſe, quidam putant: in quorum Sententiam propendent, Ioachimus Curæus in Sileſiæ Annalibus, Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. V. & Lib. IV. Cap. X. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. I. Cap. XII. Horum Opinioni Conſenſum attrahit duplex Ratio.

LII. Prior eſt, Nominibus eſſe, tum Æqualitatem, tum conſimilem Varietatem. *Bregam* enim appellant (I) *Bregnencium*, Bilibaldus Pirckheimerus in Germania, ſicut exſtat in Operibus Francofurti ad Mœnum M.DC. X. editis. (II) *Bregnicium*, laudatus Pirckheimerus in Beati Rhenani ad Rerum GermanicarumLibros, Argentorati M. DC. X. emiſſos, Additamentis. Petrus Montanus in Notis ad Claudii Ptolemæi Geographiam, Lib. II. Cap. XV. (III) *Brigam*, Ioannes Langus in Notis ad Nicephori Eccleſiaſticam Hiſtoriam, Lib. XIII. Cap. XXXIII.

LIII. Poſterior eſt, *Bregetionem* fuiſſe *Quadorum* Oppidum. Commemorat hoc inter multos Scriptores, quos §. 50 allegavimus, Bregetionis Mentionem facientes, in antiquioribus, quantum cognovimus, ſolus Paulus Diaconus in Hiſtoria Miſcella, Lib. XII. Cap. VI. de Valentiniano Imperatore: *Cum Sauromatarum Gens*, ait, *puſilla & infima Gens, ſeſe per Pannonias diffudiſſet, easque devaſtaret, Belloque ab eo ſuperata, apud BRIGITIONEM Oppidum QUADORUM Legatis miſſis Pacem expoſtularet: cum â Legatis eorum ſciſcitaretur, utrum Sauromatæ tales.* In recentioribus Diaconum ſequuntur: Ioachimus Curæus in Sileſiæ Annalibus: de Valentiniano: *Acceſſit ad Brigionem aut Brigotium, Oppidum Quadorum, Teſte Paulo Diacono.* Matthias Michovius in Polonorum Chronico, Lib. I. Cap. XVII: *Apud Brigionem Oppidum Squadorum.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. I. Cap. XII. *Apud Brigitionem Quadorum Oppidum.*

LIV. Sane, quod Cap. XVII. §. 3. & Capitis hujus § 18. 20. 28. demonſtravimus, Quadorum ampliſſima quondam Terra, duobus gaviſa Regnis, quandam inferioris Hungariæ Partem, ubi Granua in Danubium decurrit, circa utrumque Fluvium, comprehendebat. In eâ prope Danubium & Granuam *Quadia* Bregetionem fuiſſe poſitam, â Veritate non abhorret.

LV. At, ſi Quadorum fuit, an tunc adhuc Quadorum exſtiterit Oppidum Bregetio, cum id Valentinianus Imperator per Hiemem quieturus, è Quadico & Sarmatico Bello redux, intravit, Iure dubites. Tum enim, nondum cum Quadis, nondum cum Sarmatis Pacem compoſuerat: de quâ Gentis utriusque poſtea Legatos ibidem admiſit.

LVI. Sed fac, *Oppidum Quadorum*, id eſt, Sileſiorum, *Bregetionem* fuiſſe: num ideo Sileſiorum ad Viadrum *Brega* fuit? Certè, quantum ex omnibus Circumſtantiarum Momentis colligi poteſt, Bregetio non procul â Danubio fuit Urbs: ſi non ad ſiniſtram, tamen ad dexteram Ripam: fortaſſis ad Danubii & Granuæ Fluminum Mixturam, *Strigonium*. De quô Philippus Cluverius, in Vindelicia & Norico, Cap. V: *Brigantium igitur, quod & Brigetio, & Bregetio, ex Situ apud Danubii Ripam, & XXX Millium Paſſuum Intervallo deprehenditur, eſſe nobile Hungariæ Oppidum, quod Latine Loquentibus Strigonium, vulgo Graan dicitur, ex adverſo Granuæ Fluminis & Danubii Confluentium.*

LVII. In hoc, ſeu Quadorum, ſeu Romanorum Oppido, cui Bregetio fuit Nomen, Imperator Valentinianus Primus, poſt Gratiani tertium, & Æquitii Conſulatum, id eſt, Anno Urbis 1127, Chriſti 375, Die XVII. Novembris, ex Ira, in quam â Legatis concitabatur, ſibi & Morbum, & Mortem attrahebat: de quô nullus Dubitationi relictus eſt Locus. Ii verò Legati, Sarmatarum, an Quadorum fuerint, reperitur inter Scriptores Diſſenſus.

LVIII. Ut quidam referunt: *Sarmatarum Legati*, Pacem quæſituri, Valentiniano, tanquam viles Corporum Habitu, non Cultu Animorum nobiles, per Contemtum interroganti: *Num omnes in Sarmatis eſſent tales?* reſponderunt: *ad ipſum veniſſe totius Gentis nobiliſſimos.* Hæc Valentinianus in ſuum & totius Populi Romani Dedecus magnum interpretatus, Excandeſcentiâ nimiâ Venas disrumpens, paulò poſt interiit. Socrates in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Lib. IV. Cap. XXXI: Henrico Valeſio Interprete: *Poſtea verò cum Sarmatæ in Romanorum Fines Incurſionem feciſſent, Imperator cum ingentibus Copiis contra eos Expeditionem movit. Cujus Rei Nuntio terr ti Barbari, miſsâ ad eum Legatione, Pacem ſub Conditionibus poſtularunt. Legati in Conſiſtorium introducti, cum Imperatori viles admodum abjectique viderentur, ſciscitatus eſt Imperator, utrum omnes Sarmatæ eſſent ejusmodi. Cumque reſpondiſſent Legati, totius Gentis nobiliſſimos ad ipſum veniſſe, Valentinianus Irâ excanduit: Vocemque altius attollens: Malo quo-*

dam Fato Principem se factum esse dixit Imperii Romani, quando hujusmodi Barbarorum Gens, adeo vilis & contemta, suis se Finibus minimè contineret, nec satis haberet, Salutem suam in tuto collocare: sed ultro Arma caperet, & Romanorum Fines calcaret, & ad Bellum usque inferendum prorumperet. Atque in tantum semet ipse distendit vociferando, ut & Venas omnes aperiret & Arterias disrumperet. Ad hunc Modum erumpente Sanguinis Copiâ, interiit in Castello Brigitione, post Consulatum Gratiani tertium & Equitii, Die quinto decimo Calendas Decembris. Eadem commemorant, Sozomenus in Historia Ecclesiastica, Lib. VI. Cap. XXXVI. Paulus Diaconus in Historia Miscella, Lib. XII. Cap. VIII. Anastasius Bibliothecarius in Ecclesiastica Historia, ad A. M. 5866. Christi 366.

LIX. Sed non videntur *Sarmatarum Legati* supremum Valentiniano attulisse Fatum: de quibus hoc silet Ammianus Marcellinus Lib. XXX. [Gruterianus] Cap. XVII. [Valesianus Cap. V.] ubi refert, illos Valentiniano quidem â Treviris profecto, antequam Carnuntum, Illyriorum Oppidum, ingrederetur, obvios sub Initium Veris: non autem sub Autumni Tempus, quo Bregetionem pervenit, ad Pacem expetendam missos. *Pubescente*, inquit, *jam Vere Valentinianus â Treviris motus per nota Itinera Gradu celeri contendebat: eique Regiones adventanti, quas petebat, Legatio Sarmatarum offertur: Pedibusque ejus prostrata orabat Pacifica Prece, ut propitius veniret & lenis, nullius diri Facinoris participes Populares suos inventurus aut conscios. Quibus sæpe eadem iterantibus, hactenus perpensa Deliberatione respondit: hæc in Locis, ubi dicuntur admissa, quærenda verissimis Documentis & vindicanda. Cumque exinde Carnuntum, Illyriorum Oppidum introiisset, desertum quidem nunc & squalens, sed Ductori Exercitus perquam opportunum, ubi Fors Copiam dedisset aut Ratio, è Statione proximâ reprimebat barbaricos Appetitus.*

LX. Secundum alios, *Quadi* Valentinianum placaturi adhuc obstinati, & intra Fines suos, ne Munimenti quidem, adeo non Imperii Romani patientes, Pacem *per legatos*, simul Corpore submisso, simul præcelso Animo expetebant, illam Romanorum Castellorum in alienis Quadorum Terris Structuram, neque justam, neque opportunam, Ferociæ Quadis excitatæ, Romanis noxiæ Causam esse dicentes. Ammianus Marcellinus Lib. XXX (Gruterianus) Cap. XX: (Valesianus Cap. VI.) *Post hæc QUADORUM venere Legati, Pacem cum præteritorum Obliteratione suppliciter obsecrantes: quam ut adipisci sine Obstaculo possent, & Tirocinium, & quædam Utilia Rei Romanæ pollicebantur. Quos quoniam suscipi placuit, & redire Induciis, quæ poscebantur, indultis (quippe eos vexari diutius nec Ciborum*

Ciborum Inopia, nec alienum Tempus Anni patiebantur) in Consistorium Æquitio vadente sunt intromissi. Cumque Membris incurvatis starent, Metu debiles & præstricti, docere jussi, quæ ferebant, usitatas illas Causationum Species jurandi Fidem addendo firmabant: nihil ex communi Mente Procerum Gentis delictum asseverantes in nostros, sed per extimos quosdam Latrones Amnique confines evenisse, quæ incivilster gesta sunt: etiam id quoque addendo, ut sufficiens ad Facta purganda firmantes, quod Munimentum exstrui cœptum, nec justè, nec opportunè, ad Ferociam Animos agrestes accendit.

LXI. Hoc *Quadorum* Responso Iram Valentiniano tantâ Vehementiâ commotam, ut eâ sibi Mortem acceleraret, Scriptores in eô Fidem potiorem merentes, tradunt. Aurelius Victor in Epitome de Cæsaribus, Cap. XLV: *Valentinianus apud Bergentionem Legationi QUADORUM respondens, Anno Ævi quinto & quinquagesimo, Impetu Sanguinis, Voce amissâ, Sensu integer, exspiravit.* Ammianus Marcellinus (sub Imperatore Constantio II Miles: Imperatore Valentiniano I. &, post ipsius Obitum, Annis XV. ad A. C. 390, superstes: ut noster de Romanarum Rerum Scriptoribus Liber prior, Parte I. Cap. XXXIV. ostendit) Lib. XXX. (Gruterianus) Cap. XXIII. (Valesianus Cap. VI.) de Quadorum per Legatos Responso: *Ad hæc Imperator Irâ vehementi perculsus, & inter Exordia respondendi tumidior, increpabat objurgatorio Sono Nationem omnem, ut Beneficiorum immemorem & ingratam. Paulatimque lenitus & ad molliora propensior, tanquam ictus è Cælo, vitalique Via Voceque simul obstricta, suffectus igneo Lumine cernebatur: erumpente subito Sanguine, lethali Sudore perfusus.* Zosimus Lib. IV: *Hieme præter Morem durante longius, QUADI per Legatos ei Verba quædam Modum excedentia denunciant: ob quæ indignatus Valentinianus, præ quæ nimia Iracundia propemodum redactus ad Insaniam, Sanguine in Os delapso, qui Vocis Arterias obstruebat, exstinctus est.*

Romanorum Imperatoribus GRATIANO & VALENTINIANO II.

Anno CHRISTI 376.

LXII. Imperatoris Valentiniani I. Successores Filii, ab Anno Urbis 1127, Christi 375, Gratianus ad Annum Urbis 1136, Christi 384: Valentinianus II. ad Annum Urbis 1144, Christi 392, Romanis præfuerunt.

LXIII. Valente quintum, Valentiniano II. secundum Consulibus, id est, Anno Urbis 1128, Christi 376, *Quadi* cum Marcomannis & aliis ad

siniſtrum Danubii Latus habitantibus, ſolitô majus intentabant Romanis Damnum. Hos enim dudum ſibi moleſtos, in Securitatis, ut firmioris, ſic diuturnioris Spem, omnes ex Provinciis circa dexterum Danubii Latus ſitis, ad Pontum Euxinum usque, propellendi & Conſilium inibant, & Robur adhibebant: intra Occidentem Romano Imperio ad Ruinam velut Initium facturi, Modumque Populis aliis oſtenſuri. Ammianus Marcellinus Lib. XXXI. (Gruterianus) Cap. X. (Valeſianus Cap. IV.) *Dum aguntur hæc in externis, novos majoresque ſolitis Caſus verſare Gentes Arctoas, Rumores terribiles diffuderunt: per omne, quicquid ad Pontum à MARCOMANNIS prætenditur & QUADIS, Multitudinem barbaram abditarum Nationum Vi ſubita Sedibus pulſam, circa Flumen Iſtrum vagari cum Charitatibus ſuis diſſeminantes. Quæ Res aſpernanter â noſtris inter Initia ipſa acceptæ eſt, hanc ob Cauſam, quod illis Tractibus non niſi peracta aut ſopita audiri procul agentibus conſueverant Bella. Verum pubeſcente jam Fide geſtorum, cui Robur Adventus gentilium addiderat Legatorum, Precibus & obteſtatione petentium citra Flumen ſuſcipi Plebem extorrem: Negotium Lætitiæ fuit potius, quam Timori, eruditis Adulatoribus in majus Fortunam Principis extollentibus.*

Poſt ROMANORUM Imperium iterum diviſum: Imperatore Occidentis HONORIO, Orientis ARCADIO.

Anno CHRISTI 396.

LXIV. Poſt Imperatoris Theodoſii Exceſſum, id eſt, Annum Urbis 1147, Chriſti 395, Filii Succeſſores, Imperio Romanorum iterum diviſo (cui regendo per Ætatem nondum habiles erant) Honorius Occidentalem, Arcadius Orientalem Partem acceperunt.

LXV. Quamobrem illa, cujus Mentionem §. LXII, fecimus, *Quadorum* aliorumque Populorum in Romanas Provincias Sævitia, ſæpius repetita, nunquam efficaciter cohibita, plurimorum in Occidentis Imperio graviſſimorum Malorum Cauſa, non ſub Gratiano & Valentiniano II tantum, ſed ſub Honorio & Arcadio etiam, per XX Annos, ad Annum Urbis 1198, Chriſti 396, duravit. Nam tres Viri Conſulares, *Rufinus*, Olybrio & Probino Conſulibus, id eſt, Anno Chriſti 395, trucidabatur: ut Marcellinus Comes in Chronico tradit: *Abundantius* & *Timaſius*, Honorio tertium & Arcadio quartum Conſulatum gerentibus, id eſt, A. C. 396, relegabantur: ut

ut Zoſimus Lib. V. indicat. Poſt illos autem Triumviros Damnis affectos, elapſo Biennio Hieronymus Epiſtolam III. ad Heliodorum ſcripſit, Ibi, *Regum*, ait, *talis Conditio eſt, feriuntque ſummos Fulgura Montes. Ad privatas veniam Dignitates: nec de his loquar, qui BIENNIUM excedunt. Atque, ut cæteros prætermittam, ſufficit nobis trium nuper Conſularium diverſos Exitus ſcribere. ABUNDANTIUS egens Pytunte exſulat. RUFINI Caput Pilo Conſtantinopolin geſtatum eſt, & abſciſſa Manus dextera ad Dedecus inſatiabilis Avaritiæ oſtiatim Stipem mendicavit. TIMASIUS præcipitatus repente de altiſſimo Dignitatis Gradu evaſiſſe ſe putat, quod Aſſæ vivit inglorius.* His ibidem ſubjungit Calamitates Provinciis Romanis ultra XX annos illatas, potiſſimum à Germanicis Populis, quorum Pars *Quadi* fuerunt. *Horret*, inquit, *Animus, Temporum noſtrorum Ruinas perſequi. VIGINTI & eô amplius Anni ſunt, quod inter Conſtantinopolin & Alpes Julias quotidie Romanus Sanguis effunditur, Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Theſſaliam, Achajam, Epiros, Dalmatiam, cunctasque Pannonias, Gothus, Sarmata, QUADUS, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vaſtant, trahunt, rapiunt.* Ibidem, poſt quædam: *Ubique Luctus, ubique Gemitus & plurima Mortis Imago. Romanus Orbis ruit, & tamen Cervix noſtra erecta non flectitur.*

CAPUT XX.

SILESIORUM MAIORES LYGII & QUADI:

SÆCULO V.

Romanorum IMPERATORIBUS, Intra Occidentem HONORIO, Intra Orientem ARCADIO,

I.

IMperator Theodoſius I. Olybrio & Probino Conſulibus, id eſt, Anno Urbis 1147, Chriſti 395, mortuus, Imperium Filiis, Arcadio intra Orientem, Honorio intra Occidentem, ob immaturam Ætatem nondum Regiminis capacibus, reliquerat: quorum illi Rufinum, huic Stilichonem, Tutores præfecerat. Uterque Tutor ſubdolus, & alterius Oſor, & Imperii totius

Affe-

Affectator, in Auxilium Germanos, ad oppugnandas Romanorum Provincias, invitaverat. Ita fiebat, ut Dissidiis Romanorum internis, Suppetias externas requirentibus, etiam post Rufinum A. C. 395: & Stiliconem A. C. 408, interemtos, qui Successores nihilô meliores consequebantur, diu continuatis, Germani, assumtis in Societatem Exteris, passim Romanorum Terras, potissimum Occidentales, aut occuparent, aut devastarent: donec Româ per Alaricum Gothorum Regem, Anno Urbis 1162, Christi 410, captâ: Romanis tandem Viribus enervatis, Anno Urbis 1226, Christi 476, Odoacer Herulorum Rex, acceptâ per Deditionem Româ, postremum Imperatorem Mormyllonem Augustulum in Exsilium depulit, Romano intra Occidentem Imperio Finem, Italico Germanorum Regno Principium attulit. Hoc Rerum per Europam turbulento Statu, quid Silesiorum Majores, cum *Lygii*, tum *Quadi* egerint, jam indicabimus.

Anno CHRISTI 406.

II. In Germanorum Regibus *Godegisalum* (aliis *Godigisilus*, *Godigiscus*, *Godigisclus*, *Modegisilus*, *Modogisclus* dicitur) *Vandalorum* Regem, Stilico Genere patriô Romanus, maternô Vandalus, Legionum Romanarum Occidentalium Præfectus, Imperatoris Honorii Tutor, Imperii Administrator, quod sibi suoque Filio Eucherio destinabat, opponendum Adversariis ad Partes suas pertraxerat. *Godegisalus*, Arcadio sextum & Probo Consulibus, id est, Anno Urbis 1158, Christi 406. junctis ad Vandalos aliis, partim Germanis, partim Exteris, post victos Francos, Rhenum transgressus, Romanas in Gallia Terras oppugnabat & depopulabatur. Tempus indicat Prosper Aquitanus in Chronico: *Arcadio sextum, & Probo Consulibus, Vandali & Alani Gallias trajecto Rheno, pridie Calendas Januarias ingressi.* Eadem Aurelius Cassiodorus in Chronico refert. Cætera commemorant, Paulus Orosius Lib. VII. Cap. XXXVIII. Zosimus Lib. V. Procopius de Bello Vandalico Lib. I. Cap. II. & III. Marcellinus Comes in Chronico, ad Bassi & Philippi Consulatum, A.C. 408. Paulus Diaconus in Historia Miscella, Lib. XIII. Cap. XXV. & Lib. XIV. Cap. VIII.

III. Inter hos Germaniæ Populos, Imperii Romani per Occidentem, ut antea sæpius Oppugnatores, sic ad ultimum Destructores. *Lygii Quadique* fuerunt. De *Lygiis* propterea minus est dubitandum, quoniam propinqui Vandalis erant: quorum se Consortio Lygiis proximi Quadi adjunxerunt. De *Quadis* Testem habemus illorum Temporum Scriptorem Hieronymum, Patriâ Stridonensem, in Dalmatiæ Pannoniæque Confinio natum,

tum, (A. C. 420, mortuum) in Epistola XI. quam, post tertiam A.C. 396, scriptam, Cap. XIX. §. 65. allegatam elapsô Decenniô, ad Gerontium (aliis Ageruchiam) A.C. 407. exaravit. Ibi Clades intra Occidentem Romano Imperio, potissimum à Germanicis Gentibus illatas, describpturus: *Præsentium*, inquit, *Miserlarum pauca percurram. Quod rari huc usque residemus, non nostri Meriti, sed Domini Misericordiæ est. Innumerabiles & ferocissimæ Nationes universas Gallias occupârunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rheno includitur, QUADUS, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Allemani & (ô lugenda Respublica!) Hostes Pannonii vastarunt. Etenim Assur venit cum illis. Magontiacum, nobilis quondam Civitas, capta atque subversa est: & in Ecclesia multa Hominum millia trucidata. Vangiones longâ obsidione deleti: Rhemorum Urbs potens, Ambiani, Atrebates, extremque Hominum Morini, Tornacus, Nemetes Aquitaniæ, Argentoratus, translati in Germaniam. Aquitania Novemque Populorum, Lugdunensis & Narbonensis Provinciæ, præter paucas Urbes, populata sunt cuncta: quas & ipsas foris Gladius, intus vastat Fames. Non possum absque Lacrumis Tolosæ facere Mentionem, quæ ut huc usque non ruevet, sancti Episcopi Exsuperii Merita præstiterunt. Ipsæ Hispaniæ jam jamque perituræ quotidie contremiscunt.* Ibidem post quædam: *Olim à Mari Pontico usque ad Alpes Iulias erant nostra, quæ nostra non sunt. Et per Annos XXX. fracto Danubio Limite, in mediis Romani Imperii Regionibus pugnatur.* Iterum post quædam: *Quis hoc credet? Quæ digno Sermone Historiæ comprehendent? Romam in Gremio suo, non pro Gloria, sed pro Salute pugnare? Imò, ne pugnare quidem, sed Auro & cuncta Supellectile Vitam redimere? Quod non Vitio Principum* [Imperatorum] *qui vel religiosissimi sunt, sed Scelere Semibarbari* (Stiliconis) *accidit Proditoris; qui nostris contra nos Opibus armavit Inimicos.* Iterum post quædam: *Potentiam Romanæ Urbis ardens Poëta* (Lucanus Lib. V. versu 273.) *describens ait: Quid satis est, si Roma parum est? Quod nos alio mutemus Elogio: Quid salvum est, si Roma perit?*

Imperatore Occidentis VALENTINIANO III. Orientis THEODOSIO II.

Anno CHRISTI 442.

IV. Post Imperatorem Honorium intra Occidentem Valentinianus III. ab Anno Urbis 1177, Christi 425: ad Annum Urbis 1207, Christi 455:

post Arcadium, Theodosius II. ab Anno Urbis 1160, Christi 408: ad Annum Urbis 1209, Christi 450, imperavit.

V. Horum Imperatorum Temporibus, *Quados* Militibus Romanis adhuc conjunctos invenimus. Nam Legionibus Romanis Iulianus Cæsar, circiter A. C. 358. Partem Quadorum adscripserat: ut Cap. XIX §. 39. diximus. Hinc diu *ex Quadis Alam* Romani conservaverunt: quæ post A. C. 442. Romanis superat in Ægypto. Tum enim magna *Ægypti* Pars erat *Thebaorum* Provincia, quæ *Μακάρων νῆσος, Beatorum Insula* dicebatur. Ad eam fuit gemina Regio, major & minor *Oasis*: cujus Urbs Oasis septem Dierum Itinere distabat à Thebis: ut Herodotus Lib. III. Cap. XXV. refert. *Quadorum Ala*, sub Thebaidos Duce, Romanis intra minorem Oasin, eô Locô, quem citra dubium, à Deo Trino Christiani vocaverunt *Trinytheum*, serviebat. Id nobis Autor [quem A. C. 442. superstitem noster de Romanarum Rerum Scriptoribus Liber Prior, Parte I. Cap. XXXVIII. demonstrat] in Notitia Dignitatum Imperii Romani & Occidentalis & Orientalis, ultra Honorii & Arcadii Tempora, commemorat: cujus hæc sunt in Orientis Notitia, Cap. CXLIII: *Sub Dispositione Viri spectabilis Ducis Thebaidos. Cuneus Equitum Maurorum, Scutariorum.* Ibidem post quædam: *Ala prima Abasgarum Oasi majore. ALA prima QUADORUM Oasi minore Trinytheos.*

VI. Quot ea continuerit Quados Ala, non satis exploratum habemus. Nam, ut Legionum, sic Alarum, id est, Equitum, qui Legionem, tanquam Corpus Alæ, protegebant, diversus apud Romanos diversis Temporibus erat Numerus. Ala Trecentorum Equitum fuit: cujus meminit Livius Lib. XXIX. Cap. I. *Iulianus Cæsar* (ille, qui Legionibus Romanis Quados adjunxit) *duplo majorem Alam fecerat.* De quo Zosimus Lib. III. (pag. 704.) Ἦν ἑξακοσίων ἱππέων ἴλη τῷ Καίσαρι, σφόδρα τὰ πολέμια γεγυμνασμένων. *Erat sexcentorum Equitum Ala Cæsari, plurimum bellicis Rebus exercitatorum.*

Anno CHRISTI 450.

VII. Imperatore Valentiniano III. septimum, & Avieno, Consulibus: id est, Anno Urbis 1202, Christi 450: *Attila* potentissimus *Hunnorum in Scythia Rex*, post Thraciam & Macedoniam vastatas, Pacem cum Imperatore Theodosio II. in Oriente compositam, Bellum in Occidentem contra Imperatorem Valentinianum III. transferebat. Gensericus Vandalorum ex Hispania in Africam digressus Rex, Theodorico Gothorum in Gallia

lia Regi, Socero Filiam, ob Venenum Marito paratum suspectam, Naso truncatam remiserat. Ultionis Metu, in Perniciem Theodorici, cui pax non erat, & Muneribus missis, & Prædis promissis Attilam excitabat: Theodoricus autem Romanis ab Imperatore Valentiniano III, seu promissis, seu obtentis Auxiliis gaudebat.

Imperatore Occidentis VALENTINIANO III. Orientis, MARCIANO. Rege Quadorum & Lygiorum ATTILA. Anno CHRISTI 451.

VIII. Imperatore Marciano & Adelphio Consulibus: Anno Urbis 1203, Christi 451: *Attila, Hunnorum Rex*, Armis periturus Theodoricum, Gothorum Regem in Gallia hærentem, immensis Copiis Danubium transgressus, in Germaniæ Populis Septentrionalibus subigebat eum *Lygiis Quados*. Paulus Diaconus in Historia Miscella, Lib XV. Cap. II. de Attila: *Fultus igitur fortissimarum Gentium, quas sibi subjugaverat, Præsidio, ad Occidentale demoliendum Animum intendit Imperium: cujus Exercitus septingentorum Millium Numero ferebatur: Vir in Concussionem Orbis in Mundo natus, Terrarum omnium Metus, quô vulgatus erat. Namque superbus Incessu, huc se atque illuc circumferens, ut elati Potentia ipso quoque Motu Corporis appareret: Bellorum quidem Amator, sed Manu temperans ipse, Consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius in Fidem semel receptis, Forma brevis, lato Pectore, Capite grandiori, Oculis minutis, Barba rara, Canis aspersus, simus Naso, teter Colore, Originis suæ Signa restituens. Erant siquidem ejus subjecti Dominio, Rex ipse Gepidarum famosissimus Andaricus: Walamir etiam Gothorum Regnator, ipso, cui tunc serviebat, Rege nobilior: fortissimæ nihilominus Gentes, Marcomanni, Suevi, QUADI; præterea Heruli, Turcilingi sive Rugi, cum propriis Regulis, aliæque præter hos barbaræ Nationes in Finibus Aquilonis commanentes.*

IX. Ita *Lygii Quadique* Viribus, non Animis deficientes, tandem validiores Romanis Adversarios experiebantur Hunnos, diuturnæ Libertatis, quam tot Sæculis propugnaverant, Raptores. Nam & Quados, & Marcomannos, & alios, eosque fortissimos Populos, hactenus alieni Iugi prorsus impatientes, se, non tantum ad Bella in Societatem, cum Attila ineundam (quod, ut excusabilius, sic credibilius est) verum etiam ad Obsequia in

Servitutem sub Attila tolerandam, SPONTE SUA dedisse, non meretur Fidem. Cujus iacturam in eo facit Ioannes Turocius in Chronicis Hungaricis, Parte I. Cap. XV. *Hac etiam*, inquiens, *Regis Attilæ Sorte maximæ Partes Mundi pulsatæ: multæ Nationes, potissimè illæ, quarum Direptio Rerum Animi erat, SPONTE illi se subdiderunt. Inter quas Walmer Orientalium Rex Gothorum nobilissimus, Ardaricusque Gepidarum Rex famosissimus: præterea Marcomanni, Suevi, SQUADI, Heruli, Turingi, Populi ex innatæ Militiæ Virtute perstrenui, Regi Attilæ in SERVITUTEM pariterque & SOCIETATEM SPONTE se dederunt.*

Anno CHRISTI 452.

X. Attila, Germanis plurimis, *Quadis*, Marcomannis, aliis, quorum Victor alios in Prædam, alios in Ultionem à Romanis capiendam erexerat, non mediocriter adauctum Exercitum, contra Theodoricum, Gothorum Regem, Auxiliis Romanis munitum, trans Rhenum in Galliam ducebat: ex qua, propemodum universâ devastata, denique victus recedebat. Paulus Diaconus in Historia Miscella, Lib. XV. Cap. III. de Populis Germaniæ subactis locutus: *Horum omnium Attila superbus Imperio, quanquam Robore facile se posse adipisci putaret, quod cuperet: non minore tamen Consilii Astutia, quam Armorum Fortitudine Hostes aggredi satagebat. Prævidens itaque Sagacitate, quâ callebat, non sibi fore tutum, si Gothi, qui intra Gallias morabantur, Romanis jungerentur Auxilio: Amicum se Gothis simulans, adversum Aurelianis Urbem concitus pergit, Regem Visigothorum solicitare nisus, ut pariter cum eo Romanum invadens Imperium, æquâ Sorte possideret. Ad Valentinianum verò Imperatorem Legatione missa Pacem simulat, ad ulciscendos Romanos de Gothis, & restituendas Reipublicæ Gallias & Hispanias pergere se, dolosè denunciat. Sed Imperatorem Doli ejus minimè latuerunt. Itaque celerrimè Theodoricum Visigothorum Regem, per Aëtium Patritium conveniens, in suæ Partis Favorem traxit, atque cum eodem Patritio contra Attilam, post vastatam ferè omnem Galliam, Aurelianis jam obsidentem direxit. Nec Mora, congregatis undique Bellatoribus, Aëtius cum Rege Theodorico & ejus Filio Thorismundo obviam Hunnis fortissimè pergit. Ubi conserta incredibili Pugna, cui vix post Hominum Memoriam ullum simile Prælium reperitur, vicere Romani, fugato Attila, & Gothorum Rege interfecto. Hoc Certamen circa nonam Diei Horam cœptum, de utrisque Partibus centum octoginta millia occisorum dedit.* Philippus Callimachus in Libro de Attila: *Adjectis igitur ad suos, quam potuit, numerosissimis Copiis, ex Marcomannis, Quadis, Suevis, Herulis, Turcilingis, Rugiis, quas omnes Nationes jampridem Dicto habebat audientes, unà cum Harderico Gepidarum, & Valamiro Ostrogothorum Regibus, nec non Dietmaro & Vittimaro Regulis, quingentorum Millium explevit Exercitum. In qua Multitudine pauci pro Numero Pedites erant.* Quibus deinde subjungit plenius, quæ jam ex Paulo Diacono in medium attulimus. M. Antonius Coccius Sabellicus in Historiarum Enneade VIII. Libro I. eandem Attilæ contra Gallos, Romanis subjectos, Gothosque Romanis addictos, ultra Rhenum Expeditionem describens: *Habuit Attila secum Gepidarum & Ostrogothorum Reges: fuerunt Ostrogothi, etsi cognatum Genus, à Visigothis tamen diversi. Aderant Hunno, præter jam dictos, Marcomanni, QUADI, Heruli, Turingi, ut ad quingenta Millia armatorum sub Signis essent.*

Anno CHRISTI 452.

XI. Attila, licet in Fugam compulsus, tamen non deterritus, sed irritatus, post Bellum Gallicum aggrediebatur Italicum. Ad hoc etiam, quos ad illud assumserat, *Quados* adhibebat. Horum & aliorum Auxiliis, per Styriam, Carinthiam, Illyricum, Dalmatiam, ingressus Italiam, perpetuis Cladibus affligebat universam: inter potiores Urbes Aquilejam, Concordiam, Opitergium, Altinum, Patavium, Vicentiam, Mantuam, Brixiam, Cremonam, Bergomum, Ravennam, Ticinum, Placentiam, Parmam, Mutinam, aut Vi, aut Deditione captas, Direptionibus, Incendiis, aliisque Damnis subjiciebat: exceptâ Roma, cujus Imperio Ruinam minatus, ad suos trans Istrum in Scythiam reversus, ab Italia repetenda per supremum Fatum, Anno Urbis 1206, Christi 454, revocabatur. Nicolaus Olahus in Libro de Attila, Cap. XIII: *Coacto igitur Attila suo & Ostrogothorum, Herulorum, Turcilingorum, QUADORUM, Rugorum, quos ab Initio in Societate Belli habuerat, Exercitu, cum Itineri accinctus Equum conscenderet, dicitur Corvus ab Oriente advolans, Humero ejus dextro insedisse: ac deinde tantisper in sublime volasse, dum Visum omnium effugeret. Hoc Auspicio lætus Attila, mox Iter capit: primumque Styriam, Carinthiam, Illyriam & Dalmatiam invadit. Quibus depopulatis, Salonaque ac Spalato Urbibus incensis, ad Litora Adriatici Maris pervenit: dein Tragurium, Scardonam, Sibinicum, Iaderam, Novam Segniam, Potentiam, Polam, Tergestum, Capiferiam, Urbes opulentissimas juxta ac fortissimas, diruit, & in Prædam suorum vertit.* Coccius Sabellicus in Historiarum Enneade VIII. Lib. I: *Iussi itaque in certum Diem adesse Concilio dimittuntur: nec longior inde Mora fuit: plerâque*

que ferociſſimæ Gentes cum ſuis Regibus adfuere, Oſtrogothi, Heruli, Turcilingi, QUADI, Rugi: quibus Hunnus Auxiliis fretus, Illyricum tumultuosè invadit, cum Strage Rerum omnium quacumque iret, ad Mare fœdiſſima illa Armorum Tempeſtas inclinavit. Litorales Dalmatiæ Urbes, nullo Marciani, qui Byzantii imperabat, Præſidio munitæ, brevi in Prædam conceſſere. Tragurium, Sibinicum, Iadera, Signia, Pola, Tergeſtum, direptæ & incenſæ. Plures ibi dem Res ab Attila per Belli Socios intra Italiam geſtas plenius exponit, De quibus Scriptores antiquiores agunt, Iornandes de Gothorum Rebus Cap. XXXVIII. Paulus Diaconus in Hiſtoria Miſcella, Lib. XV. Cap. III. Marcellinus Comes in Chronico ad Aëtii & Studii Conſulatum, id eſt, Annum Urbis 1206, Chriſti 454: quô Attilam periiſſe ſcribit.

Anno CHRISTI 454.

XII. Poſt *Attilam Hunnorum*, eumque novô Exemplo primum ſimul & *Scytharum* & *Germanorum* Regem, Dei Flagellum, Hominum Terrorem, A. C. 454. exſtinctum: *Germani* adverſus Attilæ Filios ab Exterorum Imperio Patriam Armis vindicabant. Pro Capite ſibi deligebant *Ardaricum* (quem alii vel *Aladaricum*, vel *Alaricum:* alii vel *Theodoricum*, vel *Detricum* vocant) *Germanum*, Gepidarum, Gothicæ Nationis, Regem. Hic tandem victis & depulſis Hunnis, Terras cæteris Germanis alias relinquebat, ſibi Dacicas, Hunnis ereptas, retinebat. Paulus Diaconus in Hiſtoria Miſcella, Lib. XIV. Cap VIII. *Eodem Tempore erant Gothi & aliæ Gentes multæ ac maximè trans Danubium in Hyperboreis Locis habitantes: ex quibus rationabiliores quatuor ſunt: Gothi ſcilicet, Hypogothi, Gepides & Vandali: Nomen tamen & nihil aliud mutantes, unâque Linguâ utentes.* Iornandes de Gothorum Rebus Cap. XVII. de Gepidis: *Sine dubio ex Gothorum Proſapia ducunt Originem.* Cap. L: *Inter Succeſſores Attilæ de Regno orta Contentio eſt: &, dum inconſultè imperare cupiunt cuncti, omnes ſimul Imperium perdidere. Sic frequenter Regna gravat plus Copia, quam Inopia Succeſſorum. Nam Filii Attilæ, quorum, per Licentiam Libidinis, pene Populus fuit, Gentes ſibi dividi æquâ Sorte poscebant, ut, ad Inſtar Familiæ, bellicoſi Reges cum Populis mitterentur in Sortem. Quod ut Gepidarum Rex comperit Ardaricus, indignatus de tot Gentibus, velut viliſſimorum Mancipiorum, Conditione tractari, contra Filios Attilæ primus inſurgit, illatumque ſerviendi Pudorem ſecuta Felicitate deterſit. Nec ſolum ſuam Gentem, ſed & cæteras, quæ pariter premebantur, ſuâ Diſceſſione abſolvit: quia facile omnes appetunt, quæ pro cunctorum Utilitate ſentantur.* Ibidem poſt quædam: *Poſt multos ergo*

ergo gravesque Conflictus favit Gepidis inopinata Victoria. Nam triginta ferè Milliatam Hunnorum, quam aliarum Gentium, quæ Hunnis ferebant Auxilium, Ardarici Gladius conſpiratorumque, peremit. Iterum poſt quædam: *Ceſſere itaque Hunni, quibus cedere putabatur Univerſitas. Adeo Discidium pernicioſa Res eſt, ut diviſi corruerint, qui adunati Viribus terrebant. Hæc Cauſa Ardarici Regis Gepidarum felix adfuit diverſis Nationibus, quæ Hunnorum Regimini inviti famulabantur, earumque diu mœſtiſſimos Animos ad Hilaritatem Libertatis votivam erexit: venientesque multi per Legatos ſuos ad Solum Romanum, & à Principe tunc Marciano gravisſimè ſuſcepti, diſtributas Sedes, quas incolerent, accepere. Nam Gepidæ Hunnorum ſibi Sedes Viribus vendicantes, totius Daciæ Fines, velut Victores, potiti.*

XIII. Tot in Germanicæ Libertatis, adverſus Attilæ Filios, & univerſam Hunnorum Gentem, Inſtauratoribus acerrimis, *Quadi* Regiones avitas ab Hunnorum Potentia liberas, ut eô tutiorem in Modum poſſiderent, Imperatoris Romani, non in Occidente Valentiniani III: ſed in Oriente Marciani partim Tutelam, partim Amicitiam expetebant & obtinebant. M. Antonius Sabellicus in Hiſtoriarum Enneade VIII. Lib. I: *Hunnorum Opes cum Attila propemodum exciderunt. Oſtrogothorum Valamirus, & Frater, & Ardericus Gepidarum, Reges, primi omnium ſeſe in Libertatem vendicant. Horum Defectionem Studio ſequuntur Marcomanni, QUADI, Heruli & Turingi. Duricus & Hernacus, Attilæ Filii, Hunnicis freti Armis, Valamirum & Ardericum, Autores Defectionis Decreto invadunt. Hunni duplici Prælio victi, Hernacoque in Pugna amiſſo, in Scythiam compelluntur, adeo Rebus duplici Pugna acciſis, ut jam inde nihil memorabile geſſerint.* Antonius Bonfinius in Rebus Hungaricis, Decade I. Libro VII: *Poſt Attilæ Mortem facta Diſſenſione, Valamir & Theodomir Oſtrogothorum, & Ardericus Gepidarum, Reges, primi ab Hunnorum Regno deficiunt, ſeque in Libertatem vindicant. Id ipſum Marcomanni, Heruli, Turingi & QUADI factitant: neque poſt Attilam, in Ernaci & Durichi, Attilæ Filiorum Servitutem recidere patiuntur. Quare in Oſtrogothos ac Gepidas, Hunnorum Principes Arma ſumunt. Ernacus in Gepidas cum triginta millibus Hominum profectus, primo Congreſſu ab Arderico ſuperatur & cæditur. Durichus à Valamire & Theodemire fuſus ac fugatus, cum Hunnis in Scythiam ſe recipere cogitur. Poſthac in Oſtrogothos Hunni Arma ultrà ſumere formidarunt. Gepidæ, ut Iordanes Autor eſt, triginta ferè Hunnorum millia trucidarunt. Ellacum, Attilæ Filium, fortiſſimè pugnantem interfecere, reliquos ejus Fratres, juxta Littus Pontici Maris, ubi Gothi conſedere, fugarunt. Variæ Gentes, hoc Bello Libertatem nactæ, in Provincias Populi Romani venientes, gratiſſimo Dominio à Marciano ſuſceptæ ſunt, diſtribu-*

distributas sibi Sedes acceperunt. Gepidæ, fugatis Hunnis, veluti Iure Belli, totam Daciam sibi vendicarunt. Nil aliud à Romano Imperio, præter Pacem, annuaque Solennia, ut strenui Viri, amicâ Pactione postularunt, quod Imperator lubenter annuit.

Romanorum IMPERATORIBUS, Intra Occidentem MOMYLLO Augustulo: Intra Orientem ZENONE. Anno CHRISTI 476.

XIV. At non adeo diu, vix ultra XX. Annos, ad Annum Urbis 1228, Christi 476, *Lygii Quadique* sub Romanorum illo seu Præsidio, seu Pacto, intra Libertatem vivere potuerunt. [Nam Romanorum Dissidiis per Occidentales Imperii Partes continuis, ultimô Quadriennio, sub quatuor Imperatoribus, Olybrio, Glycerio, Iulio Nepote, *Momyllo* [quem alii *Mormyllum*, alii *Mormyllonem* vocant] *Augustulo*, Vires maxime prostratas ostendentibus: in certam Victoriæ Fiduciam excitatus Odoacer, Natione Rugus Germanus, Herulorum Rex, aliorum Germanorum instructus Copiis, Terras Italicas oppugnabat: Romam antea ter ab aliis captam, Basilisco & Armato Consulibus, id est, Anno Urbis 1228, Christi 476, occupabat: Imperatorem Momyllum Augustulum in Exilium abire cogebat. Sic Romanis universum in Populos Occidentale subtrahebatur Imperium. Sic Odoacer, quamvis Romæ Dominus, non Imperatoris Romani delectatus Titulo, Rex Italiæ primus declarabatur: cui occiso Theodoricus Gothorum Rex in Italiæ Regno, cum A.C. 493. ageretur, succedebat.

Post destructum in Occidente Romanum IMPERIUM. Anno CHRISTI 477.

XV. Quid non tantum sub Imperii Romani Occidentalis, verum etiam sub Quinti Sæculi Exitum, *Lygii Quadique* susceperint: utrum ex iis, quemadmodum ex aliis Populis Germanicis, Pars Odoacro Herulorum Regi, tum Romam, tum Italiam subigenti, Auxilia tulerit: quod à Veritate non abhorret: an omnes intra Quietem in Sedibus vetustis hæserint: an cum Hostibus

Hostibus, seu vicinis, seu longinquis extra Italiam Bella gesserint: nos Testibus idoneis destituti, non recensere possumus.

XVI. Habent tamen, cum *Lygii*, tum *Quadi*, quod mirandum prædicandumque Posteris, quod de Majorum antiquâ Gloriâ certantibus opponendum aliis reliquerunt, ad ipsam Imperii Romani Occidentalis Ruinam conservatum Ornamentum. Nam in paucissimis Gentibus, Libertatem ad extrema defensam, sæpius circumcisam, semel sub Attila destructam, mox Attilæ Filiis ex Lygia Quadiaque projectis redintegratam, continuis octo Sæculorum Ætatibus, ab Alexandri Magni Temporibus, Anno ante CHRISTUM natum 333, ad A. C. 477, rarô felicium Armorum Eventu, obtinuerunt. Sane, quod Memoriam meretur, à Romanis, cum quibus & crebro, & acriter in Sæculum quintum certaverunt, etsi non nunquam Prælio, tamen nunquam Bello victi sunt. Tantum abfuit, ut Silesiorum Majores, *Lygii Quadique*, licet in Germanis ad Orientem postremi, propterea ob Fortitudinem ultimi, ad aliorum, seu Germanorum, seu Exterorum, Pannonum, Dacorum, Gallorum, Hispanorum, Britannorum Exemplum, paterentur, Regiones suas, sub Provinciarum Formam redactas Præfectis subjici Romanis. Maxime tum liberi, tum securi stabant, cum Romani Germanis tandem ipsi adeo victi succumberent, ut Victoribus, & Romam, Occidentalis Imperii Caput, & Italiam, prius Herulis, mox Gothis, denique Langobardis possidendam cederent.

CAPUT XXI.

An SILESIORUM Majores LYGII & QUADI, Post destructum in Occidente Romanum IMPERIUM, Seu Sponte sua digressi, seu per Vim adacti, SÆCULO VI, circiter Annum 550, Patriam SILESIAM vacuam SLAVIS Advenis occupandam reliquerint, Prorsus ipsi postea deleti? Affirmationis Refutatio I.

I.

SUnt, qui totam SILESIAM, Sæculo VI, circiter Annum 550. Incolis destitutam, SLAVOS aut primos, aut novos Cultores

tores adeptam credunt: sed credunt, non sciunt: quibus Umbra Veritatis habetur ipsa Veritas. Horum falsis Narrationibus innixas prius exponemus, postea refutabimus Sententias.

II. Sententia Prima est: *SLAVOS, à Sedibus suis recessuros, Populis Orientem jam repletum, Occidentem adhuc vacuum videntes, in Germania Moraviam, Bohemiam, Silesiam: in Sarmatia Poloniam occupavisse: nullis antea subjectas unquam Habitatoribus Provincias. Mox Slavorum Ducibus Fratribus divisas, obtigisse Moraviam & Bohemiam ZECHO, Silesiam & Poloniam LECHO.* Ioannes Dlugossus [A.C. 1480 mortuus] in Historia Polonica, Tomo I. Lib. I. Cap. II. de Lecho & Zecho: *Egressi vicinas & proximas Terras versus Occidentem [sciebant enim Orientem cæteris Nationibus refertum esse] petierunt. Oram autem, quam Moravia, Egra, Albia, Multania alunt, perambulando, Glebam ejus animadvertentes fœcundam, & Aquis Pascuisque irriguam, nil tamen, præter vastam Solitudinem, habentem culti Soli, junior Natu Czech eam sibi à Germano Lechnatu majori multifariis Precibus obtinuit in perpetuam & hereditariam Sortem, & Possessionem relinqui.* Cap. III. *Lech itaque juniori Fratri valedicens, cum Colonis, Familiis, Sarcinisque suis, & omni Substantia ab eo digressus, supernis Montibus & Saltibus, qui Nomine verasto Hercinii vocantur, Poloniam & Bohemiam ambientibus Regionem latissimam, Silvis, Nemoribus, & Boreis, vastam Solitudinibus & Desertis, & quibusdam perpetuis pene septam, pluribus Fluminibus, Torrentibus & Aquis irriguam Glebam quidem bonam habentem, sed cujus Fœcunditas, nisi Stercore alceretur, diuturno consistere non potest, Gelubus tamen & Frigore rigentem, extra septimum & ultimum Clima sitam, reperiens in ea consedit: eamque sibi & suæ Posteritati hereditandam & possidendam primus cepit.* Matthias Michovius de Polonorum Rebus [quas A.C. 1516 absolvit] Lib. I. Cap. I: *Quapropter præfati Duces, Lech & Czech vitando pessima Facinora, Paricidia & Mortes Hominum, Animo concordi & Consilio salubri, collectis Rebus & Gentibus eorum, per Familias & Colonias cum tota Supellectili, quantulacunque tunc habebatur, relictis Sedibus nativis, ad occidentales diverterunt Regiones, exploratum ire & percontari novas Sedes. Sciebant namque orientales meridionalesque Regiones, Colonis & Habitatoribus occupatas atque refertas, & idcirco frustra eas aggrediendas & quarendas. Profecti itaque pervenere in Moraviam & Bohemiam, & lustrata universa illa Regione, vasta quidem & nondum culta, perspecta & Aura ejus salubri, & Gleba fertili, fixerunt Tentoria in Monte, qui Rzip dicitur. Cœpitque Czech Frater junior, Loci Amœnitate delectatus, à majori Natu Germano suo Lech plurimis Instantiis petere Terras Moravia & Bohemiæ in Hæreditatem suam, Posterorumque suorum perpetuandas & popu-*

populandas. Lech autem ad obeundam & nutriendam Benevolentiam fraternam, condescendit Votis, Petitionibusque Czech, & valedicens, processit cum suis versus Orientem & Septentrionem, deveniensque in Terras incultas, à nomine unquam habitatas SILESIÆ & majoris POLONIÆ. Prorsus eadem in Opere, quod de Sarmatia scripsit, Lib. I. Cap. XVII. repetit. Clemens Ianitius in Regum Principumque Polonicorum Vitis: de Lecho:

Quæ modo Sarmatia est, quondam deserta fuerunt
Invia, post magnas Deucalionis Aquas.
Primus in hæc Lechus Populum deduxit agrestem,
De patriâ pulsus Seditione Domo.

III. Sed quis Antiquitatum, quas in præcedentibus declaratas exhibuimus, peritus non videt, hanc Opinionem Figmentis annumerandam? Num ante SLAVORUM in SILESIAM Adventum, ea nunquam, nec ante CHRISTUM, neque post CHRISTUM natum, habuit Cultores ullos: neque LYGIOS, nec QUADOS: quorum Sedes in ea Regione firmas, octo Sæculis retentas, continuis Bellis defensas, prisca Monumenta luculenter docent? Tum nondum Moravia, nondum Bohemia, nondum Polonia fuit habitata: quarum illam Marcomannis, hanc prius Bojis, postea Bojohemis, istam Bastarnis aliisque Sauromatis subditam: nullam post CHRISTUM natum Possessoribus nudam veteres Historiæ loquuntur? At non est, cur eam Moraviæ, Bohemiæ, Silesiæ, Poloniæ Solitudinem & Dlugosso & Michovio creditam miremur: non tam suo, quam Sæculi, quò vixerunt, Nævo, Res Populorum exterorum parum cognitas, pro Ingenio Arbitrioque suo interpretantibus. Credidit enim Dlugossus quidem, post Bellum Trojanum, Germaniam à Priamo Trojano occupatam, & ab Antenore Germano Germaniam dictam: Michovius autem, posthabitis Chronologiæ Numeris, Lechum & Zechum, Slavorum Duces, Elisæ Filios, Iavanis Nepotes, Iapheti Pronepotes. Has uterque Fabulas præmisit Fabulæ, quam de Provinciis intra Germaniam & Sarmatiam ante Slavos à nemine possessis recenset. Ianitius errantes Duces.

Affirmationis Refutatio II.

IV. Secunda Sententia est: *Post Attilam, Hunnorum Regem, Lygiorum Quadorumque Domitorem Dominatoremque Vivis, A. C. 454, ereptum, ab Alarico, Suevorum Rege, Silesios cæteris Populis suis adjunctos: Silesia, Bohemia, Lusatia, Regionibusque finitimis relictis, prius in Agros Danubio, Rheno, Nicro, Alemanno Fluviis propinquos, tandem in Gallicas & Rhæticas Terras,*

vas, Italiæ vicinas, Armis obtentas, esse traductos: quorum Terras postea Venedi Slavi desertas invaserint & possederint. Ioannes Aventinus in Annalibus Boicis [quos A. C. 1533 composuit] Lib. III: *Rex Alaricus Suevorum cum Popularibus suis Boiemiam, SILESIAM, Lusatiam & finitimas Regiones, Boream ac Eurum versus deserit: discedit ad Occidentem. Agrum propinquum Danubio, Rheno, Nigro, Alemano Fluminibus, capit: trajecto deinde Rheno atque Danubio Partem Galliarum & Rhætiam supra Lycum, Occidentem versus, Italiam usque, paulatim occupavit. Boji quoque Suevorum Vestigia insecuti, ab Orientis Ora per Histri Ripam ad Narisicos avitos Agros Incunabulaque Gentis, cujus Noricioberga Caput tum erat, concesserunt. Venedorum Reges Zecho & Crocus Loca à Suevis & Bojis deserta invaserunt, & adhuc possident.* Hæc Wolfgangus Lazius in Opus suum de Gentium Migrationibus, Lib. VIII. de Suevorum Regibus: & Cyriacus Spangenbergius in Chronicon Saxonicum, quod Germanico Sermone conscripsit, Cap. LIII. ad A.C 495, transtulit.

V. Nos, cur Aventino in eâ Re Calculum denegandum censeamus, multiplices habemus Causas. Nam Primô: quantum investigare potuimus, illam Silesiorum Migrationem non alius Aventino vetustior tradit: nec Aventinus Fontem addit, ex quô hauserit: quamvis non malæ Fidei damnandus, non tamen omnis Labis absolvendus Autor.

VI. Secundô: Aventinus in eisdem Boicis Rebus, quibus hanc Migrationem immiscuit, quædam Veritati non respondentia commemorat: quæ Marcus Velserus [Autoris Narrationem profert, Nomen tegit] Libro II. Rerum Boicarum, ad A.C. 454, castigat. Quamobrem ibi de Aventino fert tale Iudicium: *Autorem habeo, sed Vanitatis manifestum.* Ibidem, post recensitam ex Aventino Historiam: *Hujus Historiæ, ut quædam probabilem Veri Speciem præferunt, ita vana sunt pleraque, & illud perquam inane, quod sibi ratum & confessum sumit, Bojos & Suevos ad Alemanorum Nomen pertinere. Scimus Alemaniæ Appellationem Germanis interdum universè tribui, & eô sane Sensu Bojos, nihilo minus, quam Francos, Saxones & alios quoscunque Germaniæ Populos complecti, sed qui Bojos privatim & proprie Alemanos vocaverit, quomodo Suevi crebro usurpati sunt, præterea nemo est.* Non igitur deest nobis, cur Aventinus Erroris jam in Boicis convictus, etiam in Silesiacis Rebus, quas Boicis adjecit, suspectus habeatur.

VII. Tertiô: Intra quintum Sæculum, ad quod Silesiorum Migratio refertur, nondum Silesiorum Nomen, quô Lygii Quadique postea denotati sunt, Scriptoribus erat usitatum. Hinc facillime fieri potuit, ut Aventinus Vocabulis Gentium, quibus Silesiam tum subjectam statuit, daturus Interpretem, hoc Silesiis attribueret, quod aliis fuit attribuendum.

VIII.

VIII. Quartô: Iornandes, illorum Temporum Scriptor, Natione Gothus, Episcopus Ravennensis, in Libro de Gothorum Rebus [quem, ut Cap. XIX. innuit, A.C. 552 scripsit] eam, de quâ loquimur, Silesiorum aliorumque finitimorum Populorum maximè notabilem Migrationem non indicat. Hanc certe, quam ignorare non potuit, si contigisse statuas, non invenies, cur Silentiô præterierit.

IX. Quintô: Intra Sæculum quintum *Silesia* non amplius Pars erat *Sueviæ*, cujus olim multô spatiosioris Regio fuerat. Tunc enim, cum Alaricus Suevorum Rex imperabat, Sueviam finitimi ad Orientem Bavari, ad Occidentem Franci, ad Meridiem Burgundi, ad Septentrionem Thuringi claudebant. Id Iornandes in Gothorum Rebus tradit Cap. LIV. de Scyris: *Quorum Exitium Suevorum Reges Hunnimundus & Alaricus veriti, in Gothos Arma moverunt.* Cap. LV: *Theodemir, Gothorum Rex, cernens, pedestrem ducit Exercitum, emensoque Danubio, Suevis improvisus à Tergo apparuit. Nam Regio illa Suevorum ab Oriente Bajoarios habet, ab Occidente Francos, à Meridie Burgundiones, à Septentrione Thuringos.*

X. Sextô: Parum Veritati congruit, ex tot Regionibus, Silesia, Lusatia, Bohemia, finitimisque, Populos Germanicos sub uno Capite conjunctos, post Attilæ Mortem, superatis & ejectis Hunnis, Patrias suas per se non infrugiferas, diu jam & cultas, & omnibus ad Vitæ Subsidia sufficientes, licet ab Hostibus devastatas, tamen Industriâ reparabiles, dubiô, tum peregrinarum Terrarum Solô, tum etiam Incolarum depellendorum Eventu, reliquisse prorsus vacuas.

XI. Tamen illud Aventini, quamvis & unicum, neque validum Testimonium, præter indicatos, Wolfgangum Lazium & Cyriacum Spangenbergium, Assecias obtinuit: à quibus, ad majorem Veri Speciem dispositum, repetitur approbatum. Inter hos Ioachimus Curæus, Silesios Rhenum transgressos, in Rhætiam, Helvetiæ vicinam, ideo discessisse judicat, quoniam *Helvetii*, cum quibus olim Iulius Cæsar Bellum gessit, Origine *Quadi* fuerint: ex Quadorum in Helvetiam missâ Coloniâ progeniti: ad quos, tanquam cognatum Populum, Quadi, Patriâ relictâ, pervenerint: præsertim, cum inter Silesios & Helvetios quædam sit Morum Similitudo. *Eutropius* in Silesiorum Annalibus ait, *Libro sexto, inquit, Helvetios, cum quibus dimicavit Cæsar, esse Quados. Hæc Opinio si vera est, illæ ipsæ Gentes Helveticæ ex his Regionibus, quæ nunc sunt Regni Poloniæ eò sunt progressæ, eâ, ut credibile est, Ætate, ubi tota hæc Gens Suevica Colonias emisit in Rhætiam, Vindeliciam, & alias Provincias ultra Rhenum. Nec hodie Mores & Ingenia Helvetiorum alienа sunt à Natura Silesiaca.* Commemorat eadem non tantum Iacobus

Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. III. verum etiam Fridericus Lucæ in Silesiæ Memorabilibus Part. I. Cap. II.

XII. At hos Viros clarissimos Locus Eutropii aut male publicatus, aut non bene cognitus, Voce parum dispari decepit. Nam Eutropius *Helvetios* illos, Anno Urbis 693, id est, ante Christum natum 57, â Iulio Cæsare superatos, Ævo suo *Sequanos*, non *Quados* appellatos scribit. Cujus hæc in Breviario Verba sunt, quemadmodum in optimis Codicibus leguntur, Lib. VI. Cap. XV: *Anno Urbis conditæ sexcentesimo nonagesimo tertio, Cajus Iulius Cæsar, qui postea imperavit, cum Lucio Bibulo Consul est factus. Decreta est ei Gallia & Illyricum cum Legionibus decem. Is primo vicit Helvetios, qui nunc SEQUANI appellantur.* Hanc Eutropii genuinam Sententiam declarat Pæanius Græcus Metaphrastes, â quô illi Helvetii σησκουανοὶ *Sesquani* vocantur.

Affirmationis Refutatio III.

XIII. Tertia Sententia est: *Lygios & Quados cum aliis Germanis, A. C. 476, ad destruendum in Occidente Romanum Imperium, Odoacri, Herulorum Regi, conjunctos, in Italiam digressos, Silesiam reliquisse vacuam, citra Bellum, Slavis occupandam.* Id narratur in quibusdam Germanorum editis, & Silesiorum MStis Chronicis.

XIV. At primum, inter alios Germanos, aut Lygios, aut Quados, aut utrosque, cum Odoacer Herulorum Rex, oppugnavit Romanos, A. C. 476, in Italiam profectos: quod sciamus, ex antiquioribus nemo reliquit consignatum. Deinde, fac, quod Fidem non excedit, utrosque, tum etiam, ut sæpius, in magnis Expeditionibus, Auxiliatores cæteris Germanis fuisse: fac, idoneos id loqui Testes. Tum vero simul & Lygios, & Quados universos, patriis Sedibus relictis, colendas in Italia Terras sibi quæsivisse, quis tradit Autor per se dignus Fide? Non enim par est [quod sæpe Wolfgangus Lazius facit] Populorum in peregrinam Regionem *Expeditiones*, quas, ut præsentes Bellatores susceperunt, in *Migrationes* convertere, quas, ut futuri Possessores, peregerunt.

Affirmationis Refutatio IV.

XV. Quarta Sententia est: *Lygios & Quados, deserta Silesia, vel in Rhætiam, vel in Galliam, vel in Italiam, vel in aliam Regionem digressos, penitus exstinctos.* Id quoque nos quædam Silesiorum MSta Chronica docuerunt. At vel in Rhætia, vel in Gallia, vel in Italia, vel alia in Terra quomodo Silesiorum Gens potuit exstingui, quæ nunquam ibi Sedem fixerat: nunquam in Silesia reliquerat Sedem? Nam quisquis hoc ante non ostendit, quam illud affirmat, nullum meretur Assensum.

XVI.

XVI. Occurrit tamen nobis, unde colligas, sub Adventum Slavorum in Silesiam, Lygios & Quados, ubicumque Locorum prius hæserint, exstinctos. Non enim ultra Sæculum quintum, aut Lygiorum, aut Quadorum Nomen in vetustioribus Scriptoribus invenitur.

XVII. Numquid autem dudum exstincti sunt omnes Populi, quorum antiqua, cum novis permutata, jam dudum evanuerunt Nomina? Certe, sic Germania, sic Europa, sic universus Terrarum Orbis tantum non omnes amiserit Populos. Ex his utique plures supersunt, quorum Posteris, quanquam sub aliis Nominibus, etiamnum possideri â Majoribus possessas Regiones, nemo, cui satis familiares Historiæ sunt, negaverit. Cur igitur Lygios & Quados eô Tempore non amplius intra Silesiam exstitisse putemus, quô sub iisdem Nominibus ibidem Homines vixisse non demonstrari potest? Unde nihil obstat, quô minus & Lygios, & Quados nequaquam exstirpatos judicemus, etsi de Lygiis post quartum, & de Quadis post quintum Sæculum, sub eorum Nominibus nihil reperiatur Memoriâ dignum, â reliquorum Sæculorum Scriptoribus consignatum.

XVIII. Nam, quod *Lygios* attinet, iis accidisse videtur, quod Bojis accidit, sub Marcomannorum Nomine comprehensis. De quibus Marcus Velserus Lib. II. Rerum Boicarum, ad. A. C. 472: *Probabilior & confirmatior superior Conjectura, Bojos sub Marcomannorum & Imperio, & Nomine delituisse.* Parem in Modum, cum Lygiorum quondam prævalidus & in multas Gentes divisus Populus nusquam legatur oppressus, magnâ Probabilitate statui potest, ideo rariorem Lygiorum Mentionem in Antiquitatibus obviam esse, quia Lygiorum cum Quadis connexorum, tanquam inferiorum Silesiorum Nomen, sub Quadorum, tanquam superiorum Silesiorum, Vocabulo, fortassis, quod sub eodem Capite postea viverent, Scriptores comprehenderint.

XIX. Cæterum, de Rebus, quas Sæculo quinto & sexto, cum *Lygii*, tum *Quadi* gesserint, altum Silentium, non his, antea celeberrimis Populis, sero demum ad Literas, quibus Acta Posteris ipsi traderent, intra Sæculum decimum applicatis, sed partim Exteris, Memorabilia Silesiorum vel ignorantibus, vel posthabentibus, imputandum. Accedit, quod cum aliis hoc Lygii & Quadi commune Fatum habeant. Quis enim nescit, plerosque Populos Germanicos, præsertim Sarmatis proximos, illô maxime trium Sæculorum, Sexti, Septimi, Octavi Decursu, qui Carolum Magnum Imperatorem, Conditorem Studiorum liberalium in Germania primarium, præcessit, Defectu laborare Codicum, qui pleniorem certioremque Notitiam Rerum Historicarum ab Anno 500, ad 800 suggerat?

Affir-

Affirmationis Refutatio V.

XX. Quinta Sententia, quæ ſuam præcedentibus Originem debet, eſt: *Sub Slavorum in Sileſiam Adventum, & Lygiis, & Quadis, veteribus Sileſiæ Poſſeſſoribus, ſeu violenta, ſeu voluntaria Migratione, dudum in aliam Regionem diffuſis, tandem omnino deletis, hodiernos Sileſios non aut Lygios, aut Quados habere Majores: quibus ex Sileſia remotis Slavi ſucceſſerint. Ideo Slavos Sileſiis eſſe pro genuinis, ut Progenitoribus, ſic Majoribus habendos.* Eam, non rejectis, ſed arreptis Opinionibus, quas nullo Fundamento ſubnixas oſtendimus, admittendi Sententiam Neceſſitas quosdam compulit etiam celeberrimos Viros. Inter hos, Iacobus Auguſtus Thuanus Lib. LVI. Hiſtoriarum, ad A.C. 1573. de Polonis: *Slavica*, inquit, *Lingva utuntur, ut & in Germania Boemi, SILESII, & Moravi, à Slavis ê Roxolania Populis profecta, qui circa Attilæ Hunnorum Regis Tempora vacuas Vandalorum Sedes occupaſſe, & in interiorem Germaniam victricia Arma intuliſſe memorantur. Ab iis, ut Genus, ſic Lingva propagata hodie quam lariſſime per Septentrionem & Orientem patet.* At eſt ſuo Modo excuſabilis, partim, quoniam in peregrinâ Re ſatis explorare dubiam Veritatem non facile potuit: partim, quoniam Sileſiis hodiernis Majores eſſe Slavos non memorat, ſed memorari affirmat. Quô Pactô Errorem, ſi quem incurrat, non ſibi, ſed aliis, à quibus acceperit, imputandum ſignificat.

XX. Non adeo benignam meretur Cenſuram Bohuslaus Balbinus in Bohemiæ Miſcellaneis, Decade I, Lib. II. Cap. XV. Nam ibi, cum ex Scriptoribus antiquis, Strabonem, Vellejum, Tacitum, Ptolemæum: recentioribus, Antonium Bonfinium, Matthæum Dreſſerum, Marcum Velſerum, Iuſtum Lipſium, Philippum Cluverium citaviſſet: quorum Conſenſus & Lygios, & Quados in Germanis Svevos fuiſſe docet: ſub Slavorum autem in Sileſiam Adventum, in aliam Regionem ultro digreſſos, aut Vi depulſos, nec aſſerere potuit: hæc dictis adjicit: *Poſtea maximam Mutationem Sileſia ſubiit, cum Venedorum Populi ſucceſſere, & prioribus Incolis Sponte, vel Vi adactis, & alio migrantibus, qui remanſerant, in unum Populum coaluere. Poſt hæc rurſus Germani potiſſimum ex Marchia in Sileſiam, ut Sileſiæ Hiſtorici fatentur, immigrare cœperunt. Ex quibus omnibus, quæ ante, & modo allata ſunt, & Autoritate optimorum Scriptorum, Welſeri, Dreſſeri, Lipſii, Bonfinii, Cluverii, & antiquorum omnium, Strabonis, Ptolemæi, Taciti, Velleji, conficitur & illud: malè SILESIOS ſuperiores QUADOS appellari: cum Quadi Conſenſu omnium Scriptorum Svevica & Germanica Gens fuerit, quæ pridem eſt exſtincta. At SILESII ſuperiores Sarmatica Gens eſt, & Colonia ducta Slavorum vel Pohnorum.*

XXII.

XXII. Sed fideliter, an fallaciter ad Teſtes adeo multos provocat? ut cætera Silentiô in præſens transeamus: cur ſuperiores SILESII malè QUADI nominantur? Quoniam Quadi ſunt Germani Svevi: conſentientibus Scriptoribus omnibus. Adde: ſuperiores autem Sileſii nec Svevi, nec Germani ſunt: quorum Terra fuit à prioribus Incolis omnibus Quadis (poſtea deletis) nuda, cum occuparetur Slavis. Hoc autem nullus in antiquis commemorat, nullus in recentioribus demonſtrat Scriptor. Ex quibus, in hoc unum conſentientibus omnibus, Quados fuiſſe Germanos Svevos: quô Iure colligitur, ſuperiores Sileſios (tanquam non à Quadis Germanis Svevis, ſed à Sarmatis, Slavis, Polonis ortos) male Quados appellari? Num, quod in Controverſia poſitum eſt, id, de quô Quæſtio eſt, expedire poteſt, cum affirmatur, quamvis non probetur? Nimirum, quia Sileſiam Quadis & Lygiis vacuam occupaverunt Slavi: propterea Sileſiis hodiernis Majores Slavi ſunt. Ita fœcundus Error prior genuit poſteriorem: in quibus non recipere poſteriorem non poſſunt, qui receperunt priorem: cui poſterior arctâ Neceſſitudine conjungitur.

Negationis Confirmatio.

XXIII. At Erroris utriuſque Pater unde natus eſt primus Error? Quantum inveſtigare, quantum aſſequi Originem potuimus: ab iis Rerum Slavicarum Scriptoribus, qui de ſagacis Poſteritatis Iudicio ſecuri, falſa veris, probabilibus incredibilia miſcuerunt. Nam quis Antiquitatum peritus ignorat, quam enormiter quidam poſitas Hiſtoriis Leges transgreſſi, publicâ Licentiâ commemorent, quot quantasque Provincias, cum Sarmaticas, tum Germanicas immenſis Hominum Copiis ubique Victores Slavi, parvis Temporum Spatiis, & occupaverint & impleverint? Quare circumſpectiores alii, ne Slavorum ingentem Multitudinem, raram Fortitudinem, ſingularem ex utraque Gloriam nimis extenſam, ſupra Meritum ultra Fidem auxiſſe viderentur, varios Aſſertionibus ſuis Colores circumdederunt. In quibus omnium ſpecioſiſſimus eſt, non, quô pleriique gaudent, Autorum aut Slavicorum, aut Slavis addictorum Conſenſus, nec præviorum Slavorum ſub Attila Hunnorum Rege militantium, paſſim reſiduorum Numerus, ad quos reliqui, tanquam ad ſuos, ex Diverſoriis Domicilia confecturos, in Conſortium redierint: ſed plurimarum Terrarum, quas Populi deſeruerint, vel mera Solitudo, vel rarior Habitatio.

XXIV. Abſit ut Slavorum Poſteris, longe nobiliorem Majoribus barbaris Perſonam gerentibus, quos melior Genius Armis Literas, Literis Arma defendere docuit, in Dedecus aliquid proferamus inverecundiores: id tamen omnium Pace, qui Veritatem Honori præferunt, profiteri nobis Fas erit: non nullos, de quibus incertum eſt, imprudentiores Slavorum Laudatores, an impudentiores Germanorum Contemto-

res ſint, Slavorum Famam imminuere, non augere : ſuſpectam, non indubitatam reddere Narrationibus, quæ pro Figmentis haberi merentur. Quò pertinent, tum alia, tum etiam commentitia veteris Imperii Polonici Magnitudo, quam recentiores partim atro Calculo notant, partim Refutatione dignam cenſent. Inter eos reperiuntur, Ioachimus Paſtorius in Diſſertatione Philologica de Sarmaticis Originibus : & Chriſtophorus Hartknochius de Polonorum Republica Lib. *I.* Cap. *II.* §. *V.*

XXV. His maxime proſcribendis annumeranda cenſemus, quæ vulgo de Sileſiis, nullo alicujus Autoritatis Documento, nulla Veri genuinâ Similitudine traduntur : eorum Majores, & Lygios, & Quados, poſt Attilæ Mortem, ante Slavorum Adventum, aut præpotentium Hoſtium Vi profligatos, aut melioris Loci Spe commotos, avitam Sedem, tot Sæculis, præſertim à Quadis retentam & propugnatam, egreſſos : poſtea cum Lygiorum & Quadorum Nominibus, vel ad unum omnes, vel tantum non omnes, Caſu, quem nemo indicat, nemo indicare poteſt, deletos.

XXVI. Quamobrem, tum *Lygios*, tum *Quados*, cum eos Gens Slavorum invaderet, adhuc in Sileſia hæſiſſe fixos, Iure tam diu certum habetur, donec aut legitimis Teſtimoniis, aut ſolidis Argumentis contrarium ſtabiliatur. Interim apud cordatos eorum, quæ protulimus, Æſtimatores nullus facile Dubitationi Locus relinqui poteſt, quin & Lygii, & Quadi, per longa Temporum Intervalla, Terris, Armis, Animisque ſociabiles, quandoque ſoli, quandoque cum aliis, ſeu Germanis, ſeu Exteris, potiſſimum Sarmatis, mox Baſtarnis (jam Polonis) mox Iazygibus (jam Hungaris) Sedem in Sileſia veterem adhuc tenuerint, cum, poſt ſupremum Attilæ Fatum, ejectis Hunnis graviores Adverſarios ſenſerunt Slavos, antiquiſſimæ Libertatis Oppugnatores : quam Lygii Quadique mox inferentes, mox repellentes Arma ſæpius aliis, & vicinis, & longinquis, vel abſtulerant, vel circumciderant.

XXVII. Quæ cum ita ſint : quemadmodum Aſſertio plebeja, *Sileſios veteres*, id eſt, *Quados* & *Lygios*, Patriâ profugos, Slavis eam reliquiſſe poſſidendam, validis & Teſtimoniis, & Rationibus deſtituitur, itaque nondum evidentis Veritatis, nondum apparentis Probabilitatis Habitum conſequitur : ita nondum meretur Calculum Opinio inde ſuborta, quæ SILESIORUM hodiernorum MAIORES ſtatuit SLAVOS. Quin eandem ſuis è Fundamentis porro deſtruemus, cum è noſtris alius Liber oſtendet, *Quados* & *Lygios*, quanquam *Sileſiorum* Nomen aſſumentes, quanquam Slavorum Regimen ſubeuntes, diu preſſos, nunquam oppreſſos. Tum igitur tantò patebit clarius, ſemper Originis Germanicæ Populis, quamdiu Polonis adhæſerunt, ab A. C. 550, ad 1320, non tantum adſcribendos, verum etiam adſcriptos fuiſſe jam viventium MAIORES SILESIORUM.

INDEX

INDEX I. CAPITUM.

I. Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Noachicos IAPHETICIS.

II. Origo ex SILESIORUM MAIORIBUS inter Iapheticos CELTIS.

III. An Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Celtas GALLIS, & inter Gallos GOTHINIS.

IV. An Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Celtas PANNONIBUS, & inter Pannones OSIS.

V. Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Celtas GERMANIS.

VI. Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Germanos SUEVIS.

VII. An Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Suevos SEMNONIBUS.

VIII. An Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Suevos MARSIGNIS.

IX. An Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Suevos SIDONIBUS, COGNIS, VISBURGIIS.

X. Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Suevos LYGIIS.

XI. Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Lygios ELYSIIS.

XII. An Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Lygios BURIIS, OMANIS, DIDUNIS.

XIII. An Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Lygios ARIIS, HELVECONIS, MANIMIS, NAHARVALIS.

XIV. Origo SILESIORUM ex MAIORIBUS inter Suevos QUADIS.

XV. SILESIORUM MAIORES LYGII & QUADI, ante CHRISTUM natum.

XVI. SILESIORUM MAIORES LYGII & QUADI, poſt CHRISTUM natum, Sæculo I.

XVII. SILESIORUM MAIORES LYGII & QUADI, Sæculo II.

XVIII. SILESIORUM MAIORES LYGII & QUADI, Sæculo III.

XIX. SILESIORUM MAIORES LYGII & QUADI, Sæculo IV.

XX. SILESIORUM MAIORES LYGII & QUADI, Sæculo V.

XXI. An SILESIORUM MAIORES LYGII & QUADI, poſt deſtructum in Occidente Romanum IMPERIUM, ſeu Sponte ſua digreſſi, ſeu

seu per Vim adacti, Sæculo VI, circiter Annum 550, Patriam SILESIAM vacuam SLAVIS Advenis occupandam reliquerint, prorsus ipsi postea deleti.

INDEX II. VIRORUM.

Numerus Romanus Caput, Barbarus Paragraphum denotat.

A.

Ado, Viennensis Archiepiscopus. I. 7.
Æthicus Ister. VI. 3. XIX. 3. 50.
Agathemerus. VI. 2.
Agilimundus Quadorum Subregulus. XIX. 28.
Petrus *Albinus*. XVI. 41.
Alexander Divinator Imperatori M. Antonino perniciosus. XVII. 9.
Andreas *Althamerus* IV. 2. VII. 7. VIII. 3. X. 26. XIII. 2. XIV. 32.
Ambrosius Mediolanensis Episcopus. XVI. 3.
Anastasius Bibliothecarius. XIX. 58.
Antoninus Augustus, Itinerarii Conditor. XIX. 50.
Antoninus Pius Imperator Quadis dat Regem. XVII. 2.
Marcus *Antoninus* Philosophus Imperator Quados ad inferioris Pannoniæ Fluvium Granuam extensos debellat. XVII. 3. in Bello Marcomannico Cladem XX. Millium patitur. XVII. 9. an, post Bellum adversus Quados, Fulminibus, ad Christianorum Preces, è Cœlo delapsis prostratos & territos, deinde non amplius Christianos persequendos statuerit. XVII. 14. de Quadis triumphat. XVII. 18.
Arabarius (aliis Araharius) Quadorum Regalis. XIX. 26. 27.
Ardaricus, Gepidarum Germanorum Rex, Hunnos ex Germania depellentium Populorum Caput. XX. 12.
Ariogæsus, Quadorum Rex. XVII. 21. Imp. Marco Antonino invisus XVII. 22.
Ariovistus, Germanorum Rex. XIV. 4. maximis Copiis instructus. XIV. 6.
Aristoteles X. 12.
Aristotelis Latinus Interpres. X. 14.
Arminius, Cheruscorum Germanorum Rex. XVI. 17. Maroboduum, Marcomannorum Germanorum Regem, debellat. XVII. 19.
Arnuphis Ægyptiorum Magus. XVII. 12.
Arrianus Nicomedienſis. XIV. 47.
Ascenas, Gomeri Filius, Iapheti Nepos, Europæorum Populorum Progenitor. II. 3. 4. 6.

Attila, Hunnorum in Scythiâ Rex. XX. 7. Lygios & Quados subigit. XX. 8. adversus Romanos in Auxiliatoribus habet Quados. XX. 10. 11.
Ioannes *Aventinus*. XVI. 13. XVIII. 2. XXI. 4. errat XXI. 5. & sequentibus.
Augustinus, Hipponensis Episcopus. I. 4.
Cæsar *Augustus* Bathonem Pannonum Regem subigit. XVI. 6. Quados ex Valeria depellit. XVI. 7.
Autor Chronici Alexandrini. I. 7. XIV. 1.
Autor Libri de Vocum Differentiis. XIX. 17.
Autor Notitiæ Dignitatum Imperii Romani. XX. 5.
Autor Precationum Germanicarum MStarum. X. 36.
Autor Rythmorum Germanicorum MStorum de Salomonis Hebræorum Regis Rebus. X. 36.

B.

Bohuslaus *Balbinus*. X. 38. XIX.
Cæsar *Baronius*. XVII. 17.
Caspar *Barthius*. XIX. 3.
Batho Pannonum Rex. XVI. 6. 21. errat. XX. 21. 22.
Iohannes *Bechererus*. XVI. 41.
Laurentius *Begerus*. XVII. 2.
Benjamin Tudelensis Iudæus. V. 4.
Matthias *Berneggerus*. V. 7. XIV. 42.
Petrus *Bertius*. VII. 9. X. 30. XII. 3. XIX. 50.
Bernardus *Bertrandus*. X. 14.
Iohannes *Binhardus*. XVI. 41.
Iohannes Henricus *Bœclerus*. VII. 5. XIV. 14.
Antonius *Bonfinius*. XX. 13.
Iacobus *Bonfrerius*. XI. 6.
Martinus *Beregkius*. XIV. 54.
Ernestus *Brotuffus*. XIV. 54.

C.

Iulius *Cæsar*. III. 2. VI. 2. 3. XIV. 4. 8. primus è Romanis Germanos debellat. XV. 5.
Philippus *Callimachus*. XX. 10.
Carolus *Cantoclarus*. XVII. 19.
Iulius *Capitolinus*. XVII. 7. 8. 12. 18. 23.
Caracalla Imperator Gajovomarum Quadorum Regem trucidat. XVIII. 1.
Isaacus *Casaubonus*. VII. 2. XII. 2.
Mericus *Casaubonus*. XVII. 3.
Aurelius *Cassiodorus*. XIX. 6. 50. XX. 2.
Catualda (aliis Gotualda) Natione Gotho, Marobodui Marcomannorum Regis Adversarius. XVI. 16. 22. 26. Marobodui Successor, Lygiorum & Quadorum Rex. XVI. 27. Exsul in Narbonensis Galliæ Colonia Foro Iulio. XVI. 28.
Georgius *Cedrenus* I. 6. XVII. 15.
Celestius Valeriæ Dux. XIX. 41.
Christophorus *Cellarius*. X. 19.
Conradus *Celtes*. VII. 6.
Charietto Latro Quados circa Rhenum enervat. XIX. 38.
Dio *Chrysostomus*. XI. 5.
Claudius *Claudianus*. XVII. 13.

Philippus *Cluverius*. I. 7. II. 4. errat III. 5. IV. 3. 4. V. 5. 7. VII. 6. 10. VIII. 4. X. 19. 22. 30. XI. 10. XII. 3. 6. XIV. 5. errat. XIV. 6. 7. 9. 13. 34. 35. 36. 38. errat XV. 44. XVI. 30. XVIII. 5. XIX. 23. 56.

Christophorus *Colerus*. X. 39. XI. 10. XIV. 42.

Commodus Imperator Septembrem ob Quados eò Mense victos appellat Commodum. XVII. 25. Pacem cum Quadis renovat. XVII. 26.

Constantius II. Imperator (Constantini Magni Filius) in Quados & Sarmatas Expeditionem finit. XIX. 12 dat petentibus Sarmatis Pacem XIX. 25. Suam in Quadis superandis Felicitatem commendat XIX. 29.

Iohannes *Crato* XIV. 54.

Martinus *Cromerus*. XIV. 54. XIX. 51. 53.

Ioachimus *Curæus*. VII. 1. 9. X. 3. 9. 27. 39. XI. 2. 10. XIII. 2. XIV. 54 XIX. 51. 53.

Ioannes *Cuspinianus*. XIX. 14.

D.

Paulus *Diaconus* Aquilegiensis. XIV. 6. XVII. 7. 11. XIX. 2. 50. 53. 58. XX. 2. 8. 10. XX. 12.

Dio Cassius. V. 2. XIV. 18. 19. 23. XV. 5. XVI. 6. 42. 43. XVII. 10. 11. 14. 20. 22. 24. 26. XVIII. 1.

Diocletianus Imperator vincit Quados. XVIII. 6.

Diodorus Siculus. XIV. 46.

Dionysius Alexandrinus. X. 9. 11.

Dionysius Halicarnassensis. X. 7. 10.

Ioannes *Dlugossius*. XXI. 2.

Domitianus Imperator Quados & Marcomannos debellat. XVI. 43.

Matthæus *Dresserus*. X. 39.

Iohannes *Dubravius*. XIV. 54.

Andreas *Duchesnius*. XIX. 31.

E.

Georgius Acacius *Enenckelius*. X. 14.

Epiphanius Constantiensis Episcopus I. 6. 7.

Erasmus Roterodamus. XVII. 9.

Eumenius quando vixerit. XVIII. 6.

Eusebius Pamphili. V. 6. XVII. 7. 17. 25. XVIII. 4. XIX. 22.

Eustathius Thessalonicensis Episcopus. X. 9. 11. 12.

Eutropius Sophista. XVII. 6. 7. 18. 25. XVIII. 4. XIX. 22. XXI. 11. 12.

Eutychius Alexandrinus Patriarcha. I. 4.

F.

Georgius *Fabricius*. II. 4.

Iacobus *Fabricius*. II. 4.

Iohannes *Fechnerus*. X. 31.

Georgius *Fournierus*. VII. 9.

Freculphus Lexoviensis Episcopus. I. 7. XVII. 15.

Otto, *Frisingensis* Episcopus. XVII. 15.

Furtius Quadorum Rex. XVII. 15.

G.

Gabinius, Quadorum Rex. XIX. 41. à Romano Valeriæ Duce Marcelliano contra Fidem trucidatur. XIX. 42.

Gaiovomarus, Quadorum Rex, Imperio Romano subjectus, ab Imperatore Caracalla interemtus. XVIII. 1.

Thomas *Gatakerus*. XVII. 3.

Sigismundus *Gelenius*. X. 7. 14.

Iohannes *Gerhardus*. I. 5.

Iohannes *Gerundensis* Episcopus. I. 7. II. 2. X. 6.

Conradus *Gesnerus*. XIX 3.

Henricus *Glareanus*. XIV. 32.

Salomon *Glassius*. I. 5.

Godegisalus, Vandalorum Rex. XX. 2.

Melchior *Goldastus*. X. 39. XIV. 34. XV. 4. XIX. 21.

Gotualda Lygiorum & Quadorum Rex. XVI. 27. Videatur *Catualda*.

Iacobus *Gronovius*. XIX 8. 50.

Ioannes Fridericus *Gronovius*. XIV. 42.

Ianus *Gruterus*. VII. 1. 5. XIV. 14. XIX. 2. 26. 50.

H.

Martinus *Hankius*. VI. 4. X. 4. 17. 18. 34. XI. 3. 5. XVI. 7. XX. 5.

Christophorus *Hartknochius*. XXI. 24.

Christophorus *Helvicus*. I. 5.

Nicolaus *Henelius*. X. 31. XIV. 54.

Herodianus. VII. 25.

Herodotus. X. 8.

Hieronymus Stridonensis Presbyter. XIX. 65. XX. 3.

Davides *Hæschelius*. XVII. 19.

Iulius *Honorius*. XIX. 3. quando vixerit. XIX. 4. 5. 6. 50.

Horatius. X. 6.

I.

Clemens *Ianitius*. XXI. 2.

Iaphetus an Noachi Filius primogenitus. I. 5.

Idatius Lemicensis Episcopus. XIX. 12.

Ieremias Propheta. II. 3.

Caspar *Iongelinus*. IX. 3.

Iornandes Ravennensis Episcopus. XVI. 7. XVII. 18. XVIII. 4. XIX. 2 50. XX. 11. quando vixerit, XXI. 8. 9.

Flavius *Iosephus*. I. 6. 7. V. 5.

Franciscus *Irenicus*. XVI. 4.

Isidorus Hispalensis Episcopus. I. 6.

Iulianus Chaldæus Philosophus *XVII*. 12.

Iulianus Imperator Quados persequendos statuit, *XIX*. 37. persequitur: & capto eorum Rege ad Deditionem adigit. XIX. 38. Quadorum Partem Romanis Legionibus adjungit. XIX. 39.

L.

Ælius *Lampridius*. XVII. 18. 25.

Iohannes *Langus*, XIX. 52.

Cornelius *Lapideus*. I. 4.

Wolfgang. *Lazius*. III. 7. XXI 4. 14.

Constantinus *Lempereurus*. V. 4.

Ioan. *Leunclavius*. XIX. 12. 30. 32.

Iohannes *Limnæus*. V. 7.

Fridericus *Lindenbrogius*. XVII. 18. XIX. 2. 26. 50.

Iustus *Lipsius*. VII. 5. XIV. 14. 42.

Titus *Livius*. X. 14. XX. 6.

Fridericus *Lusæ*. X. 3. 39. XIV. 54. XXI. 11.

Lucianus Samosatensis. XVII. 9.

Ioannes *Luyſius*. IV. 3.

M.

Ioannes Antonius *Maginus*. VII. 7.
Baptiſta *Mantuanus*. VII. 9.
Marcellianus Valeriæ Dux. XIX. 41. in Quados durus: Quadorum Regem Gabinium contra Fidem trucidat. XIX. 42.
Ammianus *Marcellinus*. XVI. 2. 3. XVII. 7. XIX. 12. 13. 15. 16. 17. 22. 24. 25. 27. 28. 29. 40. 41. 42. 43. 44 45. 46. 47. 48 49. 50. 59. 60. quando vixerit. 61. 63.
Marcellinus Comes. XIX. 2. XX. 12.
Ioannes *Mariana*. II. 2.
Raymundus *Marlianus*. X. 26.
Maroboduus, Marcomannorum Rex. XIV. 10 in Bohemiam digreſſus XIV. 12. 29. eò Marcomannos aliosque Populos transfert. XIV. 28. Lygiorum & Quadorum Rex. XVI. 8 10. Româ in Germaniam redit. XVI. 8. doctus & prudens. XVI 9. Butonum, Cordulorum, Mugilonum, Semnonum, Sibinorum, Zumorum Rex. XVI. 10. Bohemiam occupat. XVI. 12. quam habuerit ibi Regiam. XVI. 13. Arminium Cheruscorum Regem debellat: XVI. 19. Catualdam Natione Gothonem experitur Hoſtem: à Marcomannis deſeritur. XVI. 22. Præſidium apud Romanos quærit. XVI. 23. in Italiam migrat, Ravennæ moritur. XVI. 24.
Pomponius *Mela*. VI. 2.
Philippus *Melanchthon*. VII. 1. 9. X. 23. XII. 5. XVI. 41.
Paulus *Merula*. I. 5.
Meſſalla, Pannonum Præfectus. XIX. 44.
Matthias *Michovius*. XIX. 53. XXI. 2.
Franciſcus Picus *Mirandula*. X. 25.
Ioſephus *Moletius*. VIII. 3. IX. 3. XII. 5.
Iacobus *Monavius*. XIII. 2.
Petrus *Montanus*. VIII. 1. XIV. 32. XIX. 52.
Moſes. I. 3. 5. 7. XI. 2.

N.

Nicephorus Calliſti. I. 6. XVII. 15. XIX. 50.
Ludovicus *Nonius*. II. 2. X. 6.
Gregorius *Nyſſenus*. XVII. 15.

O.

Adolphus *Occo*. XVII. 2.
Nicolaus *Olahus*. XX. 11.
Paulus *Oroſius*. VI. 3. XIV. 6. XVII. 6. 11. 15. XVIII 4. XX. 2.
Abrahamus *Ortelius*. III. 7. XIII. 2. XIV. 32. XIX. 50.

P.

Guidus *Pancirolus*. XIV. 32. XVII. 16. XIX. 50.
Onuphrius *Panvinius*. XVII. 16.
Davides *Pareus*. I. 5.
Ioachimus Paſtorius. XXI. 24.
Vellejus *Paterculus*. VI. 5. XIV. 11. 12. 13. 19. 23. XVI. 9. 11. 12. 15. 16. 18.
Petrus *Patritius*. XVII. 19.
Pauſanias. X. 6.
Laurentius *Peccenſteinius*. XIV. 54.
Nicolaus Fabricius *Peireſcius*. XVII. 22.
Benedictus *Pererius*. I. 6.

Conradus *Peutingerus* XII. 3.
Curtius *Pichena* XIV. 42.
Iohannes *Pineda*. XI 6.
Thomas *Pinedus*. II. 2. V. 7. X. 6. 14.
Bilibaldus *Pirckheimerus*. VII. 5. XII 5. XIV. 32 51. 52. XIX. 52.
Petrus *Pithœus*. XIX 2 3 50.
Samuel *Pitiſcus*. XIX. 50.
Plinius Hiſtoriographus. X. 6. XIV. 48. XVI. 31.
Plutarchus. XI. 5.
Angelus *Politianus*. XVII 25.
Polybius. VII 2.
Arnaldus *Pontacus*. XVII. 16. XVIII. 4.
Iacobus *Pontanus*. V. 7.
Auſonius *Popma*. VII. 5. XIV. 14.
Æmilius *Portus*. X. 7. 14. XVII. 12.
Probus, Prætorio Præfectus. XIX. 45.
Probus, Tribunus, poſtea Imperator, Valerium Flaccum, Imperatoris Valeriani Patrem, è Quadorum Manu eripit. XVIII. 3. cum Semnone Lygiorum Rege Bellum gerit: eum capit: Lygiis reddit. XVIII. 5.
Procopius Cæſarienſis. XX. 2.
Proſper Aquitanus. XX. 2.
Claudius *Ptolemæus*. III. 6. VI. 2. VI. 5. VII. 8. IX. 1. X. 1. 6. 22. 29. XII. 1. 5. 9. quando vixerit. XIV. 30. 51. 52. XIX. 50.
Elias *Putſchius*. XIX. 17.

Q.

Matthias *Quadus*. VIII. 3.

R.

Reinerus *Reineccius*. II. 4. XVI. 41. XIX. 33.
Elias *Reuſnerus*. II. 4. XVI. 41.
Beatus *Rhenanus*. XI. 10. XIX. 19. 23.
Laurentius *Rhodomannus*. XIV. 46.
Zacharias *Rivander*. XVI. 41.
Rodericus, Toletanus Archiepiſcopus. II 2.
Sextus *Rufus* XVI. 7. XIX. 14.
Chriſtophorus Adamus *Rupertus*. XVII. 16.
Theodorus *Ryckius*. XIV. 42.

S.

Marcus Antonius Coccius *Sabellicus*. XX. 10. 11. 13.
Michael *Sachſius* XVI. 26.
Iacobus *Salianus*. I. 4. 6. 7.
Claudius *Salmaſius*. XVII. 16.
Stanislaus *Sarnicius*. X. 39. XII. 5. XIV. 12.
Ioſephus *Scaliger*. XVII. 16. XVIII. 4. XIX. 4.
Iacobus *Schickfuſius*. VII. 1. 9. X. 39. XI. 2. 10. XIV. 54. *XIX*. 51. *XX*. 11.
Zacharias *Schneiderus*. *XIV*. 54.
Adrianus *Schrieckius*. II. 4. V. 5. *X*. 5. 6.
Davides *Schueinicius*. *XIV*. 54.
Semno Lygiorum Rex. *XVII* 5.
Semus an Noachi Filius primogenitus. I. 4. 5.
Cyriacus *Spangenbergius*. *XIV*. 54. *XV*. 26. *XXI*. 4.
Sido, Vannii Quadorum & Lygiorum Regis Adverſarius. *XVI*. 32. ipſe Quadorum & Lygiorum Rex. *XVI*. 36. Cæſaris Veſpaſiani contra Vitellium Auxiliator. *XVI*. 38. 39.

Sigismundus Imperator. *X.* 38.
Iosias *Simlerus*, *XIV.* 3. 50.
Edvvardus *Simsoniue.* I. 3. 6.
Socrates Scholasticus. *XIX.* 50. 58.
Hermias *Sozomenus. XIX.* 58.
Papinius *Statius.* VII. 2.
Stephanus Byzantius. V. 5. *X.* 5. 6.
Carolus *Stephanus. III.* 7.
Henricus *Stephanus* XIX. 50.
Strabo. VI. 2. 3. VII. 2. 3. *X.* 1. 6. II. *XI.* 6. *XII.* 1. *XIV.* 28. *XVI.* 8. 10.
Iohannes *Stumpfius. XIV. 32.*
Suetonius Tranquillus *XV.* 5. *XVI.* 24.
Suidas. XVII. 12.
Fridericus *Sylburgius.* VII. 1. 5. *XIV.* 14. XV. 3. *XVII.* 18. *XIX.* 2 26.
Æneas *Sylvius. XIV.* 32 *XVI* 4.
Georgius *Syncellus.* I. 6. *XVII.* 6.

T.

Cornelius *Tacitus.* III. 2. IV. 1. VI. 2. 3. 5. 6. 7. 8. 9. VII. 2. 3. VIII. 2. *X.* 1. 13. 18. 22. *XI.* 1. *XII.* 1. 4. *XIV.* 1. 27. 38. 48. 50. *XVI.* 9. 12. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 27. 28. 29. 32. 33. 34. 35. 36. 38. 39.
Franciscus *Tarapha* II. 2.
Tertullianus. XVII. 14.
Theodoretus Cyrensis Episcopus, *XI.* 6.
Theodosius Historicus. *XVII.* 19. 20. 24. 26.
Theodosius, Militum Magister, postea Imperator. *XIX.* 45.
Theophilas Indus. I. 6.
Iacobus Augustus *Thuanus. XIV.* 54. *XIX.* 8. *XXI.* 20.
Tubal, Iapheti Filius, Noachi Nepos, an Hispanorum Progenitor. II. 2.
Thucydides. X. 7.
Tiberius Cæsar, Cæsaris Augusti Privignus, Dalmatas debellat. *XIV.* 23 Dalmatas & Pannones debellat. *XVI.* 6. Germanos opprimere conatur. *XVI.* 15. 17. 18.
Iohannes *Tirinus. XI.* 6.
Augustinus *Torniellus*, I. 3. 7.
Alphonsus *Tostatus.* I. 5
Traianus Imperator debellat Quados. *XVII.* 1.
Tudrus Quadus, Quadorum Rex. *XV.* 8.
Ioannes Turocius. XX. 9.
Gregorius, *Turonensis* Episcopus. I. 6. *X.* 17.

V.

Valentinianus I. Imperator Castellis exstructis Quados ad Bellum irritat. *XIX* 4. duarum Legionum à Quadis detrimentum patitur Damnum. *XIX.* 46. Bello Quadis inferendo se præparat: sævit in Quados. *XIX.* 48. Bregetione moritur. *XIX.* 57. ad Sanguinis Profluvium irritatus Responso Legatorum Sarmaticorum. *XIX.* 58. Quadicorum. *XIX.* 60, 61.
Valerius Flaccus, Imperatoris Valeriani Pater, è Quadorum Manu eripitur. *XVIII.* 3.
Henricus *Valesius. XVI.* 16, 22. *XIX.* 3 26. 50. 58.
Laurentius *Valla. X.* 14.
Vangio, Vannii Quadorum & Lygiorum Regis Adversarius XVI. 32. Marcomannorum & Bohemorum Rex, *XVI.* 36. *Vannius* Natione Quadus, Quadorum & Lygiorum Rex. *XVI.* 29. Rex potentissimus. *XVI.* 31. Marcomannorum & Bohemorum Rex: à suis desertus, à Romanis Auxilia petit. *XVI.* 32. cum Lygiis aliisque pugnat. *XVI* 34. victus amittit Regnum, sub Romanis tandem securus *XVI.* 35.
Iohannes *Vasæus.* II. 2.
Davides *Vechnerus.* X. 31.
Marcus *Velserus.* II. 4. XXI. 6. 18.
Vespasianus Imperator contra Vitellium Auxilio Sidonis Quadorum & Lygiorum Regis utitur. XVI. 38. 39
Vibilius Hermundurorum Rex. XVI. 32.
Aurelius *Victor.* XVI. 2. XVII. 25. XIX. 22.
Viduarius Quadorum Rex. XIX. 28.
Nicolaus *Vignierius.* XIX. 31.
Iohannes Baptista *Villalpandus.* XI. 6.
Vitrodurus Quadorum Regalis. XIX. 28.
Raphael *Volaterranus.* XVII. 1.
Flavius *Vopiscus.* XVIII. 3.
Iohannes Philippus *Vorburgius. XVI.* 41.

W.

Gerardus Ioannes *Vossius.* I. 3. 6. XIX. 3.
Caspar *Ursinus* Velius. XI. 4.
Usafer Sarmatarum Regalis. XIX. 26. 27.
Iacobus *Usserius.* I. 5.
Bonaventura *Vulcanius. XIV.* 47.

W.

Wenceslaus Silesiorum Dux. X. 38.
Iodocus *Willichius.* IV. 2. VII. 7. 9. VIII. 1. X. 39. XIV. 32.

X.

Iohannes *Xiphilinus.* XVI. 43. XVII. 12. 14.

Guilielmus *Xylander.* VI. 3. VII. 2. X. 14. XIV. 18. XVII. 3. II. 14.

Z.

Thomas *Zechorodus.* XVI. 4. 26.
Zizais Sarmatarum Regalis. *XIX.* 25.
Ioannes *Zonaras.* I. 6. *XVII.* 15.
Zosimus. XVIII. 5. *XIX.* 12, 30, 36. 38. 39. 43. 45. 48. 61. *XX.* 2. 6.

INDEX Tertius RERUM.

A.

Ægypti Provincia Oasis minor Romanam Quadorum Alam in Præsidiis habuit. *XX.* 5.
Africam in Terrarum Divisione Chamæi obtinuerunt. I. 7.
Ala quot Milites comprehendat. *XX.* 6.
Ala Romana Quadorum in Ægypto. *XX.* 5.
Alani Bello Marcomannico adversus Romanos addicti. XVII. 6.
Aquilejam Romanorum in Italia Urbem Quadi obsident. *XVII.* 4.
Araratus Armeniæ Mons I. 6.
Arii Germani, Suevi, Lygii. *X.* 1. an Silesii. *XIII.* 1.
Armenia Sedes Hominum prima post Diluvium. I. 6.

Aſcenaces Rhenani. V. 5. Gothi. V. 6.
Aſcenacia Germania. V. 4.
Aſciburgici Montes an veterem Sueviam à Sarmatia ſeparaverint. *X.* 19.
Aſia relicta Semæis in Terrarum Diviſione. I. 7.
Aſtringi Bello adverſus Romanos Marcomannico addicti *XVII.* 6.

B.

Beatorum Inſula in Ægypto. *XX.* 5.
Baſtarnæ Sarmatæ Quadis proximi ad Orientem. *XIV.* 45. 52. Bello Marcomannico addicti. *XVIII.* 6.
Bellum Marcomannicum à quibus Populis adverſus Romanos geſtum. *XVII.* 5. 6. maximum *XVI.* 7. in eò Marcus Antoninus Imperator Cladem *XX.* Millium patitur. *XVII.* 9.
Bohemi à Marcomannis diſtincti. XIV. 30.
Bohemici Montes Sudeti. X. 30.
Bohemiam Maroboduus, Marcomannorum Rex, Marcomannis aliisque Populis replet. *XIV.* 28. 30. *XVI.* 12.
Bohemorum Rex Maroboduus. *XVI* 12. Vannius. *XVI.* 32.
Boviasmus Marobodui Regis intra Bohemiam Regia: num Praga. *XVI.* 13.
Brega, Bregnencium, Bregnicium, Briga. *XIX.* 52. an Bregetio. *XIX.* 51.
Bregetio, Bergetium, Bergetio, Bergitio, Brecentio, Bregætium, Breganticum, Bregitio, Brigentio, Brigitio an Sileſiorum Brega. *XIX.* 51. an Quadorum Oppidum. *XIX.* 53. 54. 55. 56. Pannonum Strigonium. *XIX.* 56. Ibi Valentinianus I. Imperator moritur. *XIX.* 57.
Bulgaria num inferior Moeſia. *XIX* 14.
Burii, Buri. *XII.* 4. Germani, Suevi, Lygii. *X.* 1. *XII.* 1. ubi Sedem habuerint. *XI.* 5. an Sileſiorum Majores. *XII.* 6. 8. 10. Bello Marcomannico addicti. XVII. 6.
Butonum Rex Maroboduus. *XVI.* 10.

C.

Carpatici Montes an Sueviam à Sarmatiâ ſeparaverint. X. 23. 28.
Carpi an Quadi. *XIX.* 21. ubi Sedem habuerint. *XIX.* 22.
Celtæ Galli. II. 3. III. 1. V. 2. Pannones. IV. 1. Germani. V. 2. Sileſiorum Majores. II. 1.
Celtarum Progenitor Aſcenas. II. 5.
Chamæi Terris diviſis Africam obtinuerunt. I. 7.
Cheruſcorum Germanorum Rex Arminius. *XVI.* 17.
Chriſtianorum ad Preces Fulminibus petuntur Quadi Romanorum Hoſtes. *XVII.* 11. 14. Id Pagani Precibus Paganorum attribuunt. *XVII.* 12.
Cogni Germani ubi Sedem habuerint. *IX.* 1. an Sileſii Teſchinenſes. *IX.* 2. 3. 4.
Cordulorum Germanorum Rex Maroboduus. *XVI.* 10.
Coſtoboci Bello Marcomannico adverſus Romanos addicti. *XVII.* 6.
Cuſus Tranſylvanorum, an Pannonum Fluvius. *XVI.* 30.
Cuttenbergi Bohemi Gothini. III. 7.

D.

Daci Bello Marcomannico adverſus Romanos addicti. *XVII.* 6.
Dalmatas Tiberius Cæſar, Cæſaris Auguſti Privignus, debellat. *XIV.* 23. *XVI.* 6.
Dancrigi Bello adverſus Romanos Marcomannico addicti. *XVII.* 6.
Diduni Germani, Suevi, Lygii, *X.* 1. *XII.* 1. 9. an Sileſiorum Majores. *XII.* 9. 10.

E.

Elyſii Græci beati Africani, *XI.* 5. Europæi. *XI.* 6.
Elyſii Germani, Suevi, Lygii. *X.* 1. Germanis *Elyſer*, id eſt, *Erloeſer*, Liberatores. *XI* 7. unde Originem ducant: an ab Eliſa, Iapheti Nepote. *XI.* 2. 3. an à Græcis Elyſiis. *XI.* 4. 7. ubi Sedem intra Lygiam habuerint. *XI.* 8. Sileſiorum Majores. *XI.* 10.
Europa Gentibus Iaphetieis in Terrarum Diviſione contigit. I. 7.
Europæorum Populorum Progenitor Aſcenas, Gomeri Filius, Iapheti Nepos, Noachi Pronepos. II. 3.

F.

Francorum Gentem, Salios, Quadi ex Batavia Inſula depellunt. *XIX.* 36.
Fulminatrix Romanorum Legio unde Cognomen ſuum acceperit. *XVII.* 15. 16.
Fulminibus terrentur & proſternuntur Hoſtes Romanorum Quadi, ad Chriſtianorum Preces. *XVII.* 11.

G

Galli Celtæ II. 3. 4. 5. III. 1. Gothini Sedem in Germania tenent. III. 2. an Sileſiorum Majores. III. 1.
Gallorum Urbem Aquilejam, Romanis ſubjectam, Quadi obſident. *XVII.* 4.
Gepidarum Germanorum Rex Ardaricus Hunnos ex Germania depellit. *XX.* 12.
Germania Aſcenacia. V. 4. Gallos habet Incolas. III. 2.
Germani Arii. *X.* 1. Burii. *X.* 1. *XII.* 1. 4. Cheruſci. *XVI.* 17. Cogni. *IX.* 1. Corduli. *XVI.* 10. Diduni. *X.* 1. *XII.* 1. 9. Elyſii. *X.* 1. *XI.* 1. Gepidæ *XX.* 12. Helveconæ. VI. 8. *X.* 1. Hermunduri. *XVII.* 6. Lygii. *X.* 27. Manimi. VI. 8. *X.* 1. Marcomanni. III. 3. *XIV.* 32. 54. Marſigni. VIII. 2. Naharvali. *X.* 1. Nariſci. VI. 6. Omani. *X.* 1. XIII. 1. 9. Quadi. XIV. 1. Rhenani. V. 5 Visburgii. IX. 1.
Germanorum Nominis Origo. V. 7. veterum in Europa Sedes. VI. 1. 2. Rex Arioviſtus. XIV. 4.
Germanos primus è Romanis Iulius Cæſar debellat. XV. 5. opprimere conatur Tiberius Cæſar, Cæſaris Auguſti Privignus. XVI. 15. 17. 18.
Gigantei Montes Sudeti. X. 30.
Gothi Aſcenaces. V. 6.
Gothini Galli Sedem in Germania tenent. III. 1. 3. Quadis Germanis tributarii. III. 6. an Sileſiorum Majores. III. 1.
Granua inferioris Pannoniæ Fluvius, ad quem extenderunt Imperium ſuum Quadi. XVII. 3.

H.

Helveconæ Germani, Suevi, Lygii.

VI. 8. X. 1. an Sileſiorum Majores. XIII. 1.

Hermunduri Germani Bello adverſus Romanos Marcomannico addicti. XVII. 6.

Hermundurorum Rex Vibilius. XVI. 32.

Hiſpania, Iberia occidentalis. X. 6.

Hiſpanorum Progenitor an Thubal, Iapheti Filius, Noachi Nepos. *H.* 2.

Hominum Sedes prima poſt Diluvium Armenia. I. 6.

Hunnorum Rex Attila. XX. 7.

Hunnis adverſus Romanos Quadi Auxilia præſtant. XX. 10. 11.

Hunnos ſub Attila Rege Germaniam ingreſſos depellit Ardaricus Gepidarum Rex, aliis in Auxilium aſſumtis Populis. XX. 12.

I.

Iaphetici, Terris diviſis, Europam obtinuerunt. I. 7. Sileſiorum Majores. *I.* 8.

Iazyges Sarmatæ Quadis proximi ad Meridiem. XIV. 45. 51. 52. 53. Bello Marcomannico adverſus Romanos addicti. XVI. 6.

Iberia Orientalis Aſiatica, occidentalis Europæa, Hiſpania. X. 6.

IE pro Y Germanis adhibori ſolitum. X. 36.

Iuramentum Quadi nudatis Mucronibus præſtant. XIX. 28.

L.

Langiones Lygii. XIX. 2. 7.

Latringi Bello adverſus Romanos Marcomannico addicti. XVII. 6.

Legatos Marcomannorum occidit Imperator Domitianus. XVI. 43.

Legio Romanorum Fulminatrix an à Fulminibus, ad Chriſtianorum Preces è Cœlo in Quados delapſis, Cognomen acceperit. XVII. 15. 16.

Legionibus Romanis Iulianus Imperator Partem Quadorum adjungit. XIX. 39.

Legnicium, Lignicium. X. 37.

Lignicium, Lygiorum Sileſiorum Urbs. X. 34. quomodo à Lygiis dicta ſit Legnicium & Lignicium. X. 37.

Ligyſtine Urbs Lygiorum ad occidentalem Iberiam. X. 6.

Ligyi, Lygii. X. 4.

Ligyi Aſiatici. X. 8. Europæi. X. 9. Hiſpani. X. 7. Itali. X. 10. 11. Galli. X. 10. 11. Ligures. X. 14.

Ligyorum Urbs Ligyſtine. X. 6.

Ligures Ligyi. X. 14.

Logi Lygii. XIX. 2.

Logiones Lygii. XVIII. 5. XIX. 2.

Longi Longiones, Lygii. XIX. 2. 7.

Lougi Lygii. XIX. 2.

Lugii Lygii. X. 1. XIX. 2.

Luji Lygii. X. 1 10. XII. 1. XVI. 10.

Luti Lygii: Buri, Diduni, Omanes: an Sileſiorum Majores. XII. 1. 9.

Lygii Ligyi. X. 4. Lugii. X. 1. XIX. 2. Luji. X. 1. XII. 1. XVI. 10. Luti. XII. 1. Lougi. XIX. 2. Logi. XIX. 2. Logiones. XVIII. 5. XIX. 2. Longi, Longiones, Langiones. XIX. 2. 7.

Lygii, Vandalis, tanquam Ambulatoribus oppoſiti, Germanicè *Lyger*, id eſt, *Iacentes*, Permanentes. X. 35.

Lygii an ex Aſiæ minoris Provincia Cilicia, Urbe Tarſo, in Europam venerint. X. 2. 3. an Hungari. X. 26. an Poloni. X. 10. an in Germanis Auſtriaci. X. 25.

Lygii Germani, Suevi, Sileſii. X. 27. 33. 34. 39.

Lygiorum Gens Arii. VI. 8. XI. an Sileſii. XIII. 1. Burii X. 1. XII. 1. 4. an Sileſii. XII. 8. 8. 10. Diduni. X. 1. an Sileſii. XII. 9. 10. Elyſii. VI. 8. X. 1. utique Sileſii. XI. 10. Helveconæ. VI. 8. X. 1. an Sileſii. XIII. 1. Manimi. VI. 8. X 1. an Sileſii. XIII. 1. Naharvali. VI. 8. X. 1. an Sileſii. XIII. 1.

Lygiorum Bellum pro Imperatore Veſpaſiano contra Vitellium. XVI. 38. 39. adverſus Suevos XVI. 42. adverſus Romanos ſub Imperatore Probo. XVIII. 5.

Lygiorum Reges, Maroboduus Natione Marcomannus. XVI. 8. Catualda Natione Gotho, Germanus. XVI. 27. Vannius Natione Quadus. XVI. 29. Sido. XVI. 36. Semno. XVII. 5. Attila. XX. 8.

Lygii, poſt Attilam, A. 454, mortuum, an deſerentes Patriam in alias Terras migraverint. XXI. 4. an extra Sileſiam vel intra eam penitus exſtincti fuerint. XXI. 15. 16. 17. negatur. XXI. 23. 24. 25. 26.

Lygiorum intra Sileſiam Sedes. X. 18. 32. Terra nunquam à Romanis ſubacta & ſub Provinciæ Formam redacta. XX. 16.

Lygiorum Res memorabiles ante Chriſtum natum XV. poſt Chriſtum natum ad A. 550. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI.

M.

Manimi Germani, Suevi, Lygii. VI. 8. X. 1. an Sileſiorum Majores. XIII. 1.

Marcomannis Sedes an circa Rhenum. XIV. 3. 5. 6. an in Bohemia. XIV. 10. an in Moravia XIV. 10. 25.

Marcomanni non Bohemi. VIII. 4. XIV. 30. ſed Moravi. III. 3. XIV. 32. 54. Quadis proximi. XIV. 50.

Marcomannorum Bellum adverſus Romanos ſub Imperatore Domitiano. XVI. 43. ſub Imp. Marco Antonino, & in Gallia, & in Italia. XVII. 4. maximum, non à ſolis Marcomannis geſtum, ſed ab aliis etiam Populis: Alanis, Baſtarnis, Sarmatis, Dacis, Dancrigis, Hermunduris, Iazygibus Sarmatis, Latringis, Nariſcis, Peucinis, Roxolanis, Sicobotibus, Suevis, Vandalis, Victovalis, maximè Quadis. XVII. 6. 7.

Marcomannorum Legatos Imperator Domitianus occidit. XVI. 43.

Marcomannorum Rex Maroboduus. XIV. 11. XVI. 19. Vannius. XVI. 32.

Mariſus Tranſylvaniæ Fluvius. XVI. 30.

Marſigni Marouingi, Marvingi, Marungi an iidem: Germani Suevi. VIII. 2. Sileſiorum Majores. VIII. 3 4. 5.

Marus an Moraviæ Fluvius. XVI. 30.

Maſſilia Ligyorum, id eſt, Ligurum Civitas. X. 12.

Misnia num Myſia: & Misnenſes num Myſi. XVI. 41.

Mœſiarum inferior quæ Provincia. XIX. 14.

Montes, qui veterem Sueviam à Sarmatia ſeparaverunt. X. 18. an Aſciburgici. X. 19. an Carpatici. X. 23. 28. an Sudeti, Bohemici, Gigantei, Riſenbergici, Schnebergici. X. 30.

Moravi Marcomanni. XIV. 32. 54.

Moravia num Incolis Marcomannis unquam deſtituta fuerit. XIV. 25.

Morus Marus, an Mariſus. XVI. 30.

Mucronibus eductis Quadi jurare ſoliti XIX. 28.

Mugilonum Rex Maroboduus. XVI. 10.

Myſi an Germani ex Aſia in Europam digreſſi Misnenſes XVI. 41.

Myſia triplex, Aſiatica, Europæa, Pannonica & Germanica. XVI. 40. Germanica num Misnia. XVI. 41. Romana Provincia ſub Imperatore Valentiniano I. invaditur à Quadis. XIX. 43.

N.

Naharvali Germani, Suevi, Lygii. X. 1. an Sileſiorum Majores. XIII. 1.

Nariſci Germani Suevi XI. 6. Bello adverſus Romanos Marcomannico addicti. XVII. 6.

Noachi Filiorum trium quis Ordo naturalis. I. 3. Poſteris quomodo Terrarum diviſus Orbis. I. 7.

Norici Romanis ſubjecti. XIV. 18.

O.

Oaſis Ægyptiorum Provincia major & minor: minor Alam Quadorum Romanam in Præſidiis habuit. XX. 5.

Omani Germani, Suevi, Lygii. X. 1. XII. 1. 9. an Sileſiorum Majores. XII. 9. 10.

Opitergium Romanorum in Italia Urbem Quadi cum Marcomannis deſtruunt. XVI. 4.

Oſi Pannones: an Sileſiorum Majores. IV. 1.

P.

Pannones Celtæ. IV. Oſi an Sileſiorum Majores. ibidem.

Pannoniæ Fluvius an Marus, an Cuſus. XVI. 30. inferioris Pars ad Fluvium Granuam Quadis ſubjecta XVII. 3.

Pannoniam Tiberius Cæſar, Cæſaris Auguſti Privignus, debellat XVI. 6. Romanam Provinciam ſub Imperatore Gallieno Quadi cum Sarmatis devaſtant. XVIII. 4. ſub Imperatore Conſtantio II. Quadi depopulantur. XIX. 12. Iterum invadunt. XIX. 13. ſub Imperatore Valentiniano I. devaſtant. XIX. 40. 43. 44.

Pannonum Rex Batho. XVI. 6. Romanus Præfectus Meſſalla. XIX. 44.

Peucini Bello adverſus Romanos Marcomannico addicti. XVII. 6.

Praga, Bohemorum Urbs, Maroboduo Marcomannor. Regis Regia. XVI. 13.

Q.

Quadi Germani Suevi. XIV. 1. Sileſii III. 3. VIII. 3. XIV. 54. proximi ad Occidentem Marcomannis (Moravis) XIV. 45. 50. ad Orientem Sarmatis Baſtarnis (Hungaris) XIV. 45. 52. ad Meridiem Sarmatis Iazygibus (Hungaris) XIV. 45. 51. 52. 53.

Quadi Bella gerunt cum Imperatoribus Romanis: Iulio Cæſare XV. 7. Cæſare Auguſto. XVI. 7. Trajano. XVII. 1. Marco Antonino Philoſopho. XVII. 4. 11. Antonino Commodo. XVII. 25. Maximino. XVII. 2. Diocletiano. XVIII. 6. Iuliano. XIX. 38. Valentiniano Primo XIX. 41. 46. 48. Valentiniano Secundo. XIX. 46. 63. Conſtantio Secundo. XIX. 12. Honorio & Arcadio. XIX. 63. 65. Valentiniano Tertio. XX. 10. 11.

Quadi Romanas in Italiâ Urbes Aquilejam obſident, Opitergium deſtruunt. XVII. 4. Provincias invadunt & devaſtant. XVIII. 2. XIX. 65. oppugnant Pannoniam XVIII. 4. XIX. 12. 40. 43. 44. 45. Mœſiam (Myſiam) XIX. 12. 43. 44. 45. 46. Valeriam (Styriam) XIX. 12. 41. occupant Valeriam. XVI. 5. eandem amittunt. XVI. 7. duas Legiones delent XIX. 46.

Quadi victi ab Imperatoribus Marco Antonino Philoſopho. XVII. 18. Commodo. XVII. 25. Diocletiano. XVIII. 6. Iuliano. XIX. 38. Conſtantio II. Conſtantini Magni Filio. XIX. 29.

Quadi Romanorum Hoſtes, ad Chriſtianorum Preces, Fulminibus terrentur & feriuntur. XVII. 11. 14. Pacem cum Imperatore Marco Antonino Philoſopho initam non fideliter ſervant. XVII. 20. cum ejus Filio Antonino Commodo renovant. XVII. 26. Valerium Flaccum, Imperatoris Valeriani Patrem capiunt. XVIII. 3.

Quadi Romanorum Adverſarii, Sarmatarum fidi Socii. XIX. 16. Saxonum Socii pro Saxonibus habiti. XIX. 30. Salios, Francorum Gentem, ex Inſula Batavia depellunt. XIX. 35.

Quadi Iuramenta nudatis Mucronibus præſtant. XIX. 28. ad Bellum irritantur exſtructis in Terra ſua Romanis Caſtellis. XIX. 41. Obſides Pacis dant primum Romanis, ſub Imperatore Conſtantio II, Conſtantini Magni Filio. XIX. 26. Romanis ſub Imperatore Valentiniano II, maximum intendunt Damnum. XIX. 63. cum aliis Populis ad deſtruendum in Occidente Imperium conſpirant. XX. 3. Romanos oppugnantis Attilæ, Hunnorum Regis, Auxiliatores. XX. 10. 11.

Quadia Germaniæ quaſi Frons. XIV. 37. 41. quoddam velut Tergum, jam Alexandri Magni Ævo. XIV. 45. adhuc Imperatoris Marci Antonini Philoſophi Temporibus. XIV. 30. 52. ad Danubium extenſa. XIV. 49. ad inferioris Pannoniæ Fluvium Granuam, ſub Imperatore Antonino Pio extenſa. XVII. 3.

Quadiam cum Exercitu Imperator Marcus Antoninus Philoſophus ingreſſus, ibi de Vita ſua Librum primum ſcripſit. XVII. 3.

Quadis Sedes an in Moravia. XIV. 2. 33. 45. in Superiore Sileſia Sedes. XIV. 2. 34. tributarii Gothini Galli. III. 6. Regem dat Imperator Antoninus Pius. XVII. 2. Pacem dat petentibus Imperator Iulianus. XIX. 38. Marcus Antoninus. XVII. 18. Conſtantius Secundus. XIX. 24. 26.

Quados Imperator Marcus Antoninus Philoſophus Fortitudine Iudæis potiores judicat. XVII. 17. an poſt eos, ut Hoſtes ſuos, Fulminibus, ad Chriſtianorum Preces, è Cœlo delapſis terri-

tos, deinde non amplius Chriſtianos perſequendos ſtatuerit. XVII. 14. Antoninus Commodus tanti facit, ut Menſem Septembrem, quò eos vicerat, propterea Commodum appellandum cenſeat. XVII. 25. ob victos Antonini Marcus & Commodus Triumphum agunt. XVII. 18.

Quadorum Abitus ad Semnones ab Imperatore Marco Antonino impeditur. XVII. 24. Oppidum an Bregetio. XIX. 53. 54. 55. 56. Legati ab Imperatore Domitiano trucidantur. XVI. 43. Reſponſo ſuo Mortem Imperatori Valentiniano I. accelerant. XIX. 60. 61. Partem Imperator Iulianus Romanis Legionibus adjungit. XIX. 39. Ala Romana intra Ægypti Provinciam Oaſin minorem. XX. 5. Potentia intra Germaniam. XV. 7. Populus in duas Gentes diviſus, totidem habet Reges, alium Transjugitanorum (Transvistulanorum) alium Pannonicorum. XIX. 18. 19. Gens an Carpi. XIX. 21.

Quadorum Reges: Tudrus, Natione Quadus. XV. 8 Maroboduus. XVI. 8. 9. 10. Catualda (Gotualda) XVI. 26. Vannius. XVI. 29. Sido. XVI. 36. Furtius. XVII. 5. 21. Ariogæſus. XVII. 21. Gaiovomarus. XVIII. 1. Viduarius. XIX. 28. Gabinius. XIX. 41. 42. Attila. XX. 8.

Quadorum Subregulus Agilimundus: Regalis Vitrodurus. XIX. 28.

Quadorum Terra nunquam â Romanis ſubacta & in Provinciæ Formam redacta. XX. 16.

Quadi ab Hunnorum Imperio, poſt Attilam mortuum, liberi, Marcianum, Romanorum in Oriente Imperatorem Amicum Tutoremque ſibi deligunt. XX. 13. an poſt Attilam Anno 454. exſtinctum, Patriam deſerentes in alia loca migraverint. XXI. 4. an in Helvetia Sedem fixerint. XXI. 11. an vel in Sileſia, vel extra eam penitus exſtincti fuerint. XXI. 15. 16. 17. negatur. XXI. 23. 24. 25. 26.

Quadorum Res memorabiles ante Chriſtum natum. XV. poſt Chriſtum ad Annum 550. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI.

R.

Regales Regibus proximi, hoc eſt, Filii & Agnati. XIX. 17.

Rhegines Rhenani. V. 5.

Rhenani Arſenaces. V. 5.

Riſenbergici an Sudeti Montes X. 30.

Romanis ſubjecti Norici. XIV. 18. Pannones. XIV. 19. Legionibus Imperator Iulianus Partem Quadorum adjungit: Ala ex Quadis in Ægypto. XIX. 39.

Romanorum primus Iulius Cæſar Bellum gerit cum Germanis. XV. 5. de Quadis Triumphus. XVII. 18. acerrimus Hoſtis Attila Hunnorum Rex. XX. 10. 11.

Romanorum Amici Lygii, Veſpaſiano adverſus Vitellium Auxiliatores. XVI. 38. 39. â Domitiano aliquam contra Suevos impetrant Opem. XV. 42. Hoſtes Lygii Probum debellant. XVIII. 5.

Romanorum perpetui Hoſtes Quadi, Urbes Aquilejam in Galliâ obſident, dent, Opitergium in Italia deſtruunt. XVII. 4. Provincias invadunt & devaſtant. XVIII. 2. XIX. 65. oppugnant Pannoniam. XVIII. 4. XIX. 12. 40. 43. 44. 45. Mœſiam (Myſiam) XIX. 12. 35. 44. 45. 46. Valeriam (Styriam) XIX. 12. 41. occupant Valeriam XVI. 5. duas Legiones delent. XIX. 46.

Roxolani Bello adverſus Romanos Marcomannico addicti. XVII. 6.

S.

Salios, Francorum Gentem, Quadi ex Batavia Inſula depellunt. XIX. 36.

Sarmatæ Quadis proximi, ad Orientem Baſtarnæ. XIV. 45. 51. ad Meridiem Iazyges. XIV. 45. 51. 52. 53. cum Quadis Bello adverſus Romanos Marcomannico addicti. XVII. 5. 6. Pannoniam, Romanorum Provinciam, devaſtant. XVIII. 4.

Sarmatis Imperator Conſtantius Secundus Bellum infert. XIX. 12. 15. Pacem dat petentibus. XIX. 25.

Sarmatarum Regulus Zizais. XIX. 25. Regalis Uſafer. XIX. 26. 27. Legati ab Imperatore Valentiniano Primo viles habiti. XIX. 58.

Sarmatiam ab antiqua Suevia quinam Montes, utrum Aſciburgici, an Carpatici, an Sudeti ſeparaverint. X. 19. 23. 29.

Saxones Quadi. XIX. 30. 34.

Semeis, cum Terrarum Orbis divideretur, Aſia relicta. I. 7.

Semno Lygiorum Rex, cum Filio ab Imperatore Probo capitur, ſed dimittitur. XVIII. 5.

Semnones non Senones. VII. 1. in Germanis Suevi. VII. 3. nobiliſſimi. VII. 4. ubi Sedem habuerint. VII. 5. 8. 9. 10. an Sileſii, VII. 11.

Semnonum Rex Maroboduus. XVI. 10.

Senones non Semnones. VII. 1. Itali, poſtea Galli. VII. 2.

September Menſis ob Quados eo victos, ab Imperatore Commodo appellatus Commodus. XVII. 25.

Sibinorum Rex Maroboduus. XVI. 10.

Sicilia unde Sicania dicta. X. 7.

Sicobotes Bello adverſus Romanos Marcomannico addicti. XVII. 6.

Sidones ubi Sedem habuerint. IX. 1. an Sileſii Teſchinenſes fuerint. IX. 2. 3. 4.

Sileſia ſuperior, Quadia, Germaniæ Frons. XIV. 37. 41. extrema Provincia. XIV. 45. 52. quas Regiones habuerit finitimas XIV. 45. ad Danubium extenſa. XIV. 50. ad inferioris Pannoniæ Fluvium Granuam extenſa. XVII. 3. Hoſtem Imperatorem Marcum Antoninum Philoſophum, Libri primi de Vita ſua Scriptorem, habuit Hoſpitem. XVII. 11.

Sileſia inferior, Lygia. X. 18. 32.

Sileſia (Quadia & Lygia) nunquam â Romanis ſubacta & ſub Provinciæ Formam redacta. XX. 16. num Sæculo VI. circiter Ann. 550, Incolis deſtituta, Cultores aut primos, aut novos adepta fuerit Slavos. XXI. 1.

Sileſiæ Montes Sudeti, Gigantes, Riſenbergici, Schnebergici. X. 31.

Sileſiorum Majores, in Adamitis Noachici, & in Noachicis Iaphetici. I. 8. in Iapheticis. Celtæ. II. 1. in Celtis an Galli. III. 1. in Gallis an Gothini. III. 1. in Celtis an Pannones. IV. 1. in Pannonibus an Oſi. IV. 1. in Celtis Germani. V. 1. in Germanis Suevi. VI. 1. in Suevis an Semnones. VII. 1. in Suevis an Marſigni. VIII. 1. in Suevis an Sidones, Cogni, Visburgii. IX. 1. in Suevis Lygii, X. 1. in Lygiis Elyſii. XI. 1. in Lygiis an Burii, Omani, Diduni. XII. 1. an Helveconæ, Manimi, Naharvali. XIII. 1. in Suevis Quadi. XIV. 1. an Lygii & Quadi, poſt deſtructum in Occidente Romanum Imperium, ſeu Sponte ſua digreſſi, ſeu per Vim adacti, Sæculo VI, circiter Annum 550, Patriam Sileſiam vacuam Slavis Advenis occupandam reliquerint, prorſus ipſi poſtea deleti. XXI. 1. & ſequentibus.

Sileſiorum (Quadorum & Lygiorum) Reges: Tudrus, Natione Quadus. XV. 8. Maroboduus, Natione Marcomannus. XVI. 8. Catualda (Gotualda) Natione Gotho Germanus. XVI. 27. Vannius Natione Quadus. XVI. 29. Sido. XVI. 36. Furtius. XVII. 5. 21. Ariogæſus. XVII. 21. Gaiovomarus. XVIII. 1. Semno. XVIII. 5. Viduarius. XIX. 28. Gabinius. XIX. 41. 42. Attila. XX. 8.

Sileſii (Quadi & Lygii) num poſt Attilam A. C. 454. mortuum, Patriam deſerentes, in

alia Loca migraverint. *XXI.* 4. an postea fuerint penitus exstincti. *XXI.* 15. 16. 17. negatur. *XXI.* 23. 24. 25. 26.

Slavi, Anno circiter 550, Silesiam occupantes an invenerint ab Incolis omnibus vacuam. *XX.* 2. negatur. *XX.* 3. 23.

Sosibes Marcomannico adversus Romanos Bello addicti. *XVII.* 6.

Spreva Fluvius an Suevus. VII. 8.

Strigonium Bregetio. *XIX.* 56.

Styria Valeria. *XVI.* 4.

Subregulus Regi alteri subjectus. *XIX.* 25.

Sudeti Montes Suevici, Bohemis & Quadis vicini. *X.* 29. Bohemici, Gigantei, Risenbergici, Schnebergici. *X.* 30. Silesiaci. *X.* 31.

Suevia vetus quibus à Sarmatia Montibus separatur. *X.* 18. 19. 23. 29.

Suevi debellantur omnes à Iuliô Cæsare. *XV.* 5. adversus Romanos Bello Marcomannico addicti. *XVII.* 5. 6.

Suevi Germani, Silesiorum Majores. *VI.* 1.

Suevorum antiquorum Gentes: Arii. VI. 8. *XIII.* 1. Anglii. VI. 5. Aviones. VI. 5. Burii. VI. 7. Elysii. VI. 8. *XI.* 1. Eudoses. VI. 5. Helveconæ. VI. 8. *XIII.* 1. Hermunduri. VI. 6. Langobardi. VI. 5. Lygii. VI. 7. Manimi. VI. 8. XIII. 1. Marcomanni. VI. 6 Marsigni. VI. 7. Naharvali. VI. 8. XIII. 1. Narisci. VI. 6. Nuithones. VI. 5. Omani. X. 1. XII. 1. 9. Quadi. VI. 6. Reudingi VI. 5. Semnones. VI. 5. Suardones. VI. 5. Varini. VI. 5.

Suevus Amnis num Viadrus. VII. 6. an Spreva. VII. 7. 8.

T.

Tarsus Urbs Ciliciæ. X. 3. 6.

Tarteſſus Urbs Iberiæ, id est, Hispaniæ. X. 6.

Terrarum Divisio inter Noachi Posteros. I. 7.

Teutonum Theutiscorum Nominis Origo. V. 7.

Thebæorum Provincia in Ægypto. XX. 5.

Transylvaniæ Fluvius an Cusus. XVI. 30.

Triumphus Imperatoris Marci Antonini Philosophi de Quadis. XVII. 18.

V.

Valachia num Mœsia inferior. XIX. 14.

Valeria Romanorum Provincia unde Nomen acceperit. XVI. 2. alia Italiæ, alia Pannoniæ. XVI. 3. Pannonica Styria. XVI. 4. occupatur à Quadis. XVI. 5. ab iis liberatur. XVI. 7. à Quadis & Sarmatis devastatur. XIX. 11. 46.

Valeriæ Dux Marcellianus, aliis Celestius. XIX. 41.

Vandali Bello adversus Romanos Marcomannico addicti. XVII. 6.

Vandalorum Rex Godegisalus, Godegisilus, Godigiscus, Godigisclus, Modegisilus, Modogisclus. XX. 2.

Viadrus an Suevus. VII. 6. ab eo diversus Amnis VII. 8.

Victovali adversus Romanos Bello Marcomannico addicti. XVII. 6.

Visburgii Germani Suevi. IX. 1. an Silesiorum Majores. IX. 2. 3. 4.

T.

T Germanis pro IE adhiberi solitum. X. 36.

Z.

Zumarum Rex Marohoduus. XVI. 10.

ADDENDA & EMENDANDA.

Pag. 3. Cap. III. §. 1. Lin. 1. pro, §. III, fac, §. IV.
Pag. 7. Cap. IV. §. 1. Lin. 2. pro, §. III, fac, §. IV.
Pag. 11. Cap. VI. §. 2. Lin. 19. post, sita, dele, post.
Pag. 15. Cap. VI. §. 9. Lin. 11. pro, Folmina, fac, Fœmina.
Pag. 23. Cap. X. §. 6. Lin. 8. post, καρτησσῶ, adde, πλησίον.
Pag. 31. Cap. X. §. 31. Linea postrema, pro, §. 7. & 8. fac. 8. & 9.
Ibidem, §. 36. Lin. 12. pro, Todt. *fac*, Tod.
Pag. 55. Cap. XV. §. 3. Lin. 9. pro, Noricus. *fac*, Noricos.
Pag. 63. Cap. XVI. §. 19. Lin. 2. pro, Iurio, *fac*, Iunio.
Pag. 66. Cap. XVI. §. 29. Lin. 1. pro, Vannus, *fac*, Vannius

MARTINI HANKII
DE
SILESIORUM REBUS
Ab Anno CHRISTI 550. ad 1170.
EXERCITATIONES.

Additi sunt INDICES quatuor.

LIPSIÆ,
Sumtibus CHRISTIANI BAUCHII,
Bibliopolæ Vratislaviensis. M. DCC. V.

WBP
Opole



REVERENDISSIMO ILLUSTRISSIMOQUE

DOMINO

GERARDO ABBATI

LIBERI ET IMPERIALIS COENOBII

LUCCENSIS:

IN ELECTORATU BRUNSVICO-LUNÆBURGICO

ECCLESIARUM DIRECTORI:

CONSISTORII ÆRARIIQVE PROVINCIALIS

CONSILIARIO:

MAGNORUM PRINCIPUM AULIS

OB AUTORITATEM VENERABILI,

OB DEXTERITATEM AMABILI:

PER OPTIMAS LITERARII REGNI PARTES,

OB SCIENTIAS ET VIRTUTES,

ACUTIORIBUS ETIAM CENSORIBUS HONORABILES,

SUMMIS GERMANORUM INGENIIS

ANNUMERANDO:

HAS DE SILESIORUM REBUS EXERCITATIONES:
IN POSTERITATIS MEMORIAM,
SI QUAM OBTINEBUNT,
SUBTILI OMNIUM NOTITIARUM ÆSTIMATORI,
MULTIPLICES INTER NATIONES
ETIAM EX SILESIIS FUISSE CULTORES,
AD DECORIS INCREMENTUM RELATURAM:
UNUS E PLURIBUS,
DE OPUSCULIS SUIS TENUIORIBUS
PRIVATO BENIGNI JUDICII SENSU
EXCITATUS,
PUBLICUM GRATI ANIMI DOCUMENTUM
ESSE CUPIT
DEVOTUS GRATIOSO PATRONO CLIENS
MARTINUS HANKIUS,
ANNO M DCC V. DIE XV. FEBRUARII,
NATALI SUO LXXIII.

PRÆFATIO ad LECTOREM.

I.

SILESIORUM prius de NOMINIBUS, mox etiam de MAJORIBUS ab Orbe condito ad Annum Christi 550, ANTIQUITATES nuper in Lucem protulimus. Jam de REBUS, quibus deinceps ultra Sæculum sextum Varietate mirâ gestis Annus 1170 novum Habitum induit, EXERCITATIONES sub Aspectum exponimus.

II. Initiò parum aberat, quin editis contenti, ab ineditis tam perficiendis, quam divulgandis averteremus Industriam, non unam ob Causam. Idque nobis permittebat separabilium Materiarum Dispositio. At postea se nobis Rationes in Contrarium offerebant, ne publicatis, cum quibus necessariam quidem Connexionem non habent, bene tamen componi possunt, reservata subtraheremus.

III. Silentiò præteribimus frequentes Monitores Amicos: quibus, incepta probantibus, residua non displicitura videbantur. Efficacius nos urgebat communis Utilitatis spes: quæ, sicut olim majus Otium nactos ad priorem Operam stimulaverat: ita, licet Horis succisivis paucioribus gaudere solitos, ne pluribus majoribusque Difficultatum Molestiis deterriti, posteriorem Laborem seponeremus, incitabat. Hoc Argumento victos, ad extremum maximè faciebat proclives singularis Amor Historiæ Patriæ: cujus hanc, præcedentibus proximam, eamque pariter

Scriptoribus ante nos, aut neglectam penitus, aut leviter inveſtigatam, potioribus Circumſtantiarum Momentis vel omiſſis, vel dubiis conſignatam eſſe, noſtrum ſæpe notaverat, ſæpius doluerat Deſiderium. Ideo pridem fortiore Conatu annotata, Curis ſecundis elaboranda ſubjecimus: unde SILESIORUM Status, non tantum per media Tempora, quibus Salvatoris Nativitas Initium dedit, ſed etiam per ſubſecutas Ætates ad noſtrum Ævum, aliâ ſuper aliam Formâ, ſeu in meliorem, ſeu in deteriorem Conditionem mutatus, multô rectius, quam hactenus fieri conſuevit, ſimul ad Vetuſtatis Probabilitatisque Normam æſtimandus, tanquam ê primis genuinisque Principiis, dependet.

IV. Eam nobiliorem exoptatioremque SILESIACARUM RERUM Notitiam, (I) Quô Dictionis Genere: (II) Quibus ê Monumentis: (III) Intra quos Materiæ Limites: (IV) Quâ tum Veritatis, tum etiam Perſpicuitatis Curâ: (V) Quô præcipuô Intentionis Scopô, Lectoribus capiendam exhibeamus, ingenuè profitebimur.

V. PRIMO: quia non nihil ad Hiſtoriarum Intelligentiam intereſt, quomodo ſeu loquamur, ſeu ſcribamus: nos in Exercitationibus his, quantum fieri potuit, commodioris purioriſque Latinitatis Amatores quidem, non tamen propterea Vocum illarum, quibus aut Originem, aut Significationem, Veteribus ignoratam, junior Ætas contulit, Oſores tantos egimus, ut eas excluderemus omnes: quarum Ordinem ingrediuntur, *Ducatus*, *Comitatus*, *Baronatus*: *Cancellarius*, *Capitaneus*, *Secretarius*: *Cardinalis*, *Abbas*, *Prior*: *Canonicus*, *Decanus*, *Sacellanus*: & multô plures: quas ob Rerum novarum, citra tædioſos Ambages, intra Hiſtorias luculenter indicandarum, celeriterque concipiendarum Facilitatem, jam dudum quoddam Neceſſitatis Jus Civitate Latina donavit: Sæculumque noſtrum, quamvis ad Orationis Culturam erectius, adeo non ſuperſtitioſum

ſum in Morem faſtidit, ut potius, tanquam uſitatas, inuſitatis, quales fingere non nulli ſtuduerunt, præferat.

VI. Non autem nos ſenſimus obſtrictos ad ſeveriores Oris externi Voces, Latinis exoſas & ineffabiles. Quales Plinius in Præfatione, quam Hiſtoriarum ſuarum Libro V. præmiſit, in Africæ Populis notavit: Populorum ejus, inquiens, Oppidorumque Nomina vel maxime ſunt ineffabilia, præterquam ipſorum Linguis. His, quas in Barbaris Africani coluerunt, Leges, Slavis obſervabiles, ſunt conſimiles: quæ Literis vel abundantibus, vel deficientibus Voces aliter, quam conſignatæ ſunt, proferri jubent. Tales ſunt *Brzega* pro Brega: *Dobrzinum* pro Dobrinum: *Krzemenecium* pro Cremenecium: *Luczko* pro Luſca: *Mlada* pro Milada: *Misdzibozia* pro Miſacibocia: *Mscislavia* pro Micislavia: *Mſtovia* pro Meſtovia: *Oczwienzinum* pro Oſuencinum: *Przemislia* pro Præmislia: *Rikscha* pro Rixa: *Srbia* pro Sorabia: *Wislicza* pro Vislicia: *VVlodimirza* pro Volodimiria: *Zbigneus* pro Sbigneus. Quales, Slavicè ſcriptas Voces, Linguis exteris pronunciatu vel difficiles, vel impoſſibiles ſunt. De cujus Generis Nominibus, niſi mutatis, Latino Stylo applicari non aptis, ante quingentos, & quod excurrit, Annos jam conqueſtus eſt Guntherus in Poëmate, quod de Friderici I. Cæſaris Rebus geſtis compoſuit, Lib. I. Verſu 56: ubi de Polonis agens,

\- - - *Sed*, inquit, *Nomina noſtris*
Barbara legitimè nequeunt accedere Libris.

VII. Certè, ſi Rerum, quibus Cogitationes noſtras in aliorum Notitiam proferre ſolemus, Naturam per ſe, citra ſuperadditam ei Conſuetudinem, pro lege ſuſceptam, inter quosdam Populos, ſeu nullo, ſeu vano Judicio introductam, circumſpectius intuemur: Norma genuina, ſicut Locutio recta Scriptionis, ita Scriptio recta Lectionis eſt: quæ Scriptioni conformis eſt Pronunciatio. Quamobrem, quia Sermo Latinus non fert,

ut

ut Lectores à Scriptoribus discrepantes, Literis aliis omissis, aliis adjectis Voces aliter, quam pictæ sunt, exprimant: Sed requirit, ut nativum in Modum Locutioni Scriptio, Scriptioni Lectio respondeat: in hanc Regulam, licet omni tum Loquelæ, tum Scripturæ naturalem, supra cœteros peccare nihil veretur quorundam obstinatior Slavorum Genius, non in suo tantum, verum in alieno etiam Foro: cum Latina consignaturus, ita consignat, ut Latinis Lectoribus, Indolem Slavicarum Syllabarum nescientibus, ideoque Vocabula secundum Literas sonô justô exprimere laborantibus, procreet tantum Fastidium, quantum Impedimentum.

VIII. Hoc jam olim commovit Gallos, ut Mieslai II. Polonorum Ducis Filium CASIMIRUM, Anno M. XXXVI. Parisiis humaniores Literas discentem, cujus Nomen Slavicè scriptum proferre Linguâ suâ non poterant, propterea vocarent CAROLUM. De quô Joannes DLUGOSSUS, Canonicus Cracoviensis, in Historia Polonica, Lib. II. ad Annum 1036: *Ut autem Filius suus Cazimirus ad Virtutum Specimen posset pertingere, in Studium eum Galliarum Parisios Temporis Processu transmittit: ubi Polonico Nomine CAZIMIRUS, quod illius Expressio & Sonus barbarus videbatur, immutatô, CAROLUS cœpit deinceps vocari.* Ibidem Lib. III. ad Annum 1041: *Qui* (Cazimirus) *& alio Nomine CAROLUS Urbanitatis Gratiâ dictus est.*

IX. Quamobrem primus è Polonis Martinus CROMERUS Episcopus Varmiensis, quemadmodum ab Historiis Polonicis hoc Fastidium Obstaculumque Partem maximam removit: ita singularem apud Exteros iniit Gratiam. Inter hos eum Franciscus ROBERTELLUS Italus, Bononiensium prius, deinde Patavinorum, & doctissimus, & clarissimus Professor, propterea compellat in Epistola peculiari, de Slavis locutus: *Huc*, inquiens, *accedit, quod Nomina Slavica tam aptè ad Sonum Romanum redegisti, ut nihil inconcinnum, nihil durum, nihil asperum*

rum in iis relictum sit: quod Te Exemplo Cæsaris & aliorum feciſſe video: qui, ut satis constat, Dumnorigis, Orgetorigis & aliorum Nomina quam plurima ita effinxerunt, ut Romanorum Aures non offenderent. Tam vero aptè efficta, præterquam quod gratiora nobis sunt, etiam ad Memoriam videntur esse firmiora: nec tamen à communi loquendi Consuetudine ita recedunt, ut quivis Provincialis ea non agnoscat.

X. Idque postea CROMERUS ipse, cum Opus suum Historicum Industriâ secundâ emendavisset, in Literis ad Sigismundum Augustum, Polonorum Regem, Anno M. D. LXVIII. exaratis, monuit. *Ita vero Stylum*, ait, *temperavimus, ut Latinè quidem, quoad à nobis præstari potuit, scriberemus, & succinctè: intelligi tamen cum ab aliis, tum à nostris Hominibus, etiam qui leviter Literis tincti essent, non difficulter possemus. Quo factum est, ut nobis non nunquam Verbis minus puris uti necesse fuit, dum Lectorum Captui servimus. Cæterum Locorum & Hominum barbara Nomina, Exemplo veterum Græcorum & Latinorum Scriptorum inflexeramus, ita, ut Romanum quidem Sonum, & quasi Civitatem acciperent: Indolem tamen suam genuinam, quoad fieri posset, retinerent: quô agnosci à peritis Linguæ Polonicæ & Slavicæ absque Negocio possent.*

XI. Sed tamen, quanquam in multis & potioribus, non in omnibus eandem Asperitatis evitavit Notam. Indicat hoc in Literis ad Lectorem Anno M. D. LXV. scriptis: *Commonendus autem*, inquiens, *es nobis, optime Lector, in Polonicis & aliis barbaris Nominibus, quo peculiarem Sonum exprimas, ut legas: VU sequente Litera consonante, medio Sono inter B & F: quomodo Græci B pronunciant, ut in VUladislav. Z pro C exili non nunquam, quemadmodum à Latinis in Cibo, vel Zera legitur: ut in IablaneZ: non nunquam asperiore Sono, quemadmodum Germani SZ proferunt: ut in Zarnovecia. SS. etiam sperius: sicut Germani SCH: ut in ZaviSSa. CI in Principio Nominum*

pro CZ, Boëmorum Imitatione usurpavimus: ut in Clapla: interdum etiam in Medio, SochaCloviam pro SochaCZoviam scribentes. Alicubi inter plures consonantes vocalem inseruimus, quô mollior esset Vox, ut pro MScislaus, MEScislaus: MESClugus pro MSCZugo. In Summa: Stridores omnes & Sibilos Vocum barbararum, qui vix, aut ne vix quidem Latinis Literis exprimi possunt, quoad potuimus, emollivimus. Sanè laudatissimo huic Instituto minimè tum Stylum suum accommodat, cum W pro V adhibet in Nominibus Slavicis, præsertim proximam Literam non Vocalem, sed Consonantem habentibus: â quô tamen Latinitatis Nœvo, præter Necessitatem admisso, alii moderatiores elegantioresque Scriptores in Polonicis, partim ante CROMERUM, partim post eum, abstinuisse constat. Etenim, ut Exemplo Rem unico illustremus: quem latet, curiosiores Literarum Æstimatores *Varsoviam*, non *Warsoviam*: multô minus *VVladislaum* pro *Vladislao* existimavisse scribendum Latinè scribentibus?

XII. Proinde nos meliora Vestigia sequentes, ad Morem prudentioribus approbatum, cujus ponderosiores Rationes Cap. VII. in medium attulimus, eô magis decenter Patriam nostram, non *VVratislaviam*, sed *Vratislaviam* nominandam judicavimus: maximè, quia W pro V, præpostero Judicio arripientium, quô facilius evitabilem, eô sensibilius inamabilem Duritiem acutioribus Philologis Fastidium peperisse notavimus.

XIII. Hæc tamen non eò pertinent, ut cuiquam circa Literas omnem Legem posthabendi Jus amplissimum vel subtrahant vel imminuant: Stylumque Latinum Slavicè corruptum, vel olim, vel nuper assumtum, circumcidendi Necessitatem imponant. Stabit usitata Sæculi Genio Libertas, non minus in Verbis, quam in Conviviis. Unum Cibi Genus Amatori Oblectamentum, Osori Tædium excitat. Idem Vocis Habitus incuriosis, ut formosus, arripitur: delicatis, ut monstrosus, rejicitur.

citur. Neque Morum hæc Diversitas inhærentem Animis Amicitiam dissolvit, cum ferre possunt Affectu quieto gaudentes, ut, quod ipsi Fastidiis suis repudiant, id alii pro Deliciis suis excipiant. Cujus Moderationis documentum edidimus potissimum in Polonorum Testimoniis: etsi Nomina Licentiam Slavicam retinentia continentibus, tamen non mutatis, sed quemadmodum consignata vidimus, ita productis.

XIV. SECUNDO: quicquid commemoramus, è Monumentis, quorum vel Usus, vel etiam Proprietas nostro Fini serviit, partim MStis, partim emissis, & antiquissimis, & optimis, quibus potiri nobis licuit, proponimus.

XV. In Manuscriptis consuluimus (I) JOANNIS, cujus ignoramus Cognomentum, de Polonia Chronicon Latinum. Id Autor, Vincentio KADLUBKONE, qui Anno 1226 decessit, recentior: at Joanne DLUGOSSO, quem Annus 1480 exstinxit, antiquior, â primo Polonorum cum Silesiis conjunctorum Duce Lecho ad Annum 1277 extendit: Anno 1359 absolvit: LUDOVICUS Primus Dux Silesiorum Bregensis, Anno 1360, Bibliothecâ suâ dignum judicavit. (II) Poloniæ Chronicon Latinum, quod AUTOR Natione Polonus ex diversarum Ecclesiarum Annalibus, post Vincentium KADLUBKONEM [cujus MSto in Vratislavienſium Bibliotheca publica Rehdigeriana connexum exstat] â Lecho I. ad Annum 1277 consignavit. (III) Joannis LONGINI, Cognomine Polonico DLUGOSSI, Chronicon Latinum de Vratislavienſibus Episcopis: â Gothofredo, Anno 966, ad Rudolphum, Annum 1477. (IV) Silesiæ Chronicon Germanicum, quod Franciscus KOECKERICIUS Cognomento FABER [ille Sabothi, hoc est, Poëmatis non tam de Montis Sabothi, quam de totius Silesiæ notabilibus Rebus, Conditor] Vratislavienſium Civitatis Secretarius, Decretô publicô, ab Anno 965 ad 1443 composuit. (V) Silesiæ Chronicon Germanicum, quod

Auguſtinus KROMAYERUS, Eques Sileſius, ab Anno 965 ad 1543, quô Senator Vratislavienſis eligebatur, concinnavit. (VI) Sileſiæ Chronicon Germanicum, quod Nicolaus POLIUS, Diaconus Vratislavienſis Magdalenæus, ab Anno 965 ad 1623 conſcripſit. (VII) Sileſiæ Chronicon Germanicum, quô Anonymus Autor Memorabilia refert; ab Anno 965. ad 1563: Jeremias MULLERUS, Diaconus Vratislavienſis, fuit potitus. Hæc multôque plura, nondum communis Juris facta, ſuggeſſerunt nobis perlegenda ſingulares Amici: quorum in Numero, præter alios, fuerunt, Nobiliſſimus Wolfromus Chriſtianus ARZATIUS, Eques Sileſius, Patritius Vratislavienſis eruditiſſimus: & Clariſſimus Gothofredus THILO, Gymnaſii Bregenſis Rector, de Literaria Re diu bene meritus. Eos tamen Codices, quanquam ê priſcis Voluminibus confectos, raro ad confirmanda, quæ narramus, allegavimus: primum, quia Teſtimonium per ſe non ſatis validum adverſus diſſentientes præbere potuerunt: deinde, quia non defuerunt nobis cum vetuſtiores, tum probatiores in divulgatis, plus Autoritatis habentes.

XVI. Inter hos eminent Rerum Germanicarum Scriptores: quos per Sæcula, quibus vixerunt, recenſebimus. Sæculô Nonô: (I) EGINHARDUS, Imperatoris Caroli Magni & Gener, & Cancellarius. (II) Anonymus AUTOR Annalium Francicorum Fuldenſium: quos primum Petrus PITHOEUS, deinde Marquardus FREHERUS, tandem Andreas DUCHESNIUS in Rerum Francicarum Scriptoribus edidit: Melchior GOLDASTUS Walafridum STRABUM Conditorem habuiſſe putat.

XVII. Sæculô Decimô: (I) REGINO Prumienſis in Trevirenſium Terris Abbas, Anno 907 ſuperſtes. (II) WITICHINDUS, Cœnobii Corbejenſis in Saxonia Monachus, Anno 973 mortuus.

XVIII.

XVIII. Sæculô undecimô: (I) DITMARUS [quemadmodum jam in Antiquitatibus de Sileſiorum Nominibus, Cap. V. §. IX. indicavimus] Sigefridi, Comitis Saxonici Filius, Anno 976 natus, prius Magdeburgenſis Monachus, deinde Walbicenſis Præpoſitus: Anno 1005, Henrici II. Cæſaris, cujus in Sacello Palatino Sacerdos erat, Boleslaum I. Polonorum Ducem debellantis, Comes: Luſatiam, Sileſiam, Poloniam ingreſſus: Anno 1008, Martisburgenſis Epiſcopus in Misnia creatus: Anno 1017, Chronici, cujus octo Libris Res Imperatorum, Henrici I. Ottonis I. II. III. & Henrici II. commemorat, ſcriptor: Anno 1018 mortuus. Cujus maximè nobis utile Chronicon, ſicut â Reinero REINECCIO & Joachimo Johanne MADERO editum reperitur, paſſim eſſe mancum, nos ſupplementa in publicatis omiſſa docuerunt, quæ Nobiliſſimus Godefridus Guilielmus LEIBNITIUS, de Literaria Re dudum inſigniter meritus, per Reverendum Præcellentemque Virum, Alphonſum VIGNOLIUM, Regiæ Scientiarum Academiæ Pruſſicæ ſingulariter eruditum Collegam, ad exercitatiſſimi Polyhiſtoris, Johannis Georgii ECCARDI pro nobis Preces, propenſiſſimè nobiſcum communicavit. (II) WIPPO Presbyter, Imperatoris Henrici II. Sacellanus, Anno 1040 ſuperſtes. (III) Hermannus CONTRACTUS, Wolferadi Weringenſis Comitis Filius, Monachus Augienſis, Anno 1054 mortuus. (IV) LAMBERTUS, Schafnaburgenſis in Dioœcesi Moguntina Monachus Hirsfeldenſis, Anno 1077 ſuperſtes. (V) ADAMUS Bremenſis Canonicus Anno 1077 creatus. (VI) Marianus SCOTUS, prius Colonienſis, poſtea Moguntinus Monachus, Anno 1088 mortuus.

XIX. Sæculô Duodecimô: (I) SIGEBERTUS, Gemblacenſis in Brabantia Monachus, Anno 1112 mortuus. (II) OTTO, Friſingenſis Epiſcopus Anno 1138 creatus, Marchionis Auſtriaci Filius, Anno 1158 mortuus. (III) RADEVI-

 CUS,

CUS, Friſingenſis Canonicus, Ottonis Friſingenſis Epiſcopi Sacellanus, Anno 1163 ſuperſtes. (IV) GUNTHERUS, non Ligurinus, ſed Ligurini, hoc eſt, Poëmatis, quod de Friderico I. Ænobarbo, circa Urbem Italiæ Ligurinam, Mediolanum, ſæpius occupato, decem Libris compoſuit, Autor, Anno 1173 ſuperſtes.

XX. Sæculô Decimô Tertio: (I) OTTO Sanblaſianus, id eſt, de Sancto Blaſio, Benedictini Ordinis Monaſterio, intra Conſtantienſem Diœceſin, Anno 1210 ſuperſtes. (II) Conradus LICHTENAVIUS, Urſpergenſis in Moguntinorum Diœceſi Abbas, Anno 1240 mortuus. (III) ALBERTUS, Stadenſis Abbas Ordinis Benedictini, Anno 1232 creatus: poſtea Ordinis Franciſcanorum Miniſter Generalis, Anno 1256 adhuc ſuperſtes.

XXI. Huc videntur referendi, quorum Ætatem nondum ſatis habemus exploratam: (I) CHRONOGRAPHUS Saxo, cujus Annales ad Annum 1188 extenduntur. (II) ALBERICUS, Trium Fontium Cœnobii Monachus, cujus Chronicon in Anno 1242 terminatur. In quibus omnibus Hiſtoriarum Germanicarum Scriptoribus Res, non adeo quidem multas, peculiares tamen, ad Sileſiam cum Polonia conjunctam pertinentes, invenimus.

XXII. Multo plura, ſed non raro diſcrepantia, ſuppeditaverunt nobis annotanda Scriptores Polonici, Germanicis contrarii: de quorum Diſſenſu Cenſuram plerumque noſtram ſubjunximus, interdum Lectoribus integram reliquimus. Inter ineditos, neque Martinus GALLUS, aliis GALLICUS, omnium vetuſtiſſimus: nec huic proximus BASCO, Posnanienſis Cuſtos, Anno 1370 ſuperſtes, noſtris Conatibus in Adjumentum fuerunt impetrabiles. Utrumque Joannes DLUGOSSUS interdum citat: neutrum, de quô mireris, Martinus CROMERUS vidit.

XXIII. Inter editos Labori noſtro ſervierunt: (I) Vincentius KADLUBKO, aliis CADLUBCUS, Polonus, Epiſcopus Cracovienſis Anno 1208 creatus: Anno 1218 Monachus Andreiovienſis: Anno 1223 mortuus, aliquam, ſed non crebram Sileſiorum, quibus Sileuciorum Nomen imponit, Mentionem facere ſolitus. Ex cujus Hiſtoria Polonica, Dobromili Anno 1612 edita, cum MSto, quod in Vratislavienſium Bibliotheca publica Rehdigeriana ſupereſt, collectâ, quibusdam in medium allatis Emendationem addidimus. (II) Kadlubkonis Commentator ANONYMUS, Vladislai V. Jagellonidis, Polonorum ab Anno 1434 ad 1445 Regis Tempore ſuperſtes: qui Kadlubkonis de Sileſiis Narrationes quasdam illuſtravit Explicationibus, non Accesſionibus dilatavit. (III) Joannes LONGINUS, Cognomine Polonico DLUGOSSUS, Polonus, Canonicus Cracovienſis, deſignatus Archiepiſcopus Leopolienſis, Anno 1480 mortuus. Cujus non omnes, id eſt, duodecim, ſed tantum priores ſex Libros, Operi noſtro ſufficientes, [quos, paucis à Diluvio univerſali præmiſſis, à Lechi Slavorum Ducis in Germaniam Adventu incipit, & in Anno 1240 finit] Herbultus DOBROMILSKIUS Anno 1615 edidit. Deprehendimus in eo plus Cognitionis de Sileſiis, plus Candoris in Germanos, quam in aliis, potiſſimum iis Rerum Polonicarum Scriptoribus, quos vel Temeritatis reos Incuria, vel Livoris ſuſpectos Injuria reddit, cum Res Sileſiis ſpeciatim attribuendas, generatim Polonis attribuunt: quorum Nomine Sileſios comprehendi, ſæpius Circumſtantiæ non indicant. Cœterum Ævi ſui Voces adhibet interdum rariſſimas, quas ne Carolus quidem DUCHESNIUS in ſuo ad infimam Latinitatem Gloſſario dedit explicatas: nos, quantum potuimus, Verbis uſitatis declaravimus. (IV) Matthias MICHOVIUS, Polonus, Medicinæ Doctor, Canonicus Cracovienſis, Anno 1523 mortuus: qui Polonica plerumque diſtinguit à Sileſiacis.

XXIV. In omnibus, tam veluſtioribus, quam recentioribus univerſalis Polonorum Hiſtoriæ Conditoribus facile nobiliſsimus haberi meretur Martinus CROMERUS, Biecenſis Polonus, Regum Polonicorum, Sigismundi Auguſti & Henrici Valeſii Secretarius, poſtea Stephani I. Conſiliarius, tandem Varmienſis Boruſſorum Epiſcopus, etiam Legationibus ad Carolum V. & Ferdinandum I. Imperatores, aliosque ſummos Principes geſtis, non tantum Scriptis, clarus: Anno 1589 mortuus. Ei debemus XXX Librorum Opus, quod, de Polonorum Origine quibusdam præmiſsis, â Lecho Polonorum Duce primo, Anno 550, incipit: & in Alexandri Polonorum Regis Exceſſu, Anno 1506 finit: Joannes OPORINUS, Baſileenſis Typographus, primum Anno 1555: iterum, & aliquantô melius, Anno 1568 edidit: Secundum Editionem primam, retentis Nœvis, Joannes PISTORIUS, per Sebaſtianum HENRICPETRUM, Baſileenſem Typographum, in Hiſtoriæ Polonicæ Corpus, Anno 1582 tranſtulit: tandem ipſe CROMERUS, Regio Archivo recognoſcendo præfectus, poſtremis Curis perluſtratum, quibusdam vel ablatis, vel additis, vel mutatis, aptiorem in Formam redegit: Anno 1586 abſolvit. Sic elaboratum, Anno 1589, quô Autor Diem ſuum obiit, intra Coloniam Agrippinam, per Arnoldum MYLIUM, Bibliopolam, in Lucem prodiit. Ex eo, ſimul & emendato, & aucto deſumſimus, quicquid in medium attulimus. Idque propterea monendum cenſuimus, ne Diverſitatem Inquiſitor animadverſam nobis adſcribat.

XXV. Præterea non nunquam nobis profuit Alexander GUAGNINUS, Italus Veronenſis, Eques Auratus, Militum in Polonia, ſub Rege Sigismundo Auguſto, Præfectus, ab Armis ad Literas reverſus: non Sarmatiæ quidem Europææ, quam Matthias STRIKOUSKIUS in Hiſtoria Lithuanica ſuum Opus eſſe commemorat, ſed Polonicorum Chronicorum Compendii, quod Joannes PISTORIUS Anno 1582 primum divulgavit, Autor: Anno 1614 mortuus.

XXVI. His crebrius, cœteris rarius è Polonicarum Rerum Scriptoribus ſumus uſi: quod ii vel parum noſtro Inſtituto applicandum narrent: vel antiquioribus, præſertim Martino CROMERO ſua referant accepta: cujus eadem Verba, cum Joannes HERBURTUS, Polonici Regni Senator, tum maximè Salomon NEUGEBAUERUS, Graudentinus Boruſſus, tantum non ubivis repetunt.

XXVII. Polonicis Bohemicos interdum adjunximus Hiſtoricos: in quibus tres potiores ſunt. Primus eſt COSMAS, Pragenſis Eccleſiæ Decanus, Anno 1125 Octogenarius Senex: cujus Chronicon ad Annum 1036, in Rerum Bohemicarum Scriptoribus Anno 1602: totum, ad Annum 1125, ſeparatim Anno 1607 Marquardus FREHERUS edidit. Alter eſt Æneas SYLVIUS, Senenſis Italus, denique Pontifex Romanus, PIUS II, Anno 1464 exſtinctus: qui, præter alia, Bohemicam Hiſtoriam compoſuit. Tertius eſt Joannes DUBRAVIUS, Olomucenſis Moravorum Epiſcopus, Anno 1553 mortuus.

XXVIII. Ipſos Rerum Sileſiacarum Scriptores jam editos, Joachimum CURÆUM, Johannem SCHRAMMIUM, Nicolaum HENELIUM, Johannem MOLLERUM, Jacobum SCHICKFUSIUM, Nicolaum POLIUM, Gothofredum BUCKISIUM, Fridericum LUCÆ, quanquam Monumentis ſuis de Patria noſtra omnino præclarum in Modum meritos, minus frequenter in Teſtes advocamus, præcipuè, quoniam Hiſtoriam Partem maximam in hunc Librum congeſtam, vel planè Silentio tranſierunt, vel obiter paucisſimis tetigerunt. Eos, cum adducimus, plerumque Polonis ſubjungimus, ad eô clarius oſtendendum inter utrosvis ſeu Conſenſum, ſeu Diſſenſum: ex quô, Sileſios â Polonis vel accepta

pta referre, vel præterita ſupplere, vel corrupta reſtituere, ſatis evidenter patet. Cœterum, ne Sileſiorum quidem [ut eſt facillimus potiſſimum in Rebus Hiſtoricis Lapſus] admiſſis non nunquam Erroribus aut blandimur, aut patrocinamur: non in Decrementum Autoritatis, ſed in Veritatis Stabilimentum. Inter Sileſiacos autem Hiſtoriographos ſæpiſſimè Joachimum CURÆUM allegamus ideo, quia non tantum ex eo ſua plures in cœteris deſumſerunt, ſed etiam Latinè ſcripſit: cujus Verba noſtris adſcribi, commodum Exteris putavimus, Notitiâ Sermonis Germanici deſtitutis.

XXIX. TERTIO: quod Materiam noſtri Codicis attinet: non imitamur Annalium Sileſiacorum Scriptores illos, quibus aliena multa, cum alia, tum maximè Polonica, etiam, quæ cum noſtris nullo Vinculo neceſſario cohærent, liberalius immiſeere placuit. Ea nos ſeparanda excludendaque judicantes, ſolis contenti fuimus Memorabilibus inter Extera, quæ, licet utique ſint peregrina, ſi per ſe conſiderentur, ad noſtrorum tamen integram luculentioremque Cognitionem faciunt. Hinc Sileſiorum Polonorumque Ducibus non omnia, ſed quicquid ut Sileſiorum Duces, aut pro Sileſiis, aut contra Sileſios, ſeu in Sileſia, ſeu extra Sileſiam geſſerunt: quicquid autem, ut Polonorum Duces, vel in Lithuania, Livonia, Ruſſia, Mazovia, Samogitia, Pruſſia, Pomerania, vel alibi egerunt, præterimus. Rurſum, quemadmodum nihil, quod revera Sileſios attinet, publica Memoria dignum, omittendum exiſtimavimus: ſic tacenda non cenſuimus, quæ proprias Sileſiæ Provincias ſpectant, quamvis extero Imperio ſubjectas. Quo Titulo Sileſiacis adjunximus, non tantum Res Glacenſium, quorum hodie Comitatus ad Bohemiæ Jurisdictionem, non Terram, referendus eſt: verum etiam Res Crosnenſium, quorum hodie Ducatus agnoſcit omnino Matrem Sileſiam, etſi Marchiam Dominam. De Sileſiis tamen non nulla Silentio tegere, quam certis

certis dubia miſcere maluimus. Quare multa Polonorum Acta, quibus Sileſios non defuiſſe Probabilitas innuit, poſthabuimus: quoniam non niſi Polonis [quorum Vocabulo Sileſios etiam olim deſignatos fuiſſe conſtat] generatim attribuit, ſeu negligentior in Poſteritatis accuratam Notitiam, ſeu propenſior in unius Gentis Magnitudinem, utroque Modo culpabilis, quorundam Stylus.

XXX. Præterea in Rebus noſtris, ab Anno 550 ad 1170 recenſendis, obſervantiſſimi fuimus, & Ordinis, & Veritatis. Ordinem nobis dedit Chronologiæ juſtæ Studium: quô & Annos, & Dies inveſtigavimus. Hos enim paſſim Locorum in Sileſiorum Chronicis, ſeu Ignorantiâ, ſeu Negligentiâ omiſſos deſideravimus.

XXXI. Veritatem Vanitati præponentes, non eorum Morem propagare ſuſtinuimus, qui peculiare Populis adſcripturi Decus, neſcio quam, certè non ingenuam Perſonam repræſentant, cum audaciores Literis Diſputatores, quam Bellatores Armis ſunt, Placita ſua propugnant: in quorum Gratiam contrarios veterum, etſi probatiſſimorum Teſtium Calculos, vel circumcidunt, vel albos in nigros vertunt. Id enim nihil aliud eſt, quam Sæculi ſemper in Progeniem vitioſiorem degenerantis ſequi Genium, qui Rebus geſtis nativum adimit Colorem, &, tanquam Corporibus, per ſe Pulchritudinis aut nihil, aut parum nactis, ex addito Veſtitu Splendorem attrahere conatur: Ingeniô decepturus Poſteritatem, cui defuturum exiſtimat Ingenium. Sanè, ſi non Priorum noſtrorum, quibus aut Vitam referimus acceptam, aut Patriam debemus conſervatam, egregiis Factis, tanquam Encomiis, ut externis, ſic alienis, promicare poſſumus: ſatis eſt, noſtris Operibus, & per ea meritis Laudibus, inclareſcere: quoniam omnis commentitius in Majoribus noſtris Honor, quemadmodum ſolido Fundamento caret, ita, quô ſpecioſior aliquandiu ſtat exſtructus,

ctus, eô turpior ad extremum deſtructus jacet. Quò pertinet in primis antiquum inter Populos Paganos Litigium de Gloria: cujus aut præcipuum, aut omne Momentum in Armorum, non Juſtitia, ſed Efficacia ponebant. Hæc enim, Fortitudinis Nomen conſecuta, præpotentibus propemodum ſola, tum etiam, cum neque Rationis, neque Conſultationis, ſed vel Roboris, vel Temeritatis proſpero Eventu ſpecioſus Effectus erat, Virtus in Bellis audiebat. Hinc tranſiit ad ipſos etiam Chriſtianos illa Prærogativæ Laus de Majoribus, aliarum Gentium & Victoribus, & Dominatoribus: minimè Laus, quoties ab illegitimis ſeu Principiis, ſeu Circumſtantiis, tanquam impuris aut Fontibus, aut Rivis promanat. Nam Honoris Genuini Scaturigo & unica, & perennis eſt, non Umbra Virtutis, ſed ipſa Virtus.

XXXII. Contra, non ideo par eſſe judicamus, honeſtè Actorum Copiâ noſtris Majoribus partum Famæ Nitorem, in perpetuam velut Hæreditatem Poſteris transmiſſum, quô lætentur, quô excitentur, contemnere ſupinâ, Incuriâ dicemus, an Injuriâ? Quem in Scopum defixi, non â juſta recedunt Via, qui debitam ſuæ Nationi Exiſtimationem, vel ab Oblivione vindicant, vel adverſus Invidiam defendunt.

XXXIII. Proinde nos ita SILESIORUM [de quorum Majoribus ab O. C. ad A. C. 550, ſingulari Opuſculo egimus] ab A. C. 550 ad 1170, Memorabilia proponimus hoc Libro, ut, ſive culpandis, ſive laudandis annumerari mereantur, non excedant Fidem. Quô Pacto in obliquis recta longè ſinceriorem conſtantioremque ſuſtinent Decorem: cui ſerenum ſtabilemque Vigorem Veritas, Hiſtoriarum Vita, ſuggerit.

XXXIV. Hæc ut integra Lectoribus pateat: quicquid vel affirmamus, vel negamus, Teſtimoniis annexis confirmamus: quæ, tanquam Probationes, plus interdum, adeo nunquam minus continent, quam in præmiſſis Aſſertionibus indicavimus. Quare

Quare Silentiô transmittendas exiſtimavimus quasdam Sileſiorum Res, ad Tempora, de quibus agimus, ſpectantes quidem: at vel nullis, vel parum idoneis Teſtimoniis gaudentes: quales non nunquam Melchior GOLDASTUS in ſuis de Bohemia Commentariis affert, citra Vetuſtatis Characterem in recentibus Scriptis obvias. Per ſingulas Periodos, prius Narrationum Penſa, mox Teſtimoniorum Verba repræſentamus: eum in Modum diſpoſita, ut poſthabitis etiam Teſtimoniis, Narrationes ſolas, diversâ Literarum Formâ diſtinctas, juſtâ Cohærentiâ percurrere, ſit commodum. Teſtimoniorum plerumque plura conjungimus, vel ut ê plurium Teſtium Conſenſu clarior certiorque promicet in dubium vocata Veritas: vel ut Circumſtantiarum Momenta quævis demonſtrentur, quæ citatis in Autoribus diſtracta, non collecta, reperiuntur. Accedit huc, quod inter ſe conferri tantô expeditius ipſa poſſint Teſtimonia: quorum Scriptores non in omnibus ad Manum Bibliothecis exſtantes, conſulere laborioſum eſt. Qua in Re Viros ſummos citra Dubium, iisdem de Cauſis, quæ nos impulerunt, commotos, imitâti ſumus. Cœterum, in Teſtibus [quoties Ratio peculiaris aliud non ſuaſit] antiquiores præpoſuimus recentioribus: quorum illi patefaciunt, quid ab his ſeu bonâ, ſeu malâ Fide ſit vel omiſſum, vel additum. Nec erit, cur Teſtimoniorum damnetur interdum aut horridior Stylus, barbaris Sæculis pulcher: aut inamœnior Prolixitas, Dictioni laxiori uſitata: quoniam inde ſubortum Tædium eô major Rerum & Integritas, & Perſpicuitas lenit.

XXXV. QUARTO: ſupereſt, ut has ſecuti Leges, quas ipſi nobis poſuimus, paucis commemoremus, quidnam hoc Scriptum, inter Utilitates multiplices, quas perfectior Rerum noſtrarum ex Tenebris tandem in Lucem productarum Cognitio afferre poteſt, pro Fine ſuo primario reſpexerit. SILESIOS in antiquiſſimis GERMANIS, maximè ſub QUADORUM LYGIORUMque Nominibus, liberrimum Populum, rarô Veterum Exemplo, nun-

quam Romanis ſubjectum, Sedibus avitis, mox in amplius extenſis, mox in anguſtius contractis [quem aut profugum, aut oppreſſum trivialis ſeu Error, ſeu Livor divulgavit] ad mediam Chriſtiani Sæculi ſexti Ætatem, hæſiſſe fixum, in ANTIQUITATIBUS noſtris de SILESIORUM MAJORIBUS ab O. C. ad A.C.500, demonſtravimus. Jam eandem SILESIORUM Germanicam Gentem ne poſtea quidem aut penitus exſtinctam, aut in SLAVOS mutatam, quos circiter Annum 550 in Terras ſuas receperat, ideo SLAVIS aliquandiu annumeratam, GERMANIS ſemper annumerandam, omnino Germanici Generis, Sermonis, Juris ad Annum 1170 permanſiſſe, multis patefaciunt Documentis præſentes de SILESIORUM REBUS EXERCITATIONES.

XXXVI. Quam Indigenæ SILESII Germani Societatem cum Advenis Slavis POLONIS, ab Anno 550 ad 800 [quò usque nusquam reperimus interruptam) id eſt, ad Imperium in Occidente Romanum per Francos Germanos, Autore Carolo Magno inſtauratum, coluerint: ob altum in Temporum illorum Monumentis rarioribus Silentium, dicere non poſſumus. Itaque dubium eſt, quô Jure, pari an diſpari, Societas ea SILESIOS POLONIS conſtrinxerit.

XXXVII. Poſt Annum 800, SILESII, quanquam ſub Germanicum Imperium ſolum, quod ſuo cultius meliusque notaverant, citra Juris Læſionem, in pleniorem Libertatem redeundi commodo nec Conſilio, nec Auxilio caruerunt: tamen antiqua, id eſt, Germanica Fide Sarmatis, nullo Studiorum Genere politis, adhærere diu maluerunt. Mutantibus Animum Circumſtantiis, Conjunctionem cum POLONIS aliquoties vel imminutam, vel diſſolutam ſenſerunt: maximè, ſolam cum GERMANIS cœteris antiquam renovantes Societatem. Plerumque ſimul POLONIS, ſimul GERMANIS dediti obſtrictique vivebant: illis, ut ſuis Polonorumque Ducibus: his, ut ſuis cœterorumque Germanorum Cæſaribus. Per eos Romano GERMA-

MANORUM Imperio ad Tributum, imo ad Obſequium etiam, quod in ſubjectos fidelesque cadit, ab ipſis CAROLI Magni Temporibus ad FRIDERICI I. Ænobarbi Ævum, interdum aperto Specimine ſubditos, interdum tacita Obligatione quadam devinctos exſtitiſſe, tantô evidentius oſtendimus, quantô pertinacius â multis negari cognovimus.

XXXVIII. Huc pertinet: acerrimos Partium Polonicarum Defenſores, quas in primis Martinus CROMERUS fortiter agit, hoc Nervis omnibus propugnare, POLONOS Exteris fuiſſe nunquam ſubjectos, nunquam tributarios. Idque magis ſtabilire conatur ê noviſſimis Chriſtophorus HARTKNOCHIUS, diligentiſſimus Scriptor, in ſuis de Polonica Republica Libris: ſupra cœteros, Johannes SCHULTZIUS, celeberrimus ICtus, in Opere ſingulari, quod de Polonia nunquam tributaria compoſuit. Ibi, cum aliorum, tum etiam præcellentiſſimi Antiquitatum Scrutatoris, Hermanni CONRINGII Argumenta, contrariam Aſſertionem confirmantia, per Rationes ſummô Studiô, rarâque Solertiâ excuiſitas ſubvertere contendit. Nos eam intricatam diffuſamque Controverſiam, quia declinare totam Hiſtoria noſtra minimè concesſit, non attigimus, niſi quatenus ad Sileſiam pertinet.

XXXIX. Quantum videmus, ea Lis erudita potiſſimum duobus acquieſcit Fundamentis. Horum prius eſt: quam Terram Scriptores ancipiti POLONIÆ Vocabulo deſignent. Nam Veteres quoque, non Recentiores ſolum, generali Notione POLONIAM ſæpius vocant, non tantum, quam hodie Cognomento vel MAJOREM, vel MINOREM nuncupamus: verum ab utrâque diſtinctam etiam quamcunque Provinciam cum Polonia ſub eodem communi Capite conjunctam, LITHUANIAM, RUSSIAM, MASOVIAM, SAMOGITIAM, PRUSSIAM, POMERANIAM. Quo Pacto, quicquid Jurisdictioni Polonicæ ſubditum aut fuit, aut eſt, POLONICUM dici conſuevit.

ſuevit. Hinc parem ad Legem noſtra GERMANIÆ Pars SILESIA ſæpius Antiquis Vocabulô alienô, quam ſuô, denotari ſolita, ob annoſam cum Polonia Conjunctionem, dicta reperitur POLONIA. Quemadmodum igitur POLONIA, quoties aut Germanis, aut Exteris aliis vel Tributaria, vel Subjecta fuiſſe dicitur, num tota, num ejus quædam, & quænam Pars innuatur, Occaſionem dubitandi præbet: ſic unius Vocis ambiguus Intellectus miris Umbris Lucem Hiſtoricam obſcurat. Poſterius eſt: utrum de Polonia ſeu Tributaria, ſeu Subjecta diſſentientibus Scriptoribus GERMANICIS an POLONICIS ſubſcribendum in ea Re ſit, unde priſcus & GERMANORUM, & POLONORUM Status, in alterius Nationis Gloriam, ſeu adaugendam, ſeu imminuendam, ſolidè cognoſcendus dependet.

XL. Hinc, cum SILESIOS Imperatoribus Germanicis vel ad Tributum, vel ad Obſequium etiam, quod Principibus Cives ſupremis debent, obligatos paſſim aſſerimus, Viam Probationi tutiſſimam elegimus. Nihil enim Sententiæ, quam tuemur, decedit: etiamſi POLONIA, quatenus SILESIAM noſtram Vocabulo ſuo non comprehendit, Germanicis Auguſtis nullo Modo unquam ſubdita fuiſſe ſtatuatur. Sanè ipſa noſtræ Cauſæ Bonitas propenſiores Judices reddidit eos, qui vehementiſſimè Polonorum ab omni & Tributaria, & alia Subjectione, quô fuerint Exteris obſtricti, propugnant Immunitatem: Sed tamen, cum eam Teſtimoniis validiſſimis tantas in Anguſtias redactam vident, ut veritatem, quanquam depreſſam, adhuc reluctantem, ne ſatis cohibere quidem, adeo non univerſam opprimere poſſint, POLONIA ſua libera contenti, jam Pomeraniam, jam SILESIAM, veteri Poloniæ conjunctas Provincias, GERMANIS paruiſſe non diffitentur.

XLI. Ea verò, quibus noſtram de SILESIIS Aſſertionem demonſtramus, non tam Polonorum, quam Germanorum debemus Hiſtoriis. Sæpius invicem planè diſcrepantibus, utris acce-

accederemus, dubii, non præter Rationem, Germanis, quam Polonis Aſſenſum præbere maluimus. Ex Indiciis enim non incertis deprehendimus, Germanicos Scriptores multô ſinceriores Polonicis eſſe, quos frequenter ex Germanicis, tanquam vetuſtioribus, hauſta corrupiſſe notavimus: cum de Sileſiis obvia, vel inter omittenda repoſuerunt, vel in oppoſita converterunt: fictitia non impoſſibilium quidem, tamen incredibilium Habitu repræſentantes: quô, Germanum in Germanos Animum non teſtati, ſeipſos reddiderunt Odii ſuſpectos. Contra non reperire potuimus, cur Rerum Germanicarum Scriptores pro Teſtibus contra Polonos parum aptis declarari mereantur.

XLII. Nam primum, ſi Germanus in Re pro Germanis contra Polonos Teſtis aptus non eſt: in quâ Re Polonus pro Polonis contra Germanos idoneus erit Teſtis? Quid ejusmodi reciproca Suſpicionis Contentio intra Hiſtoriarum Cancellos, quæ non niſi Teſtium Calculis vel ſtant, vel cadunt, ad extremum deſignabit? Deinde, Conditores Hiſtoriarum Germanos, quorum ſequimur Fidem, quos major Antiquitatis Prærogativa, certiorque ſui Temporis Notitia Poſteris fecit commendabiles, in noſtra Controverſia nondum vel Adulatoribus, vel Convitiatoribus annumerandos quisquam firmis Rationibus docuit. Adhæc Artes Interpretationesque, licet ingenioſæ, quibus illorum quosdam Locos in alienum Senſum non nulli detorquent, ſi paulo acutioribus Oculis excipiantur, non id, quod Fronte promittunt, in Receſſu habere conſpiciuntur. Quare nos tam diu innocentibus, donec convincantur, malè damnatis leviter aſperſam, non graviter impreſſam, cum Inſcitiæ, tum Malevolentiæ Notam delevimus: plerumque non tam refutando iniquiores Animadverſiones, quam confirmando veriores Narrationes.

XLIII. Tum autem, cum SILESIOS Imperio magis GERMANORUM, quam POLONORUM addictos, certè obligatos fuiſſe ſtatuimus: non potuimus ſemper Argumenta Polono-

rum prorſus inconcuſſa relinquere, quibus Aſſertionem ii ſuam defendere, noſtram deſtruere conantur. Ideo tamen non habebit Cenſor æquior cordatiorque, cur ſiniſtram in Partem hoc vertat: quoniam eodem Jure, quô Cauſam ſuam Polonis contra Germanos, Germanis contra Polonos agere Fas eſt.

XLIV. Hoc geminum Vinculum SILESIOS, quos non tam POLONORUM Ducibus, quam GERMANORUM Imperatoribus, ab Anno 800 ad 1170 tenuit devinctos, quanquam in Solum ſuum admiſſis SLAVIS, adeo non SLAVOS eſſe docuit, ut potius GERMANOS eſſe docuerit. Etenim, quantum ê potioribus vetuſtioribusque Codicibus, partim MStis, partim editis erui perſpiciique poteſt: Libertate SILESII POLONIS pares, conjunctim eligebant ſibi Duces, neque patiebantur alias Leges, niſi quas ſeu Neceſſitas præceperat, ſeu Commoditas ſuaſerat, Calculisque ſuis comprobaverant: itaque ſuam non SLAVICAM, id eſt, ſervilem, ſed GERMANICAM, id eſt, liberam eſſe Nationem, quoties Occaſio ferebat, monſtrabant. Quo Pacto etiam intra continuatam diu cum Polonis Connexionem patefaciebant, nondum Avitam in Animis ſuis exſtinctam Germanicam Libertatem: quam, poſt Annum 1170, clarioribus Fiduciæ Radiis oſtendentes, Juribus Moribusque Polonicis Nuncium remittebant: pro quibus Germanicas Leges Conſuetudinesque complexi, denique nihil Slavicum retinebant.

XLV. Cœterum, ſic Patriam, ſic Nationem SILESIIS GERMANICAM ſingulari Conatu aſſerentes, abſit, ut in Sarmatis SLAVORUM, aut in Slavis POLONORUM Generis Tædiô duci credamur. Nam, cum omnes Populi per communem â primis Parentibus Originem ſint naturaliter Conſanguinei, quos diſſimilis vel Progenies, vel Patria, vel Lingua civiliter diſtinguit: non videmus, cur inter Homines, Humanitatis memores, maximè Chriſtianos, Gens Genti per ſe faſtidienda ſit: quamvis ob Res diſpari Fama geſtas, potiſſimum ob inæquales in Mentibus Notas,

uni

uni altera non immerito vel præferenda, vel poſtponenda ſit. Quô ſi reſpicias, quis prudens, quis bonus non in tantum quosque Populos & diligendos, & honorandos cenſeat, in quantum eorum Virtus & diligi, & honorari meretur? Certè, in Sarmatis SLAVI, & in Slavis POLONI, dudum melioribus Sacris, liberalioribus Studiis, præclaris & Scriptis, & Factis, præſertim Arma fortiſſima teſtantibus, ita Gentem ſuam nobilitaverunt, ut vilem, niſi manifeſto injurius, nemo habere poſſit.

XLVI. Quamobrem Cauſa legitima, quemadmodum GERMANIS non eſt, ut SLAVOS nauſeent: ita multô minus SILESIIS eſt, ut POLONOS, diu Socios, diutius Vicinos, deſpiciant. Quô magis nos procul ab ejusmodi Nævis, quos damnamus, non Partium, ſed Hiſtoriarum Amore, quarum Anima Veritas eſt, SILESIIS Germanicam & Originem, & Terram ideo Nervis paulô intentioribus vindicavimus, quia nos diu in Antiquitatibus verſatos curioſior Inveſtigatio tandem omnino certos fecit, non nullos ingenuos quidem, at credulos Rerum Sileſiacarum Amatores Scrutatoresque vanis, quanquam ſpecioſis quorundam Narrationibus deceptos, in hunc Errorem traductos: SILESIAM vetuſtis Habitatoribus QUADIS & LYGIIS, ſeu digreſſis, ſeu deletis, ab Anno 500 non niſi SLAVOS ſuſtinuiſſe Poſſeſſores, donec in eam ex diverſis Locis GERMANI commigrarent: quorum Copia demum poſt Annum 1170 Slavis prævalens, antea totam SLAVICAM, id eſt, POLONICAM, ſenſim GERMANICAM effecerit SILESIAM. Quibus dediti Fabulis non potuerunt non MAJORES hodiernorum SILESIORUM ſtatuere prorſus incertos, magis SLAVOS, quam GERMANOS.

XLVII. His, non habent diſſentientes, cur opponant: SILESIIS obtigiſſe quidem jam Anno 1163, potiſſimum Anno 1169, Duces proprios, â POLONORUM Ducibus diſtinctos: non verò GERMANOS, ſed SLAVOS, ex PIASTI, Natione POLONI, tam Polonorum, quam Sileſiorum Ducis Sanguine progenitos.

XLVIII. Nam primo, id SILESIOS minimè SLAVOS efficit. Num, quorum Duces Ortu Slavi ſunt, ii Populi propterea ipſi aut Ortu, aut Transmutatione SLAVI ſunt? Deinde PIASTUS, Sileſiæ Ducum, quos GERMANIS annumerandos ſtatuimus, Progenitor, Cruſuicium Oppidum in majore Polonia, Germanica Sileſiæ antiquæ Provincia, ſitum, Patriam nactus erat: cujus Nomen æquè, ſi non magis Germanicum, quam Slavicum videri poteſt: maximè, quia Cruſuicium etiam, non modo Cruſuicium, ſicut in Polonicis ad Sileſiam Finibus Oppidum & Globuſcum, & Clobuſcum dicitur. Præterea PIASTUS utrum Slavico an Germanico Stemmate ſit natus, in Dubio eſt.

XLIX. Accedit huc, quod VLADISLAUS II. poſt diviſas POLONIS addictas Provincias, SILESIORUM, Cracovienſium, Siradienſium, Lancicienſium Dux, Anno 1146, â ſuis Fratribus in Exſilium depulſus, Conjuge RIXA, Germanicæ Stirpis Fœminâ, procreaverit tres Filios, BOLESLAUM Procerum, MIESLAUM & CONRADUM Loripedem: quos Hiſtoriæ loquuntur in Polonia prius, poſt intra Germaniam, in cognatorum Principum Germanicorum Aulis, Præceptoribus Germanicis educatos, Sermonis Germanici peritos, Germanicorum tam Jurium, quam Morum Cultores, mutatô Ingeniô Slavicô, quod acerbis Odiis Mater proſecuta exſtirpari curaverat; ab Exſilio reduces, Animum in SILESIAM, quam Anno 1169 univerſam pro ſuo Patrimonio accipiebant, attuliſſe Germanicum: poſtea cum illuſtribus Germanicorum Procerum Familiis, per Filiorum Nepotumque Progeniem, partim Affinitatem, partim Conſanguinitatem aſſecutos: ideoque plures ob Cauſas, etiam ob SILESIAM, Germaniæ cum veteris, tum recentioris Terram, merito GERMANIS adſcriptos.

L. Ab hoc Rerum noſtrarum Termino, cui novum Annus 1170 Principium dedit, ulterius, ad SILESIORUM â POLONIS ſeparatorum, initam cum BOHEMIS Societatem: id eſt, ad Annum 1327, imò 1368, eâdem Induſtriâ progredi, nobis olim erat Conſilium, inter Hiſtoricos Labores Utilitatem publicam Æſtimatione privata perſpicientibus. Obſervavimus enim, ne poſteriora quidem SILESIORUM cum BOHEMIS connexorum Acta, ſub BOHEMORUM Regibus, SILESIORUM Ducibus ſupremis, tum LUCENBURGICIS, ad Annum 1526: tum AUSTRIACIS, ad noſtrum Ævum, ſatis elaborata: quibus ingentem, partim emendandorum, partim addendorum deeſſe Copiam, nemo facile, niſi peregrinus in Patriæ noſtræ Monumentis nondum editis, negaverit. Id vero, jam non amplius eſt, ut â nobis LECTOR benevolus exſpectet. Non enim eſſe poteſt noſtrarum Virium Opus: cui nec rarius Otium, nec imbecillius Senium reſpondet: ut alias Silentiô transmittamus Rationes. Si tamen ultra Spem, ſupra Votum, per Divinam Gratiam, ordinariis catenatisque Curis, & ſupererit neceſſarius Vigor, & contigerit largior Quies: inter Operas Hiſtoricas utrumque Bonum diu & intentis, & promiſſis, tandem in Lucem proferendis, conſecrabimus Eruditis, maximè Scriptoribus SILESIIS. Neque tum ei, quem in EXERCITATIONIBUS his peregimus, planè diſſimilem ſuſcipiemus Laborem, antecedentia de SILESIORUM REBUS ab Anno 1170 velut continuaturum. Nam SILESIORUM VITÆ quid ſunt, niſi RES SILESIORUM? Vratislaviæ, Die XVIII. Martii, Anno M. DCC. IV.

DE

DE SILESIORUM REBUS *LIBER.*

CAPUT I.

SILESIORUM Germanorum cum POLONIS Slavis coniunctorum ORIGO.

ANNO CHRISTI 550.
GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

I.

SILESIAM, Germaniæ Provinciam, ad Orientem Sarmatis Baſtarnis, dexteram Viſtulæ Ripam contingentibus, hodie *Polonis:* ad Meridiem Sarmatis Iazygibus, dexterum Danubii Latus habitantibus, hodie *Hungaris:* ad Occidentem, partim Marcomannis, hodie *Moravis:* partim Bojis, hodie *Bohemis:* ad Septentrionem Vandalis, hodie *Marchicis Brandenburgicis*, proximam, tenuerunt Germani QUADI Superiorem: LYGII, quorum Pars ELYSII fuerunt, infe-

A rio-

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

riorem: ab Alexandri Magni Temporibus, ante CHRISTUM natum Anno 333, ad Annum CHRISTI 550. Id evidenter oſtendit noſter de SILESIORUM MAIORIBUS Liber.

II. Poſt hæc QUADI & LYGII, mutatis Nominibus SILESII [hoc deinceps illos indicabimus Vocabulo, cujus Origines noſter de SILESIORUM NOMINIBUS Liber exhibet.] in Terras ſuas, plus quam octo Sæculis retentas, quas, poſt deſtructum in Occidente Romanum Imperium, neque Poſſeſſionum meliorum Spe, nec Adverſariorum prævalentium Vi mobiles, unquam deſeruerant, exceperunt Advenas, Germanis Ortu, Linguâ, More diſſimilem Populum, SLAVOS; [quantum, non Antiquitate quidem, Ratione tamen docente, provehimur in Notitiam] non ut Hoſpites, ſed ut Hoſtes. Tum SILESII & SLAVI, ſub Initium diſſidentes [incertum eſt, utri vel ſuperiores, vel inferiores, an utrique pares Armis] quonam Vinculo Pacis ad ultimum concordes, in unius Corporis Statum civilem coaluerint: quis enarrare, citra Dubitationem, poteſt: de quo ſilent in vetuſtis Monumentis, alieniores à Figmentis, præter alios, & Sileſii, & Slavi? Tamen id affirmare ſuſtinemus, quod Eventus patefecit: Sileſios non ſub Slavis, niſi forſan primo Impetu Victoribus, ſed cum Slavis poſtea in Quietem compoſitos, plerumque ſub uno, ſæpe ſub electo Capite, connexos vixiſſe, tanquam æquales conſortesque Socios. Quare ſtatim poſt communis Ducis Lechi I. Exceſſum, Suffragiis etiam ſuis Formam Reipublicæ, cujus Pars erant, cœperunt vel confirmare priſcam, vel excitare novam: nec Germanorum heroicam rejicientes, nec Slavorum ſervilem arripientes Indolem.

III. Nimirum SILESIOS, quos SLAVIS ſub Principium Neceſſitas, non Voluntas, in Conjunctionem difficiles adduxerat; interjecto paucorum Annorum Spatio, ſeu tacitus, ſeu apertus in Communionem Aſſenſus proniores declarabat: ſed tamen reſiduæ Libertatis potior Pars, quacunque Pacti Conditione violatâ, jubentibus, certè concedentibus Gentium Legibus naturalibus, indicabat ſeparabiles. Ideo GERMANIS, ab inſtaurato intra Occidentem Romano Imperio, ſemper aut Subjectionis, aut Obligationis Nexu addicti, aliquoties POLONIS

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

LONIS deſertis, adhærebant BOHEMIS: à quibus diſſoluti, cum Polonis ad veteres Leges, inter utriusque variabiles Fortunæ Vices, admittebant Connexionem, ad Annum 1169.

IV. Hanc Sileſiacarum Hiſtoriarum Partem, quam Commemoratione quadam generaliore, nondum diſtinctiore Momentorum Indiciô repræſentatam vidimus, Curis noſtris paulô ſcrupuloſioribus inveſtigandam judicavimus. Quemadmodum ergo SILESIORUM Res ab Orbe condito ad Annum CHRISTI 550, Scriptoribus aut parum tactas, aut prorſus præteritas, in Antiquitatibus de Sileſiorum Majoribus concinnatas expoſuimus: Sic porro SILESIORUM Germanorum, cum POLONIS Slavis conjunctorum, Res hoc in Codice proferemus, ab Anno 550, ad 1169: quô, diviſis totius Imperii Polonici, tum & SLAVOS & GERMANOS, in iisque SILESIOS, ſub eodem Regimine comprehendentis, Regionibus, SILESII non amplius temporarios Præfectos, ſed perpetuos Duces, Nationi ſuæ proprios, hæreditario Jure multiplicabiles, accipiebant. Per quos ulterius quidem cum POLONIS Societatem colebant, verum, quaſi reviviſcente Spiritu Germanico, intra Pectus, quantô minus Obligationis perferebant Onus, tantò majus Libertatis obtinebant Præſidium.

V. Eſt illa de SLAVIS Narratio, quam explicandam ob SILESIOS aggredimur, plena Difficultatibus. Quis enim peritus Hiſtoriarum neſcit, Slavorum & Nomen, unde ſuſceperint; & Populum, quinam in Sarmatis fuerint: & Tempus, quô in Sileſiam venerint: & Dominatum, quem ibi occupaverint, Obſcuritatis habere multum, plurimum admittere Dubitationis? Quô magis laborandum nobis erit, ut ſua noſtris Aſſertionibus & Perſpicuitas, & Soliditas conſtet.

Unde SLAVORUM Nomen.

VI. SLAVOS, non SCLAVOS eſſe dicendos, ii maxime Scriptores, quos ſui Generis Amor in Curam Nominis excitavit, monent. Imo ſunt, qui propemodum Scriptoribus Legem ponunt, ne SLAVOS appellent SCLAVOS. Procopius Lupacius Pragenſis in Rerum Bohemicarum Ephemeride, ad Ianuarii diem XXVIII: de Carolo Magno:

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

Ilt ſcribit Urſpergenſis, Boemiam, item SCLAVOS (corruptè: SLAVOS, expunctâ Litera C, propriè) tum Viulczos ſubjugavit.

VII. Slavis enim SLAVUS patriâ Linguâ vel â SLOWO, id eſt, *Verbo*, SLOVACUS *Verboſus:* aliter interpretantibus, *Verax*: vel à SLAVO, id eſt, *Gloria*, SLAVUS *glorioſus* dici creditur. De quô Teſtes quatuor adducemus, Italum, Germanum, Polonum, Bohemum. Primus eſt Æneas Sylvius in Hiſtoria Bohemica, Cap. II: *Bohemi, ſicut cæteri Mortalium, Originem quam vetuſtiſſimam oſtendere cupientes, SCLAVORUM ſe Prolem aſſerunt. SCLAVOS autem inter eos fuiſſe, qui, poſt univerſale Diluvium, condendæ famoſiſſimæ Turris Babel Autores habentur, atque ibi, dum Linguæ confuſæ ſunt, SCLAVONOS, id eſt, VERBOSOS appellatos, proprium Idioma ſumſiſſe.* Secundus eſt Albertus Krantzius in Vandalia, Cap. VI: *Cujus Nominis Originem haud aliam invenio, præter eam, quam oſtendit Æneas in ſua Bohemica, SCLAVONOS eos, hoc eſt, ſuâ Linguâ VERBOSOS appellari, quod multa loqui, nativum ſit Genti.* Tertius eſt Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. I. Cap. XIII: *Plerique SLAVORUM Etymologiam â SLAVA, quod FAMAM ſive GLORIAM Genti ſignificat, derivant: ita ut ipſi ſe SLAVINOS & SLAVACOS, quaſi CELEBRES & ILLUSTRES dicerent, â Latinis SLAVINI & SLAVI dicti ſint.* Ibidem poſt quædam: *Corrigendus autem hic eſt Error eorum, qui eos SCLAVOS ſive SCLAVINOS vocant. Qui quidem etiam in pleraque Procopii, Iornandis & Blondi Exemplaria, irrepſit, ab Italis, niſi fallor: quod ii, dum mollius loqui ſtudent, I pro L proferunt: ut, pro Flatu, Fiato: pro Placet, Piacet. Sic pro Slavo, Siavo. Et, cum ferè nihil interſit apud eos in enunciando, ſi quis dicat Siævum ſive Sciævum, C Literâ interſertâ: inde fortaſſis imperiti, cum Latinè loqui vellent, vel ſcribere, non SLAVUM reddidere, ſed SCLAVUM.* Præterea poſt quædam: *Igitur â Slava SLAVI & SLAVINI Nomen ſumſerè, niſi quis forte id â SLOVO, hoc eſt, VERBO deductum eſſe malit: ut ii SLOVUNI & SLOVACI, quaſi VERACES & dictorum ac promiſſorum tenaces appellari voluerint.* Iterum poſt pauca: *SLOVACI quidem, non SLAVACI vernaculâ Linguâ vocantur. Quanquam non eſt magnum in ea Diſcrimen in enunciando, inter SLAVA & SLOVO, in priore Syllaba.*

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

laba. Nam quod Albertus Crantius SLOVACOS quaſi VERBOSOS dici vult, ridiculum eſt. Neque enim credibile eſt, eos novum Nomen, Contumeliæ Cauſâ, uſurpaſſe, aut â Cognatis inditum accepiſſe. Poſtremus eſt Bohuslaus Balbinus in Miſcellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. II. Cap. V: *Notandum eſt, vernaculâ Linguâ non SLAVOS, ſed SLOVACOS dici: quod Nomen Externi, Linguæ noſtræ ignari, nobis indere non potuerunt: neque credibile eſt, Majores noſtros novum Nomen, Contumeliæ Cauſâ, aſſumſiſſe.* Poſt quædam ibidem, de Bohemis & Polonis: *Quando SLAVORUM Appellationem aſſumſerint, â SLAVO vel SLOVVO, GLORIA vel VERBO Voce ducta, dubium controverſumque eſt.* Idem in Rerum Bohemicarum Epitome, Lib. I. Cap. X: *Ob Familiarum Celebritatem, & Multitudinem Nobilitatis [nam plerique nobili Genere orti erant] SLOVACOS ſe vel SLAVACOS, id eſt, NOMINATOS & GLORIOSOS vocarunt. Itali corruptè eorumque Imitatione quidam imperiti SCLAVOS dicere maluerunt, ut Cromerus demonſtrat.*

VIII. At hæc tam firma non ſunt, ut ſubverti nequeant. Nam primum illa recentiorum eruditorumque Slavorum Inventis eſt adſcribenda Nominis, ut Mutatio, ſic Interpretatio: cum non SCLAVI, ſed SLAVI, Latinis aut VERBOSI, hoc eſt, VERACES: aut GLORIOSI, hoc eſt, CELEBRES dici malunt: quos prius SCLAVOS, quam SLAVOS dictos eſſe conſtat. Eos certè nullus Autor vetus, nec Græcus, nec Latinus, qui noſtram in Notitiam pervenerit, ante Iuſtinianum Magnum, qui Sæculo ſexto Imperium & accepit, & finiit, ſecundum optimos in editis Codices, SLAVOS nominat. Omnium principes, qui Slavorum meminerunt, Sæculô ſextô vixerunt. Eô Slavos nuncupat σκλαβηνὲς SCLAVENOS Procopius Claudii Maltreti, de Bello Gothico, Lib. I. Cap. XXVII. Lib. III. Cap. XIII. & XIV. Theophylactus Simocatta Iacobi Pontani & Caroli Annibalis Fabroti, de Mauritianis Rebus Lib. I. Cap. VII. Lib. VI. Cap. II. & VII. SCLAVINOS vocat Iornandes Iani Gruteri & Friderici Lindenbrogii, de Regnorum Succeſſione, Cap. CXXII. & de Gothorum Rebus, Cap. V. SCLAVOS appellat idem Iornandes de Gothorum Rebus Cap. XXIV. & Gregorius Magnus Lib. VIII. Epiſt. XXXVI. Sæculo octavo ſimilem in Modum SCLA-

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

VOS ſalutat Paulus Diaconus Iani Gruteri & Friderici Lindenbrogii, de Longobardorum Rebus, Lib. IV. Cap. VII. Sæculo IX: SCLAVINOS uſurpat Landulphus Sagax, Pauli Diaconi Continuator, Petri Pithœi & Iani Gruteri, in Hiſtoria miſcella, Lib. XVII. Cap. XXIV. Lib. IX. Cap. XXVII. & XLIII. Videantur, quæ proferemus §. XXIII.

IX. Deinde Sarmatarum Pars, ſi ob Facta glorioſa Nomen SLAVORUM, id eſt, CELEBRIUM, vel aſſumſit, vel accepit: antea non Slavorum, ſed in tot Sarmatarum Generibus aliud habebat, proprium quidem, nondum verò Slavorum Nomen. Hoc autem quodnam fuerit, ſub quô Res glorioſas prius geſſerint, quam ob eas ſuum in Slavorum converterent Vocabulum, quod, ut diximus, Imperatoris Iuſtiniani Magni Ætate non vetuſtius eſt: quis certus eſſe poteſt, niſi demonſtretur, illi Sarmatarum Parti, quæ nunc gerit, propterea celebrium, id eſt, SLAVORUM acceſſiſſe Nomen? Quod ſi verò SCLAVORUM antiquius, quam SLAVORUM eſt: illud quidem integrum, hocautem corruptum eſt Nomen.

Quis SLAVORUM Populus.

X. Quod SLAVORUM Gentem attinet: eos SARMATAS, quos Græci SAUROMATAS nominant, eſſe, communis omnium, certè potiorum Hiſtoricorum Conſenſus indicat. Non eſt autem propterea, quicquid de Sarmatis Memoriâ dignum reperitur, Slavis applicandum: quemadmodum perperam multi faciunt: quaſi par ſit, ad eandem Conditionem, omnia vel Kalorum, vel Germanorum Acta, inter illos Neapolitanis, inter hoc Saxonibus attribuere. Nam in Sarmatis, numeroſiſſimo Populo, Nationes plurimæ, partim Aſiaticæ, partim Europææ fuerunt. De quibus agunt inter antiquos Herodotus Lib. IV. Cap. CX. Pomponius Mela Lib. III. Cap. IV. Plinius Lib. IV. Cap. XII. Claudius Ptolemæus in Geographia, Lib. III. Cap. V. & Lib. V. Cap. IX. Ex recentioribus Matthias Michovius de utraque Sarmatia Libris duobus: & Reinerus Reineccius in Heroico Syntagmate, quod Hiſtoriam Iuliam vocat, Parte III. Regno XXXVIII, quod eſt Sarmaticum.

XI. In Europæis Sarmatis fuerunt VENEDI: quos multipliciter mutato Vocabulo alii VENDOS, aut WENDOS, alii VINIDOS aut WINI-

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

WINIDOS, alii Modis aliis appellant. Circa eos quidam Convenientiâ Vocum decepti geminum committunt Errorem.

XII. Primum errant, qui VENEDOS cum ENETIS, HENETIS, VENETIS, quorum Vocabulis una Gens denotari ſolet, confundunt. Inter hos eſt Ioachimus Curæus, in Sileſiorum Annalibus. Matthæus Dreſſerus in Hiſtoriarum Millenario VI, Parte II, de Saxonum Ducibus, ad A. C. 633. de Pomeranorum ducibus, ad A. C. 1226. de Anhaltinorum Principibus, ad A. C. 1142. Melchior Goldaſtus de Bohemorum Regno, Lib. I. Cap. IX. §. III. & V. Bohuslaus Balbinus in Rerum Bohemicarum Epitome, Lib. I. Cap. X. & in Miſcellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. II. Cap. V.

XIII. Nam ENETI, HENETI, VENETI, non Sarmatica Gens ſunt: quam prius in Aſiaticis Paphlagonicam, poſtea in Europæis Italicam plerique ſtatuunt. De quibus agunt, inter antiquos, Homerus in Iliade, Lib. II. Verſu 852. Herodotus Lib. I. Cap. CXLVI. & Lib. V. Cap. IX. Apollonius Rhodius in Argonauticis Lib. II. Verſu 358. Iulius Cæſar de Bello Gallico, Lib. III Cap. VIII. Livius Lib. I. Cap. I. Cornelius Nepos apud Solinum Cap. XLVI. Plinius Lib. VI. Cap. II. Curtius Lib. III. Cap. I. & XXII. Tacitus in Annalibus Cap. XI. §. XXIII. Servius ad Virgilii Lib. I. Æneidos, Verſum 247. Inter recentiores, Leander Albertus in Italia, de Marchia Tarviſina, Regione XVII. Petrus Iuſtinianus in Hiſtoria Veneta, Lib. I. Philippus Cluverius in antiqua Germania, Lib. III. Cap. XLV.

XIV. Præterea errant, qui VENEDOS pro VANDALIS habent. Sunt, quibus Erroris hujus Autor creditur Albertus Krantzius, Anno 1517. mortuus. Inter hos eſt Hermannus Conringius de Imperii Germanici Finibus Lib. III. Cap. XVI. At eſt hic Error ipſis quatuor, & quod excurrit, Sæculis antiquior. Adamus [ut ipſe Lib. III. Cap. V. indicat] Bremenſis Canonicus Anno 1077 creatus, in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Lib. II. Cap. X: *Slavania igitur ampliſſima Germaniæ Provincia à WINULIS incolitur, qui olim dicti ſunt VANDALI.* Helmoldus, Boſovienſis Presbyter, Anno 1170 mortuus, in Slavorum Chronico, Lib. I. Cap. II: *Ubi ergo Polonia Finem facit, pervenitur ad ampliſſimam SLAVORUM*

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

VORUM Provinciam, eorum, qui antiquitus WANDALI, nunc autem WINITHI ſive WINULI appellantur. Cum quibus conſentiunt Leovoldus Northofius, Anno 1278 natus, in Chronico de Comitibus Marcanis, ad Annum 1011: & Iohannes Schiphovverus in Oldenburgenſium Archicomitum Chronico, quod Anno 1504 ſcripſit. Hos prævios habuit Duces Albertus Krantzius, in Præfatione, quam de Vandalia Libris præmiſit: *Hodie tamen,* inquiens, *quæ fuerit olim Gens Wandalorum in univerſum ignoremus, niſi vernacula Saxonum Lingua hoc Vocabulum conſervaſſet, ut inter eos, qui olim WANDALI, fractô, ut ſit, vocabulô nunc WENDEN vocitentur.*

XV. Præter hos alii VENEDOS eſſe VANDALOS putant: Ioannes Magnus in Gothorum & Sueonum Hiſtoria, Lib. VI. Cap. XXII. Erneſtus Brotuffius in Martisburgenſium Chronico, Lib. I. Cap. II. Paulus Hachenbergus in Germania media, Diſſertatione I. §. VI. Et quis neſcit, etiamnum, qui VENDORUM ſunt, dici VANDALORUM Reges? Videantur, quæ commemorabimus §. XXIX. XXX. XXXI.

XVI. Sanè VANDALI Germanicus, VENDI autem Sarmaticus, Germanis planè diſſimilis, fuerunt Populus. In hoc circumſpectiores, tum antiqui, tum recentiores conſentiunt: Plinius Lib. IV. Cap. XIV. Tacitus in Germania, Cap. I. §. V. Blondus Flavius in Hiſtoriis, Decade I. Lib. I. Bilibaldus Pirckheimerus in Germaniæ Deſcriptione. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. I. Cap. II. V. VI. X. Franciſcus Irenicus in Exegeſi Germanica, Lib. I. Cap. XXXV. Beatus Rhenanus de Rebus Germanicis, Lib. I. Cap. XXXIII. & Lib. III. Cap. I. Michael Beutherus in Animadverſionibus Hiſtoricis, Cap. I. Iohannes Michael Beutherus (Filius) in Notis ad eas, §. CII. Cyriacus Spangenbergius in Saxoniæ Chronico, Cap. XIV. & in Nobilitatis Speculo, Parte I. Lib. X. Cap. V. Petrus Albinus in Miſniæ Chronico, Lib. I. Tit. IV. & VI. Marcus Velſerus in Rebus Boicis, Lib. IV. ad A. C. 697. Philippus Cluverius in Antiqua Germania, Lib. III. Cap. XLVI. Iohannes Micrælius de Pomerania, Lib. I. Cap. XIII. Hermannus Conringius de Imperii Germanici Finibus, Lib. III. Cap. XVI. Henricus Bangertus in Notis ad Helmoldi Chronicon Slavicum, Lib. I. Cap.

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

Cap. I. Num II. Thomas Zechorodus in Marte Moravico, Lib. I. Cap. III. Bohuslaus Balbinus in Miſcellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. II. Cap. XI.

XVII. Cœterum, in Sarmatis VENEDOS intra Sarmatiam Europæam, ad Viſtulam Fluvium, qui Sarmatas olim à Germanis ad Orientem ſeparavit, ſed diverſiſſimis Locis adſcriptos invenimus. Nam eos ad Oſtia Viſtulæ, circa Sinum Venedicum, qui Mare Sarmaticum dicitur, habitaviſſe tradit Claudius Ptolemæus [ut Suidas indicat, ſub Imperatore Marco Antonino, Anno 165 clarus] in Geographia, Lib. III. Cap. V. Iisdem ad Ortum Viſtulæ [circa Sileſiæ ſuperioris Fines] Domicilium fuiſſe narrat, prope quingentis Annis junior Scriptor, Iornandes Gothorum Epiſcopus [ut Cap. XIX. innuit, Anno 552 ſuperſtes] de Gothorum Rebus Cap. V. Unde colligas, olim VENDOS intra Sarmatiam Europæam ad Viſtulam hærentes, aut tenuiſſe totam circa Flumen hoc ſpatioſiſſimam Terram, aut mutatis poſtea Sedibus, à Septentrione longius ad Meridiem digreſſos.

XVIII. Præter VENEDOS in Europæis Sarmatis SLAVI reperiuntur. Quô ſub Nomine SARMATIS & SILESIIS Societas diuturna fuit. Idque Sarmatarum Genus adeo vetus ipſis habetur Slavis, ut Slavicam Linguam, non ex aliis ortam, ſed primigeniam, in Babylonicâ Linguarum Mixturâ ſuis Majoribus, Babylonicæ Turris Conditoribus, à Deo infuſam aſſerere nihil vereantur. Æneas Sylvius in Hiſtoria Bohemica, Cap. II: *Bohemi, ſicut cæteri Mortalium, Originem quam vetuſtiſſimam oſtendere cupientes, SCLAVORUM ſe Prolem aſſerunt. SCLAVOS autem inter eos fuiſſe, qui, poſt univerſale Diluvium, condendæ famoſiſſimæ Turris Babel Autores habentur, atque ibi, dum Linguæ confuſæ ſunt, SCLAVONOS, id eſt, VERBOSOS appellatos, proprium Idioma ſumſiſſe. Relicto deinde Campo Sennaar, ex Aſia in Europam profectos, eos Agros occupaſſe, quos nunc Bulgari, Servi, Dalmatæ, Croati & Boſnenſes incolunt. Nondum ego quempiam legi Autorem, cui Fides adhibenda ſit, qui tam altè Gentis ſuæ Initium reddiderit. Hebræos excipio, omnium Mortalium primos. Multi ex Germanis ſatis ſe nobiles arbitrantur ex Romanis ortos. Romani ex Teucris Originem ducere, glorioſiſſimum*

ANNO 550.
GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

mum putant. Franci [*qui & Germani fuerunt*] *Trojani se Sanguinem esse dixerunt. Eadem Britannis Gloria satis est, qui Brutum quendam Exsilio profectum, Generi suo Principem dedisse affirmant. At Bohemi longè altius orsi, ab ipsa Confusionis Turre se missos jactitant. Cæterum, nec qui tunc Principes fuerint, nec quem Regem habuerint, nec cujus Terræ Cultores exstiterint, nec sub quo Duce, nec quibus Periculis in Europam venerint, nec quo Tempore tradunt. Fuisse illico SCLAVONOS ajunt, dum Labium universæ Terræ confusum est. Vana Laus ac ridenda. Quod si qui Bohemos imitari velint, Nobilitatem Generis ex ipsa Vetustate quærentes, non jam ex Turri Babylonica, sed ex Arca Noe, atque ex ipso Deliciarum Paradiso, primisque Parentibus, & ab Utero Evæ, unde omnes egressi, facile sibi Principia vendicabunt. Nos ista, tanquam anilia Deliramenta, prætermittimus.*

XIX. His, ab eruditissimo Viro, tandem Pontifice Romano Pio II, scriptis, nequaquam deterritus, verum irritatus Bohuslaus Balbinus, in Refutationis Speciem, tantò securius eandem Slavici Populi Sermonisque commendat Vetustatem in Bohemicis verè Miscellaneis, Decade I. Lib. II. Cap. V. *Permirum*, ait, *& verò etiam non nihil injuriosum semper visum est Æneam legenti, quod acerbius Gentem nostram perstringere & irridere Majores nostros videatur ex eo Capite, quod tam altè Gentis suæ Primordia, ab ipsa scilicet Confusionis Turre, dum Labium universæ Terræ confusum est, petant. Vana, inquit, Laus & ridenda. Ego, quid rideri possit, non video. Dicere voluerunt Majores, Linguam suam* [*quâ maxima Septentrionalis Europæ, nonnulla etiam Asiæ Pars hodieque utitur, ut Vaticana Bibliotheca, Liber Romæ editus, demonstrat*] *primigeniam esse, atque inter duas illas & septuaginta Orbis universi Linguas censeri. Quod verissimè dici, quisquis Amplitudinem ejus Linguæ, Nationum in ea Diversitatem, Linguæ ipsius Elegantiam & Sanctitatem* [*nam in Sacris eâ uti etiam apud Moravos & Bohemos olim licebat, & hodie apud Ruthenos, pluresque alios licet*] *ac cæteras ejus Prærogativas examinarit, facile concesserit.* Ibidem post quædam: *Plerique Germanicæ Historiæ Conditores ab Iapheto Noe Filio & Gomero, & nescio*

ANNO 550.
GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

nescio quô Asceneze, Noemi Pronepote, Celtas [*quo Nomine Gallos & Germanos comprehendunt*] *provenisse scripserunt: idque superbum nulli est visum: quô ignoscendum magis est nobis, si modestè Linguam Slavicam, quæ prope Dimidium Septentrionalis Europæ, non nullam etiam Asiæ Partem complectitur, cum Linguis cæteris primoribus in illa Confusione prima Gentium à Deo infusam affirmemus.*

XX. Sed, cujuscunque sit Antiquitatis SARMATARUM Europæorum Pars, quæ SLAVORUM Nomen sustinet: sub eo certè Vocabulo nunquam ante CHRISTUM natum, sero post eum natum à Scriptoribus indicata reperitur.

XXI. Iam, Anno Christi 405, Mentionem SLAVORUM inveniri statuit Bohuslaus Balbinus: quoniam eo Anno intra Germaniam Radagastus [aliis Radagaisus] SLAVORUM Rex Romanos intra Italiam oppugnaverit. Id refert in Miscellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. II. Cap. III. his Verbis: *Marcomanni cum Quadis per hæc Tempora Regem Hermanricum vel Ermanricum habuere. Hic Radagaiso vel Radagasto Venedorum SLAVORUM Regi* [*quem pro Deo Slavi Vinidi seu Obotriti & Polabi, ubi nunc Mechlburg est, habitantes, postea coluerunt*] *adversus Romanos Bellum gerenti militavit, eôque in Italia cæso, Alarico Gotho adhæsit.* Quâ inventâ lætus Antiquitate, *Noter*, ibidem addit, *obsecro, Lector, ex Radagasto, jam eo Tempore SLAVOS Regnum in GERMANIA habuisse.* Nos id, non veri, sed falsi Notâ signandum censemus.

XXII. His enim, quæ Balbinus affirmat, geminus Error subest. Prior est, Hermanricum fuisse Marcomannorum & Quadorum Regem: qui nec Marcomannorum, nec Quadorum, sed Gothorum in Germania Rex fuit: ut commemorant, Iornandes de Gothorum Rebus, Cap. XXIII. & XXIV. Hermannus Contractus & Marianus Scotus in Chronicis ad A. C. 400. Sigebertus Gemblacensis in Chronico ad A. C. 407. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. I. Cap. X. Posterior est: Radagaisum fuisse SLAVORUM Regem. Quis ex antiquis hoc asserit? Quantum investigare potuimus, Nemo. Gotho-

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

rum in Germania Rex fuit: de quo Paulus Diaconus in Hiſtoria Miſcella, Lib. XIII. Cap. XXV: *Radagaiſus Rex Gothorum totam repentino Impetu invaſit Italiam.* Quare, cum Obſervatio, tum Admonitio ſingularis, quæ SLAVORUM in Germania Sedem ante juſtum Tempus ſtabilire conatur, Rerum auget Numerum, quas Bohuslaus Balbinus, ſeu Autores novitios [multa Veterum corrumpere ſolitos] ſecutus: ſeu Memoriæ ſuæ nimium confiſus: ſeu, quod interdum facit, ut Intentioni ſerviant, ex Ingenio ſuo, non ſemper ingenioſè, ſupra Fidem, imò contra Fidem mutatas ſcripſit.

XXIII. Hoc extra Dubitationem poſitum eſt, inveniri SLAVORUM, quos antiquiſſimi vel SCLAVOS, vel SCLAVINOS appellant, Sæculo demum ſexto Mentionem primam. Idque Balbinus ipſe [qui non eſt ubique conſtans in ſuis Aſſertionibus, ſed interdum ſibi contradicit] alio in Loco agnoſcit. Nam Bohemicorum Miſcellaneorum Decade I. Lib. II. Cap. V: *Primi*, ait, *quod ſciamus, Iornandes & Procopius SLAVORUM vel SLAVINORUM Nomen in Hiſtoriis uſurparunt, paulo ante Annum Chriſti 550 ſcribentes.* Procopius ab Anno Chriſti 550, Imperatoris Iuſtiniani Magni 24, quò plerique SLAVOS in Germaniam primum adveniſſe tradunt, Scriptis clarus, ad Annum Chriſti 562, Iuſtiniani 36, ſuperſtes [ut de Byzantinarum Rerum Scriptoribus Liber noſter Parte I. Cap. V oſtendit] de Bello Gothico, Lib. I. Cap. XXVII: Καὶ αὐτῶν οἱ πλεῖστοι Οὖννοί τε ἦσαν καὶ ΣΚΛΑΒΗΝΟΙ, καὶ Ἄνται. *Et eorum plerique Hunni erant & SCLAVINI, & Antæ.* Lib. III. Cap. XIII Βαρβάρων γὰρ ΣΚΛΑΒΗΝΩΝ πολὺς ὄμιλος. *Barbarorum enim SCLAVENORUM ingens Multitudo.* Cap. XIV: Οὖννοι καὶ Ἄνται, καὶ ΣΚΛΑΒΗΝΟΙ. *Hunni & Antæ, & SCLAVENI.* Iornandes, Anno 552, Hiſtoriæ Gothicæ Scriptor, ut Cap. XIX refert, in Libro de Regnorum Succeſſione, quem, ut in Procœmio ad Vigilium indicat, Anno 550 edidit, Cap. CXXII: *Hi ſunt Caſus Romanæ Reipublicæ, præter Inſtantiam quotidianam Bulgarorum, Antarum & SCLAVINORUM.*

XXIV. Iam inter Sarmatas VENEDOS, quos alii VENDOS appellant:

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

pellant: & Sarmatas SLAVOS, quos alii SLAVINOS dicunt: Si quod eſt, quodnam ſit Diſcrimen, non immerito quæras, luculenter cogniturus, quodnam Sarmatarum Genus SILESIIS ſe miſcuerit. At hoc, in Opinionum Diverſitate nimiâ, quis exponere ſatis aut evidenter, aut probabiliter poteſt? Sunt, qui VENEDOS & SLAVOS unum ſtatuunt Populum: ideoque mox Venedos Slavorum, mox Slavos Venedorum Vocabulò deſignant. Sunt etiam, qui VENEDOS & SLAVOS differre judicant: in quibus VENEDOS pro Majoribus, SLAVOS pro Poſteris habent: quoniam illorum antiquius, hoc recentius eſt Nomen.

XXV. Cæterum, Habitationis Locus quandam VENEDIS & SLAVIS Affinitatem conciliat. Sedes enim VENEDIS, ut §. XVII diximus, ad Viſtulam erat: SLAVIS autem circa ſiniſtrum Danubii Latus, non magno Spatio à Viſtula, fuit. Procopius de Bello Gothico, Lib. I. Cap. XXVII: Καὶ αὐτῶν οἱ πλεῖστοι Οὖννοί τε ἦσαν, καὶ Σκλαβηνοί, καὶ Ἄνται. οἱ ὑπὲρ ποταμὸν Ἴστρον ἀ μακρὰν τῆς ἐκείνη ὤχθη ἵδρυνται. *Et eorum plerique Hunni erant, & SCLAVENI, & Antæ: qui trans Fluvium Iſtrum, non procul à Ripa, Sedes patrias habent.* Lib. III. Cap. XIII: Βαρβάρων γὰρ Σκλαβηνῶν πολὺς ὄμιλος ἔτυχον ἐναγχος διαβάντες μὲν ποταμὸν Ἴστρον. *Cum enim Barbarorum SCLAVENORUM ingens Multitudo nuper illas Partes occupaviſſet, Fluvium Iſtrum transgreſſa.* Ibidem Cap. XIV: Τὰ γὰρ ἔθνη ταῦτα Σλαβηνοί τε καὶ Ἄνται, ἐκ ἀρχονται πρὸς ἀνδρὸς ἑνός. *Hi verò Populi SCLAVENI & Antæ non uni parent Viro.* De iisdem poſt quædam: Τὸ γὰρ πλεῖον τῆς ἑτέρας τὸ Ἴστρου ὤχθης αὐτοὶ νέμονται. *Maximam verò Partem ulterioris Iſtri Ripæ illi habent.* Quare parum à Procopio diſcrepat Iornandes, cum Domicilium SLAVIS ad Ortum Viſtulæ tribuit, de Gothorum Rebus, Cap. V: de Scythia: *Introrſus illi Daciæ eſt, ad Coronæ ſpeciem arduis Alpibus emunita: juxta quorum ſiniſtrum Latus, quod in Aquilonem vergit, & ab Ortu Viſtulæ Fluminis per immenſa ſpatia venit, Winidarum Natio populoſa conſedit. Quorum Nomina licet nunc per varias Familias & Loca mutentur, principaliter tamen SCLAVINI & Antes nominantur.*

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

XXVI. Nos ab ea Controverſia, utrum VENDI Slavorum, an, quod multò credibilius eſt, SLAVI Vendorum Pars fuerint, abſtinentes, SILESIIS propinquos SARMATAS, ſeu ad DANUBIUM, ſeu ad VISTULAM Colonos, quamvis olim Nominibus aliis denotatos, intra Sæculum ſextum aſſociatos, ideo SLAVOS, quam VENDOS appellere malumus, quoniam in antiquis & Germanorum, & Polonorum Monumentis, Res noſtras commemorantibus, ſi non ſemper, at plerumque SLAVI nominantur.

Unde SILESIAM intraverint SLAVI.

XXVII. Unde SLAVI, num ex Dalmatarum, an Illyriorum, an Slavoniorum Terra in Germaniam pervenerint, magnus eſt inter Hiſtoricos Diſſenſus. De quo legi poſſunt Ioannes Longinus Cognomento Polonico Dlugoſſus in Polonorum Rebus Lib. I. Cap. II. Albertus Krantzius in Vandalia, Lib. I. Cap. V. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. I. Cap. XVI. Michael Beutherus in Animadverſionibus Hiſtoricis, Cap. II. Melchior Goldaſtus de Bohemiæ Regno, Lib. I. Cap. IX. §. IV. & Cap. XIV. §. IV. Bohuslaus Balbinus in Miscellaneis Bohemicis Lib. II. Cap. XXII. Andreas Stredonius in Diſſertatione, quam de Bohemorum Originibus ſcripſit, Balbinus ibidem Capiti XXIII inſeruit.

XXVIII. Nos Viam, quæ SLAVOS in Germaniam duxerit, quantum licebit, monſtraturi, pro Fundamento Indiciis ponimus: eos per Sarmatiam, Germanis proximam longè lateque diffuſos, Sæculo ſexto, circa Viſtulæ tum Fontes, tum Oſtia ſedem habuiſſe: quod jam oſtendimus §. XVII. & XXV. Addimus, quod Dubiò caret: SLAVIS Germaniam invaſuris Duces fuiſſe duos, ZECHUM & LECHUM, Fratres. Unde novum SLAVIS poſtea Vocabulum, aliis ZECHITARUM [Bohemorum] aliis LECHITARUM [Polonorum] acceſſit. Ex quibus Slavorum Pars Zechitica Marcomanniam & Bojohemiam: id eſt, Moraviam & Bohemiam: Lechitica verò Quadiam & Lygiam, id eſt, ſuperiorem & inferiorem Sileſiam, hodiernâ multis Partibus ampliorem, tum ſolis Germanis ſubditas Regiones intraverunt.

XXIX.

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

XXIX. Quantum igitur Conjecturis omnium maximè probabilibus aſſequi poſſumus; SLAVIS in Germaniam tendentibus, ſeu conjunctis, ſeu diviſis, commodum Iter eſſe potuit ex Sarmatia, non tantum ZECHITIS, propius ad Viſtulæ Fontes hærentibus, Viſtulam transgreſſis, per Moraviam in BOHEMIAM: verum etiam LECHITIS propius ad Oſtia Viſtulæ ſubſiſtentibus, Viſtulam transgreſſis, per Vandaliam: ob Incolas verè ſui Nominis, hoc eſt, Ambulatores, crebris Sedium Mutationibus adſuetos, in Terras remotas, Italicas, Hiſpanicas, Africanas profectos, ſi non ubivis deſertam, certè paſſim enervatam, repellendis Advenis imparem: in SILESIAM.

XXX. Sanè VANDALIAM, ad Viſtulæ ſiniſtrum Latus in Germania ſitam, SILESIÆ propinquam, pro Sede ſua tenuerunt. Id, præter alios, Suffragiis Rationibusque ſuis ſtabiliunt, Beatus Rhenanus de Germanorum Rebus Lib. I. Cap. LXVIII. Cyriacus Spangenbergius in Querfurtenſi Chronico, Lib. I. Cap. XIV. & in Saxoniæ Chronico, Cap. L. Petrus Albinus in Miſniæ Chronico, Lib. I. Tit. IV. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. I. Cap. XVI. Henricus Bangertus in Notis ad Helmoldi Chronicon Slavicum, Lib. I. Cap. I. Num. IV. Chriſtophorus Hartknochius in Originibus Pomeranicis, quas Martinus Rango edidit, Cap. IX. Nicolaus Henelius in Sileſiographia, Cap. I: *QUADIS ſucceſſerunt SLAVI, Gens Sarmatica: qui quodam Tempore prægravantem domi Multitudinem ductis Coloniis exonerare aggreſſi, ſive aliis de Cauſis, Sedibus ſuis exciti, cum transmiſſo VISTULA Flumine in ea Germaniæ Loca, quæ prius VANDALI tenuerant, immigraſſent, hanc etiam QUADORUM Sedem occuparunt.*

XXXI. Hinc natus videtur Error, qui VANDALOS Germanos cum VENDIS Sarmatis confundit: duas ob Cauſas excuſabilis. Prior eſt: quoniam Vendi, quemadmodum ex antecedentibus colligi poteſt, in Germania primum occupaverunt Vandaliam: itaque Succeſſionis quaſi Iure Nomen Vandalorum acceperunt: quod aliis poſtea Vendis, quanquam ex Vandalia digreſſis, adhæſerit. Poſterior eſt: quod VANDALORUM & VENDORUM Vocabula Cognationem quandam & Originis & Significationis habeant. Germanis enim utrique dicuntur

à Motu:

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

à Motu: quo VANDALI seu WANDALI, hoc est, WANDELER, ambulant: & VENDI seu WENDI, hoc est, WENDENDE, vertuntur. Utramque Rationem connectit Davides Chytræus in Saxoniæ Chronico, Lib. I. de Vandalia: *Etsi autem de Nomine Vandalorum quidam verè disputant, non rectè illud his Populis, quos Wendos aut Slavos vulgo vocamus, assignari: cum inter Germanicas Gentes Tacitus & Plinius Lib. IV. Cap. XIV Vandalos recenseant: & Procopius Initio Belli Vandalici, quod Belisarius, Iustiniani Imperatoris Auspiciis, in Africa gessit, Vandalos Gothicam Gentem, eâdem cum Gothis* [*Germanicè locutos non dubium est*] *Linguâ usos fuisse affirmet: tamen, cum vel â Nominum Affinitate* [*vicina enim inter se se Sonò Nomina sunt WENDEN & VANDALI*] *vel â Sedibus iisdem, quod post Migrationem Vandalorum in Gallias, Hispaniam & Africam, Heneti seu Wendi eorum Terras possederunt:* [*sicut post Migrationem Bojorum ex Bohemia in Bavariam, nihilominus novi Incolæ Zechi seu Slavi, veterum Incolarum Nomen retinent*] *hæc Appellatio Henetis tum â multis aliis nostræ Ætatis Hominibus eruditis, tum verò ab Helmoldo etiam, qui Chronica Slavorum ante quadringentos Annos Lubecæ scripsit, tribuatur: communem Usum Nominis Vandaliæ nos quoque retineamus.* Rationem posteriorem Hugo Grotius in Prolegomenis ad Gothorum, Vandalorum & Langobardorum Historiam exponit. *Non absurdum*, inquit, *cogitatu, etiam illos, qui Tacito Venedi, Ptolemæo Venedæ, posterioribus Winidæ dicuntur, Nomen habere ab eadem vagandi Significatione: non, quod hos quoque Germanici Sanguinis esse velim: de quô dubitavit Tacitus: exactior enim Inquisitio Linguæ, Morum, Historiarumque denique Indicio, Sarmatas eos esse nos docuit: sed quod, qui â Rerum Gloria Slavi sibi ipsis dicebantur, eos Germani Winidas dixerint: quod verissimè tradidit Ioannes Aventinus, & ex Speculo Saxonico aliisque eô antiquioribus Libris facile diligenti Lectori perspicuum fiet: sicut & Verbum WENDEN affinem cum WANDLEN apud Germanos, extritâ Literâ L, habet Intellectum. Atque hoc Sensu eandem esse Vocem Winidorum, Winulorum, Wandalorum sensit non male ignotus ille Chronici Slavorum Scriptor. Non ergo quærendum nobis est, quam*

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

quam latè patuerit Wandalorum Appellatio. Patere enim tam latè potuit, quam ipse vagandi alienaque occupandi Mos.

Quando SILESIAM intraverint SLAVI.

XXXII. Præterea de SLAVORUM Transitu, quemadmodum Locus, ex quô venerint: sic Tempus, quô venerint in GERMANIAM ipsamque SILESIAM, Opinionibus Historicorum & Chronologorum maximè discrepantibus subjacet: quarum nulla solido ex Antiquitate Fundamento innititur. Dissensionis hujus Causa præcipua est, quod plerique Scriptores in recentioribus, aut VANDALORUM Germanorum Res VENDIS Sarmatis, aut omnium Sarmatarum Res singulari Sarmatarum Genti, seu VENDIS, seu SLAVIS attribuant. Quamobrem idoneô Veterum Testimoniô destitutus, pro suo quilibet Arbitrio ex obviis Sententiis aliquam sibi delegit probabilem. Nos eas certos ad Annos restrictas, tribus distinctas Ordinibus proferemus.

XXXIII. Primo sunt, qui SLAVORUM in Germanicas Terras Migrationem referunt ad Annos, Annum CHRISTI DL. antecedentes: quamvis eodem Anno vetustius Slavorum Nomen ostendi nequeat. Nam illam referunt ad Annum CC. LXXVIII. Bohuslaus Balbinus, Petrum Codicillum in Libro de Zechi & Lechi Adventu secutus, in Rerum Bohemicarum Epitome, Lib. I. Cap. X. Ad Annum CCCC: Iohannes Lampadius in Mellificio Historico, cujus Partes duas priores Christophorus Pezelius composuit, Parte III. Ad Annum CCCC. LI: Cyriacus Spangenbergius in Saxoniæ Chronico, Cap. L. & in Querfurtensi Chronico, Lib. I. Cap. XIV. Ad Annum CCCC. XXXXVI: Elias Reusnerus in Chronologia ad hunc Annum. Ad Annum D. Davides Chytræus in Saxoniæ Chronico, Lib. I. de Vandalia. Ad Annum D. XXXIII: Petrus Opmeerus in Chronographia ad hunc Annum.

WBP Opole

XXXIV. Deinde sunt, qui SLAVORUM eam Migrationem referunt ad Annum D. L. Inter hos reperitur Bernhardus Vapovius, cujus Sententiam indicat Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. I. Cap. II. Alexander Guagninus in Chronici Polonici Compendio ad Annum 550. Stanislaus Sarnicius in Polonicis Annalibus

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

Lib. IV. Ioannes Herburtus in Historia Polonica, Lib. I. Cap. II. Salomon Neugebauerus in Historia Polonica, Lib. I. Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. VI. Sethus Calvisius in Chronologia ad A. C. 550. Iohannes Henricus Alstedius in Thesauro Chronologico, de Polonorum Regno. Iohannes Micrælius de Pomerania, Lib. II. Cap. XIII. Albertus Ines in Lechiade, Parte I. in Lecho. Henricus Bangertus in Notis ad Helmoldi Chronicon Slavicum, Lib. I. Cap. II. Num. V. Ioannes Baptista Ricciolus in Chronologia Reformata, de Polonorum Regibus. Ioachimus Pastorius in Floro Polonico, Lib. I. Cap. I. Iohannes Schultzius in Polonia nunquam tributaria, Sectione IV. §. II.

XXXV. Denique sunt, qui SLAVORUM eandem Migrationem referunt ad Annos, Annum CHRISTI D.L. subsequentes. Ad Annum D. LVII: Marcus Zuerius Boxhornius in Chronologia ad hunc Annum. Ad Annum DC.XXXIX: Martinus Boregkius in Bohemiæ Chronico. Procopius Lupacius in Rerum Bohemicarum Kalendario, ad Diem Iulii XV. Ad Annum DC.XXXXIV: Wenceslaus Hagecius in Bohemiæ Chronico, Lib. I. Ad Annum DC. XXXXV: Georgius Bartholdus Pontanus in Bohemia Pia, Lib. I. Ad Annum DC. XXXXIX: Matthæus Dresserus in Millenario VI. Parte II. de Bohemia.

XXXVI. Nobis, tanquam probabilior, arridet illorum Assertio, quibus censetur SLAVORUM Adventus in GERMANIAM, Sarmatisque Proximas Regiones, QUADIAM & LYGIAM, quas hodie superiorem & inferiorem SILESIAM dicimus, Anno CHRISTI 550 adscribendus.

An SILESIOS deleverint SLAVI.

XXXVII. QUADOS & LYGIOS, Indigenas GERMANOS, Patriam SILESIAM, nec spontaneâ, nec imperatâ Migratione SLAVIS Advenis vacuam occupandam reliquisse, variis Argumentis monstravimus in Antiquitatibus de SILESIORUM Majoribus, Cap. XXI. Quamobrem, cum SLAVI Anno 550 penetraverunt in SILESIAM, utrum QUADI & LYGII, vel imbecilles ad resistendum profugi, vel post adhibitum

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

hibitum Robur devicti SLAVIS universam SILESIAM possidendam cesserint: in quâ penitus oppressi exstinctique sint, ut hodiernorum SILESIORUM Majores, non pro GERMANIS, sed pro SLAVIS haberi mereantur, in Controversiam venit.

XXXVIII. De nostrâ Sententiâ, qui GERMANORUM, aut Regiones omnes, in quibus SLAVI sedem fixerunt, Incolis prorsus vacuas: aut omnes ibidem Populos, quamvis & bellicosos, & exercitatos, â novis Colonis vel abactos, vel exstirpatos credunt: digni sunt, quibus nihil credatur: quia non impossibilia quidem, tamen incredibilia, pro Temporum, Locorum, Gentium Eventuumque Circumstantiis, ex Vetustate cognitis, ab impossibilibus parum discrepantia credunt.

XXXIX. Nam primò, sub æquis Iudicibus, antiquam QUADORUM & LYGIORUM Fortitudinem, per tot Sæcula Romano Imperio semper oppositam, aliquando succumbentem, sæpius resurgentem, nunquam emorientem, nec Ignorantiâ posthabentibus, nec Invidiâ prosequentibus, utique non tantum Veritati non repugnat, sed Assensui quoque sic congruit, ut vix Suspicionem Falsitatis admittat: â QUADIS & LYGIIS, Vicinis & Sociis, quorum Pectoribus avitus Libertatis Amor, strenuè factis ad ea Tempora declaratus, adhæserit invictus, Sarmatas SLAVOS, â Sarmatis antea SILESIÆ proximis, & IAZYGIBUS, & BASTARNIS, planè diversos, ad Servitutem faciliter, ut imponendam, sic recipiendam natos, magno Fastidio exceptos Adversarios: eosque Viribus, quantis potuerunt, maximis rejectos, ne cogerentur tolerare Dominos.

XL. Deindè, quanquam SILESIIS non fuit SLAVORUM in Silesiam Irruptio declinabilis: ut Eventus ipse docuit: in Quæstione tamen adhuc versatur, quô SILESII Modô, cuncti, an plurimi: statim, an paulatim: nullis, ut Bello subacti, an certis Conditionibus, ut Prælio superati, se SLAVIS submiserint: quorum pertulerint pro Tempore Insolentiam, cum Limitem, qui Germanos â Sarmatis hactenus separaverat, Vistulam semel transgressi, Ius in Armis repositum arbitrati, Germanicum VANDALORUM iisque proximorum SILESIORUM invaderent solum: cujus olim ad Vistulæ, non, ut hodie, mo-

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

dò Caput, Hungaris propinquum, ſed longo etiam Tractu, per Cracovienſes adjacentesque multos Agros, latis trans Viadrum Finibus, partim QUADIÆ, partim LYGIÆ proprios, ad Wartæ, circa Terminos MARCHIÆ Brandenburgenſi præfixos, Decurſum in Viadrum, extenſa fuit Amplitudo.

XLI. Iam, quis vetuſtus Scriptor illas SLAVORUM primas intra GERMANIAM Antiquitates, Fabulis deſtitutas [quales nec Vincentius KADLUBKO, nec Ioannes DLUGOSSUS, nec alius, priſcis annumerandus, omittere gauiſus eſt] in medium hactenus attulit, ex quibus pateat, quisnam Germanos SILESIOS Status inter Principia conjunxerit Sarmatis SLAVIS? Recentioribus autem, citra Teſtes idoneos, citra ſolidas Rationes, contra GERMANOS, in propriâ præſertim Nationis Sarmaticæ Cauſa, quicquid placuit, narrantibus, incertum, an fingentibus, cur Fides habeatur in Rebus, Annos mille tranſcendentibus? Quare tam diu SILESIIS plena Subjectio, quam connexi SLAVIS debuerint, adjudicari non poteſt, priusquam demonſtretur, SILESIORUM cum SLAVIS Conjunctionem fuiſſe quandam Servitutem, non Societatem.

XLII. Certè, non à SLAVIS, quantumvis preſſi, penitus oppreſſi GERMANI ſunt: nec in aliorum, nec in SILESIORUM Terris. Quis enim peritus Hiſtoriarum neſcit, paſſim GERMANOS prius magis magisque circumciſò, denique prorſus abjectò SLAVORUM Regimine, Provincias ſuas, in quas priſtinum, hoc eſt, integrum Libertatis uſum revocaverant, non SLAVICAS, ſed GERMANICAS eſſe, multis patefeciſſe Documentis, præſertim Romanò intra Occidentem Imperiò, per Francos, in Germanis præpotentes, inſtauratò? Quin GERMANI Iugum Slavicum, quod paſſim aliquandiu inviti patiebantur, ſic ad ultimum abjiciebant, ut ipſis SLAVIS Frenum injicerent, & ex Dominis facerent Servos.

XLIII. Idque SLAVI communiter à GERMANIS, pro Iure ſuo, pro Libertate ſua, potiore Salutis Parte, fortiter pugnantibus, tandem aut profligati, aut exſtincti Merito ſuò, tanquam injuſti alienarum Terrarum Poſſeſſores, reportaverunt, ut Gentibus plerisque MANCI-

PIUM

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

PIUM etiamnum dicatur SCLAVUS. Albertus Krantzius in Vandalia Lib. I. Cap. VI. de Nomine Slavorum locutus: *Hodie tamen ad ſummam Indignitatem apud nos traductum eſt Nomen: quod, cum noſtræ Regionis WANDALI* [quorum Vocabulo perperam uſurpato, SLAVOS intelligit] *ſint hodie graviſſima preſſi à Saxonibus Servitute, ſerviles Homines, & ultimæ Sortis MANCIPIA, SCLAVOS cum Indignatione ſolent vocitare.* Aloyſius Cadamuſtus de Navigatione ad Terras ignotas, Cap. XXXV: *Hi igitur Turcimani ſive MANCIPIA* [*SCLAVOS vulgo appellant*] *Chriſti Fidem in Luſitania ſuſcepere.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. I. Cap XIII: *Quo* [SLAVORUM] *Nomine nunc quemlibet SERVUM appellant Itali, cum alii, tum Adriatici Maris Accolæ.* Andreas Stredonius in Diſſertatione, quam de Bohemorum Originibus ſcripſit, Bohuslaus Balbinus in Miſcellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. II. Cap. XXIV. integram exhibet, §. II: *Nomen SCLAVI ſervile tunc Germanis factum, quando in Pomerania & vicinis Provinciis, à Saxonibus & aliis domiti ſubjugatique Slavi fuerunt.* Melchior Goldaſtus in Commentariis de Bohemia, Lib. II. Cap. II. §. I: *GERMANI ægerrimè ſuſtinentes in Sinu ſuo Alienigenas, ceu proſequentes quasdam Beſtias, fovere, aſſiduo laborabant, ut SLAVOS Sedibus occupatis rurſum depellerent: aut, ſi id fieri propter Multitudinem eorum non poſſet, Frenum ſaltem injicerent, ne ulterius progredi ac graſſari auderent. Hinc Bella ingentia orta ſunt, SLAVIS pro Poſſeſſione, TEUTHONIS pro Iure ſuo pugnantibus. Et Fortuna plerumque GERMANIS favebat, ut victos & captos SLAVOS in miſerrimam ſervitutem abducerent, eosque Iumentorum Inſtar, paſſim per Europam diſtraherent, ad Operaque publica deſtinarent. Hinc nata eſt illa vulgaris loquendi Formula, qua non GERMANI modo, ſed plerique EUROPÆI etiamnum utuntur, ut SLAVOS pro SERVIS & Mancipiis in communi Sermone uſurpent.*

XLIV. Hanc GERMANIS, adeo ſtrenuis SLAVORUM Domitoribus, generatim adſcriptam Victoriam, SILESIIS ſpeciatim applicabilem eſſe, vix, ac ne vix quidem in dubium vocabunt æqui Germanicarum & Slavicarum Regum Æſtimatores. Quorum Sententiam

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

illi fulciunt, qui GERMANOS in SILESIA diu SLAVIS junctos, nunquam eradicatos fuisse statuunt. Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus: ubi Slavos Silesiis admixtos perperam Henetos appellat: *Omnino autem consentaneum est, etiam antiquis Temporibus, præsertim in his Finibus vetustæ Sarmatiæ, promiscuas Sedes fuisse Germanorum & Henetorum: sicut passim ejus Rei exstant Documenta. Usitatum est, ut sæpe vicina Loca easdem habeant Appellationes, sed aliter Linguâ Teutonicâ, aliter Henetâ.* Quibus consentit Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. III. Melchior Goldastus in Commentario de Bohemia, Lib. I. Cap. XIV. §. V: *Nec enim prisci illi GERMANI à SLAVIS fuerunt prorsus pulsi vel exstincti, sed, ut in Bohemia ac Moravia, ita etiam in SILESIA permissi sunt mixtim habitare. Interim tamen non negamus, etiam posterioribus Sæculis alios Germanos à SILESIÆ Principibus undique accitos, cum LECHITÆ in POLONIÆ interiora succedentes, vacuos Agros & Vicos relinquerent.*

XLV. Cæterum Notas illas, ex quibus Indigenæ SILESII, quanquam cum SLAVIS Lechitis, hoc est, POLONIS Societatem colentes, non SLAVI, Sed GERMANI agnoscantur: passim proferemus ad Sæculorum sequentium Annos: quibus, præter alia Indicia, sæpenumero seu Consensus, seu Dissensus verum inter SILESIOS Germanos & POLONOS Slavos Discrimen patefecit. Videatur Cap. II. §. III. VI. VII. & X.

SILESII Germani ob SLAVOS admixtos
Cognomento SLAVI.

XLVI. GERMANIS omnibus, in quorum Provinciis SLAVI Sedem fixerunt, generale SLAVORUM accessit olim Nomen. Inde Lusatos, Misnenses, Saxones, Marchicos, Pomeranos, alios etiam, non tantum SILESIOS, quamvis GERMANOS, tamen SLAVIS annumeratos in vetustis Monumentis reperimus. Testimonia, quibus id speciatim de Silesiis confirmari potest, ob alias Res allegata inveniuntur, Cap. IV. §. II. Cap. V. §. XIII. & XIV. multisque subsequentibus Locis.

SILESII

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

SILESII Germani Slavis POLONIS cohærentes
Cognomine POLONI.

XLVII. LECHITES, hoc est, SARMATIS SLAVIS, quorum Dux LECHUS erat, habitatam cum Sarmaticam, tum Germanicam Terram, cujus Pars SILESIA fuit, non LECHIAM, sed POLONIAM sera nominavit Posteritas. His verò Sarmatis Slavis quando & unde Vocabulum POLONORUM impositum sit, non extra Dubitationem positum est. De quô tres invenimus Sententias.

XLVIII. Prima POLONOS à BULANIS, Gente Sarmatica, dudum ante SLAVOS in SILESIAM progressos, jam Seculô secundô clara, Nomen accepisse statuit Christophorus Hartknochius, de Polonica Republica, Cap. II. §. I: cum Polonorum Nominis alias Origines produxisset: *Verum, quaquam hæc probabilia videri possunt, nos tamen arbitramur, hoc Nomen Sarmaticæ Gentis cujusdam antiquissimum esse, quod jam Tempore Ptolemæi habuit, antequam Campestrem hanc ingrederetur. Audivimus enim jam antea Cap. I. Num. I. ex Ptolemæo ad VISTULAM Amnem collocari BULANOS, Sarmaticam Gentem; quod idem esse Nomen cum POLONIS haud invitus largiatur, qui apud antiquos Germanicos Scriptores legerit, nostros POLONOS appellari BOLANOS vel BOLANIOS, ut est apud Wipponem aliosque.* Conjecturam eandem in Historia Prussica repetit Parte I. Cap. I. §. X.

XLIX. Eô BULANORUM antiquior fuit BOLANORUM Populus, à BOLA, Italorum Urbe, Nomen consecutus. Hanc indicat Virgilius Lib. VI. Æneidos, Versu 775: & Dionysius Halicarnassensis Lib. VIII. Antiquitatum, Cap. XVIII. BOLAS vocat Livius Lib. VI. Cap. II. Incolas BOLANOS appellat Dionysius ibidem, Cap. XIX. Plinius Lib. III. Cap. V. Stephanus Byzantius de Urbibus & Populis: Βῶλα, ὡς Νῶλα, πόλις Ιταλίας. Τὸ ἐθνικὸν Βωλανοὶ, ὡς Νωλανοὶ. *BOLA, ut Nola, Urbs Italiæ. Gentile, BOLANI, ut Nolani.* Sed à BOLANIS Italis quæ Nominis Accessio ad POLONOS Sarmatas?

L. Præterea BULANES in Sarmatia Europæa, inter minores Gentes, circa VISTULAM reperimus apud Claudium Ptolemæum in Geographia,

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

graphia, Lib. III. Cap. V: Ἐλάτλουα δὲ ἔθνη νέμεται Σαρματίαν, παρὰ μὲν Οὐίσθλαν ποταμὸν ὑπὸ τὰς Ὀυενέδας ΓΥΘΩΝΕΣ. ἔιτα ΦΙΝΝΟΙ. ἔιτα ΒΟΥΛΑΝΕΣ. *Minores autem Gentes tenent SARMATIAM prope VISTULAM Fluvium: ſub Venedis Gythones ſunt: poſt Phinni: poſt BULANES.* At, quantum nobis conſtat, unius Petri Bertii, non aliorum Ptolemæus nominat Βουλάνες, BULANES. Certè, cum Ioſephi Moletii, tum etiam Ioannis Antonii Magini Ptolemæus vocat Σουλάνες, SULANES. Accedit, quod à Ptolemæi Temporibus, qui Sæculo ſecundo vixit, Sarmatarum BULANORUM, quantum cognovimus, nulla ſubſequentibus Sæculis Mentio reperiatur. Hinc in ea Derivatione POLONORUM Nominis omnino aut exiguum, aut nullum videtur ponendum eſſe Momentum.

LI. Secunda Sententia POLONOS à SPALIS, hoc eſt, POLIS Sæculo Sexto claris Nomen traxiſſe putat. In eam Opinionem non nihil propendet Hermannus Conringius de Imperii Germanici Finibus, Lib. I. Cap. XVIII. *Gentem POLONORUM*, ait, *quorum erga Imperium diuturnam ſatis Reverentiam nunc dicturi ſumus, jam illo ſuo Nomine cognitam videor mihi obſervare primo omnium apud Iornandem Libro de Rebus Gothicis, Cap. IV. ubi ille ſcribit: Gothos trajecto Viſtulâ Amne ex Germania in Scythiæ Terras perveniſſe, quæ Linguâ eorum Ojum vocabantur, & illico ad Gentem SPALORUM profectos, conſertô Prælio Victoriam adeptos, ad extremam Scythiæ Partem, quæ Pontico Mari vicina eſt, properaſſe. Habitaverant ſcilicet hactenus Gothi Litora Maris Balthici, inter Oderam fere & Viſtulam. Circa Thorunium igitur præterpropter trajectô Viſtulâ pervenere in Maſoviam: quæ omnis Terra frequentia admodum Nomina in Oiu aut Ou terminantia habet. Inde POLI aut SPALI Gothis occurrerunt: prout hodieque ex Ponto occurrunt. Quibus emenſis ad Ponticum Mare jam facilius deſcenditur. Cæterum huic Conjecturæ meæ pro ſe quisque addat, ſive demat Fidem.* Eadem ex Conringii Mente commemorat Philippus Andreas Oldenburgerus in Rerumpublicarum Theſauro, Parte II. Tit. XI.

LII. Nos, cur etiam huic Opinioni Calculum denegemus, habemus Cauſas. Primum, & Ioannis Leunclavii, & Bonaventuræ Vulcanii,

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

canii, & Iani Gruteri, & Friderici Lindenbrogii Iornandes SPALOS, de quibus loquitur, non POLOS vocat. Deinde Iornandes de Gothis Opuſculum ſcripſit Novennio poſt magnam Peſtem in Italia Gothis, ſub Imperatore Iuſtiniano I. exitioſam: ut indicat ipſe Cap. XIX. Ea verò Peſtis, cujus Mentionem Procopius de Bello Gothico, Lib. II. Cap. IV. facit, in Annum Chriſti 543 incidit. Iornandes igitur laudatum Opuſculum Anno Chriſti 552 ſcripſit. Eo jam POLONORUM Nomen Iornandi fuiſſe cognitum, minus credibile videtur. Præterea, propemodum quatuor Sæculorum Intervallo SPALI Lechitis, quos jam POLONOS dicimus, vetuſtiores, Sarmaticus quidem, non Europæus tamen, ſed Aſiaticus Populus, jam Sæculo Primo, ſub Imperatore Veſpaſiano clarus, fuerunt: quorum ſub SPALEORUM Vocabulo meminit Plinius Lib. VI. Cap. VII. Accedit, quod Iornandes Cap. II. de Viſtula Poloniæ Fluvio locutus, interjectis plurimis, Cap. IV. Amnem, quem Gothi ſub Rege Filimero transgreſſi, mox ad SPALOS, iisque victis ad extremam Scythiæ Partem, Mari Pontico vicinam, pervenerunt, non appellet VISTULAM. Idque ſatis ex ipſius Iornandis colligi verbis poteſt. *Hæc igitur*, ait, *Pars Gothorum, quæ apud Filimer dicitur, in Terras Ouin emenſo Amne transpoſita, optatum potita Solum. Nec Mora: illico ad Gentem SPALORUM adveniunt, conſertoque Prælio Victoriam adipiſcuntur. Exindeque jam, velut Victores, ad extremam Scythiæ Partem, quæ Pontico Mari vicina eſt, properant.* Videlicet Iornandes majore Curâ lectus omnino de SPALIS Aſiaticis, non de POLONIS Europæis loqui deprehenditur.

LIII. Tertia ſententia cenſet, SLAVOS Lechitas demum poſt eos SILESIIS Germanis conjunctos, incertum, quô Sæculo, POLONOS eſſe dictos. Cujus Vocis ex Slavica Lingua provenientis Originem triplicem obſervavimus. Nam POLONORUM Nomen Voce Slavica, vel I. PLANITIEM, quâ Polonorum Tellus ſpectabilis eſt: vel II. VENATIONEM, quâ Polonorum Alacritas delectatur: vel III. LECHI I. Slavorum Ducis, ſub quo ſedem in Polonia primam fixerant, POSTERITATEM, denotante: natum eſt. Huic enim Lecho, cui Fortunam, non Ortum debebat, in Honoris Gratiam, univerſus

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

Polonorum Populus, quamvis olim â Viadro ad Viſtulam, & per Cracovienſes Agros ad Wartam Germanicus, Originem adſcribere ſuſtinuit. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. I. Cap. XVI: *Duplex autem hujus Nominis Ratio redditur. Vel enim â POLE, quod & PLANICIEM & VENATIONEM Slavis ſignificat, POLONOS quaſi POLANOS & POLACOS appellari volunt, propterea, quod & planam ferè apertamque Regionem ii tenent, & apprimè tenentur venandi Studio: vel â Conditore ac primo Duce Gentis LECHO ſive Lacho POLACOS quaſi POLACHOS, hoc eſt, POSTERITATEM LACHI dici autumant. Cui Rationi ac Denominationi adſtipulatur illud, quod Ruſſi & Moſchi, nec ſcio, an alii quoque Slavi, præter Boëmos, non POLONOS, neque POLANOS, verum LACHOS eos in hanc usque Diem vocant.*

LIV. Ex his Rationibus, Vocabulum Slavicum, quod PLANITIEM indicat, pro Fundamento habentibus, plerique primam comprobant; POLONIAM prius LECHIAM, poſtea ob Planitiem, ad Bohemiæ montoſæ Diſcrimen, POLONIAM dictam ſtatuentes. Æneas Sylvius in Hiſtoria Bohemica, Cap. III: de Lecho: *Hic ubi Germanum* [Zechum] *Agris ditatum, Bobusque potentem animadvertit, ad Orientem profectus, in magna Camporum PLANICIE ſedem collocavit, POLONIAMque Nomen ex Loco dedit.* Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. I. Cap. XVIII: *Quamvis autem â primo Principe & Conditore LECH, Regio ejus LECHIA & Gentes ejus LECHITÆ appellatæ ſunt: quia tamen in plerisque Locis Camporum PLANICIES ad ſerendum aptæ, recenti Cultorum Diligentia & Induſtria, in brevi Tempore, Exciſione Nemorum auctæ, & in ſimilem Planiciem redactæ, Speciem naturalium quaſi Camporum præbuerunt: Lechitæ, & hi præſertim, qui in campeſtribus habitabant, & â cæteris Cognatis & Familiis, qui Silvas inſiderant, & â vicinis Gentibus in Circum habitantibus POLIANIE, id eſt, Campeſtres tam frequenti Uſu & Appellatione vocati ſunt, ut veteri Nomine abolito tam Gens, quam Regio generali jam & uſitato Vocabulo POLONIA etiam â Scriptoribus aliquibus nominetur. Vicinæ tamen Nationes & præſertim Ruthenorum, quæ in ſuis Annalibus de Stirpe Principis Lech ortas ſe gloriantur, POLONOS, & eorum Regiones LE-*

CHI-

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

CHITAS appellant. Iohannes Nauclerus in Chronographia, Volumine II, Generatione XXXIX: *Zechio Frater fuit Leches. Hic, ut vidit Fratrem ditatum in Terram planam juxta profectus, POLONIAM vocavit. Nam POLE Slavonica lingua planum dicitur.* Marcus Antonius Coccius Sabellicus in Hiſtoriarum Enneade X. Lib. IV: *Ajunt, POLONIÆ Nomen â POLE eſſe, quæ Vox planiciem ſignificet: plana eſt plurimum Regio.* Albertus Krantzius in Vandalia, Lib. I. Cap. III: *Proxima Wandalicæ Gentis Portio POLONIA eſt, quæ â PLANICIE Nomen accepit, ad Diſcrimen Bohemiæ, quæ ut dicemus, tota Montibus includitur.* Cap. XVI. de Zecho: *Huic Fratrem faciunt Lechem: quem, ubi cerneret Germanum ditatum, in ulteriora conceſſiſſe, POLONIAMque Regno tenuiſſe. Inde Nomen mutatum, quod plana ſine montibus Terra ſit. Nam POLE Linguâ Gentis Vernaculâ PLANUM dicunt.* Hos ſequitur Iacobus Auguſtus Thuanus, Lib. VI. Hiſtoriarum, ad Annum 1573: *POLONIA, cui â POLE Nomen, quod Vocabulum PLANICIEM & VENATIONEM ſonat, eò, quod plana majori ex Parte Provincia & Venationibus exercendis opportuna ſit, in majorem & minorem dividitur.*

LV. De SILESIA Scriptores, aut in ambiguo relinquunt, aut dubiè quandam comprobant POLONORUM Nominis Originem: quam, parum abeſt, quin vel Slavico Ruſſorum cuidam POLENIORUM Populo; vel POLO Arctico, id eſt, Septentrionali, cui Polonia ſubeſt, adſcribant. Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus: *De Appellatione POLONIÆ, quæ Genti Slavicæ, propagatæ in has noſtras Regiones, attributa eſt, etiam ipſi Autores patrii non conſentiunt. Derivant alii Vocem â PLANICIE, alii â DUCTORE GENTIS. Mihi veriſimilia protuliſſe videtur Vir omnibus Vitæ Ornamentis clariſſimus Dominus, Sigismundus ab Herberſtein, qui in Hiſtoria ſua Moſcovitica ex Annalibus Moſchorum tradidit, olim ad Urbem Kioviam, ubi eſt Confluens Neparis & Boryſthenis, non longè â Ripa Paludis Mœotidis, habitaſſe Populos Ruthenicos, qui dicebantur POLENI, id eſt, Campeſtres. Inde igitur procul Dubio commota eſt maxima Multitudo Sarmatica, quæ in noſtra Loca migravit. Et credibile eſt, Nomen illud vetuſtum eſſe. Nam ampliſ-*

ſima

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

ſima illa Gens Sarmatica, olim etiam Vocabulis diverſis fuit diſtincta, quæ ſecum deinde in has Regiones importarunt. Nicolaus Henelius in Sileſiographia, Cap. I: *Generali Nomine POLONI, ſive à POLE, quod Vocabulum PLANICIEM & VENATIONEM ſignificat, eò, quod plana majori ex Parte & Venationibus exercendis opportuna ſit Provincia: Sive à POLO, Aquilonio nimirum, cui Regio ſubjecta, ſive denique à Duce Auctoreque ſuo LECHO vel LACHO, quaſi POLACHI* [*quomodo ipſi ſe appellant, atque ita ferè etiamnum à vicinis & externis Populis appellantur*] *nuncupati.* Conſimilia proferunt Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. VI. Et Fridericus Lucæ in Sileſiorum Memorabilibus, Parte I. Cap. II.

LVI. Quando illa Terrarum Amplitudo, quarum Poſſeſſores veteres quidem ultra Viſtulam SARMATAS BASTARNAS: citra Viſtulam GERMANOS QUADOS & LYGIOS: recentiores autem, partim SARMATAS SLAVOS LECHITAS; partim GERMANOS SILESIOS fuiſſe conſtat: POLONIA nominari cœperit: utrum ſtatim poſt Slavorum fixam in Germania eique vicina Sarmatia Sedem, an poſtea, non liquet. Id conſtat, POLONORUM non reperiri Nomen in antiquioribus, quam Sæculi undecimi Scriptoribus. Ditmarus, Martisburgenſis Epiſcopus [Anno 1028 mortuus] in Chronico, ſicut à Reinero Reineccio & Ioachimo Ioanne Madero editum invenitur, GERMANOS à SLAVIS ſeparans, hos POLENIOS vocat: quorum Regionem interdum POLENIAM, interdum POLONIAM nominat: Lib. IV: *Unde Miſeconis POLENIORUM inclyti Ducis, & in ſuperioribus Libris ex magna Parte ſignati reſiduum explico Factum.* Lib. V: *Tunc deſtructa penitus eadem diviſaque inter ſuos POLENIORUM Multitudine.* Lib. VI: *Aſſimulatô namque in POLONIAM Itinere, Naves glomerantur.* Ibidem poſt multa: *Magna POLENIORUM Caterva in primo Diei Crepuſculo Albim transgreſſa.* Lib. VII: *Cæſar autem in Inventione Chriſti Protomartyris ODERAM transmeans reluctantem POLENIORUM Multitudinem admodum proſtravit.* Ibidem poſt quædam: *Poſt hæc autem Eid Antiſtes egregius à POLONIA ſaltem cum Muneribus magnis reverſus ægrotare cœpit.* Lib. VIII: *Frater ſuus diu à me deſideratus à POLENIA veniens,*

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

ens. Ibidem poſt quædam: *Urbs autem Kioviа nimis valida ab Hoſtibus POLENIIS Hortatu Bolizlavi crebra Impugnatione concutitur.*

LVII. Aliter POLONOS dictos legimus: quos appellat POLLIANOS Ademarus, Chabanenſis Monachus [Anno 1030 ſuperſtes] in Chronico, quod Philippus Labbæus in Bibliotheca MStorum Tomo II, Pariſiis M. DC. LVII. edidit: de Adalberto: *Pedibus nudis abiit in POLLIANAM Provinciam.* Ibidem poſt quædam: *Convertit ad Fidem Chriſti quatuor iſtas Provincias, quæ antiquo Paganorum Errore detinebantur: ſcilicet POLLIANAM, Sclavaniam, Wavedoniam, Cracoviam.* BOLANOS Wippo Presbyter [Anno 1040 ſuperſtes] in Imperatoris Conradi Salici Vita, Cap. IX: *Bolislaus Sclavigena, Dux BOLANORUM.* POLANOS Adamus, Canonicus Bremenſis [Anno 1077 declaratus] in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Lib. II. Cap. X: de Slavania: *Decies major eſſe dicitur, quam noſtra Saxonia, præſertim ſi Boemiam, & eos, qui trans ODERAM ſunt, POLANOS, quia nec Habitu, nec Lingua diſcrepant, in Partem adjeceris Slavaniæ.* Et in Opuſculo, quod de Situ Daniæ conſcripſit, Cap. CCXXI: *Deinde latiſſima POLANORUM Terra diffunditur: cujus Terminum dicunt in RUZZIÆ Regnum connecti.*

LVIII. Eosdem SLAVOS, quô gaudent hodie Vocabulô, POLONOS [pariter Anno 1077 ſuperſtes] Lambertus Schafnaburgenſis Monachus nominat in Chronico ad A. C. 1015: *Imperator ad POLONOS cum Exercitu abit.* Ad Annum 1017: *Imperator contra POLONOS iterum Exercitum duxit.* Pari Voce nominat in Sæculi Duodecimi Scriptoribus, Otto Friſingenſis Epiſcopus in Chronico, Lib. VII. Cap. XIX: *Inde in Saxoniam divertens, POLONORUM Ducem cum multis Muneribus obvium habuit.* Radevicus Friſingenſis Canonicus in Chronico, Lib. I. Cap. I: *Menſe Auguſto contra POLONOS Procinctum movet. Eſt autem POLONIA, quam modo SCLAVI inhabitant.* Guntherus Poeta in Ligurino, de Friderici I. Cæſaris Rebus, Lib. VI. Verſu XII.

Conſtituit ſævis indicere Bella POLONIS.

Ibidem Verſu XXII:

Hæc Regio SCLAVOS complectitur atque POLONOS.

ANNO 550.
GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

Gotfridus, Viterbienſis Presbyter, in Chronico, Parte XVII. ad A.C. 1020: *Provincia POLONORUM Imperio noſtro ſolvit Tributum.* Nuba Scriptor Arabs [circiter Annum 1150 ſuperſtes] in Geographia, quam Gabriel Sionita & Ioannes Herſonita in Latinum verterunt, Parte III, Climate VI: *Prodeunt autem ea duo Flumina ê Monte Meluat vocato, qui Bohemiam dirimit â POLONIA.*

LIX. Proinde SILESII, quanquam ne tum quidem, cum fuerunt Sarmatis Slavis POLONIS conjuncti, deſierunt eſſe Germani: tamen Majorum ſuorum QUADORUM LYGIORUMque Nominibus Germanicis, aut exſtinctis, aut corruptis, aut præteritis, ſæpe SLAVI, quod SLAVIS cohærerent: ſæpius, quod & ipſi Partem maximam in plana Terra viverent, & Imperii Polonici Populus aut eſſent, aut fuiſſent, Scriptoribus interdum vetuſtis, interdum etiam recentioribus POLONI vocantur: revera, nec SLAVI, nec POLONI, ſed GERMANI, ut ex ſubſequentibus patebit. Cosmas Pragenſis in Bohemiæ Chronico, Lib. III. ad Annum 1109: de Sileſiorum Urbe Glogovia: *Intrat POLONIAM, & circa primum ejus Oppidum GLOGOII diſpoſita Obſidione devaſtat eam.* Imperator Carolus IV. in Commentario de Vita ſua: ubi de Sileſiorum Ducatibus agit: *Ducatus OPAVIÆ, ſicut alii POLONIÆ Ducatus, ad Regem Bohemiæ & Coronam Regni Reſpectum habere dignoſcitur.* Theodoricus Niemus in Unionis Nemore, Tractatu VI. de Imperatore Carolo IV, Luſatiam vicinam Sileſiæ Provinciam occupante: *Ac etiam* [Boemiæ adjecit] *Luſatiam, quæ inter Fines Saxoniæ, Miſniæ & POLONIÆ conſiſtit.* Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV, ad Annum 1096: de Sileſiorum circa Niſſam Fluvium Terra: *Eam Partem POLONIÆ, quæ circa Fluminis NISSÆ conſiſtit Oram, invadens.* Ibidem ad Annum 1109: de Sileſiorum Oppidis ad Viadrum, Leubuſio locutus, & Bythonia locuturus: *In POLONIÆ ulteriora proceſſit, & continuo Gradu ad Territorium BITHOMIENSE pervenit.* Matthias Michovius in Polonorum Chronico, Lib. I. Cap. II: *Cæteri verò SLESITÆ, & qui in plana Terra Manſionem ſortiti ſunt, â Iugis Montium remoti, POLONORUM Nuncupationem acceperunt â POLE, quod eſt PLANITIA ſeu Campus, & non â POLO Arctico,*

ANNO 550.
GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

Arctico, quoniam non ſubſunt ei. Verum enim verò, quoniam prima Arx & Sedes Lech, quæ eſt Gnezna, fuit in Terra planâ, eorum, quibus Nomen POLONORUM inditum erat, ideo omnes præfatæ Provinciæ POLONIA dictæ ſunt, tanquam Membra â Capite & ſui Principis primæva Arce. Longiſſima itaque latiſſimaque POLONORUM fuit Patria. Stanislaus Sarnicius in Polonicis Annalibus, Lib. V: *Contra Sorabos* [Luſatos] *Marchia Landsburgenſis* [poſita eſt]: *contra POLONOS SYLLESIOS Marchia Miſnenſis.*

LX. Hæc POLONORUM Nominis, quod ſimul Germanos SILESIOS & Sarmatas SLAVOS indicat, Uſura duplex multas horum diverſiſſimorum Populorum Rebus objecit Nebulas: quoniam ſub uno, tum Nomine, tum Regimine comprehenſorum Diſcrimen ignorantes, propria SILESIIS ad POLONOS, & propria POLONIS ad SILESIOS retulerunt. Quô magis oportet tam SILESIORUM, quam POLONORUM Antiquitatibus addictos, generale Nomen & SLAVORUM & POLONORUM, non ubique SILESIOS deſignans, utrum hos, an illos denotet, majore Curâ ſubjicere Iudicio. Quare nos in hoc Libro, ne ambigua Vocum Notio Hiſtoriam noſtram turbet, quemadmodum à Germanicis Slavicas, ſic à Sileſiacis Polonicas Res diſſimili Nominum Formâ ſeparabimus.

SILESII quamvis Cognomento aut SLAVI, aut POLONI, revera GERMANI.

LXI. Res non ſemper Nominibus æſtimandas, quoniam hæc illis ſæpe citra Convenientiam imponuntur, innumeris Exemplis conſtat. Non igitur par eſt, ut ideo SILESII, quoniam vel SLAVI, vel POLONI quondam vocabantur, vel pro SLAVIS, vel pro POLONIS habeantur, quibus erant conjuncti. Certè, non ea, licet diuturna, cum SLAVIS POLONIS Societas obſtitit, quô minus SILESII permanerent GERMANI.

LXII. Nam Populum a Populo diverſus & Ortus, & Locus, & Sermo juſtum in Modum diſtinguit. At SILESII, antequam in Terras ſuas recipiebant SLAVOS, non tantum Origine QUADI & LYGII, hoc eſt, GERMANI erant: ſed antiquiſſimas etiam intra Germaniam,

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

niam, circa Sarmatiam, Sedes, in Sæculum nonum retentas, poſſidebant: quod de Sileſiorum Majoribus Liber noſter jam demonſtravit. Quô igitur Pactô SILESIOS, intra Patriam ſuam, Germaniæ Provinciam, GERMANOS, illa cum Slavis Connexio ex GERMANIS efficere potuit SLAVOS?

LXIII. His quædam oppoſiturus, primum SILESIOS, ais, non cum SLAVIS Conjunctio, ſed SLAVORUM in SILESIOS Iurisdictio declaravit SLAVOS. At enim, quæ SLAVORUM, inter initia præſertim, Poteſtas in SILESIOS fuerit, propterea nos latet, quoniam ignoramus, quænam SILESIOS SLAVIS Societas, utrum Lege nulla, ut victos Victoribus; an certa Lege, tanquam deditos validioribus, quandamque Libertatis Partem ſibi reſervantes; an, ut æquales paribus, aut primum conjunxerit, aut poſtea retinuerit conjunctos. Fac, SILESIOS SLAVIS ſeu Vi, ſeu Voluntate ſubditos. Numquid ſola Iurisdictio, cui Populus ſubeſt, talem facit Populum, qualis eſt ille Populus, cujus patitur Iurisdictionem: ſeu ſimplicem, quæ jus dicit, non exſequitur: ſeu cum Imperio, quæ Ius & dicit, & exſequitur: eamque ſi penitus inſpicias, ſeu mixtam, unde provocari poteſt: ſeu meram, Appellatione carentem, id eſt, liberam? Quis Gallorum Iurisdictioni Germanos Alſatos ſubjectos neſcit? Nemo tamen ideo Alſatos pro Gallis habendos cenſuerit. Crosnenſes Iurisdictio Marchica Sileſios permittit eſſe, non affirmat eſſe Marchicos. Non igitur SILESII, quamvis Sarmatarum, Slavorum, Polonorum Ditioni ſubjectos fuiſſe ſtatuas, evaſerunt SARMATÆ, SLAVI, POLONI.

LXIV. Deinde SILESIOS, inquis, etſi neque Generatio, neque Regio, neque Iurisdictio, tamen ipſa Lingua, cum hæc pro Germanico Sarmaticum Slavicum Polonicum induit Habitum, in Sarmatis SLAVOS, & in Slavis POLONOS reddidit. Num verò peregrinæ Linguæ quilibet Uſus Populum alterius Populi, ad quem, ut nativa, pertinet, Partem eſſe loquitur? An omnes Slavice loquentes ſunt Slavi: omnes Polonicè loquentes ſunt Poloni? De quibus Iodocus Ludovicus Decius in Polonorum Vetuſtatibus Lib. I: *Conformem de Lechitis Rationem ab ipſo primo Principe Lechio, qui in Plani-*

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

Planicie conſederant, quam Pole, id eſt, Campos dixere: inde Poloniam Initium ſumſiſſe perhibent: id aſtruentes ex eo, quod Linguæ Commercium hæ Gentes in hanc Diem habeant: atque ita omnium Gentium, qui Slavonica utuntur Lingua, Slavos Parentes fuiſſe aſſerunt. Certè non magis omnes GERMANI, Slavicè loquentes, ideo SLAVI ſunt: quam omnes SLAVI, Germanicè loquentes, ideo ſunt GERMANI. Quamobrem Albertus Krantzius, quia Bohemos ob Germanicæ Linguæ non infrequentem Uſum pro Germanis habuit, Cenſuram meruit Martini Cromeri, de Polonorum Rebus, Lib. I. Cap. VI. *Quod*, inquit, *idem Crantzius ex Uſu Germanicæ Linguæ non infrequenti apud Boemos, addam ego, & apud Polonos, & ê Germanis Concionibus colligit, eos Germanicam Gentem eſſe: eâdem Ratione colligat, licebit, Italos vel Latinos eos eſſe. Nam hæ quoque Linguæ in Uſu eſſe cœpere, apud Polonos præſertim. Hiſpanis quoque & Italis noſtrâ Tempeſtate, iis præſertim, qui vel militarunt, vel negotiati ſunt in Germania, non inſolens eſt Uſus Linguæ Germanicæ. Ne Latinæ quidem olim fuit Græcis, cum Romanis parerent: neque Romanis Græcæ. Ergòne iidem erunt aut Græci cum Romanis, aut Itali & Hiſpani cum Germanis. Non rectè hic ratiocinatur Crantzius.*

LXV. Inde non immerito quæras, ſi Slavicæ Linguæ quisquam, etſi non quilibet, quisnam oſtendat Uſus Natione SLAVUM? Non privatus, qui voluntarius eſt. Sic enim Gallos ex Germanis Gallica, Germanos ex Gallis Germanica Lingua procreabit. Non publicus, quamvis neceſſarius: ad quem Obligatio SILESIOS Slavis ſubditos, non SLAVOS ipſos demonſtrare potuit.

LXVI. Num autem SILESII Slavos adepti Socios, ſeu primis, ſeu cœteris Temporibus, tam publicè, quam privatim, vel omnes, vel plures Slavicè, non Germanicè locuti ſunt? Olim, non addit, quando, univerſam SILESIAM Slavicè locutam, ut eſt in aſſerendis audax, Bohuslaus Balbinus in Miſcellaneis Bohemicis affirmat Decade I. Lib. III. Cap. XX. §. V: *Quid ego*, inquit, *de SILESIA loquar, quam UNIVERSAM olim SLAVICA LINGUA locutam, & Poloniæ Nomine cenſam, Polonis Principibus Piaſtææ Gentis paruiſſe, omnes Hiſtoricorum Pueri*

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

[*ut Græcanicè dicam*] *sciunt.* Ubi, More solito, falsum vero miscet. SILESIAM olim Poloniam dictam, olim Polonorum Principibus Piastæis paruisse constat: UNIVERSAM olim SLAVICA LINGUA locutam quomodo Historicorum sciant Pueri, quod Viri, quod Senes ignorant?

LXVII. Nam primum quis hoc tradit Autor, cui non desit Autoritas: qui Causâ non cadat, si Probatio deficiat: si Testimonium, quod ipse non præstare potest, idoneum non afferat? Non diffitemur quidem: suasit, &, quod majus est, imperavit omnino SILESIIS Germanis cum POLONIS Slavis Societatem colentibus, creberrimum Slavici Sermonis Usum, & domi, & foris, quotidiana cum Slavis agendi Necessitas. Sed an non par, si non major POLONOS Slavos impulit cum SILESIIS Germanis agendi Necessitas ad Germanicæ Linguæ Culturam? Certè Slavis quondam ut horridior, sic difficilior fuit Lingua. Procopius Lib. III. de Bello Gothico, Cap. XIV: de Sclavenis & Antis: Ἔσι δὲ καὶ μία ἑκατέροις φωνὴ ἀτεχνῶς βάρβαρος. *Est autem & una utrisque Lingua inartificialiter barbara.* Proinde citius Slavi Germanicas multô leniores, quam Germani Slavicas longè duriores Voces addiscere potuerunt. Sanè, si ex perpetuo Sermonis Commercio colligis, quondam omnes in Silesia Germanos Slavicè locutos: non video, cur ex eodem non etiam colligas, quondam omnes in Silesia Slavos Germanicè locutos. Ergo tum in universa Silesia nulli vel Slavi Germanicam, vel Germani Slavicam Linguam consecuti, cæterorum Interpretes fuerunt?

LXVIII. Deinde, si unquam, quô Ævo SILESIA universa locuta est Slavicè? Non inter Imperii Slavici, quod Silesiam comprehendebat, Initia. Non enim adeo repente Linguam Germanicam cum Slavica dissimillima permutare potuit totus Silesiorum Populus. Temporum verò Diuturnitas, ad Sæculi octavi Exitum, quin Sermonem, quamvis non omnibus, tamen plurimis, ut Germanis Silesiis Slavicum, ita Sarmatis Slavis Germanicum reddiderit familiarem, vix erit, cur dubitetur. Sub Principium Sæculi noni, cum Imperium in Occidente Romanum Carolus Magnus, Francorum Rex, instauravisset: Germani Sarmatis prævalentes, passim Slavos, tanquam Possessores injustos, in Germaniæ Provinciis subigebant: ipsasque Silesiorum Terras ab Exterorum jugo vindicandas ingrediebantur. Hoc Pacto fiebat, ut cæterorum Germanorum Exemplum imitantes, quos interdum Auxiliatores habebant, SILESII magis magisque SLAVORUM & imminuerent Potentiam, & abjicerent Linguam: ut ex proferendis patebit.

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

LXIX. Sed fingamus, aliquando SILESIAM universam Slavicè locutam. Num SILESII, tum Slavicè loquentes, non amplius Germanicè loqui potuerunt: quia Germanicam Linguam vel Oblivione contriverant, vel nunquam didicerant? Crede, SILESIOS, quamdiu SLAVIS conjuncti fuerunt, vel omnes, vel plurimos, cum privatim, tum publice, potissimum in Iudiciis, Slavice cum Slavis locutos: num par, ut ideo credas, vel avitæ Linguæ Notitiâ destitutos, vel eâ non usos in Negotiis cum Germanis, seu Indigenis, seu Alienigenis, intra Moraviam, Bohemiam, Lusatiam, Marchiam vicinis?

LXX. Præterea constat ex antiquissimis plurimarum Rerum Nominibus, intra SILESIAM obviis, revera GERMANICIS, ne tum quidem, cum SLAVOS haberent Hospites, defuisse publicum Germanici Sermonis Usum SILESIIS. Fallit enim [ut creberrime solet] Bohuslaus Balbinus in Miscellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. II. Cap. V. cum scribit: *Rectius Henelius nobilissimæ Gentis nobilis Scriptor ait: eos, qui SILESIÆ & CIVITATUM ac LOCORUM in ea Origines aliunde, quam ex SLAVICA LINGUA petant, GRAVITER INSANIRE.* Quod repetit Lib. III. Cap. XX: *Henelius*, inquiens, *pereruditus Scriptor, & Silesiæ suæ nobilis Historicus, ait, GNAVITER INSANIRE illos, qui ORIGINEM URBIUM & OPPIDORUM SILESITICORUM & NOMINA aliunde, quam è SLAVICA LINGUA conantur deducere.* Ubi quantum Henelii cum Verbis Mentem Balbinus pervertat, Henelius ipse nobis indicat: cujus hæc sunt in Silesiographia, Cap. I: *Non facile pro certo dixerim* [Silesios sive Slezacos, quasi Convenas dici Polonicâ Linguâ:] *& perquirant alii, qui LINGUÆ POLONICÆ non ignari. Ex hac enim sola NOMINIS SILESIÆ, ut & URBIUM VETUSTIORUM, Rationem petendam esse, altè mihi sedet. Quod qui negare audebunt, & mero Meridie lucere, per me quidem negent.* Nam Henelius, Scriptor utique

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

cordatus, Balbinô rectius ſtatuit: ex *Polonica Lingua ſola* petendam eſſe Rationem *Nominis*, cum *Sileſiæ*, tum etiam *Urbium*, non promiſcuè quarumvis, ſed *vetuſtiorum:* licet à Germanis, non Slavis, conditarum, Germanicôque prius Vocabulô, deinceps in Slavicum converſô, retentoque ſignatarum: non, quatenus his, tanquam majoribus, opponuntur, etiam *Oppidorum*, aliorumque *Locorum*. Porro, id audentes negare, moderatior Cenſor, *mero Meridie lucere*, id eſt, aperta *negare:* non autem, ut Interpres durior aſſerit, & *gnaviter, & graviter inſanire* putat. Ita ſæpius Memoriæ (cui malumus imputare) nimium conſiſus Balbinus Sententias Autorum, quos citat, in alienum deflectit ſenſum: ideo tamen laudandus, quod interdum Nævos ſuos & agnoſcat, & profiteatur.

LXXI. Henelium certè non niſi quarundam, & vetuſtiorum quidem Urbium Nomina Ortu Polonica judicare, docent ipſa plurimarum Sileſiacarum Urbium manifeſto Germanica Nomina. Quis enim, niſi Germanici Sermonis expers, non Germanici Nominis Urbes ſtatuat, *Bernſtadium, Bobersbergam, Bolckenhainum, Creutzbergam, Cunſtadium, Engelsbergam, Falckenbergam, Feſtenbergam, Franckenſteinium, Freibergam, Freiſtadium, Freiwaldam, Freihanum, Freudenthalium, Fridebergam, Frideckam, Fridlandium, Gebbersdorfium, Georgenbergam, Goldbergam, Gotsbergam, Greiffenbergam, Grunbergam, Habelsuerdam, Haynoviam, Henrichaviam, Hirſchbergam, Hernſtadium, Hundesfeldam, Iægerndorfium, Kaltenſteinam, Ketzerdorfium, Kunsbergam, Kupferbergam, Landeshuttum, Lauterbachium, Lœwenium, Leuenbergam, Liebenaviam, Liebenthalium, Monſterbergam, Naumburgum, Neukirchenium, Neurodam, Neumarcum, Neuſtadium, Niclasſtadium Oderbergam, Olavium, Pauerwicium, Reichenbachium, Reichenſteinam, Reichenthalium, Roſenbergam, Schmidebergam, Schœnaviam, Schweinicium, Silberbergam, Sommerfeldam, Steinaviam, Suebuſium, Trachenbergam, Waldenbergam, Wartam, Wartenbergam, Weidenaviam, Weiskretſchemium, Wigſtædelium, Wogſtadium, Wolaviam, Ziegenhalſum, Zuckmantelium, Zulauffium?* In quibus vetuſtiſſimas reperiri Urbes, à Sileſiis Germanis, adhuc Slavorum Polonorum Sociis, excitatas: vix erit, cur dubitetur. Sane VRATISLAVIAM

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

LAVIAM ipſam, ſatis antiquam, non, ut vulgo creditur, Slavicum, ſed Germanicum inter Initia Nomen habuiſſe, commemorabimus Cap. VII. §. LII. & ſequentibus.

LXXII. Et, an non errabit, quisquis omnia cæterarum Sileſiacarum Urbium Nomina Polonica declaraverit: qualia ſunt [ut quædam proferamus] *Auraſium, Beuthena, Bicina, Bilicium, Boberavia, Boleslavia, Brega, Cantium, Cœbena, Coſela, Crappicium, Croſna, Glacium, Glogovia, Grotkovia, Guravia, Iablunca, Iavoria, Lœhnum, Leobſchucium, Lignicium, Liſſa, Meziboria, Milicium, Namslavia, Niſſa, Olſna, Oppolia, Parchuicium, Pleſſa, Praußnicium, Pribuſium, Ratiboria, Rauda [Ruthena] Saganum, Soravia, Sprottavia, Strela, Strelicia, Strigovia, Stroppavia, Tarnovicium, Teſchenium, Troppavia, Winzigia, Zullichovia?* Quis enim ſatis certus eſt, an non in Nominibus his multa Germanicam ex Vocabulis omnino Germanicis, ſed partim non amplius uſitatis, partim Slavicè formatis Originem trahant?

LXXIII. Accedit huc, quod inter Nomina, quæ Sileſiorum Rebus impoſita ſunt, multa pro Slavicis habeantur, quæ, ſi non potiori, tamen pari Iure pro Germanicis haberi poſſunt. Nam, ſi peculiaris hæc Slavorum Sermoni Prærogativa non contigit, ut Voces ab Exteris receptas poſſideat nullas: non videmus, quomodo fieri potuerit, ut Germani Slavicas, non autem Slavi Germanicas Vocabulorum Radices admitterent. Hinc, quemadmodum Slavi [quod Vero ſimillimum eſt] plurima Sileſiorum Rebus jam dudum adhærentia Nomina Germanica, quibus exprimendis non fuerunt, ad Oris ſui Genium accommodantes corruperunt: ita [quod ſagacior quisque videt] non præter Cauſam inter curioſos, de multis oritur Vocabulis Dubium, Germanicis, an Slavicis annumeranda ſint Originibus.

LXXIV. In Exemplum ſit Oppidum Sileſiæ NIMICIUM, in Bregenſi Ducatu ſitum: quod Milliaribus ſeptem Vratislaviâ, duobus Francofteinâ diſtat. Id à Germanis, non à Slavis conditum [ab Henrico II. Imperatore, Polonos debellante, cum Annus 1017 ageretur, obſeſſum] teſtatur Ditmarus, Martisburgenſis Epiſcopus, in Chronico. Lib.

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

VII: *Duodecim Legiones* [Imperator] *ad Urbem, eò, quod â noſtris* [Germanis] *olim ſit condita, NEMETZI dictam præmiſit.* Huic Urbi Germanicæ Nomen, cui Germanicum neſcio quod Germani Conditores indiderant, Poloni Slavicum, quod etiamnum illa poſſidet, impoſuerunt. NIEMEZ enim Polonis GERMANUM denotat. De quô Martinus Cromerus in Polonorum Rebus, Lib. XXII, ad Annum 1451: *Ioannes NIEMEIZ, quô Nomine Poloni GERMANUM appellant.* Inde quis non videt, NIMICIUM, vetuſtiſſimum Oppidum, tenere Nomen quidem Polonicum, ſed quod è Germanico mutatum eſt in Slavicum?

LXXV. In clarius Exemplum adduci poteſt Sileſiæ Flumen, olim ODORA, nunc ODERA: cujus Nomen Ortu Slavicum ſtatuit Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. I. Cap. IV: de primariis ſeptem Poloniæ Fluviis: quibus, ut ait, *Nomina ſua Lingua Slavonica dedit: ODRA alter: quaſi ſpolians eo, quod præcipiti Curſu ſuo Spolia Nemoribus & Campis ſolitus eſt inferre.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus: *Lingua Heneta* [ſic vocat Slavicam] *eum Fluvium* [antea Guttalum dictum] *deinde nominavit ODERAM: quod, Teſte Dugloſſo, eſt â rapiendo vel ſpoliando: quod Inundationibus crebris late vicinos Campos vaſtet.* Franciſcus Faber in Sileſiæ Chronico MSto, Cap. I: *Noſtrates enim* [Polonorum Sermonem intelligentes & adhibentes] *ODERAM nuncupant ab Aucupibus mutuato Vocabulo, qui Speculas Avibus captandis conſtitutas ODRI appellant.* Cur autem Ortu Slavicum ODORÆ Nomen eſt? Quoniam in Bohemorum, Polonorum, aliorumque Slavicorum Populorum Lingua reperitur? Ideo Germanicum non eſt? Unde conſtat, huic Amni, cujus Accolas demum circiter Annum Chriſti 550 egerunt, Slavos indidiſſe, non arripuiſſe quondam â Germanis inditum ODORÆ Nomen? Nos, cur pro Germanico haberi non debeat, reperire Cauſam non poſſumus. Nam, quid obſtat, quo minus VIADRUM Germani, tum alii, tum SILESII, quorum intra Fines antiquos, ad Oppidum ODERAM, Fons ODERÆ dimanat, velut Regionis ſuæ quandam VENAM, Linguâ ſuâ dixerint DIE ADER? Ideo videtur Exteris Germanica Nomina vel Latinum, vel Græcum in Modum flectentibus VIADER, VIADERUS, VIA-

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

VIADRUS nominatus. Certe ODERA, non incelebris Germanorum Fluvius, jam Sæculo ſecundo, quatuor Sæculis ante Slavorum Sedes ad Oderam poſitas, invenitur Οὐίαδος, VIADUS Claudio Ptolemæo dictus in Antiqua Geographia, Lib. II. Cap. XI. Ubi rectius Οὐιάδρος, VIADRUS, Latinè VIADER appellari judicatur. De quo Philippus Cluverius in Antiqua Germania, Lib. III. Cap. XLIX: de Viado: *Eſſe hodie eum, qui Vulgo dicitur DIE ADER, & variante Dialecto, ODER, nemo dubitat. Ideoque plerique in Ptolemæo Vocem* Οὐιάδα *correxerunt in* Οὐιάδρα, *tanquam â Nominativo* Οὐίαδρος. *At ego vereor, uti hoc etiam ſatis rectè. Poſtea quippe in Recenſione Nationum Germaniæ, ejusdem Amnis Genitivus Caſus, qui antea erat* Οὐιάδα, *dicitur* τᾶ Ἰαδέα. *Poterat heic equidem τὸ ᾶ Incuria imperiti Librarii omiſſum eſſe, quia idem præcedebat in Articulo τᾶ. At eâdem Facilitate in* Οὐιάδα *Transpoſitio Literarum eſſe potuit, pro* Ἰάδρα. *Hoc certè propius accedit ad genuinum Amnis Vocabulum, quô etiamnum appellatur DIE ADER.* Ἴαδρος *igitur fuerit Ptolemæo, Græca Formatione, qui Latinè IADER. Haud tamen diſſimulaverim, apud Marianum quoque, qui Geographica ſua â Ptolemæo ſe habere, palam profitetur, legi hujus Amnis Genitivum Caſum* τᾶ Οὐίδα: *unde haud temnendum Argumentum, omnino Ptolemæo id Vocabulum fuiſſe* Οὐιάδρος, *VIADER. Neque enim de Litera ρ quicquam dubitari poteſt, quandoquidem genuinum id Germanumque Amnis Nomen etiamnum durat. Helmoldo in Chronico* [Lib. I Cap. II.] *dicitur ODORA: non Germanica, ſed Slavorum tunc accolentium ſic Dialecto. Sic quippe etiam nunc Czechis ſive Bojohemis, Vinidis Adcolis & Polonis aliisque ejusdem Generis Populis vocatur.*

LXXVI. Hinc colligas, VIADRUM, quia primis ad eum Habitatoribus Germanis aut DIE ADER, aut die ODOR diceretur: quemadmodum Sileſiis plebejis, potiſſimum Agricolis, etiamnum dicitur: unicâ Litera in utroque Vocabulo mutatâ, ſicut hodie dicitur, dictum fuiſſe DIE ODER: unde Latinum ODERA: idque Nomen habere non Slavicam, ſed Germanicam Origenem, Slavis multo antiquiorem. Tantum abeſt, ut vetuſta rerum ſuarum Nomina, ſeu omnia, ſeu pleraque Sileſii Slavis, ut potius Slavi Sileſiis debeant.

LXXVII

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

LXXVII. Quantum igitur perſpicere licet: Bohuslaus Balbinus, cum Sileſiam univerſam Slavice locutam commemorat, quorundam commentitiam ſequitur Opinionem, SILESIOS veteres, QUADOS & LYGIOS, aut ſponte profugos, aut Vi depulſos, reliquiſſe totam Regionem ſuam inanem advenientibus Slavis occupandam. Hoc enim fingentibus credidit; quod indicat in Miſcellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. II. Cap. XV: *Poſtea*, inquiens, *maximam Mutationem SILESI ſubiit: cum Venedorum Populi ſucceſſere, & prioribus Incolis Sponte vel Vi adactis, & alio migrantibus, qui remanſerant, in unum Populum coaluere.* Ibidem poſt quædam: *Conficitur & illud: malè SILESIOS ſuperiores QUADOS appellari: cum Quadi Conſenſu omnium Scriptorum Suevica & Germanica Gens fuerit: quæ pridem eſt exſtincta. At SILESII ſuperiores Sarmatica Gens eſt, & Colonia ducta Slavorum vel Polonorum.* Non ergo mirum, ſi veterum SILESIORUM Germanorum, QUADORUM & LYGIORUM Populus univerſus erat deletus, per SLAVOS Succeſſores, hodiernorum Sileſiorum Majores, SILESIAM univerſam Slavice locutam. At omnes SILESIOS veteres, id eſt, QUADOS & LYGIOS evanuiſſe, cum SLAVI vel intrarent, vel intraviſſent Sileſiam, in tantô majorem, & Fabularum Fidem, & Slavorum Gloriam, â quibusdam, non vetuſtiorum, ſed recentiorum Temporum Scriptoribus inventum eſſe, jam oſtendimus in Antiquitatibus de SILESIORUM Majoribus, Cap. XXI.

LXXVIII. Nondum igitur demonſtratum eſt, SILESIAM univerſam olim Slavicè locutam. Sed fac, SILESIOS, quamvis Germanos, & in Negotiis domeſticis, & in Iudiciis publicis omnes communi, partim Conſuetudine, partim Lege, non niſi Slavicè locutos. Non hinc ex iis factos Natione SLAVOS agnoveris. Non enim, cui univerſo peregrini Sermonis Uſum, aut Neceſſitas præcipit, aut commendat Utilitas, ideo, quaſi patriô ſimul & Ortu, & Solô, & Iure privatus, deſinit eſſe Populus Germanicus. Errant proinde, qui Majores hodiernorum SILESIORUM non QUADOS, non LYGIOS, ſed SLAVOS ſtatuunt: cujus Aſſertionis nullum in Slavica, id eſt, Polonica Lingua quondam SILESIIS uſitata reperire poſſunt Præſidium.

LXXIX.

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

LXXIX. Præterea nondum eſt, cur SILESIOS, quamvis olim Familiis ſuis SLAVOS miſcuerint: & poſtea ſeu propinquos, ſeu longinquos Germanos alios ſuæ Nationi, velut inſititios Cives, in Iurium Bonorumque publicorum Communionem admiſerint: hodie, tanquam dubiis, obſcuris, mixtisque Progenitoribus, ſeu SLAVIS, ſeu GERMANIS ortos, non tam Germanici Sanguinis, quam Stemmatis Slavici Majoribus præditos judicemus. Nam, ſi quævis Exterorum, præſertim pauciorum, Peregrinitatemque ſuam exuentium Acceſſionibus corroborata Gens mutatur in aliam: quis tandem in Orbe ſupererit Populus, qui ſuis aut gloriari, aut lætari poſſit Majoribus, certô ex Antiquitate Vocabulô, quod Majores, velut Radices, indicet, ſignatis? Numquid vel Luſatorum, vel Miſnenſium, vel Saxonum, vel Marchicorum Brandenburgicorum [ut aliarum Provinciarum Germanicarum Poſſeſſores Silentiô prætereamus] Populus non amplius pro Germanico æſtimandus, quoniam ipſius Majoribus SLAVI ſe conjunxerunt: tandem prævalentibus GERMANIS aut ſubacti, aut exſtincti? Certè non exigua, non minor, ſed major potiorque Pars ſuum Populis conciliat & Genus, & Nomen.

Quid SILESII Germani cum POLONIS Slavis conjuncti
Ab ANNO 550 ad 600 geſſerint.

LXXX. QUADI & LYGII veteres, quibus, unum Reipublicæ Corpus repræſentantibus, Nomen SILESIORUM recentius acceſſit, pro communi GERMANORUM Genio, hactenus non alias leges, niſi quas vel Natura cunctis Gentibus ponit, vel Principis & Populi Conſenſus approbat, receperant: Gubernatoribus, quos aut Duces, aut Reges vocaverunt, parere ſoliti: quemadmodum de Sileſiorum Majoribus Antiquitates noſtræ prodiderunt. Denique mutatis omnium Germanorum Rebus, Anno circiter 550, LECHUM Sarmatam SLAVUM, importunum alienarum Terrarum Invaſorem, quia declinare non poterant, primum, ſi Attilam Hunnum excipias, in Exteris non Germanis admittebant Rectorem: quem non nulli REGEM, plerique DUCEM nuncupant.

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

LXXXI. Sub eo, ſimul Sarmatarum SLAVORUM, ſimul Germanorum SILESIORUM Principe, quos unâ POLONORUM Appellatione priſcus Hiſtoricorum Stylus interdum deſignat, quid POLONI Slavi egerint, non referemus: quia nobis eſt Animus, nihil commemorare, niſi quod ad POLONOS SILESIOS, ſi non per ſe, tamen per Cohærentiam, ſpectat. In quorum Rebus, ne quod Lectoribus Tædium Ambiguitas procreet, ſicut SLAVOS à Germanis per POLONORUM, ita GERMANOS à Slavis per SILESIORUM Vocabulum diſtinguemus. Quid ſub LECHO SILESII geſſerint, non habemus cognitum: de quô altum in vetuſtis Annalibus eſt Silentium.

LXXXII. Non multô poſt ſuſceptum in Polonos & Sileſios Imperium, LECHUS extra Sileſiam, extra Poloniam minorem, quondam Sileſiæ, jam Poloniæ Partem, id eſt, intra majorem Poloniam, inventô Aquilæ Nidô, velut Regiminis & ſublimis, & felicis Omine, Propoſitum vel capiebat, vel confirmabat, ibidem Urbis condendæ, quam Polonica Voce, NIDUM indicante, vocabat GNESNAM: olim Ducis Regiam, nunc Primatis Archiepiſcopi Sedem. Ex eo Respublica Polonica pro Inſigni, quo etiamnum gaudet, AQUILAM recepit ALBAM, expanſis Alis erectam. De quo [diſſentientibus aliis] conſentiunt, Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. I. Cap. XXIV. & XXXVI. Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. I. Cap. I. Martinus Cromerus in Polonorum Rebus, Lib. I. Ioannes Herburtus in Hiſtoria Polonica, Lib. I. Cap. II. Salomon Neugebauerus in Hiſtoria Polonica, Lib. II. Cap. I. Simon Starovolſcius in Polonia, Cap. III. Ioachimus Paſtorius in Floro Polonico, Lib. I. Cap. I. Chriſtophorus Hartknochius de Polonorum Republica, Lib. I. Cap. II. §. VI.

LXXXIII. Talis AQUILA num SILESIIS etiam Inſigne fuerit, ſaltem, quam diu POLONIS cohæſerunt, in dubium vocari poteſt. Id affirmant, qui demum poſt Annum 1320, cum à POLONIS ad Bohemos SILESII receſſiſſent, mutatam cenſent: in qua non tantum Color albus in nigrum abierit, ſed etiam Pectus quodam Cingulo candido, ad Lunæ cornutæ Formam, ſignatum fuerit. Amplectuntur hanc Opinionem, Iacobus

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I
SILESIORUM Dux LECHUS I.

cobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. II. Cap. I. & Fridericus Lucæ in Sileſiorum Memorabilibus, Parte V. Cap. I.

LXXXIV. Nos huic Aſſertioni ſubſcribere non ſuſtinemus: quoniam etiamnum in antiquis Patriæ Monumentis, ante SILESIORUM à POLONIS ad BOHEMOS Tranſitum conditis, AQUILAM SILESIACAM reperimus POLONICÆ diſparem: qualem Inſignibus ſuis applicuerunt SILESIORUM Duces, Anno 1201 mortuus IAROSLAUS I. Boleslai Proceri Filius, Dux & Epiſcopus Vratislavienſis: Anno 1241. HENRICUS PIUS, in Prælio adverſus Tartaros peremtus Dux Lignicenſis: Anno 1290 humanis exemtus HENRICUS PROBUS, Vratislavienſium Dominus.

LXXXV. Quamobrem in eam propendemus Sententiam, jam circiter Annum 1140, cum poſt Boleslai III. Cognomine Diſtorti, Polonorum Ducis, Exceſſum, diviſis ad Poloniam pertinentibus Provinciis, ad ejus Filium ULADISLAUM hæreditario SILESIA Iure tranſiret, AQUILAM Sileſiis à Polonica diverſam & inventam, & receptam: quam deinceps Sileſiorum Duces, in Poloniæ Ducum Regumque Diſcrimen, & Imperio Polonico adhuc conjuncti, & ab eo ſeparati, conſtanter ad Ætatem noſtram retinuerint.

LXXXVI. Cæterum nihil à LECHO, nihil ſub eo geſtum invenimus, quod SILESIOS attineat: niſi quod eorum plenam Libertatem, poſt Attilam, Hunnorum Regem, primus aut oppreſſerit, aut imminuerit: nullo Iuris Colore, ſola Roboris Audacia, ut Barbarus. Idem quando finierit ſeu Vitam, ſeu Regimen: an è ſua Proſapia quendam Succeſſorem vel habuerit, vel habere potuerit, prorſus incertum eſt: diſſentientibus Hiſtoricis Polonicis.

LXXXVII. Eorum quidam LECHO Nepotes attribuunt: de quibus autem nihil referre poſſunt. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. I. Cap. XXXVIII: *Inter autem Filios & Nepotes primi Principis & Conditoris Polonorum LECH, ex illo Rebus humanis abſumto, nulla contingebat Diviſione & Diſſenſione interponi. Primus enim dum viveret, & communi omnium Deliberatione major natu in Solium & Principatum decedentis ſuccedebat. Quæ quidem Conſtitutio ſolidam caſtam-*

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

que habuit Observationem Exsecutionemque, donec universa Principis LECH per Lineam rectam descendens consumeretur Progenies, in longas Successiones, Ætates & Tempora derivata. Sub quibus omnia Memorabilia gesta & Bella à LECHONE & suis Nepotibus illata atque repulsa, & Res gestæ, quamvis illustres & memorabiles, & magnificæ, Casusque eorum & Successus, quibusque & quot Annis apud Lechitas seu Polonos gessere Imperia: quibus quoque fulsere Virtutibus & Moribus, aut quibus Vitiis abundarunt, & quæ in proprios & exteros ediderunt Facinora, Temporis Diuturnitate & Literarum Penuria, nullis tum apud Polonos exstantibus Scriptoribus & Literis, in perpetuam Oblivionem venere, ita, ut illorum Nomen obscurum prorsus sit & obsoletum. Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. II. Cap. IV: *Ex humanis autem LECH absumto, Filii ejus & Nepotes,* [*quorum quilibet Nomine avito LECH nominabatur*] *secundum senium principabantur. Sic enim Parens eorum cum suis Satrapis & Dignitariis constituerat, ut major natu dominaretur, prout dominati sunt per plures Genealogias & Successiones: quorum tamen gesta & egregia Facinora Scriptorum penuriâ vel Temporum Injuriâ perierunt: nec, quot Sæculis dominati sint, certo habetur.*

LXXXVIII. His, nullum Fundamentum habentibus, alii contrarii, LECHO fuisse Filium, aut negant, aut dubitant. Iodocus Ludovicus Decius in Polonorum Vetustatibus, Lib. I: de Lecho: *Imperii illius neque Principium, neque Finis certo habetur. Ab hoc LECHO quondam Lechitæ Gens appellabatur, apud quasdam Nationes in hanc Ætatem Vocabulo manente. Eô mortuô traduntur* [*Opinione potius, quam certâ Scientiâ*] *Filii sibi in Regno successisse, Patris avitôque Nomine LECHOS quoque appellatos. De qua Re nullæ reperiuntur certæ Traditiones.* Alexander Guagninus in Chronicorum Polonicorum Compendio, Cap. I: *Post Mortem LECHI nihil certi de legitimis Heredibus Successoribusque ejus reperitur, magnaque hac de Re Historiographorum Lis est. Sed hic Testamento moriens legaverat, ut aliquem dignum Virum ex sua Gente de Patria & Rebus bellicis bene meritum summæ Rerum præficerent: cui in omnibus obtemperarent.* Ioannes Herburtus in Historia Polonica, Lib. I. Cap. II

Quam-

ANNO 550.

GRÆCORUM Romanus Imperator IUSTINIANUS I.
SILESIORUM Dux LECHUS I.

Quamdiu verò LECHUS regnaverit, quid præclari Bello Paceque gesserit, quosve Liberos post se reliquerit, nihil comperti habemus. Ioachimus Pastorius in Floro Polonico, Lib. I. Cap. II: *Facilis Mutationi* [Polonorum Respublica] *fuit, cum vel LECHUS nullam Sobolem, aut non capacem Sceptri reliquisset: vel Populus Libertatis pertinax, uni in omnes dare Imperium nollet.* Id omnes concedunt, interiisse totam LECHI Familiam, intra Sæculum aut sextum, aut septimum.

LXXXIX. Tum igitur, vel cum LECHUS, vel cum ipsius Nepos ultimus exspiravit, utique SILESIORUM Germanorum, seu violento, seu voluntario Principio, præsertim ad Gentium non nisi naturales Leges, per mutuum Consensum excitata in Societatem cum POLONIS Slavis, sub eodem Capite continuandam, Obligatio, si non penitus evanuit, tamen alio Modo redintegranda fuit. De quo speciatim proferre nihil possumus: silentibus Chronicis omnibus, quæ consuluimus.

CAPUT II.
SILESIORUM RES.

ANNO 680.

GRÆCORUM Romanus Imperator CONSTANTINUS III.
SILESIORUM Gubernatores PALATINI.

I.

SILESII, post Ducem LECHUM I, quantum Conjectura docet, intra Sæculi Sexti postremos Annos amissum, quo per Annos plus quam LXXX Statu vixerint: num aliquem, an nullum Ducem habuerint: neque Polonorum, neque Silesiorum, nec alia Monumenta produnt.

ANNO 680.

GRÆCORUM Romanus Imperator CONSTANTINUS III.
SILESIORUM Gubernatores PALATINI.

II. Circiter Annum 680, quo Græcorum Romanus Imperator CONSTANTINUS III. Cognomine POGONATUS erat, Populus dissimillimis è Nationibus Germanis, SILESIIS & Sarmatis Slavis compositus, Imperii, quod ab unius Arbitrio pendet, jam pertæsus, Libertatem Principi anteponebat. Divisam in XII Regiones universam Terram committebat totidem Proceribus regendam: quos Polonis VOIEVODAS, id est, Belli Duces: Latinè loquentibus PALATINOS invenimus dictos. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. I. Cap. XXXIX: *Stirpe LECH, primi Parentis & Principis POLONORUM, radicitus sublatâ, primis Polonorum Proceribus & Nobilitate apud Gnesnam de Principe surrogando deliberantibus, id omnibus pro eâ Tempestate optimum visum est, ut Principatus Iugô soluti omnibus Viribus Libertatem sectarentur, & ad subeundum novum Iugum, cum antiquæ Recordationis Gravitate tenerentur, nulla Ratione assentirent. Monarchiæ itaque Statum abrogant: in quo pro Libidine impune agere omnia Reges & Tyrannos licenter viderant.* Ibidem post quædam: *Universis autem hanc Sententiam prona Approbatione secutis, ne Respublica in longas Terrarum Propagines derivata, sine Rectoribus remaneret: Leges patrias, & quas rudi illâ & agresti Sæculo sufficere arbitrabantur, in primis condunt. Deinde XII. Viros ex Proceribus innocentis Vitæ, & recentioris Spiritus Nobilitate & Divitiis præstantes eligunt, illisque Summam administrandæ Reipublicæ & omnium Quæstionum, Injuriarum, Differentiarumque Decisionem Punitionemque committunt.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. II. Cap. II: *Cum autem Stirps LECHI defecisset, POLONI Comitiis de constituenda Republica Gnesnæ habitis, ad neminem unum Principatum deferunt: vel quod in pari multorum Dignitate variarent Sententiæ, vel quod Monarchiæ ad Tyrannidem* [*ut sunt Res humanæ in deterius mutabiles*] *declinantis pertæsi jam essent. Duodecim verò ex omni Procerum Numero potentes & spectatos in primis Viros, deligunt qui, sive novô tunc Populi Placitô, sive usitatô etiam sub Principibus Institutô, suæ quisque Regioni, divisâ in totidem Regiones Polonia, præessent: & VOIEVODÆ, id est, Duces Belli & Copiarum, Vernaculâ Linguâ dicerentur. His Reipublicæ*

ANNO 680.

GRÆCORUM Romanus Imperator CONSTANTINUS III.
SILESIORUM Gubernatores PALATINI.

blicæ in Pace juxta ac in bello Summam in commune mandant. Eadem alii Rerum Polonicarum Scriptores narrant.

III. Iam, unum an plures: & quos, utrum POLONOS an GERMANOS SILESIA Præfectos acceperit, quæri potest. Nam illis Temporibus, quibus veteres Limites adhuc conservaverat, amplissima Provincia SILESIA fuit: in Meridiem, ultra Iabluncam, ad Danubium: in Orientem, ad Vistulam extensa, longissimum Spatium, per Cracovienſium Campos, in Wartæ Ripas diffusum possidebat: quod nunc minori POLONIÆ subest. POLONIA verò, quatenus à SILESIA distinguitur, tum nondum adeo multas sibi Terras subjecerat. Unde conjicias, è PALATINIS Numerum, etsi non æqualem, non tamen multô majorem POLONIS, quam SILESIIS præpositum.

IV. Occurrit porro, cur SILESIIS non Polonos, verum SILESIOS Palatinos datos esse, probabiliter colligas: quia, nisi Germanicæ Linguæ satis peritus, GERMANIS expeditum in Modum præesse non potuit: iisque facilius in Obsequio & Officio retinendis aptior GERMANUS, quam SLAVUS, ob discrepantes Mores, fuerit.

V. Accedit huc, quod sublatô LECHO simul SLAVORUM nativô, simul GERMANORUM peregrino Duce, liber uterque, tam SILESIORUM Germanicus, quam SLAVORUM Sarmaticus Populus, paris Iuris exstiterit: inter quos & Libertatis, & Honoris Æmulatio vix permiserit, ut vel Polonis alius, nisi POLONUS: vel Silesiis alius, nisi SILESIUS admitteretur Gubernator.

VI. His annuere videtur Iodocus Ludovicus Decius in Polonorum Vetustatibus, Lib I: de Lechô mortuo locutus: *Succesſere Iudices seu Principes PALATINI Duodecim, qui apud SARMATAS GERMANOSque Leges dixere. Quantum enim ultra VISTULAM Amnem POLONIS seu Sarmatis semper paruit, tantùm in GERMANIA Imperium retinuere.* Porro ibidem, cum Germanicas Poloniæ conjunctas Terras, in quibus SILESIAM reponit, indicavisset: *Sarmatum in GERMANIA Imperium diminutum est. Quod verò ad hæc Tempora Sarmatæ ultra VISTULAM Amnem tenent, GERMANIÆ quidem magnæ adscribitur, sed POLONORUM paret Imperio.*

VII. Erat

ANNO 690.
GERMANORUM Francorum Dux PIPINUS I.
SILESII à POLONIS ſeparati.

VII. Erat hoc PALATINORUM & in POLONIA, & in SILESIA Regimen infelix: quoniam incertum, omnes an plerique, Diſcordiâ, Superbiâ, Injuſtitiâ & Avaritiâ notabiles, prius Diſſidiis internis, poſtea Bellis externis Materiam offerebant. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Cap. XXXIX: *Ipſi quoque Duodecim Præfecti à Vulgo Ingeminatione Querelarum inſtmulabantur, quod, Republica poſthabita, privatis tantummodo Commodis & Utilitatibus cum Legum promulgatarum Prævaricatione inhiarent. Ex quo crebræ inter Præfectos & Communitatem Contentiones & Odia exorta bene fundatam Rempublicam peſſundare cœperunt.* Ibidem poſt quædam: *Paucis ſiquidem exceptis, cæteri inſolentes, arrogantes, & rixoſi facti, ſive id Natura Gentis, ſive Moles dilati Imperii cauſabat, impunita Transgreſſione, & ſuapte illecti, ad quæque illicita & noxia dilabebantur. Iam domeſticis & civilibus non contenti Facinoribus, etiam in vicinas & Regiones ſuas Factiones diffundebant. Hinc quoque Effectum, ut VICINÆ GENTES ab illis violatæ, variisque duris Bellis eos affligerent, &, in Regionibus POLONORUM nullo hoſtile Bellum repellente, graſſando illas pro Lubitu vaſtarent.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. II. Cap. II. de XII Palatinis: *Sed poſt aliquantô ad Ambitionem verſi, dum ſuo quisque Nutu omnia geri vult, & Rem privatam Potentiamque ſuam augere ſtudet, aſſentari Multitudini, ejusque Licentiam alere, ſuos quisque per Fas Nefasque defendere & evehere, Terrori eſſe iis, quos Benevolentiâ ſibi adjungere non poſſet. Inde Contentiones, Simultates & Factiones denique â Studiis Partium exortæ: inde Edicta & Imperia ipſorum vulgo negligi cœpta, Rempublicam ab unius Imperio ad paucorum Dominatum dudum traductam, nec multô poſt eò redactam, ut Rex jam ſibi quisque & Lex eſſet, pene funditus everterunt. Quibus Rebus commoti FINITIMI POPULI, Polonorum Vim atque Potentiam dudum veriti, & experti etiam, celatum bene ad eam Diem Timore Odium, atque Dolorem in apertum profundendum, & Armis vindicandum, Nomenque POLONORUM delendum, vel affligendum certè ſibi eſſe exiſtimarunt, tam luculenta Occaſione ſe offerente.*

VIII. Hoc

ANNO 690.
GERMANORUM Francorum Dux PIPINUS I.
SILESII à POLONIS ſeparati.

VIII. Hoc Rerum Statu, à quibus EXTERIS, quos Dlugoſſus VICINAS GENTES, Cromerus FINITIMOS POPULOS appellat, POLONI Bello petiti & afflicti fuerint, non in Polonorum Scriptis expoſitum invenimus. Illos igitur POLONORUM Hoſtes aliunde nobis cognitos fecimus. Gerentibus Polonicum Imperium PALATINIS, Dux Orientalium FRANCORUM, quos peritioribus GERMANOS fuiſſe conſtat, PIPINUS, Imperatoris CAROLI Magni Proavus, Pronepoti ſuo, Imperium in Occidente Romanum inſtauraturo, velut præluſurus, ſubactis Suevis, Bavaris, Saxonibus, multôque pluribus, ad Invidiam, in Metum cœterorum Populorum, auxerat ſuam Potentiam. Annales Francicarum Rerum Metenſes, quos Franciſcus Ducheſnius in Francicarum Hiſtoriarum Scriptoribus Tomo III edidit, ad Annum Chriſti 688: de Pipino: *Hinc Suavos & Bajoarios & Saxones crebris Irruptionibus frequentibusque Præliis contritos, ſuæ Ditioni ſubjugavit. Hæ enim Gentes olim & aliæ plurimæ multis Sudoribus acquiſitæ Francorum ſummo obtemperabant Imperio.* Hoc Pipinus Succeſſu formidabilis etiam fuit SLAVIS: quorum Legatis & Muneribus in Amicitiam ſtimulabatur Anno 692. Iidem Annales ad hunc Annum: de Pipino: *Confluebant autem ad eum circumſitarum Gentium Legationes, Græcorum ſcilicet & Romanorum, Langobardorum, Hunnorum quoque & SCLAVORUM, atque Saracenorum. Exierat enim Fama Victoriæ & Triumphorum ejus in omnes Gentes, ut merito propter Virtutem & Prudentiam ejus cunctæ circumſitæ Nationes Amicitiam illius magnis oblatis Muneribus imploravent.* Sed utrum Zechitis, hoc eſt, BOHEMIS, an Lechitis, hoc eſt, POLONIS, an utrisque SLAVIS metuendus PIPINUS, Suevorum, Bavarorum, Saxonum Domitor, adeo reverenter fuerit habitus, incertum eſt. Sanè FRANCOS etiam POLONIS formidabiles fuiſſe, monſtrabimus Cap. III. §. I.

IX. Quamobrem, ut Circumſtantiæ docent, SLAVORUM Rebus intra POLONIAM ad Annum 700 turbatis, GERMANI propinqui, fortaſſis SAXONES, Francis parentes, creſcentem POLONORUM non pertimeſcentes Potentiam, ſed deteſtantes Injuriam, quâ SILESIAM Corpori Germanico ſubtraxerant, propenſis ad Defectionem SILESIIS,

ANNO 690.
GERMANORUM Francorum Dux PIPINUS I.
SILESII à POLONIS Separati.

& Autores, & Auxiliatores, debellaturi SLAVOS in Poloniam irruperunt.

X. Tum certe SILESII, commodam Occasionem arripiendam esse statuentes, POLONIS per intestinas Contentiones fractis, tantôque magis ad GERMANORUM hostile Robur opprimendum ineptis, animosiores in Libertatem pristinam se vindicabant. De quô Alexander Guagninus in Chronicorum Polonicorum Compendio, Cap. II: de XII Palatinis: *sed multis & diversis imperantibus, Discordiæ & Ambitionis Impulsu, Bellis Civilibus, Cladibusque mutuis & intestinis se se afficiebant. Finitimæ verò Gentes, præcipuè GERMANI, Discordiâ Polonorum consideratâ, rebellare cœperunt, Iugoque excusso, SUAS PROVINCIAS, ab eis occupatas, recuperaverunt.*

XI. Cæterum, quamdiu Palatini POLONOS gubernaverint, dubium est. Ita, præter alios, sentiunt, Martinus Cromerus & Salomon Neugebauerus: à quibus dissentit Alexander Guagninus. Hic enim Polonicum Imperium Annis XX per PALATINOS administratum scribit. Eos, ad quorundam probabilem Chronologiam, POLONI, à quibus SILESII defecerant, Regimine circiter Annum 700 privabant.

CAPUT III.
SILESIORUM RES

ANNO 701.
GERMANORUM Francorum Dux PIPINUS I.
POLONORUM Dux CRACUS I.
SILESII à POLONIS Separati.

I.

POLONI, male Provincias suas à Palatinis gubernatas experti, amissis SILESIIS territi, de amittendis aliis soliciti, maximè ob GER-

ANNO 701.
GERMANORUM Francorum Dux PIPINUS I.
SILESII à POLONIS separati.

GERMANORUM FRANCORUM [quos Historici Polonici veteres plerique GALLOS perperam nominant] supra cæteros eminentem Potentiam, delendis SLAVIS imminentem, nescio, majorem Libertatis, an Salutis Curam gerentes, mutandum Regiminis Statum existimabant. Hinc, quemadmodum antea judicaverant, plures uni præferendas: Sic jam unum pluribus anteponendum censebant. Ideo inter GERMANOS, & FRANCIS repellendis, & SILESIIS revocandis idoneo summum Imperium conferebant CRACO: qui & CROCUS, & CROCCUS nominari solet. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. I. Cap. XLI: *Progredientibus in hunc Modum POLONORUM Rebus, & civili Discordia Collisioneque, & externa Hostilitate per Tempora plura debilitatis & afflictis, rursus omnis Nobilitas Vulgusque desiderare unum Principem Monarchamque cœpit. Quamvis enim Libertas experta dulcescceret, speciosaque & jucunda, ac omnibus præferenda esset, ad retinendum tamen Statum Reipublicæ, sub pluribus Rectoribus dilapsum, ne Servitutem ex Hostibus experiri cogantur, Libertatem abdicant, & ad regendos frequentes Populos, latasque Terras, ex Re visum est, unum Principem ac Rectorem assumere, illique parere.* Anonymus Polonus in Poloniæ Chronico MSto: quod, ut in præfatione fatetur, ex diversarum Ecclesiarum Annalibus, Procerumque Polonicorum Senum Narrationibus, post Vincentium Kadlubkonem [Anno 1226 mortuum: cujus Chronico MSto, in Vratislavienssium Rehdigeriana Bibliotheca subjectum reperitur] à Lecho ad Annum 1271, quô Boleslaus V. Pudicus, Polonorum Rex obiit, conscripsit: Cap. I: cum duodecim Palatinorum Mentionem fecisset: de Lechitis, seu Polonis: *GALLORUM* [id est, Orientalium FRANCORUM, Germanorum] *Impetum formidantes, quendam Virum strenuissimum, Nomine CRACUM, cujus Mansio pro tunc circa Fluvium Wislam fuerat, forte sibi divinitus inter Fratres suos Lechitas attributa, in eorum Capitaneum seu Ducem Exercitus, ut verius dicam: nam juxta Polonicam Interpretationem, Dux Exercitus Woyewoda appellatur, unanimiter elegerunt.*

ANNO 701.
GERMANORUM Francorum Dux PIPINUS I.
SILESII à POLONIS Separati.

II. Cujus Nationis fuerit CRACUS, in Quæstionem venit. Sunt, quibus Origine ROMANUS creditur, ex Tiberii & Caji CRACCHORUM Familia: quorum ille quidem Anno Urbis 620, ante Christum natum 131: hic autem Anno Urbis 632, ante C. N. 119, intra Seditionem, quam uterque moverat, Romanam occisus est, progenitus: quia Scriptoribus non nullis GRACCHUS dicitur. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. I. Cap. XLI: *Hunc GRACHUM existimant non nulli Romanum de Stirpe & Familia Grachorum Genus duxisse, & civili Seditione duobus Grachis Tiberio videlicet & Cajo Tribunitiam Potestatem immoderatè pro Lege Agraria exercentibus mota, Anno ab Urbe condita DC.II. Factione Principum, occisis, Româ relictâ, ad POLONOS quæsitum Otia & Latebras divertisse: & summâ Rerum apud POLONOS fortitum esse.*

III. Horum Sententiam refutat Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. II. Cap. III: *Conventu apud Gnesnam instituto, post longam Consultationem, una omnes Sententia ad CRACUM Principatum deferunt: quem nostrates quidam, Similitudine Nominis decepti, perperam GRACCHUM appellant, Romanumque Exsulem fuisse, & supra CCCC. vel, ut alii volunt, D. Annum, ante Christum natum apud POLONOS regnasse fabulantur. Quô quidem Tempore necdum POLONORUM Gens exstiterat: & incognitum, ni fallor, adhuc erat apud Romanos GRACCHORUM Nomen. Ac ne iis quidem Temporibus, in quæ nos hunc CRACUM conjicimus, aliquem de GRACCHORUM Familia superfuisse, in Romana Historia reperimus.* Consentientem habet Ioachimum Curæum in Silesiorum Annalibus: *Abrogato rursus Statu Aristocratico, delatum est Regnum ad quendam CRACUM: quem multi ineptè nominant GRACCHUM, & affingunt Fabulas de Romana Origine.*

IV. Aliis CRACUS Ortu SLAVUS existimatur. De quô minus convenit, utrum Zechitis, hoc est, BOHEMICIS, an Lechitis, hoc est, POLONICIS SLAVIS Natales suos debuerit.

V. Nam, secundum non nullos SLAVUS BOHEMICUS est, Zechi, é Slavis primi, Bohemorum Ducis, Nepos. Alexander Guagninus in Chronicorum Polonicorum Compendio, Cap. II: *Hoc Detrimentum &*

ANNO 701.
GERMANORUM Francorum Dux PIPINUS I.
SILESII à POLONIS Separati.

& Diminutionem Imperii sui Polonici ex Pluralitate Gubernatorum animadvertentes, Comitiis generalibus celebratis, ad CRACUM quendam sive Crocum, Virum tunc Temporis insignem de Genere CECHII oriundum, Sceptra deferunt. Ibidem Cap. III: *CRACUS Nepos CECHII, BOHEMORUM Principis, ad Imperii Polonici Fasces communibus omnium Suffragiis evectus.*

VI. At si ZECHUS BOHEMORUM Dux primus SLAVUS Liberos nullos reliquit, cui successit CROCCUS: quomodo CRACUS noster illius Zechi Nepos in Bohemia Successor esse potuit? Ioannes Dubravius in Historia Bohemica, Lib. I: *Defuncto sine Liberis CZECHIO, BOIEMI ex vetere Gentis Instituto, popularem Statum amplectuntur.* Ibidem post quædam: *Quibus Malis tandem defatigati* [Bohemi] *victique, rursus Animum ad reparandum Reipublicæ Statum convertunt. Et, cum Democratia non placeret, respicere Monarchiam, qualis sub Czechio fuerat, incipiunt. CROCCUS tunc erat, in quem Oculos suos omnes conjecerant, idoneumque esse putabant, qui in Locum Czechii succederet.*

VII. Secundum alios CRACUS est SLAVUS POLONUS, Lechi é Slavis primi Polonorum Ducis Filius. Inter hos est Wenceslaus Hagecius in Bohemorum Chronico ad Annum 674, & 711. Ab eo dissentit Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. II. Cap. III: ubi agit de Tempore, quô Cracus Polonorum Dux evaserit: *Vapovius quidem circa DCC. Annum â Christo nato id factum esse vult: fingitque idem LECHI Filium CRACUM sive CROCUM hunc fuisse: verum neque hoc, neque item alia multa nobis probat.*

VIII. In hoc, tum plerique, tum potiores consentiunt, CRACUM fuisse, non Exterum, sed POLONUM. Quia verò Temporibus illis POLONI vocabantur, non tantum SLAVI, sed etiam conjuncti Slavis GERMANI SILESII: ut Cap. I. §. LIX ostendimus: utrum SLAVUS an GERMANUS, isque SILESIUS fuerit, disputari potest. Nam, qui POLONUM statuunt, Assertioni suæ majorem Fidem â Domicilii Loco faciunt: quod CRACUS, amplis Possessionibus abundans, intra POLONIAM habuit. Habuit autem in Polonicâ non SLAVORUM, sed GERMANORUM eâ Terrâ, quæ Pannonum respicit Mon-

ANNO 701.
GERMANORUM Francorum Dux PIPINUS I.
SILESII à POLONIS Separati.

tes, ad VISTULÆ Fluminis, à Fontibus ex Ducatu SILESIORUM Teschinensi procurrentis, Lapidem XIII: hoc est, intra vetustæ SILESIÆ Partem Occidentalem, circa VISTULAM, olim QUADOS à SARMATIS separantem. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. I. Cap. XLI: de Polonis: *Scrutinio tandem diligenti habito, ad Virum quendam ad Fluenta WISLÆ* [id est, VISTULÆ] *& Regione ad Montes Pannoniæ porrectâ habitantem, animosum, strenuum, industrium, & solertem, Nomine GRAK, sive GRACHUM: quod & Specimine Ingenii cæteris præstare, & cujus Probitatem plurimis jam Experimentis didicerant clarescere, universi sua Vota concordi Deliberatione convertunt.* Matthias Michovius in Polonorum Chronico, Lib. I. Cap. V: *Scrutinióque factô elegerunt Virum idoneum, solertem & strenuum, Nomine CRACUM, ad Radices Montium Sarmaticorum, juxta ISSULAM* [id est, VISTULAM] *commorantem, in Rectorem Rerumque suarum Tutorem.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. II. Cap. III: *Sive autem CRACUS unus de VOIEVODIS* [PALATINIS] *fuit, sive non: Domicilium quidem habebat apud VISTULAM, XIII. Milliario à Fontibus ejus Fluminis: Vir, cum Amicitiis, Copiis & Facultatibus potens, tum Prudentia, Animi Magnitudine, & Iustitiæ atque Integritatis Opinione apud omnes gratiosus, ita ut solus rectè dilabentem Rempublicam sustinere & recreare posse videretur.* Eadem commemorant in Historia Polonica, Ioannes Herburtus & Salomon Neugebauerus.

IX. Accedit huc, quod CRACUS [ut ex antecedentibus Testimoniis patet] aut omnium, aut plurimorum Suffragiis, non ob Divitias, sed ob Virtutes, maximè Fortitudinem alacrem, & mansuetam Prudentiam fuerit Dux POLONORUM electus. Quæ Dotes raro junctæ, pro Temporum illorum Habitu, magis Germanico, quam Slavico Ingenio convenisse videntur. Nec obstat, quod tum SILESII Secessionem à POLONIS fecerant. Potuit enim CRACUS, quanquam ob Fundos suos Finibus Sarmaticis proximos, adhuc POLONORUM SLAVORUM esse constans Amicus: ad reliquos SILESIOS in veterem cum SLAVIS Societatem tantô facilius revocandos aptus.

ANNO

ANNO 710.
GERMANORUM Francorum Dux PIPINUS I.
SILESIORUM Dux CRACUS I.

ANNO 710.
SILESIORUM ad POLONOS reversorum
Dux CRACUS I.

X. Iam SILESII sub PALATINIS, [ut Cap. II. §. X. indicavimus] solutâ cum POLONIS Societate, Libertatem veterem Germanicam recuperaverant. Eâ per Annos plures gavisi, Polonicum Vinculum, quod disruperant, GERMANIS, maximè FRANCIS Orientalibus, quorum Ope Iugum Slavicum abjecerant, iterum POLONIAM ingressis, à Duce CRACO, circiter Annum 710, victis rursus subibant: forsan ideo faciliores, quod CRACUS, si non SILESIUS, tamen GERMANUS esset: melioribusque Conditionibus. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. I. Cap. XLI: *Cum itaque GALLI* [perperam ita Polonis nominati Orientales FRANCI Germani] *cæteris Provinciis peragratis etiam Pannoniam contigissent, & eam variis Guerrarum* [Bellorum] *turbinibus vexassent, in POLONIAM ingressuris, GRACHUS POLONORUM Princeps occurrit, & Pugna commissa, insignem & memorabilem Victoriam de GALLIS cum Robore veteranorum & exercitatorum Militum, tum Astu & Arte militantium, reportavit. Qui etsi suis charus esset, hoc tamen triumpho de GALLIS relato charior honoratiorque esse cœpit, majorique Devotione erat sibi extunc à POLONIS obtemperatum.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. I. Cap. V: de Craco: *Qui Fasces Regiminis assumendo, Invasores quosdam per Pacta, quosdam per Bella exturbavit. GALLOS eâ Tempestate Regna Pannoniæ demolientes, LECHIAM* [Poloniam] *ingredi volentes, forti Marte repressit, & ex eis Victoriam reportavit.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. II. Cap. III: de Craco: *Hostes alios Fœderibus, alios Armis, à Cervicibus Patriæ removit. In his GALLOS, ut volunt nostrates plerique omnes, per Pannoniam se se magnis Copiis in POLONIAM infundentes, profligat atque depellit. Unde verò hi GALLI venerint in has Oras, investigare difficile est.* Ibidem post quædam: *Aut certè credendum est, eos FRANCOS fuisse Orientales, quorum Regnum Austrasiam & Bavariam complexum, ad Pan-*

no-

ANNO 710.

GERMANORUM Francorum Dux PIPINUS I.
SILESIORUM Dux CRACUS I.

noniam & Ungariam usque pertinuisse fertur: apud quos per ea Tempora PIPINUM, Caroli Magni Proavum, dominatum esse, Blondus & Sabellicus Memoriæ prodidere. Illud autem fortasse nostris errandi Occasionem præbuit, quod ea Gens, cum Gallias subegisset & insedisset, priscorum GALLORUM Nomine etiam nunc à Latinis appelletur. Sed quicunque tandem ii fuere Populi, qui tunc POLONIAM Bello vexaverunt, eos CRACUS repressisse memoratur. Alexander Guagninus in Chronicorum Polonicorum Compendio, de Craco: *Finitimas Gentes jam POLONIS rebellantes, Iugumque excutientes, coërcuit, Finesque Regni ab omni Insultu Hostium tutavit. GALLORUM Copias prostravit, quæ Hungariâ devastatâ in Poloniam excurrebant.*

XI. Cæterum CRACUS, ad sinistram VISTULÆ RIPAM, intra SILESIÆ superioris antiquæ Partem, QUADORUM Patriam, hodie minorem Poloniam, excitavit Urbem, quam de suo Nomine CRACOVIAM dixit, &, relicta Gnesna, POLONIÆ Caput fecit. De quô agunt, Vincentius Kadlubko, Lib. I. Chronicorum Polonicorum, Epistola VI. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. I. Cap. XLII. Matthias Michovius in Polonorum Chronico, Lib. I. Cap. V. Iodocus Ludovicus Decius in Polonorum Vetustatibus, Lib. I. Hartmannus Schedelius in Libello de Cracovia. Clemens Ianitius in Polonicorum Principum Vitis. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. II. Cap. III. Ioannes Herburtus in Historia Polonica, Lib. I. Cap. IV. Alexander Guagninus in Chronicorum Polonicorum Compendio, Cap. III. Stanislaus Sarnicius in Annalibus Polonicis, Lib. IV. ad Annum 700. Salomon Neugebauerus in Historia Polonica, Lib. II. Cap. III. Ioachimus Pastorius in Floro Polonico, Lib. I. Cap. III. Christophorus Hartknochius de Polonica Republica, Lib. I. Cap. II, §. VI. Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus: de Craco: *Ille condidit Urbem in veteri Sede QUADORUM, CRACOVIAM.* Ex eô Pars illa SILESIÆ, quasi Pars esse jam desiisset, CRACOVIENSIS Provinciæ Nomen accepit. CRACUS obiit suum Diem circiter Annum 745.

ANNO

ANNO 745.

GERMANORUM Francorum Dux PIPINUS II.
SILESIORUM Dux LECHUS II.

XII. Circiter Annum 745, Craco I successit LECHUS II. Filius, SILESIORUM Polonorumque Dux: qui Fratrem natu majorem CRACUM II, quasi fortuito Casu, intra Venationem interemerat. Ideo, Fraude cognitâ, in Exsilium agebatur. Sub eo quid memorabile SILESII vel susceperint, vel sustinuerint, nusquam reperire potuimus.

ANNO 750.

GERMANORUM Francorum Dux PIPINUS II.
SILESIORUM Dux VENDA.

XIII. Post hæc SILESIORUM & Polonorum Imperio præerat VENDA, Lechi II. Soror Virgo. Ea, sicut Polonorum Annales commemorant, cum in Matrimonium expeteretur Ritigero [aliis Rithogaro] vicinorum Germanorum Principi, fastidivit Conjugium, quia Princeps, quam Uxor Principis esse mallet: postea cum armatus armatam nec Timore, nec Amore vinceret, ideoque Vitam Morte voluntariâ finiisset, eum imitatura, circiter Annum 753, seipsam Vistulæ submergendam tradidit, virilis Gloriæ nimium avara, nimium prodiga Mulier. Hujus etiam Temporibus nihil, quod SILESIOS attineat, invenimus à Scriptoribus annotatum.

ANNO 753.

GERMANORUM Francorum Rex PIPINUS II.
SILESIORUM Gubernatores PALATINI.

XIV. Ducis CRACI I. Familiâ per VENDAM exstinctâ SILESIIS Polonisque rursus arridebat, non unius, sed plurium Regimen. Id Duodecim PALATINIS, Polonico Sermone VOIEVODIS, circiter Annum 753, committebant: qui totidem Provinciis præessent. Quare dubium non est, quin SILESII tum eandem pari Iure cum POLONIS Societatem colentes, è Palatinis electis suos, &, quod Vero simillimum est, si non SILESIOS, tamen GERMANOS acceperint Gubernatores. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. I. Cap. XLVIII: *Principatus Iugo, ex Morte VANDÆ, POLONI soluti, ad firmandum Libertatis Statum, omnium adspirabat Intentio.* Ibidem post quædam: *Abrogato itaque*

ANNO 753.
GERMANORUM Francorum Rex PIPINUS II.
SILESIORUM Gubernatores PALATINI.

taque unius Regimine & Principatu, duodecim Præfectos, juxta Numerum Provinciarum, quæ tunc Regno POLONORUM subjacebant, creant, eosque vulgari Vocabulo Woiewodas, id est, Exercituum Ductores appellant: quibus Regimen Provinciarum & Bellorum administrandorum Curam committunt, ut pro defendendâ Patriâ, tutandâque ab hostili Invasione, diligenter Excubias facerent, &, quoties id exigeret Necessitas, Delectus agerent, & vocarent quoslibet ad Arma, Copiasque in Hostes ducerent, & Disciplina quoslibet contumaces & rebelles coercerent: Pace autem redditâ, Iura Populis subjectis darent. Videantur, quæ diximus Cap. II. §. II. & III.

ANNO 755.
GERMANORUM Francorum Rex PIPINUS II.
SILESIORUM Gubernatores PALATINI.

XV. Horum PALATINORUM Temporibus, circiter Annum 755, nescio quis, certè non Alexander Magnus, ille Macedonum Rex, plus quam decem Sæculis antiquior, ut Vincentius Kadlubko in Historia Polonica, Lib. I. Epist. VIII, narrat: sed fortassis, aut Orientalium Francorum, tum PIPINUM II, Caroli Magni Patrem, Regem habentium: aut aliorum Germanorum, quibus antea SILESII, à POLONIS separati, adhæserant, seu Rex, seu Dux, Tributum à POLONIS, haud certum est, omnibus, an SILESIIS solis, olim Polonorum Vocabulo denotari solitis, exegit: negantibus intulit Bellum: quó statim POLONIAM, per Pannoniam & Moraviam ingressus, assumtis harum Provinciarum Auxiliis, enervavit & afflixit. Tributi à POLONIS postulati recusatique facit Mentionem, præter Vincentium Kadlubkonem, Martinus Cromerus, de Polonorum Rebus, Lib. II. Cap. V. Cætera commemorat, præter Cromerum, Ioannes Dlugossius in Historia Polonica, Lib. I. Cap. XLIX: *Duplex enim & uterque in grandi & frequenti Numero, ex Pannoniis primum, deinde ex Moravia, quibus cæteræ Nationes præbuerunt Auxilia, in POLONORUM Regiones concitatus Hostis Copias ducebat, POLONOS sui Iuris, ademta Libertate, facturus. Quibus, etsi POLONORUM Turmæ, sub ductu & Auspiciis suorum PALATINORUM occurrissent, & Prælio conserto pro Viribus dimicassent, lævam tamen & adversam Fortunam experti, & Cladem aliquoties ab Hostibus perpessi, ne de Summa Rerum periclitarentur, cœpit illos Anxietas & Formido horrere, dum Hostes quotidie per Agros Prædas agerent, & liberâ Licentiâ vagarentur.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. I. Cap. VII: de XII Palatinis: *In Libertate vixerunt, donec exorti Grassatores & POLONORUM Expilatores, non mediocriter eos afflixerunt: ad ultimumverò Exercitus validi Pannoniorum & Moravorum Poloniam invadentes, Prædam agebant impune, Agros depopulantes, & Res diripientes, ut, Libertate ablatâ, sub Iugum Servitutis miseros Lechitas mitterent, & cogerent: Woiewodis nequicquam repugnantibus, quoniam adversam Fortunam experti, de Summa Rerum desperabant.*

ANNO 755.
GERMANORUM Francorum Rex PIPINUS II.
SILESIORUM Gubernatores PALATINI.

XVI. Quisquis fuerit eo Tempore discordibus POLONIS præpotens Hostis, pro Alexandro Magno habitus: per Pannoniam & Moraviam primum SILESIORUM Agros TESCHINENSES & CRACOVIENSES invasit & subegit. De quo Vincentius Kadlubko in Historia Polonica, Lib. I. Epistola VIII: cum barbarum Polonorum Facinus, in Legatos Tributa poscentes commissum (quod alii, forsan ut fictum, Silentio præterierunt] indicavisset: *Legatorum*, inquiens, quos Alexandri Magni fuisse narrat, *itaque præcipui prius vivi exossantur: deinde Cutes eorum Corporibus exutæ, partim Auro, partim Alga farcinantur, vilissimâ humanâque Pelle, sed inhumanè vestitum Metallum cum hac remittitur Epistola.* Ibidem post quædam: ubi, & SILESIAM vocat SILEUCIAM, & SILESIÆ, tanquam non amplius Partem, ad VISTULÆ sinistrum Latus sitam, novo CRACOVIÆ Vocabulo indicat: *His auditis Alexander, Multum, inquit, sibi adjicit Virtus lacessita. Hinc tandem dignum est, ut meæ Indignationis Virgâ* [Poloni] *visitentur. Perinfinitis Hostium itaque Copiis undique versus POLONIAM irrepentibus, ipsa Præambula Pannoniorum Obsequela, per posticum ingreditur Moraviæ, Alas Exercituum expandit: victoriosisque CRACOVIÆ & SILEUCIÆ subactis Provinciis, perpetui Operis Moenia prosternit, redigit in Favillas, Sulco discissas Urbes jubet sale conspergi.*

ANNO 755.
GERMANORUM Francorum Rex PIPINUS II.
SILESIORUM Gubernatores PALATINI.

XVII. Ulteriores Hostibus Provincias intra Polonicarum Terrarum Ditionem oppugnantibus & devastantibus, tandem PRÆMISLAUS, aliis PRÆMISLUS, Homo plebejus, sed ingeniosus, Armis exercitatus, Aurum petentibus mortifer Aurifex, Arte singulari obstitit: & modicâ voluntariorum Militum Copiâ plurimos in Perniciem præcipitavit, cæteros in Fugam conjecit. Vincentius Kadlubko in Historia Polonica, Lib. I. Epist. VIII: de Alexandro: *Hinc dum ulteriores aggreditur Provincias omnium Armis invictus, simplicis Astu Homunculi conficitur. Omnibus enim de Salute desperantibus, quidam Aurificii Arte præditus Gælearum & Clypeorum Formas ex quovis Ligno seu Subere præcipit effingi: quarum quasdam Lithargyro, alias Felle superlinivit, easque ex opposito Solis, quò magis resplendeant, in celso Montis erigit Cacumine. Quibus Argyraspide invictus Alexandri Exercitus visis Acies ordinatissimas eminere suspicatur. Itaque præcipites â Castris evolant, passim discurrunt, Hostes hinc inde quæritant, quos putant diffugiò dilapsos. Illas namque Arborum Umbras ille Ingenii Artifex dudum Flammis injecerat, ne ullum Doli deprehendi posset Vestigium. Iusserat enim non parvam robustorum Manum in Insidiis delitescere. Proinde prima discurrentium Portio incautè Insidias incidit, occupatur, prosternitur, occisorumque Armis Victores indusiantur, se Argyraspidarum Socios simulant, &, quotquot ex Argyraspidis eis junguntur, More Gladii absorbentur, ut ne unus quidem ex eis remanserit. Cujus Fiduciâ Successus sub earum Argyraspidarum Simulatione, Alexandri Castra ingrediuntur, Insignia præferentes Victoriæ. Credunt Alexandritæ suos de Hostibus triumphasse, eminus præsalutant venientes, aggratulantur, assavent, quasi Sociorum Triumpho. Igitur inermes â POLONIS obruuntur & improvidi.* Post quædam ibidem: *Vix tandem Dolo deprehenso, cum perpaucis Alexander evasit inglorius. Sic cessavit Exactor, cessavit TRIBUTUM.* Idem PRÆMISLI Stratagema, sed paulò aliter exponit Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. I. Cap. XLIX: *Omnibus itaque Reipublicæ POLONORUM Exercitibus deletis, Hostibus dietim grassantibus, existimantibus amissam, Vir unus restituit, retinuitque hanc Rempublicam. Erat eâ Tempestate Vir quidam impiger PRZEMYSL Nomine, inter POLONOS Industriæ Disciplinæque militaris, aliquan-*

ANNO 755.
GERMANORUM Francorum Rex PIPINUS II.
SILESIORUM Gubernatores PALATINI.

quantò quam pro Sorte, in qua erat, expertior; Ingeniò itaque atque Industria, quam Prosapiæ Genere major, Iustitiæ Opinione insignis, ac apud vulgares propterea celebris, & Vir multiplici Præstantia clarus: quæ Res certiori Spe POLONOS, quam quæ Oculis subjici potest, impleverant: cui ad naturalem Indolem frequens Prœliorum, in quibus militaverat, accessérat Exercitatio. Is cum apud Hostes omnia negligentius agi explorasset, ad Consilium magis dolosum, quam audax, Animum adjecit, & secum tacitus circumspiciens, diuque agitans, quanam Arte hostilis superaretur Potentia, quam languidis suis Viribus videbatur frangi non posse, solerti Rem insolitam Animo excogitat, & vani Terroris, vanæque ad Pugnam Simulationis, instituit Apparatum. Simulacra siquidem Galearum in crebra Multitudine, in Collibus, Castris, hostilibus confrontatis, primo Mane, Sole oriente, ordinavit suspendi. Quarum Reverberatio, Solis factæ Radiis, adeo hostilem exterruit Exercitum, ut universi Armis certatim utcunque comprehensis, nulla Lege, nullo Ordine servato, illuc, ubi micantes Galeas viderant, præcipiti Cursu concurrerent, novam Victoriam de POLONIS relaturi. Verum, dum ad Loca, in quibus ab illis Simulacra Galearum conspecta erant, pervenissent, & nullas illic POLONORUM Acies, sed nec prius visas Galeas reperissent [repente enim illas Exercitum hostilem Pannoniorum & Moravorum armari videns, ut averteret illos ab ea, quam ceperant, Opinione, PRZEMYSL subduci mandaverat] comperissent diffugisse POLONOS, qui apparuerant, rati, solutioribus Ordinibus in Stativa revertuntur. PRZEMYSL verò Occcasionem bene gerendæ Pugnæ, quam quæsiverat, se videns magis Simulate & Arte, quam veris Viribus consecutum: POLONORUM Milites, qui se illi junxerant, animat hortaturque ad Pugnam, certam illis spondens, si & ipsi quoque devoverint ad vincendum Animos, Victoriam. Atque ita illis, acerrimum ad Triumphum, conceptum infundens, ut ea aggredi auderent, quod non ausuros eos Hostes verisimiliter videantur, a Tergo & Lateribus somno stratos, & Corpora curantes, prima Vigilia Hostes aggressus fortissimè & audacissimè excipientibus, obtruncat: & plurimis occisis, cæteris verò

ANNO 755.
GERMANORUM Francorum Rex PIPINUS II.
SILESIORUM Gubernatores PALATINI.

rò omnibus Metu nimio perterritis fugientibus, hoſtiles Copias cum paucis proſternit & devicit.

ANNO 760.
GERMANORUM Francorum Rex PIPINUS II.
SILESIORUM Dux LESCUS I.

XVIII. Felicior ingenio, quam Manu PRÆMISLUS, cujus Nationis, SLAVUS an GERMANUS, isque SILESIUS fuerit, inveſtigantes non invenimus. Ille ſimul & Germanis & Slavis conſulens, utrisque ſuo Merito amabilis, Præmio peculiari, quod illius Sæculi populique rudior quidem, juſtior tamen Indoles, non alienâ Proſapiæ Gloriâ, ſed propriâ Virtutis Eminentiâ celſis deſtinabat, tam SILESIORUM, quam POLONORUM Dux, circiter Annum 760 creabatur: utrosque non minore gubernandi, quam conſervandi Solertiâ præditum ſe Facto memorabili teſtatus.

XIX. Eidem PRÆMISLO deinde novum imponebatur Nomen: (I) LECHI, ut quidam referunt, in Lechi, Slavorum Polonorum primi Ducis Memoriam. (II.) LESCI, ut plerique ſtatuunt, ob ſalutarem Dolum, quia Leſcus Vafrum Notione Polonica denotat. (III.) LISTIGII, Germanis Aſtuti, ob eandem adverſus Hoſtes bonam Fraudem: quod ſine Dubio à Sileſiis tum Polonorum Genti conjunctis reportaverit. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. I. Cap. XLIX: *Tantus verò ob defenſam liberatamque Patriam erga PRZEMISLAUM Amor eſſe cœpit, ut tam militari, quam vulgari Favore, dignus Imperio acclamaretur, mox in POLONORUM Monarcham & Principem, univerſorum Suffragiis & Conſenſu, crearetur. Ab eo autem Tempore, priſco Nomine abrogato, LESZKO appellatus eſt, quod ſignificat VAFER & Doloſus: eò, quod Aſtu & Vafricie à Calliditate magis, quam Armis & Robore, hoſtilem & aliquoties Victorem Exercitum ſuperavit: Sive, quod verum magis reor, ne quid illi ad Conditionem Antiquitatemque Principatus deeſſet, Nomen vetus & commune Principum Poloniæ ei impoſitum eſt: quod à LECHONE primo cæteri Principes ex eo deſcendentes Appellatione diminutiva, quæ ſingulis ferè Gentibus in Uſu eſt, vocabantur LESZKONES, non LECHONES.* Ioannes, neſcio quis, Vincentio Kadlubkone [qui Anno 1226 deceſſit] recentior: at Ioanne Dlugoſſo [quem Annus 1480 exſtinxit] antiquior Scriptor: in Poloniæ Chronico MSto, quod Anno 1359 abſolvit: & Ludovicus Primus Dux Sileſiorum Bregenſis, Anno 1360, ſibi comparavit: de Præmislo: [cujus Succeſſores duos, Leſcum II. & III. ubique, non LESCOS, ſed LISTIGIOS appellat:] *Tandem ille tam ſaluberrimæ Magiſter Artis, Patriæ, quam ſalvaverat, Princeps conſtituitur, dictusque eſt LISTIG, id eſt, ASTUTUS, eò, quod Aſtutia plures Hoſtium interfecerit, quam Viribus.*

XX. Quo LESCUS Anno ſine Liberis deceſſerit, non liquet. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. I. Cap. VI: de Leſco I: *Quamdiu verò regnaverit, ubi, quaque Morte abſumtus ſit, non conſtat. Liberos quidem poſt ſe nullos reliquiſſe fertur.* Eum circiter Annum 803 è vivis abiiſſe, quidam ſcribunt.

ANNO 760.
GERMANORUM Francorum Dux PIPINUS II.
SILESIORUM Dux LESCUS I.

CAPUT IV.
SILESIORUM RES.

ANNO 805.
GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

I.

LESCO I. à Populis ad Poloniam ſpectantibus eligebatur circiter Annum 804 Succeſſor LESCUS II. Sub quo ignobili propter Originem, at propter Fortitudinem laudabili Duce, tum POLONIS, tum maximè SILESIIS accidit magna Rerum Commutatio.

SILESII Romano GERMANORUM Imperio Tributarii.

II. Principiò Sæculi noni, quod inſtauratus Imperii Romani per Occi-

ANNO 805.
GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

Occidentem Honor maximè nobilitavit, crescentibus GERMANORUM, præsertim Francorum Orientalium Viribus, ad SLAVORUM, passim Germanicas Terras retinentium, Robur vel opprimendum, vel imminuendum satis potentibus: SILESII, cum aliis Germanis Slavicam Societatem fastidientes, Occasionem consequebantur revertendi à POLONORUM Slavico ad GERMANORUM Francicum Imperium: cui tum CAROLUS Magnus, Pipini Filius, Caroli Martelli Nepos, Anno 768, Francorum Orientalium Rex: Anno 800, Romanorum Imperator creatus præerat. Hic GERMANORUM magis magisque Gloriam Virtute conspicuam renovaturus, SLAVOS in Germanicis Provinciis, quas Iure nullo invaserant & insederant, effrenata Licentia sævos, non amplius ferendos censebat. Quamobrem iis hactenus vel attritis, vel profligatis, se Populis & suis, & exteris, Fortitudinem Germanicam Slavica simul & prudentiorem, & efficaciorem monstravisse, non satis habebat, nisi tandem, subverso plurimarum Gentium Statu, GERMANIS ubique SLAVOS subjiceret.

III. Respondebat Proposito Successus. Expeditionibus enim sæpius iteratis omnes, cum ab Occidente ad Orientem, inter RHENUM & VISTULAM: tum a Meridie ad Septentrionem, inter DANUBIUM & OCEANUM Populos, aut rebelles, aut indomitos, Romano GERMANORUM Imperio faciebat Tributarios. Testis est in Vita Caroli Magni, cujus & Gener, & Cancellarius fuit, Eginhardus Cap. XII: *Post quam* [Saxoniam] *utramque Pannoniam, & appositam in altera Danubii Ripa Daciam, Histriam quoque & Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis Civitatibus, quas ob Amicitiam & junctum cum eo Fœdus, Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit: deinde OMNES barbaras ac feras NATIONES, quæ in RHENUM ac VISTULAM Fluvios, OCEANUMque ac DANUBIUM positæ, Lingua quidem pene similes, Moribus verò atque Habitu valdè dissimiles, GERMANIAM incolunt, ita PERDOMUIT, ut TRIBUTARIAS efficeret. Inter quas ferè præcipui sunt Weletabi, Sorabi, Abodriti, Boemani. Cum his namque Bello conflixit: cæteras, quarum multò major est Numerus, in DEDITIONEM*

ANNO 805.
GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

NEM suscepit. Quorum velut Interpretem agit Huldericus Mutius, de Germanorum Rebus Lib. VIII: *Adjecit etiam Saxoniam, citra & trans Albim, magnam GERMANIÆ Partem. Adjecit & Pannoniam & Ungariam, & Regiones sitas in altera Danubii Ripa, Daciam scilicet, Istriam & Liburniam Dalmatiamque. Adjecit etiam barbaras illas Gentes, quæ intra RHENUM ac VISTULAM Fluvios, OCEANUM Mare & DANUBIUM degunt: quæ GERMANIS annumerantur, quanquam Moribus & Habitu dissimiles sint, Linguâ autem non multum variant.*

IV. Hæc docent primum, Imperatore CAROLO Magno, Populos cunctos, intra Germaniæ Circulum, quem RHENUS, DANUBIUS, VISTULA & OCEANUS componunt, habitantes, More quidem dissimiles, at Sermone consimiles, nondum Christianis Sacris, nondum Literis humanioribus excultos, adhuc barbaros & feros, GERMANIAM incolentes, GERMANIS annumeratos: inter quos utique fuerunt, ut alios transeamus, mixti GERMANIS, partim BOIOHEMIS Zechitæ, partim SILESIIS Lechitæ SLAVI, quos hodie POLONOS dicimus.

V. Eadem porro indicant, omnino etiam SILESIOS ab Imperatore CAROLO Magno sic perdomitos, ut sub Potestatem suam redactos efficeret TRIBUTARIOS. Nam SILESIA, Germaniæ Provincia, pro Limite suo ad Orientem, ab Alexandri Magni Temporibus ad Christi Sæculum sextum, quo SILESIIS, olim QUADORUM LYGIORUMque Nomen sustinentibus, SLAVI se miscuerunt, Amnem VISTULAM tenuit: cujus possederunt Latus dexterum quidem SARMATÆ, Sinistrum autem QUADI: ut evidenter ostendimus in Antiquitatibus de Silesiorum Majoribus, Cap. X. §. XVIII. Cap. XIV. §. XXIII & sequentibus. Non enim SILESII aut profugi Patriam suam reliquerant, cum ea reciperet SLAVOS: aut, cum Francorum Regem Imperatoremque Romanum CAROLUS Magnus ageret, exstirpati à Slavis erant: quorum prius ibidem Cap. XXI. demonstravimus: posterius etiam ex antecedentibus patet.

VI. At per Imperatorem CAROLUM Magnum etiam SILESIOS, ad GERMANORUM Societatem revocatos, solvendisque Tributis sub-

ANNO 805.

GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

jectos concedentibus, quò dubii reddantur, se monstrat Obstaculum. Nam hujus Cæsaris Ætate POLONI & SILESII, ad VISTULAM usque, licet non ultra Vistulam, conjuncti, repræsentabant unum Populum: quanquam ex diversis Gentibus, GERMANIS SLAVISque compositum: cujus Universitatem POLONI, Partem SILESII Nomine suo denotabant. Quamobrem, quo Pacto SILESII fuerunt, si POLONI haudquaquam fuerunt, nec illis, nec ullis Temporibus Imperio Germanorum aut subditi, aut tributarii? GERMANIS autem POLONOS nunquam subditos, nunquam tributarios fuisse, tum POLONI, tum Polonis addicti contendunt. Inter quos, in Polonicæ Libertatis & Existimationis Gratiam, POLONOS nulli Populo extero tributarios unquam fuisse, statuentium Sententiam præcel'ens I'ctus, Iohannes Schultzius, summo Studio defendere conatur in peculiari Tractatu, quem de Polonia nunquam tributaria scripsit.

VII. De hac Germanorum & Polonorum Lite, pro GERMANIS contra POLONOS Sententiam generatim pronunciant duo celebres Scriptores Hermannus Conringius de Imperii Germanici Finibus, Lib. I. Cap. XVIII: *Lustituti nostri est, duntaxat videre, quid in* [Polonorum] *Gentem illam Iuris Imperium* [Germanicum] *aut habuerit olim, aut habeat hodieque. Qua in Re multum profecto intererit nostrâ, an Polonica Monumenta sequaris: usque adeo à se invicem dissident. Nostris tamen, iis præsertim, quæ Rei gestæ Ævo sunt scripta, ab Hominibus piis & Fidei alias haud suspectæ, nisi vehementer fallor, præ Polonicis fidendum potius. Utpote cum Polonica omnia recentia admodum sint, ceu Poloni ipsi fatentur, & excusso jam Germaniæ Obsequio scripta, cum puderet, vel Memoriam pristini Status superesse: nostra ex adverso, prætèrquam, quod Antiquitate veneranda sunt, aliorum quoque Testimoniis corroborentur.* Bohuslaus Balbinus in Rerum Bohemicarum Epitome, Lib. III. Cap. VIII: *Perpetua est, ut hoc semel dicam, inter Scriptores POLONOS Parte ex una, atque inter nostros GERMANOSque Scriptores Parte ex altera* [nam hi sibi congruunt] *de Tributo illo Polonis imperato Digladiatio. Cromerus quidvis prius videtur concessurus, quam ut Tributum à Polona Gente liberrima, nulli obnoxia, suis Iuribus & Auspiciis vivente & militante, aliquan-*

ANNO 805.

GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

quando exactum fateatur. Unde Tributum illud, plurimis Historiæ suæ Locis adversus Sylvium, Hagecum & Dubravium oppugnat: quasi illi confinxissent, cum in tot Scriptoribus antiquis idem legere potuerit. Sed alia nunc sunt Tempora, alia fuerunt: aliud est, Vota facere & optata ferre, aliud Historiam condere. Nam si id demum Historicus credere & scribere velit, quod Genti suæ gloriosum fuerit, quodque ipse tacitis Votis factum optarit, Historici Personam, quam malè sustinet, exuat oportet.

VIII. Nos, quibus Acta POLONORUM, quatenus ad SILESIORUM Res non pertinent, Silentiò transire placet, Controversiam quidem illam generalem, num Exteris POLONI unquam Tributarii fuerint, expediendam non suscipiemus: quia verò nihil prætermittendum esse judicamus, quò incorruptam SILESIORUM Historiam ingenua Veritatis Cura condecorare jubet: non intra hunc Codicem de SILESIIS specialem Investigationem subterfugere possumus, an eos, adhuc POLONIS annexos, GERMANI ad Tributum solvendum habuerint obligatos. Ideo primum hanc singularem aggredimur Quæstionem: an SILESIOS Germanos, Slavis POLONIS conjunctos, ad sinistram VISTULÆ Ripam, intra veteris Germaniæ Partem habitantes, olim communi tam SLAVORUM, quam POLONORUM Vocabulo sæpius denotatos, CAROLUS Magnus Romano GERMANORUM Imperio Tributarios adstrinxerit. In quâ Re, cum affirmantium Partes nobis præsens imponat Necessitas, primariis duabus negantium Rationibus Vires circumcidere confidentius, imo penitus adimere conabimur.

IX. Prior in contrarium Ratio est: nondum patere satis, utrum ad SILESIOS ipsosque POLONOS, intra veteris GERMANIÆ Partem, ad VISTULAM hærentes, sub Imperatore CAROLO Magno GERMANIS vel subditos, vel tributarios declarandos idoneum validumque sit Eginhardi allatum § II'. Testimonium: quod diversi Censores diversis excipiunt Iudiciis.

X. Quidam severiores Eginhardo Fidem abrogant: quia, vel Oratoris ad Indolem, speciosiora Verba liberalius adhibuerit: vel Laudatoris in Modum, Principi suo plus attribuerit. Inter hos eminet Iohannes Schultzius in erudito ingenioso Scripto de Polonia nunquam

ANNO 805.
GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

tributaria, Sectione IV. §. IX: *Sit ergo jam præcipuum Quæstionis Momentum, à cujus Præjudicio Libertatis Polonæ Iactura aut Robur dependeat: An sub Nomine Slavorum POLONI à Carolo Magno devicti aut Tributarii facti præsumendi sint? Equidem non inficior, POLONOS olim magnam Slavorum Partem constituisse: ast omnem Gentem Slavicam, POLONORUM Nomine & Limitibus circumscribere velle, esset, Vim sanæ concludendi Rationi inferre: nec inferunt Præjudicium: omnem nimirum SLAVORUM Gentem à CAROLO Magno subactam. Docent enim Rhetores, Tropum sapere istam Phrasin, quæ Partem pro Toto exprimit.* Christophorus Hartknochius de Polonica Republica, Lib. I. Cap. II. §. IX: *Quin etiam dici potest, Eginhardum in Laudes Carolinas effusum, hic nimium sibi indulsisse, ut hoc in aliis quoque Scriptoribus non infrequens esse consuevit.* Quibus Calculum suum addit laudatus Schultzius Loco dicto, §. X: *Non sine Ratione Eginhardo ipsi Fidem detrahit Hartknoch, dum in Laudes eum Carolinas effusum, nimium sibi indulsisse judicat. Rara enim apud Scriptores Principibus coævos Posteritatis Cura haberi solet.* Ibidem post quædam: *Taceo illud Affinitatis cum Carolo contractæ Vinculum, illum a Carolo Beneficiorum ipsi collatorum Cumulum.*

XI. At; si nobis non minor est pro GERMANIS adversus POLONOS, quam dissentientibus est pro POLONIS adversus GERMANOS agendi Potestas: nullum videmus Probabilitatis alicujus Indicium, quod Eginhardo, quanquam in aliis, non tamen in eo, quod de SLAVIS asserit, Fidem habendam ostendat. Quo enim Iure potest Criminis, cujus accusatur, non convincitur, damnari? Contra Eginhardo nequaquam deest, quò Suspicionem Adversariorum iniquam demonstremus. Nam ille Caroli Magni Res notabiles, quarum secretiore gaudebat Conscientiâ, Posteris traditurus erat in Opere, non Panegyrico, sed Historico: quod intuentibus patet. Ad hoc intentus, quâ Æquitate sustinet imputatam vel Amplificatoris Rhetorici Maculam, vel Adulatoris Politici Culpam? Certè sui Cæsaris Socerique cum SLAVIS Acta quodam ficto Additamento in majus extendere, nullo quasi Materiæ non sufficientis ad Gloriam Stimulò urgebatur. Accedit huc, quod minus credibile sit, Carolo Magno Eginhardum tribuisse Manu liberaliore quicquam supra

ANNO 805.
GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS. II.

supra Verum, nullâ Temporis sui Reverentiâ, posthabitò Famæ suæ Dispendiò, certam gestorum Notitiam nondum obliteratâ Memoriâ tenentibus, & Aulicis, & Militibus, & aliis. Quamobrem neque Commenti, neque Blandimenti Suspicio, donec firmius acquirat Fulcrum, apud circumspectiores, ab omni Partium Studio recedentes, facile stabilem inveniet Locum.

XII. Alii leniores, in Eginhardi Verbis Sensum, non Fidem, in dubium vocant. Hi, nec de SILESIIS, nec de POLONIS, tum Silesiæ Colonis, ad VISTULAM, intra GERMANIAM, hærentibus Eginhardum loqui credunt: à quò expressa nec POLONORUM, nec SILESIORUM fit Mentio. Ad eam Interpretationem propensus Hermannus Conringius de Imperii Germanici Finibus, Lib. I. Cap. II: adductis Eginhardi Verbis hæc subjicit: *Ex quo Eginharti Testimonio discere est: Slavicas aut Venedicas illas Gentes* [*POLONIS tamen forte, adeoque & SILESIIS, Polonorum tum Parte, exceptis: nec enim de his perinde constat*] *quæ omnia a Sala usque Amne* [*ut qui, eodem Teste Eginharto, Thyringos & Sorabos Sclavos tunc divisit*] *ad Albim, & inde trans Albim, circa Maris Balthici Litora, usque ad VISTULAM, Bojohemum item ac Moraviam ad Danubium usque, tum Temporis jam dudum* [*ex quo inde Germanicæ Gentes, Migratione in Provincias Romani Imperii facta, discessere*] *impleverant, quadantenus in Ditionem Francorum perrenisse.*

XIII. Nos, cur sit dubitandum, an etiam SILESIOS ad VISTULAM vetustissimis Domiciliis gaudentes, CAROLUS Magnus Imperator sub Potestatem suam redegerit, Causam reperire non possumus. Nam primum, SILESIIS QUADIS sedem, quam multis Sæculis constanter fixam tenuerant, Imperatore CAROLO Magno, ad VISTULAM, intra GERMANIAM, non amplius fuisse, quis facile probaverit? Certè, cui perspectum habetur, Temporibus & antecedentibus, & quibus Imperator CAROLUS Magnus vixit, GERMANIAM, cujus ad Orientem ultima Regio SILESIA fuit, a Sarmatia, cujus Partem Slavi POLONI occupaverant, Amne VISTULA distinctam fuisse: quis ex Eginhardi

ANNO 805.
GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

ginhardi Verbis non videt, Germanos SILESIOS, inter quos ad lævam VISTULÆ Ripam Sedes QUADIS fuit, CAROLO Magno Cæsari, quantum Conjecturis assequi possumus, prisco GERMANORUM Amore, non tam subactos, quam deditos, auxisse spatiosissimum Imperium?

XIV. Deinde SILESIOS, quia neque suo, neque POLONORUM Nomine signatos apud Eginhardum reperimus, ideo non, ut cæteros, partim SLAVIS, partim GERMANIS annumeratos Populos, ab Imperatore CAROLO Magno superatos, GERMANISque Tributarios additos fuisse, quis rectè colligat? Tum enim SILESII, quantum ex Monumentis veteribus liquet, quamvis GERMANI, propter admixtos Slavos, aut generale SLAVORUM, aut LECHITARUM speciale Nomen sustinebant. Præterea, num Imperatore CAROLO Magno SILESIOS cum POLONIS Societatem colentes, superante, jam Nomen aut SILESIORUM, aut POLONORUM, vel inventum & receptum ab Indigenis, vel cognitum & usurpatum ab Exteris fuerit, dubites. De quô videantur, quæ diximus in Antiquitatibus de Silesiorum Nominibus, Cap. XI.

XV. Quæ cum ita sint: ex iis etiam, qui POLONIAM, quatenus ultra VISTULAM, veteris Germaniæ Sarmatiæque Limitem, excurrit, neque CAROLO Magno, nec ulli GERMANORUM Imperatori, vel subditam, vel tributariam fuisse contendunt: & solertiores & sinceriores ipsa melioris Sententiæ Lux invitare potest, ut SILESIOS, saltem, quamvis non simul POLONOS, nisi quos ex Polonis tum Silesia tenebat Incolas, Cæsari CAROLO Magno Tributarios fuisse concedant. His, quatenus SILESIAM, tanquam GERMANIÆ Partem, tum ad VISTULÆ sinistrum Latus per Cracovienses Agros extensam, à POLONIA, tanquam SARMATIÆ Provincia, tum ad VISTULÆ Ripam dexteram, solis SLAVIS Lechitis subjectâ, separant, proclives Calculum adjicimus: Imperatori CAROLO Magno Subditos, sanè tributarios asserturi Germanos SILESIOS, non POLONOS Slavos: nisi quos, tanquam Incolas peregrinos Indigenæ SILESII tum sibi connexos in Patria sua tolerabant.

XVI.

ANNO 805.
GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

XVI. Talem in Modum de SILESIIS Cæsari CAROLO Magno tributariis formato Assertionis, quam fovemus, Habitu, faciliores, ut arbitramur, ex ipsis etiam dissentientibus, POLONOS unquam Tributarios pernegantibus, habebimus Asseclas. Inter hos est Christophorus Hartknochius, de Polonica Republica, Lib. I. Cap. II. §. IX: *In hoc*, inquiens, *sine dubio, non nulli Germanorum Scriptores POLONIS Injuriam faciunt, quod POLONIAM jam à CAROLO Magno Imperatore domitam, Imperioque GERMANICO subjectam fuisse tradunt.* Ibidem post quædam: *Hoc tamen concedi posse videtur, SILESIAM ab ipso CAROLO Magno, aut ab ejus Successoribus fuisse jam tentatam, ut infra de Silesia acturi probabimus. Et hoc etiam tantum, & non amplius probari posse videtur ex adducto Eginharti Loco, quô dixerat: CAROLUM Magnum Nationes OMNES inter RHENUM & VISTULAM perdomuisse. Nam eo Tempore SILESIA se usque ad VISTULAM extendebat.* Ibidem Cap. III. §. I: *Non minus autem & hoc certum est: SILESIAM sæpius à Germanicis Imperatoribus jam olim fuisse infestatam, & forsan etiam aliquoties vectigalem factam.* Quibus deinde subjicit: *Poterit etiam hæc Curæi* [CAROLUM Magnum SILESIOS domuisse statuentis] *sententia probari ex Eginhardi Loco, supra allegato: ubi dixerit, CAROLUM Magnum Gentes inter RHENUM & VISTULAM perdomuisse.*

XVII. Præterea, non solus Eginhardus, aut ex eo Mutius, POLONOS, si non Slavos Lechitas, certè conjunctos iis Germanos SILESIOS, per CAROLUM Magnum Romano GERMANORUM Imperio in Tributariis additos innuit: verum alii quoque Scriptores, POLONIAM [seu totam, seu Poloniæ Vocabulo denotatam Germaniæ Partem: SILESIAM intelligant] eidem Cæsari subjectam fuisse tradunt. Gotfridus Viterbiensis Presbyter [Anno 1186 superstes: Bibliothecarum Antiquitates Annis XXXX scrutatus] in Chronico, Parte XVII: de Carolo Magno: *Regni ejus tum erat Terminus in Bulgaria sive ab Illyrico usque ad Hispanos: atque à Danis usque ad Pharum Siciliæ: exceptis adjacentibus Regionibus, utpote Boemia, POLONIA, Dalmatia, Histria, Venetia, Britannia, aliisque Provinciis.* Albericus Monachus Trium Fontium in Chronico ad Annum 813: *Regni verò KAROLI Terminus fuit à*

Bul-

ANNO 805.

GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

Bulgaribus usque ad Hiſpanos, & â Danis usque ad Calabros: exceptis adjacentibus quibusdam Regionibus, POLONIA, Bohemia, Dalmatia, Hiſtria, Venetia & Britannia. Eadem Canonicus Nuſſienſis in Chronicon magnum Belgicum, quod Iohannes Piſtorius in Rerum Germanicarum Scriptoribus edidit, transtulit ad Caroli Magni Annum XII.

XVIII. In his enim Teſtimoniis, abſit, ut â Provinciis per CAROLUM Magnum Imperio adjectis POLONIAM excludendam putes, quoniam â Regionibus, quas ille poſſedit, *excipitur*. Cujus Vocis ambigua Notio in Errorem duxit Chriſtophorum Hartknochium, de Polonica Republica Lib. I. Cap. II. §. IX. *Manifeſtum id*, ait, *pro noſtra Sententia Argumentum eſt, quod Autor Chronici magni Belgici intra Fines Imperii Carolini non recenſet POLONIAM: quando ait: Regni CAROLI [Magni] Terminus fuit a Bulgaris usque ad Hiſpanos, & â Danis usque ad Calabros, EXCEPTIS adjacentibus quibusdam Regionibus, POLONIA, Bohemia, Dalmatia, Hiſtria.* Namillorum Temporum Scriptoribus *exceptum* ſæpius eſt, non, *ab indicato excluſum*, ſed *Silentio præteritum:* ſeu idem, quod *præter*. Iulius Africanus in Apoſtolici Certaminis Hiſtoria [quam Abdias Babylonius Hebraicâ Linguâ ſcripſiſſe dicitur: Laurentius Barræus in veterum Patrum Hiſtoria Pariſiis edidit] Lib. VI: *In quo Spatio amplius, quam ſexaginta millia Virorum baptizati ſunt: EXCEPTIS Parvulis & Mulieribus:* id eſt, *præter Parvulos & Mulieres*. Ita verò *exceptum* in Teſtimoniis adductis etiam accipi, Res ipſa loquitur. Numquid enim CAROLUS Magnus DALMATIAM & HISTRIAM non poſſedit? De quibus, præter alios, Eginhardus in Caroli Magni Vita, Cap. XII: *Poſt quam* [Saxoniam, Regno ſuo adjecit] *utramque Pannoniam, & appoſitam in altera Danubii Ripa Daciam, HISTRIAM quoque & Liburniam, atque DALMATIAM.*

XIX. Cœterum, ex iisdem Teſtimoniis colligere licebit, â Cæſare CAROLO Magno, non tantum præcipua duo SLAVORUM Genera, LECHITAS Germanis SILESIIS conjunctos, hodie POLONOS, & ZECHITAS Germanis BOIOHEMIS conjunctos, hodie BOHEMOS: verum ipſos etiam GERMANOS, quibus utraque SLAVORUM Gens adhæ-

ANNO 805.

GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

hæſit, & SILESIOS & BOHEMOS fuiſſe Romano GERMANORUM imperio ſubjectos: ſi genuinum in Modum Populos CAROLO Magno ſubditos recenſet Ioannes Aventinus in Bojorum Annalibus, Lib. IV: *Illinc* [CAROLUS ſubegit] inquiens, *Italiam, Regnum Longobardorum, cum Terrarum Dea Gentium Roma, Hiſtros, Carnos, Liburniam, Venedorum Marchiam, Dalmatiam, Sclavoniam, Noricum inferius, Pannonias, Hunniam, Avariam, Daciam, Saxoniam, Venedorum atque Sclavorum Nationes ferociſſimas & valentiſſimas: Sorabes, Meſos, BOIEMOS, ZECHOS, Moravos, Luſatios, SILESIOS, BOLIOS, Abroditas, Mechelburgenſes, Pomeranos, Boruſſos. Atque hæ Gentes nunc intima GERMANIÆ magnæ â Sala & Albi, atque Sinu Codano, usque VISTULAM & Danubium incolunt: opulentiſſima ibi Regna poſſident: quæ Loca quondam SUEVI tenuere. Imperio FRANCORUM iſthæc omnia MAGNUS adjecit.*

XX. Poſterior in contrarium Ratio eſt: inter POLONORUM SILESIORUMque Duces nullum indicari poſſe, cujus vel in Clientelam Deditione ſuſcepti, vel ſub Anguſtias Bello redacti, vel ad plures Obitu miſſi Populum CAROLUS Magnus Imperio ſuo tributarium fecerit. Nam reperitur quidem, cum in veteribus, tum in recentioribus Hiſtoriarum Monumentis LECHUS, aliis LECHO, LEO, LESCO, LESCUS aliterque dictus, SLAVORUM ſeu Dux, ſeu Rex, Anno 805, ab Imperatore CAROLO Magno per Filium CAROLUM Prælio victus, Imperio Spirituque privatus: cujus Populum Germanico FRANCORUM Imperio tributarium reddiderit: quis autem LECHUS ille SLAVORUM, num Zechitarum, id eſt, BOHEMORUM, an Lechitarum, id eſt, POLONORUM ſeu Dux, ſeu Rex fuerit, non præter Cauſam dubitatur.

XXI. Scriptoribus enim plurimis aut Dux, aut Rex BOHEMORUM, non POLONORUM dicitur. Anonymus Autor in Caroli Magni Vita, quam primum Andreas Duſcheſnius in Rerum Francicarum Scriptoribus, Tomo II, edidit, ad Annum 805: *Eodem Anno miſit Exercitum cum Filio KAROLO in Terram SLAVORUM, qui vocantur BEHEIMI: qui omnem illorum Patriam depopulatus, Ducem eorum, No-*

ANNO 805.
GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

mine LECHONEM occidit. Monachus Egolismensis in Caroli Magni Vita, quam primum Petrus Pithœus, post Andreas Duschesnius in Rerum Francicarum Scriptoribus edidit, ad Annum 805: *Eodem Anno misit Filium suum CAROLUM in SCLAVANIAM, ad illos, qui vocantur BEHEMI: qui omnem Patriam depopulatus, Ducem eorum, Nomine LECHONEOGO occidit.* Annales de Caroli Magni Gestis, quos Marquardus Freherus quidem Adelmo, aliis Ademaro, Monacho Benedictino: Andreas Duchesnius autem Eginhardo, Imperatoris Caroli Magno in suis Rerum Francicarum Scriptoribus attribuit, ad Annum 805: *Eodem Anno misit Exercitum suum cum Filio suo KAROLO in Terram SCLAVORUM, qui BEHEMANNI vocantur: qui omnem illorum Patriam depopulatus, Ducem eorum, Nomine LECHONEM, occidit.* Annales Francorum Fuldenses, quos & Petrus Pithœus, & Marquardus Freherus, & Andreas Duschesnius edidit, ad Annum 805: *CARLUS Iunior in BOEMANOS SCLAVOS cum Exercitu â Patre missus, depopulatâ Provinciâ, Regem eorum, Nomine LECHONEM, occidit.* Regino Prumiensis Abbas in Chronico, Lib. II. ad Annum 805: *Eodem Tempore misit Exercitum cum Filio suo CAROLO super SCLAVOS, qui vocantur BOEMI: qui omnem Terram eorum depopulantes, Ducem eorum, qui appellabatur LETZO, occiderunt.* Marianus Scotus in Chronico, Lib. III. Ætate VI. ad Annum 804: *CAROLUS Filius CAROLI Imperatoris BOEMOS vastat, LECHONEM Regem eorum occidens.* Sigebertus Gemblacensis Monachus in Chronographia, ad Annum 805: *CAROLUS, Filius Imperatoris CAROLI, BEHEMANOS rebellantes devicit, & LETHONEM eorum Ducem peremit.* Conradus Urspergensis Abbas in Chronico ad Annum 805: *Anno Domini 805, Imperator misit Filium suum cum Exercitu in BOEMIAM, qui depopulatis omnibus Ducem Terræ illius Nomine LECHONEM occidit.* Albertus Stadensis Abbas in Chronico ad Annum 805: *ANNO DOMINI 805, KAROLUS Filius Imperatoris missus a Patre BOEMIAM depopulatus est, & Ducem illius Terræ LECHONEM occidit.* Albericus Monachus in Chronico ad Annum 805: *KAROLUS Filius Imperatoris KAROLI, BEHEMANOS rebellantes devicit, & LETHONEM eorum Ducem peremit.*

Mar-

ANNO 805.
GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

Marcus Antonius Coccius Sabellicus in Historiarum Enneade VIII. Lib. IX: *Interfecit eô Bello CAROLUS* [Caroli Magni Filius] *LEONEM, BOHEMORUM Ducem, omnemque eorum Terram, quatenus colitur, fœdè populatus est.* Albertus Krantzius in Saxonia, Lib. II. Cap. XIX: *Anno proximo* [805] *Filius CAROLUS magnas Res in BOHEMOS peregit, & Ducem Terræ LETHONEM occidit.* Ioannes Trithemius in Compendio de Francorum Origine, ad Annum 805: *Anno Domini 805, Imperator misit Filium suum CAROLUM cum Exercitu in BOHEMIAM, qui depopulatis omnibus Ducem Terræ illius, Nomine LECHONEM, occidit: & ejus DUCATUM Regno FRANCORUM fecit SUBIECTUM.*

XXII. At Imperatoris CAROLI Magni Temporibus nullum inter BOHEMORUM Duces invenimus, cui vel LECHI, vel consimile Nomen fuerit: ut Bohemicarum Rerum Scriptores, Cosmas Pragensis, Ioannes Dubravius, Wenceslaus Hagecius & Martinus Boregkius indicant. His non tantum Ioannes Baptista Ricciolus, Italus, in Reformata Chronologia: sed etiam Bohuslaus Balbinus, Bohemus, cum in Rerum Bohemicarum Epitome, tum in Miscellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. II. Cap. XX. consentiunt. Quare mireris, unde Scriptoribus adeo multis, quos recensuimus, de BOHEMORUM Duce LECHO per Imperatoris CAROLI Magni Filium CAROLUM occiso natus sit Error.

XXIII. Huic â tot Historicis removendo servire potest, si demonstrabilis est, Assertio: Ab Imperatoris CAROLI Magni Filio CAROLO trucidatum in Prælio LECHUM fuisse BOHEMORUM non POPULO imperantem, sed BELLO præfectum, id est, militarem DUCEM: quem NECLANUS Bohemorum Dux Copiis suis, Carolino Germanorum Exercitui oppositis, addiderit. Huic Opinioni subscribit Bohuslaus Balbinus in Rerum Bohemicarum Epitome, Lib. I. Cap. X: de Caroli Magni contra Bohemos Bello: *NEKLAN Bohemiæ eo Tempore imperabat, & Srbiam* [Sorabiam] *seu Lusatiam contra CAROLUM tuebatur: per Legatos Bellum administravit: præcipui nominantur, LESCUS seu LECHUS Princeps & Mildruhus: uterque in hoc Bello periit.* Et in Miscellaneis Bohemicis Decade I. Lib. II. Cap. XX: *WELESLAVINUS, accuratissimus Re-*

 rum

ANNO 805.
GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

rum Bohemicarum Scriptor, narrat: NEKLANUM, Bohemiæ Principem, Bellum cum CAROLO Magno ejusque Filio gessisse: sed, cum imbecillior & ignavior esset, Duces suos, Principem LECHUM vel LESCHUM, & quendam Mildruchum sibi substituisse: ambos verò Duces in diversis Prœliis periisse. Cum Weleslavino facit vetus Scriptor, Hermannus CONTRACTUS, qui, dum hoc CAROLI Iunioris Bellum annotat, nullum CZECHUM aut CZECHONEM, sed Regem [Regulum sine Dubio aliquem] BOHEMIÆ, Anno 805 occisum, LECHONEM vocat: cui Anno sequenti Dux Bohemorum dictus MILODUCH successerit, isque etiam in Prœlio sit occisus.

XXIV. At hæc Conjectura prorsus infirmum, imò nullum habet Fundamentum. Nam primum, quô NECLANUS, an Imperatoris CAROLI Magni Tempore Dux BOHEMORUM fuerit, ob Diversitatem Annorum, quibus Neclanus vixisse dicitur, incertum est. Wenceslao Hagecio [ut alios prætereamus] in Chronicis Bohemicis, post Imperatorem CAROLUM Magnum, Anno 814 mortuum, Neclanus ab Anno 852 ad 873 Imperio præfuisse traditur. Deinde nihil probant, quos Balbinus adducit, Testes. Daniel enim WELESLAVINUS quam sit accuratus in Neclani Rebus Scriptor, ipse Balbinus in Bohemicarum Rerum Epitome docet, Lib. I. Cap. X: *WELESLAVINUS agens de Neklani Imperio, sibi ipse contradicit. Nam, cum in Calendario scripsisset, Neklanum regnasse Anno 869: postea in Genealogia scripsit, Hostivitum, Neklani Filium, regnare cœpisse, Anno Christi 823.* Hermannus autem CONTRACTUS in Chronico suo ab Anno 768 ad 813, de CAROLI Magni Rebus ne uno quidem Verbo, aut NECLANI, aut LECHI, aut MILODUCHI, aut ullius cum Bohemis commissi Prælii meminit. Ita sæpe non tutum est, allegatis, sed non inspectis credere Balbini Testimoniis.

XXV. Nobis longè probabilius videtur, à Cæsaris CAROLI Magni Filio, CAROLO peremtum in Prælio LECHUM, non BOHEMORUM, sed POLONORUM fuisse Ducem: ideo, quia POLONIS conjunctos Auxiliatores BOHEMOS in Bello adversus GERMANOS, tanquam Imperator, direxerit, habitum BOHEMORUM Ducem.

XXVI.

ANNO 805.
GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

XXVI. Nam Cæsarem CAROLUM Magnum SLAVI & POLONI & BOHEMI duabus irritaverant Offensis, ad Bellum contra utrosque suscipiendum. POLONI, cum ille gravi multorum Annorum Bello premeret Hungaros, his Opem adversus GERMANOS ferebant. Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ad Annum 786: de Caroli Magni contra Polonos Bello: *Excitatum est hac Occasione, quod POLONI, aut Aviditate Prædæ, aut Metu Potentiæ Hungaricæ, conjunxerint se cum Hungaris adversus Germanos.* Hungaris autem jam in Quietem compositis SLAVI, & POLONI, & BOHEMI Saxonibus aliisque CAROLO Magno subditis Gentibus Defectionem suadebant. Blondus Flavius in Historiarum Decade II. Lib. I: de Carolo Magno: *Primumque vocatis adse Filiis, Munera illis obeunda mandavit. CAROLUM namque ex Concubina susceptum & natu majorem in SCLAVOS, nunc BOHEMOS POLONOSque ducere jussit, qui Saxones vicinos & Romano parentes Imperio Motibus agitabant.* Antonius Bonfinius in Hungaricarum Rerum Decade I. Lib. IX: *CAROLUS compositis Italiæ Rebus, ad Germanicas Hungaricasque Animum convertit: ne parvi quidem Momenti utraque Provincia videbatur. Nam Bellum Pannonicum vix Annis octo confectum.* Ibidem post quædam: *Mox Slavonicum Boemicumque Bellum, præter Opinionem, exortum est. Quippe BOEMI & POLONI, Slavâ Gente editi, vicinos Saxones & Romano Imperio parentes, ad Defectionem solicitare ferebantur.*

XXVII CAROLUS igitur Magnus in Ultionem propensissimus, simul & in BOHEMOS, & in POLONOS Arma direxit: quos ingentibus Copiis aut delendos, aut enervandos statuit. Adversus eos, Anno 805, triplicem mittebat Exercitum: primum per Orientalem Franciam, secundum per Saxoniam, tertium per Bavariam. GERMANI cum intra BOHEMIAM obvios SLAVOS invaderent, ad Pugnam non præparatos in Latebras compulerant. Quorum Provinciâ per quadraginta dies vastatâ, in POLONORUM, imò SILESIORUM [quemadmodum §. XXIX indicabimus] Terram progressi, tam POLONORUM, quam SILESIORUM Ducem LESCUM, illum BOHEMORUM contra GERMANOS Auxiliatorem, interfecerunt. Annales Francorum Me-

ANNO 805.

GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

tenſes, quos Franciſcus Ducheſnius in Hiſtoriæ Francorum Scriptoribus, Tomo III, Pariſiis edidit, ad Annum 805: *Eodem Anno cum eſſet Imperator* [CAROLUS Magnus] *in Palatio, quod ſitum eſt Aquis, miſit Exercitum ſuum cum Filio ſuo CAROLO in Terram SCLAVORUM, qui vocantur BEHEMI, & per tres Vias in eandem Regionem penetrare præcepit. Partem autem Exercitus cum KAROLO Rege Filio ſuo per Orientalem Partem Franciæ ſeu Germaniæ ire præcepit, ut Hircano Saltu transjecto, jam dictos SCLAVOS invaderet. Aliam verò Partem per Saxoniam dirigens, ut ex altera Parte cum Saxonibus & innumerabilibus SCLAVIS tranſito ab Aquilone jam dicto Saltu in SCLAVOS prorumperet. Tertia quoque ex Parte Expeditionem totius Bajoariæ in eandem Regionem intrare juſſit. Venientes autem undique in Planiciem BEHEMI univerſi Principes diverſarum Gentium in conſpectu Regis KAROLI pervenerunt. Caſtra metati ſunt autem haud procul â ſe illi innumerabiles Exercitus diſtantes. KAROLI autem Regis & Principum, qui cum eo erant, Imperio uſus totus ille Exercitus, ipſam Regionem invaſit. Sed SCLAVI invia & Saltus penetrantes, ſe minimè ad Pugnam præparaverunt. Vaſtatâ autem & incenſâ per XL. Dies eadem Regione, Ducem eorum, Nomine LECHONEM occidit.*

XXVIII. Nam eodem Anno 805, quo CAROLUS Magnus per Filium CAROLUM, ſeu prius BOHEMOS, poſtea POLONOS, ſeu utrosque, cum in Bohemia, tum in Polonia congregatos oppugnabat, POLONIS, quod ex horum Chronologia colligi poteſt, Dux præerat LESCUS II. Quamobrem, cum BOHEMI neminem hujus aut conſimilis Nominis Ducem tum habuerint, extra Controverſiam videtur ponendum, ab Imperatoris CAROLI Magni Filio CAROLO, non aliorum SLAVORUM, niſi Lechitarum, id eſt, POLONORUM Ducem in Prælio, quod GERMANI cum POLONIS, Socios BOHEMOS habentibus, commiſerunt, exſtinctum. Id agnoſcunt Rerum Polonicarum Scriptores: Martinus Cognomento aliis Gallus, aliis Gallicus, apud Ioannem Dlugoſſum Lib. I. Cap. LII: de Leſco II: *Non nulli aſſerunt, hunc LESZKONEM in Prælio cum Cæſare CAROLO Magno inito victum & occiſum eſſe. Ita enim reperi, Martinum Gallicum de eo ſcripſiſſe. Anno 805, Imperator CA-*

ANNO 805.

GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

CAROLUS miſit CAROLUM Filium ſuum in POLONIAM, qui depopulatis omnibus, Ducem Terræ illius LESZKONEM occidit. Martinus Cromerus Lib. II. Cap. VII. de Leſco II: *Ad hunc LESCUM pertinere exiſtimandum eſt id, quod Dlugoſſus Martinum Gallum Memoriæ prodidiſſe refert, LECHUM ſeu LECHONEM, ut ſcribit ille, Principem, in Prælio cum CAROLO, CAROLI Magni Imperatoris Romani Filio notho, quem Pater contra POLONOS & BOEMOS, Saxoniam Bello vexantes, cum Exercitu miſerat, occubuiſſe: idque actum eſſe Anno quarto vel quinto, poſt octingenteſimum, â Chriſto Servatore noſtro nato, translato jam ad Francos & Germanos Occidentis Imperio.*

XXIX. Illud Prælium, quô GERMANI, Duce CAROLO, Imperatoris CAROLI Magni Filio, SLAVOS, maximè POLONOS, vicerunt, eorumque Ducem, LESCUM Secundum, Anno 805 peremerunt, committebatur intra POLONIÆ non SLAVICAM, ſed GERMANICAM Terram: id eſt, intra SILESIAM, ad VIADRUM Amnem. Id Alexander Guagninus in Chronicorum Polonicorum Compendio refert: niſi quod Leſco III, quam Leſcus II obiit, adſcribit Mortem: *A CAROLO*, inquiens, *in SILESIA cruento Prælio, ad ODERAM Fluvium proſtratus eſt.*

XXX. Hæc inter ſe comparata, ſecundum omnes Circumſtantias, tantum abeſt, ut labefactent, ut potius confirment noſtram Sententiam: SILESIOS, ab Anno 805, quo GERMANI fuerunt Slavorum Bohemorum atque POLONORUM Victores, maximè poſt amiſſum Ducem LESCUM II, fuiſſe Romano GERMANORUM Imperio, ſi non majoris aut Subjectionis, aut Obligationis aliquo Vinculo, certè, quod TRIBUTARII ferunt, obſtrictos.

XXXI. LESCUS II. Anno 805 peremtus, â SILESIIS & POLONIS electum ſibi Ducem accipiebat Succeſſorem Filium, LESCUM III. Is ad Imperatorem CAROLUM Magnum in Urbem Aquisgranenſem miſſis Legatis & Muneribus Pacem iniit cum GERMANIS: eô Anno, quô Carolus, Caroli Magni Filius, obiit: hoc eſt, 811. Marcus Antonius Coccius Sabellicus in Hiſtoriarum Enneade VIII. Lib IX. de Carolo Magno: *Reverſo dein Aquisgranum Sclavorum POLONORUM & BOE-*

ANNO 805.

GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS II.

BOEMORUM Legati, cum ampliſſimis MUNERIBUS præſto adfuerunt. Horum poſtulata fuere, ut Pax ſibi cum GALLIS [id eſt, FRANCIS Germanis] *incolumis maneret. Id cum perhumanè CAROLUS dediſſet, ne non ſemper eſſet aliquid, quapropter Res lætæ triſtibus miſcerentur, ecce, non minus triſti Nuntio affertur, CAROLUM alterum, Filium, præſtanti Indole Iuvenem, qui cum Exercitu Germaniæ Limen obtinebat, immatura Morte conſumtum.*

XXXII. Ea MUNERA, ſecundum adductam EGINHARDI, quæ propenſior Germanis eſt, Interpretationem, TRIBUTA nominat Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus: de Carolo Magno: *POLONOS etiam*, inquiens, *CAROLUS terruit, & ad Petitionem Pacis adegit, qui Aquisgrani per Legatos reconciliati ſunt CAROLO, ea Conditione, ut perſpicuè teſtantur Scriptores illius Sæculi, Eginhartus & alii, ut Imperatori ſolverent TRIBUTUM.* Ibidem in Mutationum Annotationibus: *Usque ad CAROLUM MAGNUM mediocres fuerunt Succeſſus noſtrorum, quia Franci diu occupati fuerunt in Bellis Italicis & Saracenicis: Sed eo Temporis Articulo, cum media Periodus eſſet expleta, Potentia Slavonica non nihil eſt languefacta. Nam a CAROLO Poloni cæſi ſunt, & ad Penſionem TRIBUTI adacti.* Id, ſuæ Cauſæ contrarium, ſtrenuus Polonicæ Libertatis Defenſor, Iohannes Schultzius, improbat in Polonia nunquam tributaria, Sectione IV. §. X: *Curæus certè Eginhardi aliorumque illius Sæculi Scriptorum Autoritati Opinionem ſuam, POLONOS nimirum a CAROLO Tributarios factos referens, affinxiſſe, merito dicendus: cum de POLONIS altum in ipſo aliisque Silentium ſit.*

XXXIII. At enim, Curæus habet, quô Sententiam ſuam, nihil antiquis Scriptoribus, nihil POLONIS affingentem, oſtendat. Certè CAROLO Magno Cæſari, non SILESIOS tantum, verum POLONOS etiam, hos quidem non omnes, tamen intra GERMANIAM veterem, ad VISTULÆ Ripam ſiniſtram, in Agris Craovienſibus, ſedentes, an non Eginhardus, quantumvis omiſſo, tam SILESIORUM, quam POLONORUM Nomine, ſubjectos & vectigales indicat: cum OMNES ad VISTULAM usque NATIONES ita PERDOMITAS, ut TRIBUTARIAS efficeret, commemorat? Idque ſatis luculenter patefaciunt, tam Got-

ANNO 811.

GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Magnus.
SILESIORUM Dux LESCUS III.

Gotfridus Viterbienſis, quam Albericus Fontanus, cum & BOHEMIAM, & POLONIAM inter Provincias Imperatori CAROLO Magno ſubditas recenſent. De quo videantur, quæ diximus, §. III. & XVII.

XXXIV. Nos illam ſub Imperatore CAROLO Magno Libertatem à Tributo GERMANIS ſolvendo immunem SLAVIS quidem POLONIS ultra VISTULAM relinquimus intactam: quibus eandem citra VISTULAM non aſſerere poſſumus: GERMANIS autem SILESIIS ad VISTULÆ ſiniſtrum Latus inter POLONOS hærentibus abjudicamus: quia Teſtimoniis nondum videmus aut deſtructam, aut debilitatam Fidem, quâ ducti cenſemus, cœteris GERMANIS ſub Imperatore CAROLO Magno SILESIOS, quanquam Nomine POLONOS, tamen Natione GERMANOS, ſi non ampliore, ſaltem tributaria ſubjectione connexos, ab Anno 805, ad illius Imperatoris & Ducis LESCI III. Mortem: id eſt, Annum 815: imò ultra: ſicut ex iis, quæ proferemus, patebit.

ANNO 815.

GERMANORUM Romanus Imperator LUDOVICUS Pius.
SILESIORUM Dux POPIELUS I.

XXXV. Poſt CAROLUM Magnum, Anno 814 mortuum, Romano GERMANORUM Imperio LUDOVICUS Pius ad Annum 840: poſt LESCUM III. Anno circiter 815 exſtinctum, POPIELUS I, Filius, electus SILESIIS & POLONIS Dux, ad Annum circiter 830, præfuit.

XXXVI. POPIELUS nihil aut parum ad Regiminis Curas intentus, SILESIOS Romano GERMANORUM Imperio ſubjectos, ſanè tributarios, Imperio SLAVORUM Polonico reſtituiſſe, nusquam legitur: nihilque ſuſcepit, unde probabiliter colligi poſſit. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. I. Cap. LIV: de Popielo I: *Nullum autem Opus inſigne aut heroicum prædictum POPIEL ſcimus edidiſſe: neque avita aut paterna in adminiſtrando Regno, in propagandis ejus Finibus, in edendisque militaribus Actibus in eo reluxit Propago, ſed parta tantummodo gubernare contentus de Conjuge legitima unico Filio ſuſcepto, quem ſuo No-*

ANNO 815.

GERMANORUM Romanus Imperator LUDOVICUS Pius.
SILESIORUM Dux POPIELUS I.

mine POMPILIUM appellavit, nondum ad Senectam perveniens, in marcida & torpente Ætate, Morbo correptus, Vitâ decessit. Eadem in Polonorum Historiis narrant, Matthias Michovius, Iodocus Ludovicus Decius, Martinus Cromerus, Iohannes Herburtus, Alexander Guagninus, Stanislaus Sarnicius, Salomon Neugebauerus, Ioachimus Pastorius. Quare tantò credibilius est, à POPIELO, sub Imperatore LUDOVICO Pio, relictos GERMANIS addictos tributariosque SILESIOS ad Annum 830.

ANNO 830.

GERMANORUM Romanus Imperator LUDOVICUS Pius.
SILESIORUM Dux POPIELUS II.

XXXVII. Post POPIELUM I, Anno circiter 830 mortuum, Filius, quibusdam POMPILIUS, plerisque POPIELUS dictus, Imperium per Electionem adeptus, non administrabat, Ingenio stupidus & rudis, Animo timidus & ignavus, sed Uxori committebat. Hæc vicini GERMANORUM Principis Filia, Consensu Procerum, ad mores nimium perversos emendandos in Matrimonium Popielo data, non meliorem corruptissimo Vitam quidem formabat, sed tamen Vicarium Reginis agere solita, miram & Frontis elegantis, & sagacis Indolis Excellentiam pro Instrumento adhibebat in obtinendum simul & Mariti, & Populi Obsequium: nihil verita POLONORUM Slavorum de se Iudicium sinistrum: quasi Iuris naturalis non sit, ut melior deteriori præsit, desipientisque Viri Defectum Prudentia Mulieris suppleat, in Commodum præsertim publicum. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. I. Cap. LVI: de Popielo II: *Nulla in eo nobilis Indoles, nullus Actus Viro heroico & Principe dignus, nullum Virtutis Specimen, nullus Honestatis Amor, Somno aut Ventri, aut Crapulæ deditus.* Ibidem post quædam: *Procatur autem illi & desponsatur ex Principibus Almaniæ vicinis Polonico Regno Conjux, Generis Nobilitate præstans, & Formæ Elegantiâ rarâ, Fœminas plures suæ Ætatis supergressa, in omne Facinus, & præsertim in Am-*

ANNO 830.

GERMANORUM Romanus Imperator LUDOVICUS Pius.
SILESIORUM Dux POPIELUS II.

Ambitionem & Avaritiam muliebri Ingenio prona. Ea Spe & Respectu à Patruis & Proceribus Poloniæ illi conjuncta, ut Viri Actus detestabilesque Mores in meliora verteret. Verum illa Blanditiis suis muliebribus Calliditatibusque illectum captumque illaqueavit adeo, ut apud illam magis, quam apud Regem totius Regni administrandi consisteret Potestas. Singulaque per Legem decernenda non secus rata habebantur, ac illa Reginæ Consensus & Autoritas probavisset. Martinus Cromerus in Polonorum Rebus, Lib. II. Cap. X: de Popielo II: *Ad Res agendas ineptus, Ingenio nullo, Stipes Caudexque: indeque omnibus jam erat despicabilis, ita ut Chostek* [id est, attrita Scopa] *Vulgo per Contemtum appellaretur, cum dissolutos & perditos Mores ejus deformis Facies, rarus in Capite & in Barba Pilus, quales ferè lascivi sunt, magis etiam deformaret. Capiunt Patrui cum aliis Proceribus Consilium, quonam Modo tam dissoluta illa Principis sui Vita, tamque profligata Licentia refrenaretur. Uxorem ei petunt eleganti Formæ Puellam, Theutonici Principis cujusdam Filiam. Et videbatur sanè mulier avaræ & ambitiosa, Mariti Vitam ad meliorem Frugem reductura, Torporemque ignavo excussura. Sed Res aliter cecidit: nimirum ut nihil ille de Flagitiis & Nequitia sua remitteret.* Ibidem post quædam, de Popieli II. Uxore: *Quæ degustatâ semel Dominatus atque Lucri Dulcedine, despectâque Viri Inertiâ, muliebri Astu Imperium omne ad se transtulerat.* Stanislaus Sarnicius in Polonorum Annalibus, Lib. V. ad Annum 830: de Popieli II. Uxore: *Ipsa Uxor eô despectô ad augendam Rem privatam sese convertit. Omnia Munia regia ad se callide & sensim attraxit: ita ut Maritus Rex quidem nominaretur, & pro Rege se gereret: sed Iustitiæ Administratio, Fisci Potestas penes unam Mulierem esset.*

XXXVIII. Talis cum POLONORUM Status esset, SILESIIS [quod in eorum Annalibus MStis reperitur] inter Initia Secessionem ad GERMANOS facturis, quos Imperator CAROLUS Magnus domitos, Imperio suo ad Tributum obligatos reddiderat, sub LUDOVICO Pio, Caroli Magni Filio, Dissidiis Clericorum & Filiorum suorum enervato, Spem contra POLONOS se tuendi, ob Auxiliorum Defectum,

ANNO 830.

GERMANORUM Romanus Imperator LUDOVICUS Pius.
SILESIORUM Dux POPIELUS II.

ctum, amittentibus, per Uxorem Germanicam POPIELUS tantô facilius perſuadebat, ut [non Timore Popieli, ſed Amore Conjugis, quam Originis patriæ ſatis memorem Patronam ſentiebant] Provinciarum Polonicarum retinerent Conſortium. Id verò, quamvis magnum Germanicæ Mulieris in POLONOS Beneficium, altô Silentiô tranſeunt Rerum Polonicarum Scriptores: forſan Odiô Germanicæ Dominationis, cujus impatientes SLAVOS ſemper fuiſſe conſtat. Vitam ſuam POPIELUS II, circiter Annum 833, finiit: Murium, ſicut à Polonis traditur, non ſolus, ſed cum duobus Filiis, & Conjuge, cui ſceleratam in Mariti Patruos, Veneno per Fraudem ſublatos, Crudelitatem adſcribunt, horribile Pabulum.

ANNO 833.

SILESII Ducem nullum habentes,
Liberrimus POPULUS.

XXXIX. Poſt exſtinctum POPIELUM II, circa Ducem ex Indigenis an Peregrinis eligendum, GERMANI POLONIque diſcordes, inque Factiones diſtracti, ſuâ Libertate, ſuô Iure vivebant æquales, communi propemodum Vinculo planè carentes. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. I. Cap. LXI: *Morſu Murium Tyranno POPIEL conſumto, & Filiis ejus una deletis, & juſto Dei Iudicio exſtinctis, Proceres Nobilesque POLONORUM univerſi ad providendum de futuro Rege & Principe generalem Conventum apud Cruſuiciam indicunt.* Ibidem poſt quædam: *Variæ Diſſenſiones Contentionesque ſubortæ ſunt, & inter eligentes Schismata, non nullis privata Ambitione & Suffragiis Cognatorum, Principatum molientibus uſurpare. Cæteris verò contraria Oppoſitione reluctantibus, indignum judicantibus aliquem INDIGENAM in Principatum ſurrogari.* Rurſus poſt quædam: *Votis itaque eligentium in diverſas Partes diviſis, infenſis Animis ex Cruſuica diſceſſum eſt: nullo Ordine pro adminiſtranda Republica procurato. Interea per Circuitum vicinæ NATIONES infeſto Agmine POLONIAM ingreſſæ, pro Lubitu eam, nullo reſiſtente, Spoliis & Rapinis affligebant, & non nullos ejus DISTRICTUS & O-*

RAS

ANNO 833.

GERMANORUM Romanus Imperator LUDOVICUS Pius.
SILESII ſui Iuris POPULUS.

RAS Iuri & PROPRIETATI ſuæ uſurpabant. Procerum inſuper & Nobilium Poloniæ deterior erat Conditio, qui mutuis in ſe graſſantes Odiis, continuis ſe Cladibus & Depopulationibus conſumebant. Propter quod POLONIA aliquanto Tempore propriis & externis Bellis defervescens, magnæ patuit Ruinæ & Calamitati, gaudentibus & in ſingulari exſultantibus per Circuitum NATIONIBUS Tripudio, quod Polonico Regno plurimorum Bellorum inteſtinorum Stridoribus ſeipſum collidenti crediderunt Exterminium proventurum.

XL. Sic turbatis POLONORUM Slavorum Rebus, quidnam SILESII Germani, certè nondum veteris Libertatis immemores, egerint, non diſtinctè cognitum habemus. Id non abhorret à Vero, tum SILESIOS, accedentibus in Poloniam vicinis GERMANIS excitatos, POLONIS ob Ingeniorum Germanicorum Slavicorumque Diſcrepantiam perpetuam, priſtinam initæ Societatis denegaviſſe Concordiam. Salomon Neugebauerus in Hiſtoria Polonica, Lib. III. Cap. I: *Exſtincto POPELO cum Uxore & Liberis, convenit magna Procerum Multitudo Cruſuiciam, ad creandum novum Principem. Agitatâ Re aliquandiu, eò, quod varia eſſent Hominum Studia, & ambitioſi quidam magnas poſt ſe traherent Factiones, infecto tandem Negotio diſceditur. Ac, dum nemo alteri paret, neque cedit: in ſumma omnium Licentia, Cædes & Latrocinia paſſim exercebantur, & juſtis interdum Prælii inter diſſidentes concurrebatur. Nec finitimæ Gentes, GERMANI præſertim, Occaſionem impune vel proferendorum Finium ſuorum, vel Prædas agendi prætermittunt: divexatur miſerè Polonia.* Cum his conſentientia ſcripſit ante Neugebauerum Stanislaus Sarnicius in Annalibus Polonicis, Lib. V. ad Annum 810.

XLI. Illo Temporis Habitu SILESII, tantopere diſſidentibus invicem POLONIS non amplius connexi, ſed per ſe liberi, patere quidem Viam non ignorabant, quâ vel à Gentibus aliis ſeparati, peculiarem ſibi Rempublicam formare: vel, poſthabitô SLAVORUM Conſortiô, tandem ad reliquum GERMANORUM Corpus, cui tum Imperator LUDOVICUS Pius, CAROLI Magni Filius, præerat, redire

ANNO 833.
GERMANORUM Romanus Imperator LUDOVICUS Pius.
SILESIORUM ſui Iuris POPULUS.

poſſent. Reſpondebat etiam Cognitioni Voluntas, ſed non Voluntati Facultas: quoniam in Germaniæ Finibus defixi, SLAVOS, ad oppugnandam Germanicam Libertatem natos, circumcirca metuendos prævidebant Hoſtes: inteſtinis Calamitatibus obnoxii Cæſaris LUDOVICI Pii ſuccumbente Fortuna, quem prævalido adverſus SLAVOS Præſidio Auxiliatorem promittere ſibi non poterant. Quamobrem, quia Viribus ſuis, ad Patriam contra Oſores vicinos defendendam, nondum ſatis confidebant, duobus ê Malis, quorum neutri declinando erant, minus eligentes, POLONIS adhærere, quam GERMANIS accedere malebant: quod meliores Sileſiacorum Chronicorum Codices MStos, quanquam ſubobſcurum in Modum, indicare notavimus. Cœterum, in eodem Libertatis Statu SILESII, ad Cæſaris LUDOVICI Pii Mortem, id eſt, ad Annum 840, perſeverabant: quô Succeſſor Filius LOTHARIUS I. Imperator GERMANIS recipiebatur.

CAPUT V.
SILESIORUM RES.

ANNO 842.
GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS I.
SILESIORUM Dux PIASTUS.

I.

COmitiis, poſt multos Annos, intra Poloniæ majoris Urbem Cruſuiciam, iterum habitis, concors denique POLONORUM SILESIORUMque Populus in præficiendum ſibi Ducem conſentiebant. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. I. Cap. LXII: *Poloniæ Oram dum vidiſſent primi Proceres ex Diſſenſione domeſticâ magis, quam hoſtili Bello vexatam & attritam, ſecundum apud Cruſuiciam indicunt pro eligendo Principe Conventum: ad quem dum univerſus Procerum & Popularium Cœtus de Principe ordinando conveniſſet, ſedatis inveteratis Odiis & Simultatibus [ſedari enim illas & componi extrema Calamitas Regno imminens compellebat] modeſtos concordesque cœperunt habere de ſurrogando Principe Tractatus.*

ANNO 842.
GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS I.
SILESIORUM Dux PIASTUS.

II. Uterque Populus, uſitatô per illa Tempora Geniô ductus, non ad externum Stirpis Decus, ſed ad internam Virtutis Gloriam directis Suffragiis, ſtatuebat Imperio, cui non inhabilis erat, ideo non indignum Virum, nonnullis PASCHIUM, plerisque PIASTUM dictum, Coſiſconis Filium, Repichæ Maritum, Staturâ brevem, unde Nomen accepit: modici Agri Dominum, Animo in omnes juſtum, Manu in egenos liberalem. Vincentius Kadlubko in Hiſtoria Polonica, Lib. II. Epiſt. III: *Fuit enim quidam pauperculus, Coſſyſconis Filius, cui Nomen PYASTH: cujus Conjugi Nomen Rzepycza. Ambo nam infimi, Rebus exigui, Extenuatione nulli, ſed purioris Vitæ Studio ſublimes, Æſtuque Miſericordiæ ferventiſſimi, ut eorum Subſtantiola, in ſe plerumque nulla, Hoſpitalitatis non nunquam augeretur Impendio.* Anonymus Polonus [quem Cap. III. §. I. citavimus] in Chronico MSto: *Divina diſponente Clementia memoratum PASCH in ſuum Regem unanimiter elegerunt. Hic ob hoc dictus PASCH eſt, quia fuit Statura brevis, ſed robuſtus Corpore, & decorus Aſpectu.* Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. I. Cap. LXII: *Erat autem in Urbe Cruſuicienſi Vir quidam Nomine PIAST, abeo, quod Staturæ quidem depreſſæ, ſed robuſtæ atque craſſæ eſſet, Nomen hujusmodi ſortitus. POLONI enim ſuo Vulgari eam Partem Rotæ, quæ in Axe volvitur, truncam & craſſam, Piaſtam appellant. Vir ſimplex & rectus naturali Juſtitiæ, cæterisque Gradibus Virtutum inſignis, ſed ob Inopiam Agellum exiguo colens Aratro. Cui, ut plerisque, Tenuitas Cauſa Probitatis erat. Habebat paribus Virtutibus & Moribus Uxorem, quæ Rzepica vocabatur, & unicum Filium ex ea ſuſceptum, nondum aliquo Nomine appellatum, ambo Agrorum Cultui intenti, cunctaque Humo gignente Victum quæſiverunt. Admirandâ & per omnium Ora celebratâ Charitate indigentibus Advenis, peregrinis miſerabilibus Perſonis & quibuscunque aliis eorum Opem implorantibus, cum tamen Gentiles ipſi & Ethnici eſſent,*

ANNO 842.
GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS I.
SILESIORUM Dux PIASTUS.

eſſent, erogabant, ut ad eorum Tuguria major, quam ad regiam Stipem mendicantium Frequentia conveniret. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. II. Cap. XII: *Erat Cruſuicia oppidanus, PIASTUS Nomine, Coſſisconis Filius, Statura infra mediocrem, craſſis atque robuſtis Artubus, mediam Ætatem ſupergreſſus Agello modico colendo & Mellificio Vitam ſuſtentans, Homo ſimplex & juſtus, & beneficus in egenos, atque hoſpitalis pro Modo Facultatum ſuarum.*

III. Hanc Electionem an prævium Miraculum, per duos â PIASTO, quamvis Pagano, receptos Hoſpites, ſeu Angelos, ſeu Martyres, exiguum & Cibum, & Potum in Abundantiam [quæ laborantibus Inopiâ Convenis, Ducem conſtituturis, ſuffecerit] convertentes editum, omnibus commendaverit: nos affirmare non ſuſtinemus, quibus Antiquitatem credulam ſæpius ficta pro veris arripuiſſe, non eſt incognitum. De quo Miraculo in Hiſtoriis Polonicis agunt, Ioannes Dlugoſſus Lib. I. Cap. LXII. & LXIII. Matthias Michovius Lib. I. Cap. XII. Martinus Cromerus Lib. II. Cap. XI. Alexander Guagninus Cap. X.

IV. Id nos Iure potiore ſuſpenſos facit, cur ex Scriptoribus hactenus editis nemo in Poſteritatis Gratiam conſignaverit: an PIASTUS, ſede POLONUS, etiam Gente POLONUS exſtiterit. Nam probabile quidem non eſt, â prævalentibus SLAVIS Electoribus Imperio tractando GERMANUM deſignatum eſſe: tamen impoſſibile non eſt: quia potuit hoc ſuadere turbulento afflictoque POLONORUM Statui neceſſitas. Certè PIASTUS, etiamſi non SLAVIS LECHITIS, ſed GERMANIS SILESIIS, per ea Tempora communi POLONORUM Nomine comprehenſis, Originem ſuam debuiſſe ſtatuatur: eoque Pacto ſimul SLAVIS LECHITIS Alienigena, ſimul GERMANIS SILESIIS indigena fiat: neutro fuit Modo, nec tanquam Alienigena, neque tanquam Indigena, repudiandus omnibus: ex quorum Cœtu in prioribus Comitiis contendebant quidem, non INDIGENAM eligendum. De quo Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. I. Cap. LXI: *Variæ diſſenſiones ſubortæ ſunt, & inter eligentes Schismata, non nullis privata Ambitione & ſuffragiis Cognatorum Principatum molientibus uſurpare.*

ANNO 842.
GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS I.
SILESIORUM Dux PIASTUS.

pare. Cæteris verò, contraria Oppoſitione reluctantibus, indignum judicantibus aliquem INDIGENAM in Principatum ſurrogari.

V. Auget Dubitationem, quod PIASTUS ad Goblonem Lacum, non procul â VISTULA Fluvio, Pruſſiam ingreſſuro, intra POLONIÆ majoris Urbem CRUSVICIAM, nonnullis GRUSWICIAM dictam, Civis fuerit: cui Urbi vetuſtiſſimus SILESIORUM LYGIORUM ELYSIORUM Limes, olim ad Amnem WARTAM extenſus, propinquus erat: ubi & Lacus, & Oppidum, quibus Nomen SLESINONIS eſt, etiamnum reperitur. De quibus Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. I. Cap. XX: *Goplo in Provincia majoris POLONIÆ Lacus ampliſſimus & POLONIS celeberrimus eſt.* Ibidem poſt quædam, de vicinis Lacubus: *SLESINO lacus Oppido ſui Nominis imminens, ex Monte Przewloki ortus, quatuor Milliaria Polonica in longum, quartale Milliaris in Latitudinem conficit, & Fluvium Goplenica ex ſe circa Villam Gappa parturiens, Fluvio WARTHÆ apud Villam Morzyslaw miſcetur.*

VI. Præterea ſuccurrunt, ex quibus PIASTUM, non Slavum POLONUM, ſed Germanum SILESIUM agnoſcas. Etenim LECHITA non fuit: ſi credimus Polono Anonymo, cujus in Chronico MSto antiquo reperiuntur hæc: *Diverſis in diverſos ſua Vota dirigentibus in unum ex ipſis non poterant concordare: proprium, plusquam commune Bonum præferendo. Decreverunt itaque aliquem infimæ & modicæ Cognationis eligere, quamvis ingenuum, non tamen ex LECHITARUM Propagine procreatum. Fuit namque quidam pauper Agricola Nomine PASCH, & Nomen Conjugis ejus Rzepicza in Urbe Cruſzuicienſi commorantes prædicta.* ELYSIUS, id eſt, SILESIUS fuit: ſi Caſparem Urſinum Velium audimus, in Epigrammatibus ad Ioachimum Sileſiæ Ducem:

Sanguine SARMATICO genitum dixere PIASTUM:
ELYSIO natum Pagina priſca docet.

VII. Quæ tamen proferenda cenſuimus, non, quaſi plenam dubitantibus Fidem conciliare poſſint, fuiſſe PIASTUM Ortu non SLAVUM LECHITAM, ſed omnino GERMANUM, imo SILESIUM: potius

ANNO 842.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS I.
SILESIORUM Dux PIASTUS.

tius ideo, ut inde capiant Ansam perquirendi Monumenta meliora vel possidentes, vel impetraturi: unde quantô certior, tantô gratior Amatoribus eluceseat Veritas. Sanè, PIASTUS, tanquam POLONUS Patriâ, Ptosapiâ GERMANUS, in Nepotibus, ad nonum Sæculum propagatis, & SLAVIS POLONICOS, & SILESIIS GERMANICOS reliquit Duces.

VIII. Ad Imperium PIASTUS evectus est Anno, secundum alios alio: Secundum potiores atque plures, 842: in quam Chronologiam consentiunt Historiarum Polonicarum Scriptores, præter alios, Iohannes Herburtus, Alexander Guagninus, Stanislaus Sarnicius, Salomon Neugebauerus: Christophorus Hartknochius de Polonica Republica, Lib. I. Cap. II. §. VII. Horum Sententiam firmat Inscriptio, quam Imago Piasti repræsentat in Ducum Lignicensium Aulico Bregensi Templo, supra Suggestum: *Exstinctâ veterum POLONIÆ Ducum Familiâ in POPILIO, POLONI sibi præfecerunt PYASIUM, Virum humili Loco natum: sed Virtute & Iustitia excellentem, circiter Annum Domini D. CCC. XLII. â quô prisca POLONIÆ REGUM Progenies, & SILESIÆ DUCES descendunt.*

IX. Optatô, ut Decretô, sic Eventu PIASTUS electus, post asperos, iniquos, inutilesque Duces, Bonis amandus, timendus Malis, suspiciendus Finitimis, omnes POLONORUM SILESIORUMque Provincias, non Belli, sed Pacis Artibus, intra se concordes, ab exteris, tam Insidiatoribus, quam Invasoribus immunes, non mediocriter Nomini Stemmatique suo reddidit devinctas. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. II. Cap. XII: *Inauguratus Principatui PIASTUS, non mutavit cum Statu Animum. Quin auctus Copiis multum ad pristinam suam Beneficentiam atque Benignitatem adjecit: Uxore non modo non dehortante, verum adjuvante etiam. Conquierunt autem sub ejus Principatu Hostium Incursiones: cessarunt & intestina Dissidia, Cædes & Latrocinia: Reverentiâ magis boni & vigilantis Principis, quam Armis, Severitate & Supplicüs.* Eadem commemorant in Historiis Polonicis, Iohannes

ANNO 842.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS I.
SILESIORUM Dux PIASTUS.

annes Dlugossus Lib. I. Cap. LXII. Iohannes Herburtus Lib. I. Cap. XIII. Salomon Neugebauerus Lib. III.

X. Relictâ CRUSVICIA, cui POPIELUS fœda simul & Vita, & Morte suâ Contemtum attulerat, PIASTUS Sedem figebat GNESNÆ, quam LECHUS Slavorum Lechitarum primus in POLONIA Dux excitaverat. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. I. Cap. LXIV: de Piasto: *Patrato per POMPILIUM, suum immediatum Prædecessorem in Patruos & Proceres suos Sceleri plurimum infestus, Regiam in GNESNAM ex CRUSVICIA, Originarium & vetustum Locum, transtulit.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. II. Cap. XII: *Abominatus vero CRUSVICIAM PIASTUS, nefario Scelere, diroque Interitu POPIELI contaminatam, GNESNAM prisci LECHI Regiam, Domicilium suum transtulit.*

XI. Vixit PIASTUS Annos CXX: ut in Rebus Polonicis narrant, Ioannes Dlugossus, Matthias Michovius, Iodocus Ludovicus Decius, Martinus Cromerus, Iohannes Herburtus, Alexander Guagninus, Stanislaus Sarnicius, Salomon Neugebauerus, Ioachimus Pastorius. Ideo, quibus creditur Anno 775 natus: Anno 842 Imperium nactus: quod Anno Ætatis 67 susceperit, & per Annos 53 gesserit: iis demum Anno 898 statuitur mortuus. Ab his autem dissentiunt alii: secundum quos PIASTUS Imperium Anno 842 accepit: [quos §. VIII indicavimus:] at Imperii non 53, sed 19 Anno: Christique non 895, sed 861, [incertum, quo Ætatis] Anno censetur mortuus: quibus, Rationes meliores amplectentibus, nostrum addimus Calculum.

ANNO 861.

GERMANORUM Romanus Imperator LUDOVICUS II.
SILESIORUM Dux SEMOVITUS.

XII. GERMANIS post LOTHARIUM I. Filius LUDOVICUS II. Imperator, ab Anno 855, ad 875: SILESIIS & POLONIS, post PIA-

ANNO 861.

GERMANORUM Romanus Imperator LUDOVICUS II.
SILESIORUM Dux SEMOVITUS.

STUM Filius SEMOVITUS Dux electus, ab Anno 861, ad 892, præfuit.

ANNO 869.

GERMANORUM Romanus Imperator LUDOVICUS II.
SILESIORUM Dux SEMOVITUS.

XIII. SILESII majora Libertatis Iura sub SEMOVITO, quam sub antecedentibus Ducibus, vel possidentes, vel arripientes, cum vicinis Bohemis, Lusatis aliisque Populis Arma jungebant, remotaque transgressi Loca, Thuringos & Bavaros invadebant Anno 869. Id referunt Annales Francorum Fuldenses, quos Pithœus, Marquardus Freherus, Andreas Duchesnius edidit: Melchior Goldastus Walafridum Strabum Autorem habere putat in Commentariis de Bohemia, Lib. II. Cap. X. Ille, quisquis fuerit, antiquus Autor, de SIUSLIS, hoc est, SILESIIS, quos etiam SUISOLOS invenimus dictos, & SORABIS, hoc est, LUSATIS, quos, ut cœteros GERMANOS, passim SLAVIS admixtis oneratos, Ætas illa Populis Slavicis annumerabat, hæc scribit ad Annum 869: *SORABI & SIUSLI junctis sibi BEHEIMIS & cæteris circumcirca Vicinis, antiquos Terminos Thuringiorum transgredientes, plurima Loca devastant, & quosdam sibi incautè congredientes interficiunt.* Ioannes Aventinus in Annalibus Boicis, Lib. LIV: *Sed majore rursus Vi SCLAVORUM Nationes plerœque, instigante Ratislao* [Moravorum Rege] *adversus Regem* [Bojorum & Francorum Ludovicum, Ludovici Germanici Filium, Imperatoris Ludovici Pii Nepotem] *insurgunt. BOIEMI Terminos Boiariæ incursant, Pagos quosdam incendunt, Pecora, Mulieres captivas abigunt. SORABES, SUISOLI Turogos* [Thuringos] vastant: *plerosque nostratium incautius resistere conantes interficiunt.*

ANNO 870.

GERMANORUM Romanus Imperator LUDOVICUS II.
SILESIORUM Dux SEMOVITUS.

SILESII Romano GERMANORUM Imperio Tributarii.

XIV. Hoc Imperator LUDOVICUS II. non ferendum esse ratus, SILESI-

ANNO 870.

GERMANORUM Romanus Imperator LUDOVICUS II.
SILESIORUM Dux SEMOVITUS.

SILESIOS cum Auxiliatoribus superatos reddebat Romano Germanorum Imperio Tributarios, circiter Annum 870. Adamus, Bremensis Canonicus, in Historia Ecclesiastica, Lib. I. Cap. XXXI: [aliis XXXIV:] *Anno Domini Rimberti XII, LUTHEWICUS Pius, Cæsar Magnus, obiit. Ipse BOEMANOS, SORABOS,* [Lusatos] *SUSOS* [Silesios] *& cæteros SCLAVORUM Populos ita perdomuit, ut TRIBUTARIOS efficeret.*

XV. At in Dubium vocari potest, uter LUDOVICUS, Primus an Secundus, Imperator, victos SILESIOS Tributo subjecerit. Hoc feciſſe LUDOVICUM Primum, Caroli Magni Filium, Cognomento PIUM, Melchior Goldastus in Commentariis de Bohemia, Lib. II. Cap. X: & Christophorus Hartknochius de Polonica Republica, Lib. I. Cap. III. §. I. putant. LUDOVICUS autem Primus, cum sit Anno 840 mortuus, quomodo id post Annum 869 præstiterit? Præstiterit ergo LUDOVICUS Secundus, ab Anno 855 ad 875 Imperator.

XVI. Nec obstat, quod Adamo dicitur LUTHEWICUS PIUS CÆSAR: quô PII Cognomento publico LUDOVICUS Primus denotari solet. Nam de LUDOVICO Primo Adamus jam in præcedentibus egerat: de quo narrat hæc Cap. XVIII. [aliis XXII.] *Anno Leuderici, Bremensis Episcopi, tertio, LUTHEWICUS IMPERATOR obiit, Regnumque in Contentione remansit. Multa inter Fratres Discordia, Bellum maximum.* Quamobrem, quæ Cap. XXXI. [aliis XXXIV.] de Ludovico Cæsare commemorat, omnino ad Ludovicum II. Imperatorem spectant. Videlicet Adamus, quod Res ipsa docet, privato Affectu Ludovicum II. Imperatorem ita ob Pietatem nominat LUTHEWICUM PIUM CÆSAREM, sicut eundem Cap. XXIII. [aliis XXVII] ob Orthodoxiam vocat ORTHODOXUM CÆSAREM LUTHEWICUM.

XVII. Sed ne sic quidem omnis eradicari potest Dubitatio. Nam, quod Adamus LUDOVICO II. Ludovici I. Pii Cæsaris Filio, Caroli Magni Nepoti: hoc Albertus, Stadensis Abbas, LUDOVICO I. Pio Cæsari, Caroli Magni Filio attribuit in Chronico ad Annum 876: ubi, quos Annalium Francicorum Conditor SIUSLOS, Aventinus SUISOLOS, Adamus SUSOS nuncupat: LUSOS appellat SILESIOS: prioribus duabus

ANNO 870.
GERMANORUM Romanus Imperator LUDOVICUS II.
SILESIORUM Dux SEMOVITUS.

bus Literis omissis, quô SILUSOS alii nominant. *Anno Domini*, ait, *DCCC. LXXVII. LOTHEWICUS PIUS Imperator, superioris LOTHEWICI Filius, obiit. Ipse BOEMANNOS, SORABOS, LUSOS & cæteros SCLAVORUM Populos ita perdomuit, ut TRIBUTARIOS efficeret.* LUDOVICUS autem Secundus Imperator, Imperatorum Lotharii I. Filius, Ludovici I. Cognomine PII, Nepos, Caroli Magni Pronepos, Anno 875, non 876 mortuus est. Quis ergo superioris LUDOVICI Filius, LUDOVICUS PIUS Imperator est, ille SILESIORUM Victor, quem Albertus intelligit?

XVIII. Certè non alius, nisi LUDOVICUS, Imperatoris Ludovici I. Cognomento PII, Filius: non Romanorum IMPERATOR, sed Germanorum REX: quem Anno 876 mortuum Annales, tum alii, tum etiam Francorum Fuldenses luculenter indicant. Quicquid igitur Adamus Imperatori LUDOVICO II, id Albertus LUDOVICO Germanorum Regi, quem Imperatorem dicere non veritus est, adscribit. Qua in Re plus Fidei meretur Adamus, sæculis duobus antiquior, cui sua debet Albertus. Fac autem, SILESIOS à LUDOVICO, Germanorum Rege, non Romanorum Imperatore subactos: an non Germania tum Romani GERMANORUM Imperii Pars erat, cui LUDOVICUS Rex SILESIOS reddiderat TRIBUTARIOS?

ANNO 874.
GERMANORUM Romanus Imperator LUDOVICUS II.
SILESIORUM Dux SEMOVITUS.

XIX. SILESII, post Trachulfum, Lusatiæ Gubernatorem [quem, si deficerent, Vindicem timuerant] mortuum, ad Lusatorum Exemplum, Romano Imperio Germanico Subjectionem Tributariam denegabant Anno 873.

XX. Ideo SILESIOS Anno 874. LUDOVICUS, Germanorum Rex, Imperatoris LUDOVICI II. Patruus, per Luitbertum, Archiepiscopum Moguntinum, & Ratolfum, Lusatis præfectum, quibus inusitata Hiemis Asperitas, Fluvios indurans serviebat, ad pristinum Obsequium

ANNO 874.
GERMANORUM Romanus Imperator LUDOVICUS II.
SILESIORUM Dux SEMOVITUS.

sequium Armis revocabat. Annales Francorum Fuldenses ad Annum 873: *Trachulfus Comes & Dux Sorabici* [Lusatici] *Limitis, Mense Augusto defunctus est.* [Anno] *DCCC. LXXIIII. Hiems aspera nimis & solito prolixior, Nix quoque immensa à Kalendis Novembris usque in Æquinoctium vernale sine Intermissione cadens, magnum Hominibus fecit Impedimentum, Silvas petere, Lignaque colligere. Unde accidit, ut non solum Animalia, verum etiam Homines plurimi Frigore perirent. Sed & Rhenus, & Mœnus glaciali Frigore constricti, longo Tempore sub Vestigiis incedentum calcabiles præbuerunt. Sorabi & SIUSLI, eorumque Vicini, Thaculfo defecerunt. Quorum Audaciam Luitbertus Archiepiscopus & Ratolfus, Thaculfi Successor, ultra Salam Fluvium Mense Ianuario profecti, Prædis & Incendiis sine Bella compresserunt, & eos sub pristinum SERVITIUM redegerunt.*

ANNO 877.
GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Calvus.
SILESIORUM Dux SEMOVITUS.

SILESII Romano GERMANORUM Imperio Tributarii.

XXI. Post Ludovici, Germanorum Regis, Excessum, id est, post Annum 876, SILESII Onus tributarium à GERMANIS impositum dejiciebant. Helmoldus, Bosoviensis Presbyter, [qui Vocabulo SILESIOS corrupto, aliis SILUSOS, aliis SIUSLOS, aliis SUISOLOS dictos, corruptiore SUSOS appellat] in Slavorum Chronicis, Lib. I. Cap. VII. §. II: *Noster autem Ludovicus, Rex scilicet Germaniæ, Nortmannos Fœderibus sive Præliis hoc Modo retinuit, ut, cum Franciam totam vastaverint, Regno ejus vel minimè nocuerint. Post cujus Mortem effera Barbaries laxis regnabat Habenis. Nam BOEMI, SORABI, SUSI & SLAVI, quos ipse TRIBUTIS subjecerat, tunc SERVITUTIS Iugum excusserunt.* Paucis mutatis eadem profert Albertus Krantzius in Vandalia, Lib. II. Cap. XXV.

ANNO 877.

GERMANORUM Romanus Imperator CAROLUS Calvus.
SILESIORUM Dux SEMOVITUS.

XXII. Sic aversos ab Imperio Germanico SILESIOS, Imperatore CAROLO Calvo, Imperatoris Ludovici II, Anno 875 mortui, Patruo, LUDOVICUS, Ludovici Germanorum Regis Filius, Francorum & Bavarorum Rex, Anno 877, non Armis petendos ratus, per Legatos acceptis & Muneribus, & Obsidibus, in Obsequium priscum efficiebat obstrictiores. Annales Francorum Fuldenses ad Annum 877: *LUDOVICUS* [Iunior] *Rex Mense Ianuario, generali Conventu habito apud Francofurt, quos de Regno Caroli tenuit captivos, remisit in Galliam. SCLAVI, qui vocantur Linones & SIUSLI, eorumque Vicini Defectionem molientes, solitum dare CENSUM renuunt. Quos LUDOVICUS Rex missis quibusdam Fidelibus suis circa mediam Quadragesimam sine Bello compressit, acceptisque Obsidibus non nullis & Muneribus non paucis eos sub pristinum redegit SERVITIUM.*

GERMANORUM Romanus Imperator ARNOLPHUS.
SILESIORUM Dux LESCUS IV.

An SILESII SUATOPLUCO Moravorum Regi paruerint circiter Annum 893.

XXIII. GERMANIS, post CAROLUM II. Calvum, LUDOVICUM III. Balbum, CAROLUM III. Crassum, ARNOLPHUS Imperator ab Anno 887: SILESIIS & POLONIS post SEMOVITUM Filius LESCUS IV, ab Anno 892 ad 913 Dux electus præfuit. Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. I. Cap. XIV: *LESKO Ætatis nondum debitæ, de Procerum & Nobilium communi Assensu in Principem assumitur.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. II. Cap. XIV: *Magno tam boni, tamque bene merentis de Republica Principis* [Semoviti] *Desiderio ducti Proceres, Filium ejus unicum cui LESCO Nomen erat in Principatum ipsi surrogant Adolescentulum: eique Custodes & Moderatores Consiliorum primores aliquot adjungunt.*

XXIV. Eo Tempore SUATOPLUCUS, aliis etiam SUENTOPELCUS dictus, aliis Nominis Formâ denotatus, Moravis erat Rex: quem Annus 894 vivis eripuit. Regino, Prumiensis Abbas in Chronico, ad Annum

ANNO 893.

GERMANORUM Romanus Imperator ARNOLPHUS.
SILESIORUM Dux LESCUS IV.

Annum 890: *ARNOLPHUS Rex concessit ZANDEBOLCH Marahensium Sclavorum Regi Ducatum Bohemicum: qui hactenus Principem suæ Cognationis ac Gentis super se habuerant, Francorumque Regibus Fidelitatem promissam inviolato Fœdere conservaverant.* Ibidem ad Annum 894: *Circa hæc etiam Tempora ZUNDIBOLCH Rex Marahensium Sclavorum, Vir inter suos prudentissimus & Ingenio callidissimus Diem clausit extremum.*

XXV. Huic SUATOPLUCO, Moravorum Regi, ex vicinis Populis, non tantum Bohemos, verum etiam POLONOS paruisse scribit Æneas Sylvius in Historia Bohemica, Cap. XIII: *SUATOCOPIUS eo Tempore Moravis imperabat, Christianæ Religionis Cultor.* Ibidem post quædam: *Hungari, Bohemi, Russiani POLONIque Moravorum Principi paruerunt: Princeps ipse Romano Imperio.*

XXVI. Eidem SUATOPLUCO subjectos etiam SILESIOS fuisse tradit Albertus Krantzius in Vandalia, Lib. II. Cap. XXVI: *ZUANTOCOPIUS eâ Tempestate Moravorum Rex, Ditione tenebat Bohemiam, SLESIAM POLONIAMque, & Animis sublatis de Magnitudine Ditionis, Imperatori Romano ARNULPHO, fortissimo Principi, Tributa solvere* [*quæ aliquandiu solvisset Ludovico Germaniæ Regi*] *pernegabat.* Ibidem post quædam: *Tum Bohemia, POLONIA & SLESIA suum quæque Provincia Ducem constituit, libere vivens. Tributa tamen Superioritatis Agnitione vel modica pendebant Romano Imperio.*

XXVII. At non est, ut his Testimoniis solis credamus, quibus in Fulcrum meliora desunt. Nullus enim, quod sciamus, vel Polonicorum, vel Silesiacorum, vel aliorum Annalium Scriptor, qui per se Fidem mereatur, quicquam profert, unde SUATOPLUCO Moravorum Regi aut POLONOS, aut SILESIOS, seu Pacto allectos, seu Bello devictos paruisse colligi possit.

XXVIII. Nos Erroris hujus Fontem statuimus Rem veram Interpretatione falsâ corruptam. SUATOPLUCUS enim Moravorum Rex Slavus, quanquam Christianus, Imperatori ARNOLPHO rebellis, tanquam communi SLAVORUM eradicandorum Hosti, non tantum suas, verum etiam circumcirca intra Bohemiam, Lusatiam, POLONI-

ANNO 893.
GERMANORUM Romanus Imperator ARNOLPHUS.
SILESIORUM Dux LESCUS IV.

AM irritatorum Slavorum Sociorum opponebat Vires. Id, præter alios, pleniſſimum in Modum commemorat Thomas Ioannes Peſſina Zechorodus, Epiſcopus Samandrienſis, in Marte Moravico, Lib. II. Cap. VI: ad Annum 892: *Sequens porro Hiems, nonniſi in novo Belli Apparatu conſumta utrinque fuit: SUATOPLUCO de iis omnibus, quæ Belli Neceſſitates requirebant, ſerio proſpiciente. Qui etiam, ut eo validior in Hoſtem prodiret, & Injurias tot ſibi illatas egregiè ulciſceretur, Nuncios ad vicinos Slavonici Nominis Regulos, petendorum Auxiliatorum Cauſâ miſit: ſimul ac moneri juſſit, in præſenti Rem quoque illorum agi, eò, quod compertum ſit, GERMANUM Principem* [ARNULPHUM] *non ad ejus duntaxat Perniciem, ſed ad commune Slavonicarum Gentium, in primis verò Bohemorum, Sorabarum, POLONORUM tendere Excidium: ut ſe primum oppreſſo, ſumtis velut inde Victoriæ Auſpiciis, ac Ferociæ Alimentis, cæteros quoque Libertate & Fortunis omnibus exuat. Qua Legatione movit plerosque, Bohemos in primis & Sorabos: quos vicini Belli Contagio maximè terrebat.* Ibidem poſt pauca: *Quare ſecretioribus Conſiliis mutuo habitis, POLONI in primis Equeſtris Militiæ promiſerunt Auxilia, ſtatim ad Veris mittenda. Bohemi verò & Sorabi Bellum Thuringis & Saxonibus inferendum, ad diſtrahendas Cæſaris Vires ſtatuere.* Iterum poſt quædam de Arnolpho: *Eo haud dubie Propoſito, ut Multitudine Equitum ſtipatus, totam pervaderet prius Moraviam, quam Auxilia POLONORUM Moravis opitulatum accederent.* Porro quibusdam interjectis: *Triduum ſequens Induciis pactis, Corporibus occiſorum ſepeliendis indultum fuit. Poſt cujus Decurſum, cum GERMANORUM Animi ea Clade fracti langueſcerent, de Pace agi utrinque cœpit: in quam ipſi etiam Proceres Moravi, Metudio Archiepiſcopo ut plurimum ſatagente, inclinabant, & Regem ab ulteriore Proſecutione Belli, multis Rationibus dehortabantur. Verum POLONORUM Turmis advenientibus, Pacis Tractatio omnis â SUATOPLUCO abjecta eſt.* His deinde ſubjungit Cæſaris ARNOLPHI cum SUATOPLUCO Rege graviſſimum Prælium: in quo GERMANI omnibus SLAVIS, & Moravis, & eorum auxiliaribus Copiis ſuperiores diſceſſerunt.

XXIX.

ANNO 893.
GERMANORUM Romanus Imperator ARNOLPHUS.
SILESIORUM Dux LESCUS IV.

XXIX. Ea Tempeſtate POLONOS, certè SILESIOS, tum Nomen Polonorum gerentes, hactenus Imperatoribus Germanicis aliis vectigales, ARNOLPHUS etiam [ut §. XXVI. Albertus Krantzius indicat] tenebat ſibi devinctos. Quare fieri tantô facilius potuit, ut Tributorum impatientes, cum in POLONIA, tum in SILESIA potiſſimum Ortu SLAVI, fortaſſis etiam GERMANI, adverſus Cæſarem ARNOLPHUM, â quô SLAVI Exitium metuebant, SUATOPLUCO adhærentes, ut DUCI, non Civili, ſed Militari, donec illud Bellum finiretur, intra Exercitum, parerent. Hinc Errorem arbitramur natum, SUATOPLUCO Moravorum Regi ſubjectos fuiſſe POLONOS & SILESIOS.

CAPUT VI.
SILESIORUM RES.

ANNO 913.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS I.
SILESIORUM Dux SEMOMISLAUS.

I.

GERMANIS, poſt ARNOLPHUM, LUDOVICUM IV, CONRADUM I. HENRICUS I. Cognomento AUCEPS, Imperator ab Anno 913 ad 936: SILESIS & POLONIS Dux electus SEMOMISLAUS, aliis SEMOMISLUS dictus, Semoviti Filius, ab Anno 913, ad 964 præfuit.

ANNO 921.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS I.
SILESIORUM Dux SEMOMISLAUS.

SILESII Romano GERMANORUM Imperio ſubjecti.

II. Cum Annus 921 agebatur, Cæſar HENRICUS I. Populos in GERMANIÆ Provinciis SLAVICOS, intra VISTULAM, VIADRUM,

ANNO 921.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS I.
SILESIORUM Dux SEMOMISLAUS.

ALBIM & SALAM fixos, ſub Poteſtatem ſuam redigebat. Luitprandus, Ticinenſis Diaconus, in Imperatorum & Regum Geſtis, Lib. III. Cap. V: de Imperatore Henrico I: *Hic etiam SLAVORUM Gentem innumeram ſubjugavit, ſibique tributariam fecit.* Adamus, Bremenſis Canonicus, in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Lib. I. Cap. XLVII: *HENRICUS Rex jam tunc à Puero timens Deum, & in ejus Miſericordia totam ſuam habens Fiduciam, Ungros quidem multis gravibusque Prœliis triumphavit: item Bohemos & Sorabos ab aliis Regibus domitos, & cœteros SLAVORUM Populos uno grandi Prœlio ita percuſſit, ut reſidui, qui pauci remanſerant, & Regi Tributum & Deo Chriſtianitatem ultro promitterent.* Eadem iisdem commemorant Verbis, Albertus, Stadenſis Abbas in Chronico ad Annum 921. Paucis mutatis, Albertus Krantzius [qui More ſuo Vandalos dicit Slavos, etſi non Slavos, ſed Germanos] in Vandalia, Lib. II. Cap. XXVII: *Cum autem ad Romanum Imperium HENRICUS Dux Saxoniæ allectus eſſet, Romanorum Rex, Ungarorum inſolentiſſimos Auſus magna Parte repreſſus eſt. Nam Gentem [quod in Saxonia diximus] magno Prœlio vicit, docuitque intra ſuam conſiſtere Provinciam. Bohemos quoque & Wandalos, Sorabos, ab aliis Regibus edomitos, & cœteros Wandalorum* [Slavorum] *Populos uno grandi Prœlio ita perfregit, ut cæteri, qui perpauci remanſerant, & Regi Tributum, & Deo Chriſtianitatem ultro promitterent.* Davides Chytræus in Saxonia, Lib. I: *Primus autem Gentes Henetas* [Slavicas] *totam hanc Arctoam GERMANIÆ Oram, à VISTULA usque ad ALBIM & SALAM, Annis jam quadringentis poſſidentes, coercere & vera Chriſti Religione imbuere cœpit HENRICUS Auceps, ex laudatiſſima Saxonicorum Principum Stirpe Imperator.*

III. Iam, quia Cæſar HENRICUS I. cunctos GERMANIÆ Populos SLAVICOS, intra VISTULAM & ALBIM habitantes ſubegit: at inter VISTULAM & ALBIM medius per SILESIAM decurrit VIADRUS: quis facile dubitet, quin etiam SILESIOS, quanquam GERMANOS, tum verò quia POLONIS SLAVIS adhærebant, pro SLAVIS haberi ſolitos, illo Terrarum Tractu comprehenſos, Romano GERMANORUM Imperio ſubditos reddiderit?

IV. Ean-

ANNO 921.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS I.
SILESIORUM Dux SEMOMISLAUS.

IV. Eandem Sententiam confirmant, qui tradunt, SILESIAM Anno 922, ab Imperatore HENRICO I. inter Pacis Conditiones Arnolpho Bavarorum Duci oblatam. Ioannes Aventinus in Annalibus Boicis, Lib. IV: ubi Henricus ad Arnolphum: *Atque*, inquit, *ut apertè tute ſentias, quam nihil minus mihi cordi, quam dominandi Libido ſiet, non ſolum Boioariæ Regnum locupletiſſimum, Nariſcos, Alemannos, Chamabos, Boethos, Sudinos, Iliſſos, Marcomannos, QUADOS* [SILESIOS] *Vindelicos, Noricos, Auſtriacos, Tyrollios, Atheſinos, Vennonas, Stirios, Charinos, Venedos, Carnos, Pannonias tibi, ſicuti poſſides, permitto.* Eadem non paulo clarius Veroque ſimilius diſpoſita commemorat Cyriacus Spangenbergius in Saxoniæ Chronico, Cap. CXIX: *Und damit du, mein Arnolph, ſehen mœgeſt, das mirs nicht eben um die Herſchaft zu thun ſey, das ich allein alles haben, und einem andern nichts gœnnen wolle: ſo bin ich nicht allein zu frieden, das dir das gantze Bayerland bleibe, ſondern wil dich hiemit auch, ſo dirs angenem iſt, mit dem Norckaw, Schwaben, Vogtlande, SCHLESIEN, Mehrerland, Oeſterreich, Tyrol, Etſchland, Steyermarck, Kerndten, Crain, Iſtereich, und dem Obertheil des Ungerlandes BELEHNET haben.* Nam quomodo Cæſar HENRICUS I. Arnolpho Duci Bavaro SILESIAM in FEUDUM offerre potuiſſet, niſi jam Romano GERMANORUM Imperio ſubjectam?

ANNO 941.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux SEMOMISLAUS.

SILESII Romano GERMANORUM Imperio Subjecti.

V. GERMANIS, poſt HENRICUM I. Aucupem, Filius OTTO I. Cognomento MAGNUS, ab Anno 936 ad 973, Imperator: SILESIIS & POLONIS, ut diximus, SEMOMISLAUS, aliis SEMOMISLUS, electus Dux ab Anno 913 ad 964, præfuit.

VI. Hic OTTO, ad Patris Exemplum, Germanicam Libertatem paſſim à Slavis aut preſſam, aut oppreſſam in integrum reſtituturus, Anno 941, SLAVIS omnibus intra GERMANIAM, in parem Injuriæ Vin-

ANNO 941.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I. SILESIORUM Dux SEMOMISLAUS.

dictam, Germanicum imponere Iugum & cogitabat, & tentabat. Helmoldus, Bosovienſis Presbyter, in Slavorum Chronico, Lib.I. Cap.III. §. VIII: *Fortiſſimus OTTO Rex convertit Exercitum ad ſubjugandos SLAVORUM REBELLES. Quos Pater ejus uno grandi Prælio domuerat, ipſe tanta deinceps Virtute conſtrinxit, ut TRIBUTUM & Chriſtianitatem pro Vita ſimul & Patria libenter offerrent Victori, baptizatusque eſt totus Gentilium Populus.* Paucis mutatis Adamus, Bremenſis Canonicus, in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Lib.II. Cap. III. [aliis LI.] *Quo etiam Tempore fortiſſimus Rex OTTO univerſos SLAVORUM Populos ſuo ſubjecit Imperio. Et quos Pater ejus uno grandi Bello domuerat, ipſe OTTO deinceps tantâ, Dei Adjutorio, Potentiâ conſtrinxit, ut TRIBUTUM & Chriſtianitatem pro Vita ſimul & Patria offerrent Victori: Sicque baptizatur Gentilium Populus univerſus.* Eadem tradit Albertus Stadenſis in Chronico ad Annum 948. Chronographus Saxo in Chronico ad Annum 960, & Paulus Langius in Chronico Citizenſi ad Annum 936.

VII. Idem Otto Imperator, eodem Anno 941, per Geronem Luſatiæ Comitem Limitaneum, id eſt, Marchionem, omnes SLAVOS Orientales, quorum Duces, intra unam Noctem, prope XXX occiderat, ad ODERAM usque TRIBUTARIOS Imperio Germanico reddebat. Witichindus, Corbejenſis Monachus, in Annalibus, Lib.II: *Barbari autem Labore noſtro elati, nusquam ab Incendio, Cæde ac Depopulatione vacabant, Geronemque, quem ſibi Rex* [Imperator Otto Magnus] *præfecerat, cum Dolo perimere cogitant. Ipſe Dolum Doloˆ præoccupans, Convivio claro delibutos ac Vino ſepultos ad Triginta ferè Principum Barbarorum una Nocte exſtinxit.* Ibidem poſt quædam: *Quoˆ factoˆ, omnes barbaræ Nationes usque in ODERAM Fluvium ſimili Modo TRIBUTIS Regalibus ſe ſubjugarunt.*

VIII. Inter hos SLAVORUM Populos, ab Ottone Magno ſubactos, vix erit, cur dubites, SILESIOS fuiſſe, quamvis GERMANOS, ob admiſſos Slavos ea Ætate Nomen SLAVORUM conſecutos: quorum erat Dux Semomislus. Hoc enim ex Ottonis ejusdem per Geronem Actis colligas, quæ mox recenſebimus.

ANNO

ANNO 964.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I. SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

IX. Germanis adhuc Imperante Ottone I: poſt SEMOMISLUM mortuum Filius MIESLAUS I. Anno 964, declarabatur SILESIORUM Polonorumque Dux. Cujus Res notabiles, quantum ad Sileſiorum Hiſtoriam eò plenius & rectius intelligendam pertinent, ideo majore Curâ proferemus, quoniam inter Sileſiorum Duces CHRISTIANOS fuit omnium primus.

X. Diverſa Vocabuli Forma, non tantum aut MIESLAUS, aut MIECISLAUS, verum etiam MIESCO, MYESCA, MYSCA dictus reperitur. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. I. Cap.LXXI: *Naſcitur Filius Zemomislao cæcus MIESKO.* Cap. LXXII: *Cum poſt Septennium MIESCO tonderetur.* Alexander Guagninus in Chronico Polonico, ad Annum 962: *MIESCO, qui erat cæcus natus.* Iodocus Ludovicus Decius in Polonorum Vetuſtatibus, ad Annum 963: *Aſſumtus igitur ad Regni Solium MIESKO.* Vincentius Kadlubko in Polonica Hiſtoria, Lib. II. Epiſt. IX: *De Zemislo autem famoſus ille MYESKA cæcus gignitur.* Epiſtola X: *Dictus autem eſt MYESKA, id eſt, Turbatio: quia cæco naſcente, Parentes turbati ſunt.* Hinc facili, quæ Nominibus maximè propriis accidit, Literarum Transpoſitione, non MIESCO, ſed MISECO appellari Germanis ſolet: non ideo à MIESLAO noſtro diverſus: ut poſtea demonſtrabimus.

XI. Cæcus natus permanebat Septennio cæcus, dum Ritu Polonorum Ethnico Sacris initiaretur: hoc eſt, dum ei Coma detonderetur, Nomen imponeretur. Solebant enim Pagani Pueris ademtos Capillos, tanquam Primitias, conſecrare ſuo Deo. Plutarchus in Theſeo, Cap. III: Ἔθος δὲ ὄντος ἔτι τότε μεταβαίνοντας ἐκ παίδων, ἐλθόντας εἰς Δελφοὺς ἀπέρχαισθαι τῷ Θεῷ τῆς κόμης. Ἦλθε μὲν εἰς Δελφοὺς ὁ Θησεύς, καὶ τόπον ἀπ' αὐτὲ τὴν Θησείαν ἔτι νῦν ὀνομάζεσθαι λέγουσιν. Ἐκείρατο δὲ τῆς κεφαλῆς τὰ πρόσθεν μόνον. *Conſuetudo autem tum erat, ut, qui ex Pueris excederent, Delphos profecti de Coma Primitias Deo conſecrarent. Venit ergo Delphos Theſeus: & Locum ab eo Theſeam etiamnum dictum affirmant. Totondit autem Partem Capitis anteriorem ſolam.* Martialis Lib. IX. Epigr. XVIII, ad Æſculapium, de Coma, quam

Eari-

ANNO 964.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

Earinus, Domitiani Eunuchus, Æsculapio, Sanitatis Deo, ut tam formosus esset detonsus, quam intonsus erat, cum Speculo Pergamum miserat:

Latonæ venerande Nepos, qui mitibus Herbis
Parcarum exoras Pensa brevesque Colos:
Hos tibi laudatos Domino sua Vota Capillos
Ille tuus Latiâ misit ab Urbe Puer.
Addidit & nitidum sacratis Crinibus Orbem,
Quô felix Facies Indice tota fuit.
Tu juvenile Decus serva, ne pulchrior ille
In longa fuerit, quam breviore Coma.

XII. Cum idem Tonsuræ Mos Slavis Polonis adhuc Paganis usitatus ademisset MIESLAO septenni Capillos, cæco mirus Casus mox aptos ad videndum efficiebat Oculos. Id antiquissimus, præter alios diffusius describit Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib.I.Cap.LXXI: *Omnium autem, quos unquam legi, Polonorum Historiographorum Annales & Literas, de Cæcitate hujus Mieskonis concordant, scribentes, illud adhuc intra Cellam materni Uteris, Cæcitatis contraxisse Tenebras, cæcumque effusum integro Septennio ab Ortu Cæcitatis Ærumnas tolerasse ajunt.* Ibidem Cap. LXXII: *Instante denique Septennio, in quô juxta Ritum Polonorum veterem & gentilem Filius Principis debebat tonsurari, & Nomen illi aptari & imponi. Zemomisl Princeps Proceres & Nobiles Poloniæ Gnesnam ad Solennitatem Tonsurationis in Filio suo, quamvis cæco, peragendam invitat, Dieque constituta advenientes, dum de Nomine Puero aptè imponendo quæreret: MIESKUM illum, & Patris, & Procerum Decreto appellari placuit, quod in vulgari Polônico sonat Turbatio vel Commotio: eò, quod Conditione suæ Cæcitatis & Parentibus, & Genti Polonicæ in suo Exortu Confusionem intulit. Tonsurato itaque Principis Zemomysl Filio, cœperunt tam ipse, quam omnes Proceres epulari.* Post quædam ibidem: *Nuncius advenit, denuncians, Filium Mieskonem in ipsa Hora perfectam Cla-*

ANNO 964.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

Claritatem & Visionem Oculorum accepisse. Sed Patre Principe & Convivis omnibus dubitantibus magis, quam credentibus, Mater Pueri Principissa de epulantium Triclinio exsilit, Experimentum denunciatæ Novitatis palpatura. Quæ Cubile, quô Puer asservabatur, ingressa, videns in Orbibus Oculorum prioribus Nebulam dissolutam, & veram Claritatem illuxisse, atterrita præ Gaudio decidit in Terram, & à Ministris sublevata resumtô Spiritu, rapto in Ulnas Puero ad Conjugis & Convivarum defert Conspectum: sciens, nisi coram cernerent Puerum, accidenti Miraculo nullatenus credituros. Repletur summo Gaudio Pater, replentur & Convivæ.

XIII. Ita Visionis, nondum Rationis, assecutus salutarem Lucem MIESLAUS, Paganis Erroribus adhuc imbutus, post Genitoris Excessum, jam Imperio præfectus, duplicem ingrediebatur Viam perveniendi ad Christianam Veritatis Notitiam. Prior erat Subjectio, quâ Cæsari Ottoni Magno per Geronem Lusatiæ Marchionem victus, Christianis obligabatur. Posterior erat Conjugium, quod cum Dambronica, Boleslai Bohemorum Ducis, Filia, Christiana Virgine, tandem inibat. Occasionem priorem hoc, posteriorem proximo Capite suis ê Principiis commemorabimus.

SILESII Romano GERMANORUM Imperio subjecti.

XIV. Inter Orientalium SLAVORUM Duces, quos Imperator Otto I, simul ad Subjectionem Germanis debitam, simul ad Veritatem Christianis cognitam traducturus erat: unus, per Geronem Lusatiæ Comitem Limitaneum, id est, Marchionem, Armis superatus, circiter Annum 964, fiebat eidem Cæsari, non Tributarius solum, verum etiam, ad Fidelium Legem, subjectus. Quisnam ille fuerit, plures ob Causas in Controversiam ducitur. Defensores Polonorum, quos Germanis nunquam subjectos, nunquam tributarios fuisse contendunt, negant, fuisse nostrum MIESLAUM, Silesiorum Polonorumque Ducem, quos Ætas illa sub SLAVORUM Voce comprehendit. Ut eô facilius Veritas investigata reperiatur, præcipua Ducis, de quô disputatur, Momenta singillatim exponemus: an huic Mieslao applicabilia sint, nostrum interposituri Iudicium.

ANNO 964.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

XV. Primô, si requiras Nomen: nec MIESLAUS, nec MIESCO, sed vel MISECO, vel MISICO, vel MISICA, vel MISCA dicitur. Ea Diversitas Nominis haudquaquam obstat, quô minus ille fuerit noster MIESLAUS. Nam, ut supra indicavimus §. X. etiam MIESCO appellatur. Quis autem non videt omnino facilem unius Literæ, cum Transpositionem, per quam ex MIESCO nascatur MISECO: tum Mutationem, per quam ex MISECO prius MISICO, deinde MISICA fiat: tum etiam Omissionem, per quam MISICA denique MISCA nuncupetur.

XVI. Secundô, si spectes Subjectionis Occasionem: Imperatori Ottoni I. per Geronem Orientalium Slavorum Lusiciorum, id est, Lusatorum aliorumque Marchionem MISECO, citra dubium victus, in Subditorum Ordinem cum Populo suo receptus est. Ditmarus in Chronico, Lib. II: *Imperator* [Otto Magnus] *autem hoc ut audivit, vocatum ad se venerabilem Virum Popponem, si Pugil Christi esset, interrogat, & Sacerdotali Honore sublimat. Gero, Orientalium Marchio Lusizi & Selpuli, MISECONEM quoque cum sibi SUBIECTIS IMPERIALI subdit DITIONI.* Proinde non difficulter potuit Gero, Lusatis præfectus, SILESIIS proximus, orto inter utrosque Dissidio, Armis Arma propulsuros SILESIOS cum POLONIS conjunctos, eorumque Ducem MISECONEM Manu prævalida redigere sub Imperatoris Obsequium.

XVII. Tertiô, si Modum Subjectionis attendas: MISECO Cæsari Ottoni Magno, tum ipse, tum etiam cum Populo, ad certum Imperii sui Terminum, id est, â Lusatiæ Finibus non tantum ad ODERAM, ut Witichindus de Slavis per Geronem subactis §. VII. citatus narrat: verum etiam ultra Oderam, ad Vartam [intra quod spatium SILESIIS & olim amplior erat, & nunc est, quamvis angustior Sedes] fuit geminâ Obligationis Conditione, tum ad TRIBUTUM solvendum, tum ad præstandam FIDEM subjectus. Ditmarus eodem Lib. II. post multa: *Interea Ildo venerabilis Marchio MISECONEM Imperatori FIDELEM, TRIBUTUMque usque VURTA* [VARTA] *Fluvium, solventem Exercitu petivit collecto.* Inde colligas, SILESIOS etiam, non tantum POLONOS, quamvis non omnes, tamen ad Vartam usque, MISECONEM Ducem

ANNO 964.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

Ducem suum agnoscentes, Imperatori Ottoni Magno fuisse tributarios atque subjectos. Hinc Otto simul & Udoni, & Miseconi, tanquam subditis, præcipiebat, ut Pacem interea colerent, dum ex Italia redux [unde sub Initium Anni 965 in Germaniam revertebatur] commodè posset ipsorum componere Dissidium. De quo ibidem Ditmarus, cum Prælium Miseconis & Udonis cruentum describisset: *Hac de Fama miserabili Imperator turbatus, de Italia Nuncios misit, præcipientes Udoni atque MISECONI, si Gratiam suimet habere voluissent, usque dum ipse veniens Causam discuteret, in Pace permanerent.*

XVIII. Quartô, si Populum consideres: ille, sicut ex antecedentibus Ditmari Verbis patet, intra Terras â LUSATIÆ Finibus ad VARTÆ Ripam extensus habitabat: ubi Germanos SILESIOS receptis Slavis POLONIS conjunctos hæsisse fixos extra Controversiam est. Subjectus ergo Cæsari Ottoni I. Dux SILESIORUM [qui mox SLAVORUM, mox POLONORUM Vocabulo denotari solet] noster MISECO, id est, MIESLAUS esse potuit. Imò fuit: ut evidenter Ditmarus indicat Lib. IV: *Unde MISECONIS POLENIORUM inclyti Ducis, & in superioribus Libris ex magna Parte signati residuum explico Factum.*

XIX. Quid multis? Eundem fuisse, non alium MISECONEM, nisi nostrum MIESLAUM, Silesiorum Polonorumque Ducem, peculiares docent duæ Notæ: quarum prior BOHEMORUM Ducis BOLESLAI Senioris GENERUM: posterior DAMBRONICÆ, quam Poloni DAMBROUCAM nominant, MARITUM: per quam Christianam Virginem, Bohemorum Ducis BOLESLAI Iunioris Sororem, ad Sacra CHRISTIANA fuit conversus, declarat. Ditmarus ibidem, Miseconis residuum Factum explicaturus: *Hic â BOHEMIA Regione nobilem sibi Uxorem, Senioris* [legendum, aut Secundi, aut Iunioris] *BOLIZLAVI duxerat Sororem: quæ, sicut sonuit in Nomine, apparuit veraciter in Re. DOBRAVA enim Slavonicè dicebatur, quod Latino Sermone BONA interpretatur. Namque hæc Christo fidelis, dum Conjugem suum, vario Gentilitatis Errore implicitum esse perspiceret, sedula revolvit angustâ Mentis Deliberatione, qualiter hunc sibi sociaret in Fide.* Hæc nostro MISECO-

ANNO 964.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

NI, Sileſiorum Polonorumque Duci, eique ſoli coveniunt: de quô Caput proximum commemorabit, quemadmodum per Bohemorum Ducis Boleslai I. Filiam, Boleslai II. Sororem, Dambronicam, Virginem Chriſtianam, non alium, niſi Chriſtianum Maritum, recepturam, in Matrimonium aſſumtam, Religione Paganorum abjectâ, Chriſtianum DEI Cultum Anno 965 fuerit amplexus.

XX. At occurrit hæc probantibus alius ex Slavis cum Populo ſuo Dux, Imperatori Ottoni I. per laudatum GERONEM, Luſatiæ Comitem Limitaneum, ſubjectus: qui multis Characteribus noſtro MISECONI reſpondet. De quô Witichindus in Annalibus, Lib. III: *GERO igitur Comes, non immemor Iuramenti, cum Wigmannum accuſari vidiſſet, Reumque cognoviſſet, Barbaris, â quibus eum aſſumſit, reſtituit. Ab eis libenter ſuſceptus, longius degentes Barbaros crebris Prœliis contrivit. MISCAM REGEM, cujus Poteſtatis erant SCLAVI, qui dicuntur LICIKAVICI, duabus Vicibus ſuperavit, FRATREMque ipſius interfecit, Prædam magnam ab eo extorſit.* Ibidem poſt quædam: *Audiens autem Wigmannus Urbem captam, Sociosque afflictos, ad Orientem verſus iterum ſe Paganis immerſit, egitque cum Sclavis, qui dicuntur Vuloini, quomodo MISICAM, AMICUM IMPERATORIS, Bello laceſſerent: quod eum minimè latuit. Qui miſit ad BOLUZLAUM Regem BOHEMORUM: GENER enim ipſius erat: accepitque ab eo Equitum duas Acies.*

XXI. Hic SLAVORUM Dux noſtro MIESLAO partim eſt, partim haberi poteſt conſimilis: (I) ob Nomen: quô prius MISCA, deinde MISICA dicitur. MIESLAUS enim MIESCO dictus, facile, potiſſimum Exteris, propterea MISECO, MISICO, MISICA, MIECA dici potuit. (II) ob Titulum: quô REX, Mieslaus autem DUX appellatur. Sed ea quoque Diſcrepantia nullius eſt Ponderis: quoniam DUCES interdum etiam REGES Scriptoribus horum Temporum vocari conſueverunt. Quâ Licentiâ Witichindus Boleslaum I. Bohemorum Ducem nuncupat Regem. (III) ob Statum. Erat IMPERATORIS Ottonis I. AMICUS. Quô vel parum, vel nihil â Mieslao differt, qui erat Cæſari FIDELIS: quoniam recentioribus Sæculis, etiam in SUBDITIS eminentes ſeu Duces, ſeu Comites, cum FIDELES, tum Amici nominantur. (IV) ob Conjugium: BOHEMORUM Ducis BOLESLAI GENER: quô planè conformis noſtro Mieslao fuit.

ANNO 964.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

XXII. Idem verò Slavorum Dux noſtro MIESLAO diſſimilis eſt: (I) ob Fratrem: quem Gero trucidavit. Noſtro enim Mieslao Frater nullus invenitur aſſignatus. (II) ob Populum. Fuit enim ſeu Rex, ſeu Dux LICICAVICORUM: quos unquam vel in Polonia, vel in Sileſia Locum habuiſſe, nusquam reperitur. Dubitare quidem poſſis, an Witichindus Nomen Slavorum, quorum Dux Cæſari Ottoni I. ſubjectus erat, rectè protulerit: de quo naſcitur Suſpicio, ſi non Autoris, tamen Librarii culpâ, corruptum eſſe: quoniam Licicavicorum [quibus Zuiccavicorum, Slavorum Miſnenſium, confine Vocabulum eſt] Mentio in Slavorum Hiſtoriis alibi nulla ſupereſt. Sed huic tamen Conjecturæ nimium non eſt tribuendum.

XXIII. Nobis hoc inter Ditmarianum & Witichindæum Slavorum Ducem MISECONEM multiplex Diſcrimen tanti non cenſetur, ut Sententiam eorum, quibus propterea MIESLAUS noſter â Subjectione, quâ Cæſari Ottoni I. Dux SLAVORUM quidem, non autem POLONORUM, ſed LICICAVICORUM cum Populo ſuo fuit obligatus, abſolvitur, ſatis corroborare poſſit. Etenim Slavorum Ducem Imperatori Ottoni Magno ſubjectum, aut eundem, aut non eundem intelligunt Ditmarus & Witichindus.

XXIV. Si non eundem intelligunt: is, de quô Witichindus loquitur, Slavorum, licet non intra Luſatiam, tamen circa eam, vel in Saxonia, vel in Miſnia Dux eſſe potuit, â noſtro, de quô Ditmarus agit, diverſus. Nam, cum per illa Tempora plurimi Slavorum ſeu Reges, ſeu Duces fuerint: quorum XXX [ut §. VII. diximus] Gero intra Noctem unam occiderat: non videmus, cur non eorum duo, quos idem Gero Cæſari Ottoni Magno ſubjectos fecerit, in paucis diſpares, in pleriſque pares, exſtare potuerint. An non Bohemorum Dux Boleslaus I. Filias duas habere potuit, quarum alteram Duci Polonorum, alteram Licicavicorum Regi Uxorem tradiderit? Hoc Pacto neque Ditmarus Witichindo, neque Witichindus Ditmaro adverſa ſcripſerit.

ANNO 964.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

XXV. Si verò eundem Slavorum Ducem Cæsari Ottoni Magno subjectum, de quò repugnantia commemorant, intelligunt: aut DITMARUS, aut WITICHINDUS, tanquam Erroris suspectus, deferendus erit Asseclis, neutrum alteri conciliare scientibus. Hinc utri Calculus meliore Iure vel subtrahendus, vel addendus sit, sub Quæstionem venit. WITICHINDUS sub Imperatore Ottone Magno superstes, Annales suos finit in Ottonis hujus Excessu, id est, Anno 973. Ditmarus autem Anno 976 natus, ad Annum 1018 vixit. Antiquior proinde Witichindus Ditmaro plus Autoritatis habere videtur in Re sui Temporis.

XXVI. Sed non residet in ea Prærogativa Momentum satis ponderosum. Nam erat WITICHINDUS quidem intra Westphaliam Corbejensis Monachus, à Silesiis & Polonis remotior, clausus in Cœnobio Præceptor Iuventutis: ut Ioannes Trithemius in Hirsaugiensis Monasterii Chronico refert ad Annum 954. DITMARUS autem intra Misniam fuit Martisburgensis Episcopus, Silesiis & Polonis propinquior; cujus Pater Sigefridus Comes Saxonicus sub Imperatore Ottone I. Rebus, quas MISECO Dux Silesiorum Polonorumque gessit, interfuit. Huic enim, tanquam Cæsareo Clienti, opportunus Amicus, contra Udonem Adversarium in Auxilium veniebat. Ditmarus in Chronico: Lib. I. *Udo venerabilis Marchio MISECONEM Imperatori Fidelem, Tributumque usque Vurta* [Varta] *Fluvium solventem, Exercitu petivit collecto. Ad cujus Auxilium PATER meus Comes Sigefridus, tunc Iuvenis, nec dumque conjugali sociatus Amori, venit solum cum suis.* Imò Ditmarus, cui Patris Acta cognoscere facillimum erat, ipse post Intervallum Temporis non adeo longum, Anno 1005, Henrici II. Cæsaris, cum Boleslaum I. Miseconis, hoc est, Mieslai nostri Filium, Polonorum Silesiorumque Ducem debellaret, Comes Sacerdos, Lusatiam, Silesiam, Poloniam [ubi nullo Negotio Scientiam Rerum, de quibus scripsit, comparare sibi certissimam potuit] perlustravit: ut in Antiquitatibus de Silesiorum Nominibus, Cap. V. §. IX. indicavimus.

XXVII. Quamobrem, cum illius SLAVORUM Ducis, quem OTTO primus Romano GERMANORUM Imperio subjectum adscripsit suis,

ANNO 964.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

suis, maximè Populus in Controversiam venit, quem Witichindus LICICAVICOS, Ditmarus POLENIOS fuisse narrat: & unum ab Historico utroque Ducem respici negantes urget Necessitas, ut vel Witichindo, vel Ditmaro Assensum præbeant: omnino tutius est, ut Witichindum potius, quam Ditmarum arguant Erroris: cujus nondum videmus convictum esse Ditmarum.

XXVIII. Certe, nos rejectis Partium Studiis, non major Veritatis Probabilitas, sed, quantum perspicere possumus, ipsa Veritas jubet statuere, SILESIOS, etsi non simul POLONOS, nisi quos SILESIIS annexos, Tellus à LUSATIÆ Finibus, ultra VIADRUM, ad VARTAM extensa continuit, MIESLAO Primo Duci parentes, Romano GERMANORUM Imperio ad TRIBUTUM solvendum, præstandamque FIDEM subjectos. Quam sententiam nostram utique firmam declarabunt ea, quibus Caput proximum ostendet, nostrum MIESLAUM I. inter Romanos Germanorum Imperatores OTTONIBUS omnibus, si non ut POLONORUM, tamen ut SILESIORUM Ducem subditum.

XXIX. Hac Occasione MIESLAUS ille Primus, Silesiorum Polonorumque Dux, jam sub Ottonis Primi Cæsaris Imperio Christianis, quanquam civili tantum Subjectionis Obsequio addictus, nondum è Paganis egressus, subinde quasdam Religionis utriusque Notas impressit Animo: quas, postea solertiore comparatas Cura, prorsus dispares vidit: adeoque magis magisque Sacris deterioribus abjiciendis, melioribus arripiendis evasit propensior.

CAPUT

CAPUT VII.
SILESIORUM RES.

ANNO 965.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

Origo SILESIORUM CHRISTIANORUM.

I.

HActenus & Slavi POLONI, & Germani SILESII Pagani Diis ſuis fictis adhæſerant. Inter hos præcipuum POLONI colebant IOVEM. De quo Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. I. Cap. XXXIV: *Appellabant autem* [Poloni] *IOVEM Ieſſem Linguâ ſuâ: à quô velut Deorum ſummo, omnia temporalia Bona, & omnes tam adverſos, quam felices Succeſſus ſibi credebant præſtari. Cui etiam præ cæteris Diis amplior impendebatur Honos, frequentioribusque colebatur Sacris.* Eundem SILESII Deum, ſub variis aliorum Deorum, ſeu potius Nominum Formis, repræſentatum IOVEM, maximè SABOTHUM, tanquam omnium Frugum Datorem, in Monte ſummo, qui etiamnum SABOTHI Vocabulo denotatur, venerabantur. Id jam oſtendimus in Antiquitatibus de SILESIORUM Nominibus, Cap. V. Ab hoc falſo ad verum Deum, quô cœleſtis Providentiæ Modô cum POLONI, tum SILESII Animum converterint, breviter ſuis è Fontibus proferemus.

II. Quantum ex horum Temporum Monumentis colligi poteſt: circiter Annum 864, SUATOPLUCUS [aliis Suentopelcus] MORAVORUM prius Dux, poſtea Rex, Slavus, jam Chriſtianus, ad rectius excolendos Doctrinâ Chriſtianâ Moravos Slavos, ab Imperatore, non Romano, ARNOLPHO, quemadmodum in Ioannis Dlugoſſi Capite, quod mox indicabimus, Titulum ſequentes, Rerum Sileſiacarum Scriptores, Ioachimus Curæus, Iacobus Schickfuſius, Fridericus Lucæ ſtatuunt, ſed Conſtantinopolitano, MICHAELE [cujus Imperium Anno 842 ſuſceptum, Anno 867 finiebatur] duos Viros, ſimul & ſacrarum, & Slavicarum Literarum peritos, CYRILLUM & METHODIUM Monachos

ANNO 965.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

chos Græcos obtinuerat. Inter hos CYRILLUS, Genere Nobilis, Patriâ Theſſalonicenſis, Nomine, quod antea geſſerat, CONSTANTINI, Cognomine PHILOSOPHI nonnullis denotatus, Latinum, præter Græcum & Slavicum, optime Sermonem callebat: perpetuus Methodii Comes. Chriſtianus Scala, Monachus Benedictinus, Boleslai II. Bohemorum Ducis Frater, in Ludmillæ, quam Borivorius, Bohemorum Dux Chriſtianus habuit Uxorem, Vita: quam ad Albertum, Archiepiſcopum ſecundum Pragenſem [Anno 980 creatum] ſcripſit: & Bohuslaus Balbinus primus Editor in Rerum Bohemicarum Epitomen, Lib. I. Cap. X. transtulit: *QUIRILLUS quidam Natione Græcus, tam Latinis, quam ipſis Græcorum Apicibus inſtructus, poſtquam Bulgri crediderunt, aggreſſus eſt in Nomine SS. Trinitatis ac individuæ Unitatis etiam ſupra dictæ Genti MORAVIÆ degenti Fidem D. N. Ieſu Chriſti prædicare.* Libellus veteris Autoris de Cyrillo & Methodio, in Ioannis Bollandi, Godefridi Henſchenii, Danielis Papebrochii Actis Sanctorum, Martii Tomo II, ad Diem IX, editus, §. I: *Tempore igitur, quô MICHAEL Imperator novæ Romæ regebat Imperium, fuit quidam Vir nobili Genere, Civitate Theſſalonica ortus, Vocabulo CONSTANTINUS, qui ob mirabile Ingenium, quô ab ineunte Infantiâ mirabiliter claruit, veraci Agnomine PHILOSOPHUS eſt appellatus.* Ibidem §. VII: *PHILOSOPHO autem reverſo Conſtantinopolin, audiens RASTILAUS Princeps MORAVIÆ, quod factum fuerat à PHILOSOPHO in Provincia Cazarorum: ipſe quoque Genti ſuæ conſulens, ad prædictum Imperatorem Nuncios miſit, nuncians hoc, quod Populus ſuus ab Idolorum quidem Culturâ receſſerat, & Chriſtianam Legem obſervare deſiderabat: verum Doctorem talem non habent, qui ad legendum eos, & ad perfectam Legem ipſum edoceat: rogare ſe, ut talem Hominem ad Partes illas dirigat, qui pleniter Fidem & Ordinem Divinæ Legis & Vim Veritatis Populo illi oſtendere valeat. Cujus Precibus annuens Imperator, eundem ſuper nominatum PHILOSOPHUM ad ſe venire rogavit: eumque illuc, id eſt, in Terram SCLAVORUM cum METHODIO Germano ſuo transmiſit.* Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. I. Cap. LXVIII: cui Titulus: *Tres Duces Slavorum ad ARNOLPHUM Imperatorem Nuncios miſe-*

ANNO 965.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

miserunt, petentes sibi Viros doctos in sacra Scriptura transmitti: sed perperam præfixus est. ARNOLHUS enim post MICHAELEM mortuum Anno 20, Christi 887 suscepit Imperium. Ideo fallit etiam Capitishujus Initium: *ARNOLPHO Imperatore, qui Anno Nativitatis Domini nostri 900 capit apud Romanos regnare:* quibus hæc subjunguntur: *Tres Slavorum Duces, videlicet ROTISLAUS, SUENTOPELCUS & KOCZIEL missis ad GREGORIUM* [sicut editus Liber indicat, sed malè: nam & Codex MStus, quem inspeximus, & Res ipsa legendum esse docet, ad CONSTANTINOPOLITANUM] *Imperatorem MICHAELEM Nuncios, petierunt, quatenus pro ipsis & eorum Gentibus in Fide Christiana eruendis, doctos Viros illuc transmitteret. METHODIUM & CYRILLUM mittit, qui Duces & Gentem Slavonicam tum primum ad Fidem convertunt.* Stanislaus Sarnicius in Annalibus Polonicis Lib. V. ad Annum 862: *Circa hæc Tempora Slavis etiam in MORAVIA Evangelium à CYRILLO annunciatur, Autore MICHAELE Imperatore Constantinopolitano.*

III. Hi duo SLAVORUM, iisque conjunctorum GERMANORUM Doctores Christianam Religionem Slavicâ Linguâ, non tantum Res Officiorum Ecclesiasticorum publicas administrando, verum etiam Iuventutem Literis erudiendo, maximè Libros utriusque sacri Fœderis, & ex iis compositos divulgando intra MORAVIAM in Annum quintum fideliter propagabant. Christianus Scala in Ludmillæ Vita, de Cyrillo: *Et cooperante Gratiâ Divinâ, postquam illos* [Moravos] *Christo lucratus erat, etiam Apices & Characteres comperit, & vetus novumque Testamentum, pluraque alia de Græco seu Latino Sermone Slavonicam in Linguam transtulit.* Anonymus de Cyrillo & Methodio, supra citatus: *Cœperunt itaque ad id, quod venerant, peragendum studiosè insistere, & parvulos eorum Literas edocere, Officia Ecclesiastica instruere, & ad Correptionem diversorum Errorum, quos in Populo illo repererant, Falcem Eloquiorum suorum inducere: sicque abrasis & exstirpatis de Agro illo pestifero multifariis Vitiorum Sentibus, Divini Verbi Gramina seminare. Manserunt ergo in MORAVIA per Annos quatuor & dimidium, & direxerunt Popu-*

ANNO 965.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

Populum illum in Fide Catholica, & Scripta ibi reliquerunt omnia, quæ ad Ecclesiæ Ministerium videbantur esse necessaria. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. I. Cap. LXVIII: de Methodio & Cyrillo ad Moravos missis: *Scripturas de Græco in Slavonicum transferunt, Sacra in vulgari Slavonicâ peragenda instituunt Linguâ, Sedem Pontificalem apud Wielogrod* [Willegradum, aliis Velehradum in Moravia] *ponunt.*

IV. Tum Controversia inter Græcam & Latinam, id est, Constantinopolitanam & Romanam Ecclesiam, de Potestatis Ecclesiasticæ summâ Prærogativâ, quô Iure, num Pontifici Romano, an Constantinopolitano Patriarchæ conveniret, ab Anno 847 ad 900, agitabatur: donec Orientalis Ecclesia Dominium Episcoporum Romanorum Pacto nullo ferre docilis, solis Patriarchis suis contenta, se Communioni cum Occidentalis Ecclesiæ primario Episcopo Romano subtraheret: itaque soluto Pacis Vinculo, quod Græcam & Latinam Ecclesias, instar Sororum, copulaverat, Schisma separaret: quod etiamnum durat. Cujus Ortum Progressumque satis exposuimus in Libro de Byzantinarum Rerum Scriptoribus Græcis, Parte I. Cap. XVIII: quod de Photii Patriarchæ Constantinopolitani Rebus agit. Tantô magis proinde Romanis Pontificibus displicebat, intra Germaniam [cujus Provincia semper MORAVIA fuit] Constantinopolitanis Patriarchis quoddam Ius Ecclesiasticum per Monachos Græcos attrahi: de quibus erat Suspicio, ne Christianis MORAVORUM teneris Animis radicitus imprimerent Dogmata, non tantum, & Græcis, & Romanis comprobata, verum etiam Græcis approbata, reprobata Romanis.

V. Quamobrem Anno 879, Iohannes VIII, [aliis IX] Pontifex Romanus [cujus Temporibus illa de Primatu Lis fervebat] certior factus, Monachos Græcos in Occidente, cujus Ecclesias suo Imperio subjacere statuebat, Slavis in MORAVIA Religionem Christianam, nequaquam suo Iudicio in omnibus convenienter, Ore Slavico tradidisse capiendam: præterea Sacram Cœnam [quam Ætas illa quoque Missam nominabat] celebrare Slavicâ Linguâ: id exprobrabat Methodio in Epistola CXCV: quam ad eum Anno 879 scripsit: [Philippus Labbeus & Gabriel Cossar-

ANNO 965.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

ſartius in Conciliorum Tomo X ediderunt:] *Audivimus, quod non ea, quæ Sancta Romana Eccleſia ab ipſo Apoſtolorum Principe didicit, & quotidie prædicat, tu docendo doceas, & ipſum Populum in ERROREM mittas.* Ibidem poſt quædam: *Audivimus etiam, quod MISSAS cantes in barbarâ, id eſt, in Slavina Lingua: unde jam Literis noſtris per Paulum Epiſcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in eâ Linguâ Sacra Miſſarum ſolennia celebrares, ſed vel in Latinâ, vel in Græcâ Linguâ.*

VI. Non in hoc acquieſcebat, ſed eosdem Monachos, ut Arbitrio ſuo devinctos redderet, Romam vocatos Anno 880 examinabat, in primis ob Slavicum, non Latinum in Sacris apud MORAVOS adhibitum Sermonem, reprehendebat. Tum Cyrillus cum Methodio ſuam Græcorum Libertatem omnium efficaciſſimo Reſponſo defendebant: *DEO Iudice par eſſe, Linguis omnibus laudari DEUM.* Eâ victus Ratione Iohannes, primum orthodoxam declarabat Doctrinam, quam profeſſi erant: deinde Latini commendabat quidem, ſed tamen Slavici concedebat etiam peragendis Sacris commodum Sermonis Uſum. Narrationi huic notabili, ne quis deneget, conciliabimus per Teſtimonia Fidem: in quibus imbecilliora ſemper à fortioribus majorem capiant Vigorem. Stanislaus Sarnicius in Polonicis Annalibus Lib. V. ad Annum 862: de Cyrillo: *Quem Pontifex una cum Methodio Romam evocaverat, quò eos moneret, quô Pactô erga Gentem iſtam ſe gerere deberent. Ac inter colloquendum cum Pontifex quodammodo expoſtulaſſet cum eis, quod absque illius Conſenſu Linguâ vulgari Slavonicâ ſacra tractarent: Cyrillus reſpondiſſe fertur, adducta Sententiâ ex Pſalmis Davidicis: Omnis Spiritus laudet DOMINUM, & omnis LINGUA confiteatur ei. Ac cum multi multa in hanc & in illam Partem diſputarent, atque eam Quæſtionem ſedulo verſarent, tandem communi Aſſenſu itum eſt in hanc Sententiam, ut Slavicæ Gentis Hominibus, ob Linguæ illorum latiſſimum per varias Nationes & Dialectos Uſum, patria Lingua liceret Sacrum peragere.* Ioannes Dlugoſſus, Canonicus Cracovienſis, in Hiſtoria Polonica, Lib. I. Cap. LXVIII: de Methodio & Cyrillo: *Accerſiti poſt hæc Romam, & a ſummo Pontifice argu-*

ANNO 965.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

arguti, quod Rem Divinam Slavonicâ Linguâ agerent, reſpondent è Scripturâ: Omnem Spiritum Laudare Dominum debere. Diſceptatione tandem in ſacro Senatu habitâ, licet non pauci apparuiſſent Contradictores, obtentum tamen & decretum eſt, ut Sacra in Lingua Slavonica juxta atque Latina, Græca & Hebraica peragantur. Æneas Sylvius poſtea Pius II, Pontifex Romanus, in Hiſtoria Bohemiea, Cap. XIII: de Cyrillo: *Baptizato quondam Suatocopio, Moravis Chriſtiana Sacra crediderat, multasque alias Slavorum Gentes ad Fidem Chriſti converterat. Referunt, Cyrillum, cum Romæ ageret, Romano Pontifici ſupplicaſſe, ut Slavorum Linguâ, ejus Gentis Hominibus, quam baptizaverat, Rem Divinam faciens, uti poſſit. De qua Re cum in Sacro Senatu diſceptaretur, eſſentque non pauci contradictores, auditam Vocem, tanquam de Cœlo, in hæc Verba miſſam: Omnis Spiritus laudet DOMINUM, & omnis LINGUA confiteatur ei: indeque datum Cyrillo Indultum.* Ipſe Iohannes VIII. Pontifex Romanus, in Epiſtola CCXLVII: quam ad Sfentopulcrum [aliis Suentopelcum, Suatoplucum, aliterque dictum] MORAVORUM Ducem, quem vocat Comitem, Anno 880 ſcripſit: Cæſar Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis, Tomo X, ad Annum 880, Num. XV: Philippus Labbeus & Gabriel Coſſartius in Conciliis, Tomo X, exhibent: *Hunc Methodium, venerabilem Archiepiſcopum Veſtrum* [quem Suentopelcus expetenti Pontifici transmiſerat] *interrogavimus coram poſitis Fratribus noſtris Epiſcopis, ſi orthodoxæ Fidei Symbolum ita crederet, & inter ſacra Miſſarum ſolennia caneret, ſicuti Sanctam Romanam Eccleſiam tenere, & in Sanctis ſex univerſalibus Synodis à ſanctis Patribus ſecundum Evangelicam Chriſti Dei noſtri Autoritatem promulgatum atque traditum conſtat: ille autem profeſſus eſt, ſe juxta Evangelicam & Apoſtolicam Doctrinam, ſicut Sancta Romana Eccleſia docet, & à Patribus traditum eſt, tenere & pſallere: vobis iterum ad regendam commiſſam Eccleſiam Dei remittimus.* Ibidem poſt quædam: *Literas denique Slavonicas à Conſtantino quodam Philoſopho* [Methodii Socio Cyrillo] *repertas, quibus Deo Laudes debitas reſonent, Iure laudamus, & ut in eadem Lingua Chriſti Dei noſtri Præconia & Opera enarrentur, jubemus.* Iterum poſt quædam: *Nec ſanæ Fi-*

ANNO 965.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

dei vel Doctrinæ aliquid obstat, sive Missas in eadem Slavonica Lingua canere, sive sacrum Evangelium, vel Lectiones Divinas novi & veteris Testamenti bene translatas & interpretatas legere, aut alia Horarum Officia omnia psallere: quoniam, qui fecit tres Linguas principales, Hebræam scilicet, Græcam & Latinam, ipse creavit & alias omnes ad Laudem & Gloriam suam. Iubemus tamen, ut in omnibus Ecclesiis Terræ vestræ, propter majorem Honorificentiam, Evangelium Latinè legatur, & postmodum Slavonicâ Lingua translatum in Auribus Populi, Latina Verba non intelligentis, annuncietur: sicut in quibusdam Ecclesiis fieri videtur. Et si tibi & Iudicibus tuis placet, Missas Latinâ Lingua magis audire præcipimus, ut Latinè Missarum tibi solennia celebrentur.

VII. Talem in Modum dispositis Rebus intra MORAVIAM Ecclesiasticis, præsertim Codicibus Divinis Sermone Slavico divulgatis, per laudatos Græcos Monachos CYRILLUM & METHODIUM, Notitia Christianorum Sacrorum postea in BOHEMIAM, & utrique proximam SILESIAM procedebat: per quam denique POLONIAM intrabat. In quibus Provinciis, partim GERMANOS, partim SLAVOS tenentibus, ideo Germanis facilior ad cœlestis Veritatis Agnitionem Via per Slavos patebat, quoniam Germanorum Pars magna Sermoni Germanico Slavicum jam superaddiderat. Itaque contigit, ut SILESIORUM & POLONORUM ipse Dux MIESLAUS Primus tandem minore Difficultate fieret CHRISTIANUS.

VIII. Ille, magnâ Vitæ post Genitoris Excessum Licentiâ Dux, Pellices Specie Conjugum assumtas, quarum septem habebat, cunctas experiebatur steriles. Tum Christiana Religio per MORAVIAM in SILESIAM, per SILESIAM in POLONIAM, crebris Populorum vicinorum Negotiis, tam bellicis, quam civilibus extensa, quosdam sibi fecerat, sed intra privatam Pietatem, publico Paganorum Metu, passim Loca deserta petentem, Asseclas & SILESIOS, & POLONOS. Ex iis nonnulli cum Indigenæ, tum Alienigenæ Consiliis valentes in Aula persuadebant MIESLAO, ut CHRISTO & seipsum, & Populos suos devoveret; rejectis Concubinis, legitimam eamque Christianam Uxorem sibi jungendam respiceret, Spe majoris Felicitatis, maximè virilis Prolis. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. I. Cap. LXXIII: de Mieslao I: *In Venerem namque More barbarico proclivis erat. Cujus licet castissima fuerit Adolescentia, libidinosa tamen & lasciviens fuit Ætas provectior. Septem enim Pellicibus, quas Uxores nominabat, utebatur. Non tamen ex aliqua illarum Sobolem & futurum suæ Successionis Solatium susceperat. Qui dum Orbitatem suam crebris accusaret Sermonibus, per nonnullos Viros Catholicos spirituales atque saculares, qui in Curia suâ observabantur, & qui ex finitimis Regionibus Curiam suam accedebant, per quos jam Fidei Splendor & Christi Redemtoris Adventus lucere in POLONIA coperat, sensim sibi suggestum est, ut Sacrilego Idololatriæ Cultu relicto, unum verum DEUM agnosceret, & Fidem Catholicam cum Gente sua profanis Ritibus dedita susciperet: tunc enim & Fœcunditatem sibi Prolis, & cuncta alia feliciter proventura, & ipsum inter Principes Catholicos Slavonici Generis atque Linguæ in se & Filiis suis celsiorem fortiturum Thronum, & magnum, & celebrem futurum. Cui Suggestioni benignas Aures accommodanti plurima per Viros Religiosos & Eremitas adjecta sunt.* Ibidem post pauca: *Salutaribus Consiliis & Monitis Virorum Religiosorum & Eremitarum persuasus, flexus est Christianum venerari Dogma, & se per omnia eorum Doctrinis acquieturum promisit, & omnes Polonorum Regiones à Diis Gentium ad veram orthodoxam Religionem Cærimoniasque ejus adducturum se spopondit.* Ibidem Lib. II. ad Annum 965: *Monentibus autem Viris Catholicis & Religiosis, septem Pellices, quarum carnali detinebatur Amore, a se abdicare jussus, ne Mollities muliebris eum in assuefacta detineret Idololatria.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. III. in Miecislao: *Uxores septem barbarico More duxit: iisque & Libidini suæ liberius indulgens, nullos suscipiebat Liberos. Erant jam tunc inter POLONOS nonnulli, qui peregrè revertentes a BOEMIS & MORAVIS Religionem Christianam domum referebant. Erant & externi, partim in Ministerio & Comitatu Principis, partim Mercaturam in Polonia exercentes, partim etiam in Recessibus Silvarum & Solitudinum, quò liberius Cultui Divino vacarent, degentes CHRISTIANI non pauci. His monentibus atque sua-*

ANNO 965.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

ANNO 965.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

ſuadentibus & Religionis Chriſtianæ Veritatem Caſtitatemque prædicantibus, Poſteritatem denique & Felicitatem Principi, ſi eam Religionem amplecteretur, pollicentibus MIECISLAUS priores Uxores dimittit. Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus: ad Annum 895: *In Provinciis etjam Poloniæ paulo poſt emanabat Notitia Evangelii, & paſſim inſtituebantur Congreſſus in Silvis & Locis ſolis, ob Metum Magiſtratus: tandem cum in Aula quoque Religio illuceſceret, Princeps, perſuaſus a ſuis, appetit Nuptias.*

IX. Ad Chriſtianam Religionem propenſus MIESLAUS in Matrimonium expetebat Bohemorum Ducis Boleslai I, propter occiſum Fratrem S. Wenceslaum, Cognomento Sævi, Filiam: Boleslai II, Cognomento Pii, Sororem, CHRISTIANAM Virginem, Scriptoribus Sileſiis DAMBRONICAM, Polonis DAMBROUCAM, non Maritum, niſi CHRISTIANUM, recepturam. Tum MIESLAUS intra Poloniæ majoris Urbem Gneſnam, uno Die, Martii quinto, prius per Baptiſmum CHRISTO, mox per Nuptias Conjugi ſe conſecrabat, Anno 965. Quô & Annô & Die primarii Provinciarum & Urbium Proceres ad Chriſtum accedentes ſuſceperunt Baptiſmum. Vincentius Kadlubko in Hiſtoria Polonica, Lib. II. Epiſt. IX: *His* [Pellicibus] *tandem repudiatis, de Bohemia quandam DOBRAWKAM Nomine, Matrimonio copulat: cujus felici Conſortio Glacies Infidelitatis diſſolvitur, & noſtrorum Labruſca Gentilism in veræ Vitis Palmites transmigrat. Hinc etiam Catholicæ Fidei amantiſſimæ non prius nubere collibuit, quam univerſum Poloniæ Regnum cum CHRISTO Rege Chriſtianæ Profeſſionis ſuſcepiſſet Characterem. Didicerat namque, quod diſpar Cultus unum erat Impedimentum Matrimoniis. Primus itaque POLONORUM Rex MYESKA Gratiam Baptiſmi ſuſcepit.* Ioannes Dlugoſſius in Hiſtoria Polonica, Lib. II. ad Annum 965: *Ad Principem Bohemiæ Boleslaum, Sancti Wenceslai Interfectorem & Germanum Procos mittit, Filiam ſuam DAMBROWKAM pro unica & legitima Uxore ſibi petituros. Verum, dum Bohemiæ Princeps reſponderet, ſe magnificum & inſignem Generum non abominaturum, ſi illum Ritus Gentiles abjicere & Fidei ſanctæ Catholicæ*

ANNO 965.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

licæ Normam ſuſcipere contigiſſet. Aliter enim Filiam ſuam nulla Ratione Gentili & Idolorum Cultori Principi aliquatenus deſponſaturum eſſe. Eodem etiam Reſponſo Virgo Ducalis DABROWKA Procis & Nunciis MIECSLAI Poloniæ Ducis illam de ineundo Fœdere Matrimonii interpellantibus uſa reſpondit: non convenire Profeſſioni ſuæ Chriſtianæ Idololatræ nubat: ubi tamen MIECSLAUS Dux Poloniæ Spurcitias Idolorum abjecerit, & Baptismatis Lavacro renatus fuerit, non recuſaturam ſe, ut in ejus tranſeat Amplexus. Ibidem poſt quædam: *Transactis autem Pactis Diebus, Dux MIESCLAW de Fidei orthodoxæ Articulis & Ritu ſufficienter per Viros religioſos & Anachoriticam Vitam in Religionibus ſuis ducentes, quos eam ob Rem ſingulariter accerſiverat, inſtructus, Tenebris vetuſti Erroris renunciat cum principalioribus Baronibus & Nobilibus, Urbiumque Poloniæ Primoribus ſaluberrimam orthodoxæ Religionis Catholicæ Legem amplexurus, ſuæ de Tenebris Idololatriæ, in Lumen Fidei, Converſionis Primitias ſacro Fonte conſecrat, ſacrum in Gneſna ſuſcepit Baptisma, & depoſita per Regenerationis Undam Vetuſtate Peccati, in novam Animæ Innocentiam Vitaque Infantiam eſt renatus Lavacro Baptismatis Sordes abluens, tam Facinorum, quam Idolorum, ex cæca & vetuſta Caligine Idololatriæ, in Agnitionem, Puritatem atque Religionem Fidei orthodoxæ vocatus, Lumenque ejusdem Fidei Lumine Rationis naturalis, quâ etiam illum vigere Altiſſimus conceſſerat, excedente illuſtratus ex Gratia Spiritus Sancti, & Aqua & Spiritu renatus eſt, vetuſtoque Nomine MIESZKO abrogato, velut barbaro, MIECSLAUS nominatur.* Iterum poſt quædam: *Eodem inſuper Die, Sacramento Baptismi ſuſcepto, Dux MIECSLAUS aliud ſuſcepit Sacramentum & Virginem DABROWKAM Ritu Catholico ſibi deſponſat, & Nuptiæ feliciſſimæ corrogatis vicinis Principibus Gneſnæ pluribus Diebus magnifico celebrantur Apparatu.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 859: *Appetit Nuptias Filiæ Ducis Bohemorum Boleslai* [*qui jugulavit poſtea Fratrem Venceslaum, quem Bohemi inter Sanctos numerant*] *PUELLÆ DAMBRONICÆ: quod Nomen fuit etiam Aviæ paternæ, Fœminæ ſceleratæ. Cum his Nuptiis MIESLAUS ſimul Religionem Chriſtianam ſuſcepit, accepto ſacro Baptismate Gneſnæ. Fuit hoc Anno 965.* Eadem commemorant, Mat-

ANNO 965.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

thias Michovius in Chronico Polonico, Lib. II. Cap. I. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Libro III. ad Annum 965. Iohannes Mollerus in Ducum Lignicenſium Hiſtoria, Lib. I. Cap. V. Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XI. Fridericus Lucæ in Sileſiæ Memorabilibus, Parte I. Cap. III. Num. V. Diem utriusque Solennitatis indicat Nicolaus Polius in Hemerologio Sileſiaco, ad Diem Martii V.

X. Quin Gneſnæ, cum Solennitas & Baptiſmi, & Conjugii celebraretur, eodem Die, quo MIESLAUS, ex Primoribus inter POLONOS quidam SILESII ſe CHRISTO per Baptiſmi Sacramentum devoverint & obligaverint, non eſt dubium. Quia verò paucis ad Chriſtianiſmi Profeſſionem Obſignationemque Locum illa Temporis exigua Mora permittebat: eodem 965 Anno, DIES MARTII SEPTIMA, quæ Chriſtianis DOMINICA LÆTARE nominari ſolet, ad Mieslai Ducis & Exemplum, & Mandatum, SILESIIS etiam, non tantum cœteris ad Poloniam ſpectantibus Populis, afferebat in melius exoptabilem Mutationem, ut Idololatriam rejicientibus, ſic arripientibus Chriſtianum DEI Cultum. Matthias Michovius in Chronico Polonico, Lib. II. Cap. I: *Et quia multi reſtabant ſacro Fonte baptizandi, ideo per Edictum* [Mieslaus] *ſtrictè demandavit, ut omnes in Civitatibus & Villagiis nobiles atque ignobiles, SEPTIMA DIE MARTII adveniente, Idolis confractis & in Lacubus aut Aquis ſubmerſis, ſimul & Lapidibus ab utriusque Sexus Hominibus obrutis, ſub Confiſcatione Bonorum & Exterminatione baptizarentur. Quò Die ſuperveniente, ut erat Statutum, cuncti Iuſſa exſolventes, renaſcebantur in Chriſto & baptizabantur.* Alexander Guagninus in Chronico Polonico, de Mieſcone I: *Mandavitque confeſtim omnibus & ſingulis ſuo Imperio ſubjacentibus, DIE SEPTIMA MARTII, Idola omnium Deorum comminuere, demolire, Igneque conſumere.*

XI. Inde Mos geminus intra Tempus ſolenne, quò CHRISTI Paſſio in Eccleſiis conſideratur, ſacro Die quarto repetitus, diu ſervatus, nondum abolitus SILESIIS eſt. Nam illâ Die ſacrâ, quæ Chriſtianis Occidentalibus DOMINICA LÆTARE, Popularibus noſtris DOMINICA MORTIS nominatur, annuo Pietatis Zelò, quidam ob devictam Idololatriam,

ANNO 965.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

latriam, unde MORS & Idololatris, & Simulacris ad Idololatriam conditis immineat, quicquid Idoli Formam vel habet, vel habere judicatur, cum Dehoneſtamento deſtruxerunt: alii ob devictam MORTEM unde Vita Chriſtianis ad æternam Vitam creatis accedat, vireſcentem Arbuſculam, quaſi Tropheum, ſub Veris Adventum, in aliquod Reſurrectionis Documentum, Deo Laudes Gratiasque Pueris Adoleſcentibusque canentibus circumportant: qui poſterior Mos etiamnum VRATISLAVIENSIBUS integer ſupereſt. Utriusque Conſuetudinis Originem, quam in Operibus de Chriſtianorum Diebus Feſtis, neque Matthæus Dreſſerus, neque Rodolphus Hoſpinianus ad Diem Martii XIV, ſatis habuerunt cognitam, Teſtimoniis & Polonorum, & Sileſiorum confirmabimus. Ioannes Dlugoſſus [ad Annum 1480 ſuperſtes] in Hiſtoria Polonica, Lib. II ad Annum 965: *SEPTIMA DIES MARTII ad confringendum abolendumque ea* [Idola] *in univerſis POLONORUM Regionibus â Miecslao indicta eſt: quâ adveniente, quælibet Civitas, quæque Villa, Deorum ſuorum Simulacra confringere, & confracta in Paludes, Lacus & Stagna, proſequente utriusque Sexus Populo, demergere Saxisque obruere, Cultoribus Deorum Dearumque, & iis præſertim, quibus Sacra eorum erant Quæſtui, profuſius ingemiſcentibus illachrimantibusque, non tamen quicquam, Metu Præfectorum Ducalium, mutare audentibus coacta eſt. Quæ quidem Deorum & Dearum Idolorumque Confractio & immerſio tunc facta apud non nullas Polonorum Villas, ſimulacris Dziewannæ* [Dianæ] *& Marzannæ* [Cereris] *in longo Ligno extollentibus, & in Paludes in DOMINICA Quadrageſimæ LÆTARE projicientibus & demergentibus repræſentatur, renovatur in hunc Diem, nec hujus Conſuetudinis vetuſtiſſimò Effectus usque Modò apud Polonos defluxit.* Matthias Michovius [ad Annum 1523 ſuperſtes] in Chronico Polonico, Lib. II. Cap. I: de Idolorum Polonicorum Exſtirpatione locutus: *Servatur-que ille Mos usque in hodiernum Diem in majori Polonia. Nam Pueri in DOMINICA LÆTARE, factò Idolò, ſeu Imagine, alicubi in Ligno longo portant, alibi in Vehiculo ducunt, & in Aquam projicientes demergunt.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus [quos Anno 1570 ſcripſit] ad

ANNO 965.

GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.

SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

Annum 965: *Edictô itaque* [Mieslai] *Regiô simulacra Idololatrica ubique in Polonia publicè confracta & exusta sunt, DIE SEPTIMO MARTII. Is fuit eo Anno Dies Dominicus Quartus in Quadragesima, quem nominant LÆTARE Hierusalem. Horum Encæniorum Memoria diu conservata est in hac Gente, & eo Dominico Die gestata sunt Simulacra terribilia, similia Spectris, in Perticis, eaque tandem in Cœnum deturbata: qui Mos adhuc hodie à Pueris & Puellis in SILESIA repræsentatur, & nominatur Dies ille DOMINICA MORTIS.* Iohannes Mollerus in Ducum Lignicensium Historia, Lib. I. Cap. V: de Mieslao I:

SLESIA tu Testis, præsertim infantior Ætas
Symbola quæ ficta MORTE quotannis agit.
Dum Statuas Ritu deformes Ethnico adornat,
Cœnosisque fero Carmine mersat Aquis.

Quibus ibidem addit: *DOMINICA IV. Quadragesimæ* [*Vulgo appellatur LÆTARE*] *Memoria hujus Emendationis Ritu publico, adornatâ deformi Statuâ, quam adhibitis certis Imprecationibus & Cantibus in proximam Paludem deturbant, â Pueris & Puellis in SILESIA & vicinis Locis celebrari consuevit.* Eadem commemorant, Nicolaus Polius in Hemerologio Silesiaco ad Diem Martii VII. Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. XI. Gothofredus Ferdinandus Buckisius in Ecclesiasticæ Silesiorum Historiæ Prolegomenis, Cap. I. §. V. Fridericus Lucæ in Silesiæ Memorabilibus, Parte II. Cap. I.

XII. Mireris, nusquam reperiri consignatum, quibus ante Baptismum Doctoribus, & Dux MIESLAUS, & POLONORUM SILESIORUMque Populus, quamvis non universus, tamen Partem maximam, in Sacris fuerit eruditus. Hos Ecclesiæ novellæ Plantatores, seu Græcos, seu Slavos, seu Germanos, Ortu vel MORAVOS, vel BOHEMOS, imò ab iis doctos, vel POLONOS, vel SILESIOS statueris: ad Doctrinam Polonis & Silesiis Evangelicam proponendam potissimum Sermonis, tam Germanici, quam Slavici perfectior Intellectus reddiderit satis aptos

ANNO 965.

GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.

SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

aptos: quam à primis MORAVORUM Apostolis Græcis longè lateque divulgatam hauserint: de quibus §. II. & III. diximus.

ANNO 966.

GERMANORUMRomanus Imperator OTTO I.

SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

SILESIORUM Episcopus Primus SMOGRENSIS, GOTHOFREDUS Romanus.

XIII. Christianam propagaturus in Terris suis Religionem MIESLAUS Primus, Silesiorum Polonorumque Dux, Animô destinabat constituere novem Episcopos: in POLONIA Gnesnensem, Cracovienſem, Posnanienſem, Crusuicenſem [hodie Vladislauienſem,] in MAZOVIA Plocenſem: in RUSSIA Camenecenſem: in PRUSSIA Culmenſem: in MARCHIA Lubussenſem: in SILESIA verò SMOGRENSEM [postea Bicinenſem, hodie Vratislavienſem]: quibus totidem Cathedralia Templa exstruenda judicabat. De his pleniorem in Modum agunt Rerum Polonicarum Scriptores, Ioannes Dlugossius Lib. II. ad Annum 966. Matthias Michovius Lib. II. Cap. I. Martinus Cromerus Lib. III. ad Annum 966.

XIV. Horum MIESLAI Ecclesiasticorum Actorum ignoraverat Principia Iohannes XIII [aliis XIV] Pontifex Romanus. Notitiam, seu Famâ publicâ, seu privatô Indiciô adeptus, ne Limitibus Regiminis sui provehendis deesset, Sponte suâ Terris ad Poloniam spectantibus, universalem Ecclesiarum Curam sibi commissam ostensurus, ad omnia commodam in Formam disponenda mittebat Ægidium Cardinalem, Episcopum Tusculanum. Per eum MIESLAO persuadebat, ut posthabitis omnibus & SLAVIS, & GERMANIS, tum MORAVIS, & BOHEMIS, tum POLONIS, & SILESIIS, & inter hos illis etiam, qui nuper in Poloniæ Provinciis magnam Hominum Copiam Christianis Sacris præparaverant, imo baptizaverant: quoniam eos, aut dirigendis excolendisque novis Ecclesiis putabat inidoneos: aut, quod verisimilius est, Græcorum addictos

ANNO 966.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

dictos Sententiis Romano Gubernaculo parum faciles credebat: alios, in quibus Fiducia firmior residebat, GERMANOS & GALLOS pauciſſimos, ITALOS plurimos Episcopatibus præficeret. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. II. ad Annum 966: *Egidius Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Poloniam à ſummo Pontifice Iohanne XIII. miſſus, ſingulos Epiſcopatus Poloniæ, videlicet duas Metropoles, Gneſnenſem & Cracovienſem, item Poſnanienſem, WRATISLAVIENSEM* [tum SMOGRENSEM,] *Wladislavienſem* [tum Cruſuicienſem,] *Plocenſem, Chelmenſem,* [Culmenſem] *Lubecenſem,* [Lubuſſenſem,] *& Kamionecenſem, Cathedrales Eccleſias confirmavit, & ſingulis Diœceſibus Terminos poſuit & diſtinxit.* Idem Dlugoſſus in Epiſcoporum Posnanienſium Vitis, quas Thomas Treterus, Canonicus Varmienſis, edidit, Cap. I: quod de Iordano Italo, Epiſcopo Poſnanienſium primo agit: ubi Rationem, cur Polonis ad Chriſtum converſis Epiſcopi è ſolis Exteris contigerint, his Verbis affert: *Nemo ex POLONIS eâ Tempeſtate Neophytis idoneus Sacerdotio reperiebatur.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. III. ad Annum 966: *His autem Rebus perficiendis Ægidius Cardinalis, Epiſcopus Tuſculanus, Iohannis XIII, Pontificis Maximi, qui per illud ipſum Tempus Leoni VIII ſucceſſerat, Legatus præfuit: qui primos Archiepiſcopos & Epiſcopos ITALICI, non nullos etiam GALLICI & GERMANICI Generis fecit. Quod deinceps quoque aliquandiu factitatum eſt: cum noſtri rudes adhuc eſſent & novitii.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 965: de Mieslai ad Chriſtianiſmum Converſione locutus: *Statim, poſteaquam hoc Romam delatum eſt, Pontifex Iohannes XIII miſit in Poloniam Egidium Cardinalem Tuſculanum: qui hinc inde in Regno conſtituit Epiſcopatus, ut nominant, & Eccleſiis præfecit Homines ITALOS & GERMANOS, qui facerent Initium Religionis & Populum erudirent.* Cæſar Baronius in Eccleſiaſticis Annalibus, Tomo X, ad Annum 965, Num. VII: de Polonorum Statu locutus: *Ubi iſta tam læta accepit Ioannes Pontifex, Stupore ſimul & Gaudio affectus, continuo ad ipſos decernens Legationem, a Latere miſit Ægidium Tuſculanum Epiſcopum, qui credentem Regem cum Populo*

ANNO 966.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

Populo ſtabiliret in Fide, & Epiſcopatus erigeret, Sacerdotesque & Miniſtros reliquos in iisdem ad omnes erudiendos conſtitueret.

XV. SILESIIS EPISCOPUS primus dabatur GOTHOFREDUS: quemadmodum Scriptores, quos conſuluimus, omnes tradunt, Natione Italus, Patriâ Romanus, quamvis Germanicum Nomen indeptus: fortaſſis Ortu Germanus, Sermonisque tam Germanici, quam Slavici peritus, ad docendos in Sileſia tum viventes & Germanos & Slavos. Sedem accipiebat in VRATISLAVIENSIUM Ducatu, NAMSLAVIENSIUM Diœceſi, ad Fluvium Weidam, intra Vicum SMOGRAM: cui, More ſuo, Polonicus Sermo alias Nominis Formas imponit. Ea Sedes poſtea BICINAM in BREGENSEM Ducatum, denique VRATISLAVIAM transferebatur. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. II. ad Annum 966: de Gnesnenſi Epiſcopatu primario locutus: *Duæ autem* [Eccleſiæ] *Suffraganeæ, quas nominavimus, SMOGORZOVIENSIS & Cruſuicienſis propter Locorum Transmutationem etiam Titulos ſuos variare coactæ ſunt. SMOGORZOVIENSIS enim primum in BYCZINIUM, Oppidum Diſtrictus BRZEGIENSIS, ſed propter uberiorem ſitum tandem in WRATISLAVIAM translata eſt, & ultimi Loci ſortita eſt Appellationem.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 965: de conditis à Mieslao Epiſcopatibus: *Inter cætera Collegia fuit etiam SMOGRENSE, quod deinde Succeſſu Temporis BICINAM, tandem VRATISLAVIAM translatum eſt. Eſt autem SMOGRA ignobilis Pagus in Parte Aquilonari VIADRI, Milliaribus fermè decem à VRATISLAVIA.*

XVI. Huic SILESIORUM, quemadmodum reliquis POLONORUM Epiſcopatibus, in Dotem annuam MIESLAUS deſtinabat omnium ex Terra naſcentium Frugum Decimas, olim Duci traditas. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. II. ad Annum 967: *Novem Eccleſiis à ſe fundatis MIECSLAUS Polonorum Dux Dotes ſufficientes aſſignat, & tam Pontificibus earum, quam perſonalibus Dignitatibus & Canonicalibus, & Cathedralibus, & in aliis inſtitutis Monaſteriis & Eccleſiis Parochialibus omnem univerſæ Polonorum Regionis omnium Frugum naſcentium deputavit Decimationem: ſed & omnes Barones, Proceres, Cives, & Ruſticos non*

ANNO 966.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

non ſolum ad Redditionem, ſed etiam ad Ducturam campeſtralis Decimæ ſubjiciens, largitus eſt. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. III. ad Annum 965: de Epiſcopis à Mieslao creatis: *Iisque Decimas omnis Generis Frugum de ſuis juxta ac Nobilitatis Plebisque Agris Edictô perpetuô adſcribit, ita quidem, ut eæ Decimæ poſt Meſſem ab ipſis Aratoribus ad conſtitutum Locum convehantur.* Clemens Ianitius de Polonorum Ducibus, in Mieslao, ad Chriſtum:

Plurima tunc data ſunt Tibi Templa, novemque Cathedræ,
Et quas Sacrifici dilapidamus, Opes.

Stanislaus Lubienskius in Epiſcoporum Plocenſium Primo, Angeloto, de Mieslao I: *Decimas, tam ex Nobilium, quam Agreſtium Bonis, omnium Frugum, quæ ex Cultura Agrorum totius Poloniæ colliguntur,* [*Cenſus is fuit, qui olim Principi, dum adhuc hic nondum Chriſtiana Religio illuxiſſet, debebatur, & quotannis in Fiſcum Decimatione, ut ajunt, manipulari aſſignatis, ad id Regiis Horreis inferebatur*] *unicuique in ſuo Epiſcopatu conceſſit.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 965: de iisdem Epiſcopis: *Beneficentia tamen Principis etiam iſtis Doctoribus locuples conſtitutus eſt Victus. Nam attributæ ſunt Epiſcopis in omnibus Provinciis Decimæ ex omnibus Frugibus Agrorum.*

XVII. Ea Redituum Epiſcopalium Copia, quos Dux beneficus, quoniam Natura, quô pauciores, eô pretioſiores Fruges dat Fundorum Poſſeſſoribus, ſatis & amplos, & certos futuros præviderat, intra SILESIAM denique multiplex inter Epiſcopum & Incolas Diſſidium excitavit. Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 965: de Redituum Epiſcopalium Abundantia: *Sequenti Ætate multas peperit Offenſiones in SILESIA, Epiſcopo Ius ſuum defendente, Principibus vero & Ordinibus volentibus excutere illud Onus nimis, ut viſum eſt, grave.* Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XI. eadem narrat: plura eò pertinentia commemorat Fridericus Lucæ in Sileſiæ Memorabilibus, Parte II. Cap. I.

XVIII. Cœteras, omnium primas, de noſtro Epiſcopatu Smogrenſi Antiquitates invidit Poſteris illa Temporum Infelicitas, quæ Monumentis eas continentibus Interitum attulit. De quo Ioachimus Curæus in Sileſiorum Epiſcopo I. Gothofredo: *Literæ Fundationis* [Epiſcopalis Eccleſiæ Smogrenſis] *ut quidem in quodam Scripto Canonicorum Vratislavienſium refertur, non exſtant.* Eadem repetit Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. III. Cap. II. & Gotfridus Ferdinandus Buckiſius in Eccleſiaſticæ Sileſiorum Hiſtoriæ Prolegomenis, Cap. I. §. V. Imo jam dudum omnes omnium per Mieslaum Ducem conditorum, & per Iohannem XIII, Pontificem Romanum confirmatorum Epiſcopatuum Literas periiſſe, Scriptor Anno 1480 mortuus, Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. II. ad Annum 966, teſtatur his Verbis, de iisdem Epiſcopatibus: *Etſi ſingulæ* [Epiſcopales] *Eccleſiæ eiusdem Egidii Cardinalis & Legati Privilegia & Literas habuiſſent, ſingularum tamen Eccleſiarum Literæ ſingulæ, aut parum ſolerti Curæ cuſtoditæ, amiſſæ ſunt: aut frequentibus, cum tunc in Polonia non frequentes forent Muri, periere Incendiis.*

ANNO 966.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

XIX. Quæ cum ita ſucceſſerint: non immerito mireris, nusquam in Polonicarum Rerum Monumentis annotatum inveniri, quemadmodum [ut demonſtravimus Cap. VI. §. XIV & ſequentibus] Imperatori OTTONI I. ſubjectus MIESLAUS I. quaſi Poteſtatis abſolutæ, non Superiorem agnoſcentis Dux, ad Arbitrium ſuum, licet ad Romani Pontificis Conſilium, per omnes POLONIS addictas Provincias, conſtituerit EPISCOPOS: circa quos, tanquam potiorem Sacrorum Partem, Ius per ea Tempora penes Imperatores GERMANICOS in omnibus ipſorum Ditioni ſubjacentibus Terris erat ſummum. Certè, non eſt, ut ex eo Silentio quisquam colligat, OTTONI I. Cæſari Ducem MIESLAUM I. haudquaquam ſubditum fuiſſe. Nam, quod fecit, facere potuit MIESLAUS inter Initia per OTTONIS, pro illius Ævi Statu, ne MIESLAUM, Chriſtianum recentem, importunior Turbator offenderet, tacitam quidem, ſed æquam Conniventiam. De quâ Polonicorum Annalium Conditores nihil, ſeu ob Ignorantiam, ſeu ob Arrogantiam ſcripſerunt.

ANNO 970.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

XX. Nobis apud Polonicos Hiſtoricos non obvia Scriptores Germanici luculenter oſtendunt. His Teſtibus, tantum abeſt, ut OTTO Acta MIESLAI Eccleſiaſtica neſciverit, ut iis utique cognitis, poſtea Conſenſu aperto Valorem, Decretóque publicó Diſpoſitionem addiderit. Nam poſt Epiſcopos in Polonia creatos, antea Moguntino Archiepiſcopo ſubditos, elapſó Triennió, id eſt, Anno 970, ARCHIEPISCOPO Magdeburgico ADALBERTO, Germano, plurium Slavicarum Gentium Paganarum Apoſtolo, ſubjiciebat EPISCOPOS, tam GERMANICOS, quam POLONICOS: id eſt, ut interpretamur, in Terris POLONIÆ quidem annexis, at olim GERMANIÆ cohærentibus: à Luſatiæ Finibus, ultra Viadrum, ad Vartæ Ripam extenſis: tum Romano GERMANORUM Imperio ſubjectis: ut monuimus Cap. VI. §. XVII. Ad Vartam verò jam tum exſtabat Poſnanienſis, ut Civitas, ſic Epiſcopatus: cujus Epiſcopus primus IORDANUS, in poſterum Archiepiſcopo Magdeburgico ſubjiciendus, Magdeburgum, ad indictam ab OTTONE I. Cæſare Solennitatem, quâ ibi ADALBERTUS Archiepiſcopus declarandus erat, invitatus perveniebat. Ditmarus, Martisburgenſis Epiſcopus, in Chronico, Lib. II: de Ottone I: *ADELBERTUMque Trevirenſem, Profeſſione Monachum, ſed Ruſſiæ* [ubi legendum, Rugiæ] *prius ordinatum Præſulem, & hinc à Gentilibus expulſum, ad Archiepiſcopatus Apicem, inclitum Patrem & per omnia probatum, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCC. LXX. XV. Kalendas Novembris, Apoſtolica Autoritate promovit. Tum miſit eum ad Sedem ſuam cum magno Honore, præcipiens univerſis Saxoniæ Principibus, ut proximum Natale Domini cum eo eſſent. ARCHIEPISCOPUS autem à Clero & omni Populo magnificè ſuſceptus, in his feſtivis Diebus conſecravit Boſonem Merſeburgenſis Eccleſiæ Paſtorem, Burckardum Miſnenſis Eccleſiæ Proviſorem, Hugonem Epiſcopum Cizenſem, Havelburgenſis Eccleſiæ Cuſtodem his Tudonem cooptavit, prius conſecratum. Omnes hos, inquam, conſecravit, ſubjectionemque ſibi ſuisque promittentes Succeſſoribus, diſpoſita ſingulis quibusque Parochia ſpeciali. Additus eſt his Confratribus Brandenburgenſis Eccleſiæ Paſtor Ditmarus, ante hos unctus, & IORDANUS Epiſcopus POSNANIENSIS.* Go-

ANNO 970.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

Gobelinus Perſona in Cosmodromio, Ætate VI. Cap. XLVIII: *Anno Domini DCCCC. LXX. OTTO Imperator Confirmatione Sedis Archiepiſcopalis in MAGDEBURG, cum Conſenſu Hildewardi Epiſcopi Halberſtadenſis, à Sede Apoſtolica obtenta, XV. Kalendas Novembris, ATHELBERTUM quendam Trevirenſem, Profeſſione Monachum, ad Archiepiſcopatus Apicem, ejusdem Apoſtolicæ Sedis Autoritate, in ipſi MAGDEBURGENSI Eccleſia primum promovit: ſex Suffraganeos ei ſubjiciendo, qui fuerunt Merſeburgenſis, Misnenſis, Cizenſis, qui alias dicitur Nuwenburgenſis & Havelburgenſis. Prædictos quatuor Epiſcopos ſupra dictus ARCHIEPISCOPUS eodem Die in MAGDEBURG conſecravit, Anno Regni OTTONIS XXIV, Imperii ejus IX. Et deinde iidem Epiſcopi per Archiepiſcopum prædictum per Parochias deſtinati ſunt. Cæteri duo, qui his additi ſunt, fuerunt Brandenburgenſis & POSNANIENSIS, qui prius conſecrati fuerunt.* Autor Chronici, quod Henricus Meibomius in Rerum Germanicarum Scriptoribus, Tomo II, primus edidit, de Magdeburgenſibus Archiepiſcopis: cum in antecedentibus narraviſſet, quemadmodum Cæſar Otto I. Archiepiſcopatum Magdeburgicum conſtituturus, cum Archiepiſcopo Moguntino Hattone, cui hactenus Epiſcopi plures paruerant, ob aliquos eidem ſubtrahendos, iniiſſet Concordiam: in Giſelhario, de Poſnanienſium intra Poloniam Terrâ locutus: *Tota hæc Provincia unius POZNANIENSIS Epiſcopi erat Parochia, & ipſa cum omnibus futuro Tempore illic* [intra Poloniam] *fundatis Epiſcopatibus, Autoritate Primi Ottonis Imperatoris & Pontificum Apoſtolicæ Sedis Metropolitano MAGDEBURGENSI ARCHIEPISCOPATUI fuerat ſubjecta.* Chronographus Saxo, quem in Acceſſionibus Hiſtoricis Godefridus Guilielmus Leibnitius primum edidit, ad Annum 970: de Ottone I: *Præterea ſtatuit eum* [Adalbertum] *eſſe Metropolitanum totius ultra Salam & Albiam SLAVORUM Gentis tunc ad Deum converſæ vel convertendæ, & ut ſecundum Deſiderium Imperatoris in his Civitatibus, in quibus olim barbari Ritus maxima viguit Superſtitio, id eſt, Cizi, Miſni, Merſeburch, Brandeburch, Havelberga, POZNANI, in Honore Domini Epiſcopia fundarentur: quorum Paſtores ſecundum Canonicam Autoritatem MAGDE-*

ANNO 970.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

BURGENSI ARCHIEPISCOPO Fidem & Subjectionem debendo sociarentur. His & aliis, quæ Privilegia adhuc inibi conservanda testantur, Synodali Decreto ordinatis, & sub Interminatione Dei & Apostolici Nominis confirmatis, præfatus Archiepiscopus cum Legatis Romanæ Ecclesiæ, Widone scilicet Episcopo Bibliothecario & Benedicto Cardinali, qui illum cum Hildewardo Halverstadensi Episcopo, Sedi suæ inthronizarent, dimissus. Georgius Fabricius in Originibus Saxonicis, Lib. II. ad Annum 973: *Subjecit* [Otto I. Cæsar] *eidem* [Archiepiscopo Magdeburgico] *Hillivardo* [legendum, Adalberto] *Dudonem Havelburgium, Ditmarum Brandeburgicum, IORDANEM POSNANIENSEM, qui antea Moguntino paruerant Antistiti, & illi ipsi Conventui intererant.* Ibidem ad Annum 998: de Ottone III. Cæsare: *Nec Antistitem MAGDEBURGICUM audierat, cui ab OTTONE I. omnes ECCLESIÆ POLONICÆ subjectæ erant.* Videlicet, tum erat Imperatoribus Germanicis summum, tam civile, quam Ecclesiasticum, maximè circa Episcopos Ius: quod Imperator Otto Primus etiam in POLONIÆ Provincias, non, ut arbitramur, omnes, sed, quantum investigare potuimus, tantum vetustis GERMANIÆ Limitibus comprehensas, à Lusatiæ Finibus, ultra VIADRUM, ad VARTAM, imo VISTULAM extensas, obtinuerat. Quibus Terrarum Spatiis, cum POLONORUM Gnesnensis, Cracovienſis, Posnanienſis, Crusuicienſis, tum etiam SILESIORUM Smogrenſis continebatur.

XXI. Citra Dubium igitur GOTHOFREDUS noster, SILESIORUM Episcopus SMOGRENSIS, ad Annum 983 superstes, Exemplo cæterorum Episcoporum, ad POLONORUM Provincias, Romano GERMANORUM Imperio addictas, spectantium, mox inter Initia, non, ut Vulgo creditur, POLONORUM Gnesnensi, sed GERMANORUM prius Moguntino, deinde Magdeburgico Archiepiscopo fuit ab Imperatore OTTONE I. subditus: quoniam MIESLAUS Primus SILESIORUM Polonorumque Dux, ob Terras intra GERMANIAM veterem, quamvis POLONIÆ Nomen indeptas, eidem Cæsari, ad Fidelium Morem, subjectus erat. Videantur, quæ diximus Cap. VI. §. XIV. &, quæ dicemus hujus Capitis §. XXV.

XXII.

ANNO 970.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

XXII. Cæterum GOTHOFREDUS EPISCOPUS erat Vir eruditus, pius, modestus, assiduus in Ecclesiasticis Scholasticisque Laboribus, quibus SILESIOS, non SMOGRÆ tantum, verum aliis etiam in Locis ad Christianas Virtutes humanioresque Literas præparabat: licet obnoxius Ærumnis variis, maximè cum in Auditoribus seu Prosapiâ, seu Opulentiâ eminentiores deprehenderet obstinatiores. Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ad Annum 966: *Fuit autem primus EPISCOPUS SMOGRENSIS GODEFRIDUS Romanus Vir doctus & pius, qui rexit Ecclesiam Annos septendecim inter magnas Ærumnas & Labores, cum Populus adhuc mordicus quasdam Opiniones & Ritus Idololatricos retineret, & Nobilitas, sicut narrat Historia, barbaricam exerceret Crudelitatem.* Ibidem in Silesiorum Episcopis, de Gothofredo: *Verâ Morum Pietate ornatus, & infirmæ atque imperitæ Plebeculæ Verba Symboli, Decalogi & Dominicæ Precationis est præfatus. Abducebat paulatim Animos ab Opinionibus & Cultibus Ethnicis, & monstrabat Elementa Doctrinæ de Essentia & Voluntate veri DEI. Sæpe etiam iter faciebat per Provinciam in Loca, ubi aliqua erat Frequentia Hominum, & Cives suos erudiebat, & impios Ritus Sacrificiorum & Rituum abolebat. In hoc laudabili Vitæ Cursu & digno vero Episcopo consumsit Annos septendecim inter Ærumnas gravissimas. Nam multi ex Populo Idolomaniam ethnicam pertinaciter defendebant: Nobilitas etiam Vocem pii Pastoris aspernabatur, & ipsi adversabatur, atque omnia plena erant, ut Initia Mutationum solent esse turbulenta, Confusionum. Ipse tamen in Statione sua fideliter mansit.* Par ei Testimonium perhibet Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. XI. & Lib. III. Cap. II. Num. I. Plura de Gothofredo memorabimus §. XXVII.

SILESIORUM Templum Christianum SMOGRÆ Primum.

XXIII. Docebat GOTHOFREDUS Episcopus sub Initium intra privatas Ædes, tandem in publico Templo: quod Anno 970, in SILESIA primum SMOGRÆ ligneum exstruebatur, Sancto IOANNI BAPTISTÆ con-

ANNO 970.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

consecratum. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. II. ad Annum 966; de Mieslao I: *SMOGORZOVIENSEM seu WRATISLAVIENSEM* [Ecclesiam fundavit] *Sancto IOANNI BAPTISTÆ, Principatum, post intemeratam Virginem, inter omnes Sanctos retinenti.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. II. Cap. I. de Mieslao I: *SMOGORZOVIENSEM* [Ecclesiam Episcopalem consecrari disposuit] *quæ translata primum fuit RYCIZNAM* [Bicinam] *Oppidum Districtus BREGENSIS, ex post, propter uberiorem Situm, in VRATISLAVIAM: in Honorem Sancti IOANNIS BAPTISTÆ, post intemeratam DEI Genitricem, inter Sanctos majorem.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Episcopis: *Unicum longo Tempore, ut scriptum illud Canonicorum recitat, in tota hac Provincia fuit Templum, dicatum Memoriæ Divi BAPTISTÆ.* Ibidem paulo post: *Ad illud ligneum & vile Templum nostra Gens ad certas Festivitates convenit: in illo sedit Episcopus humilis.* Templi hujus conditi Annum indicat Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. II. Cap. XL.

ANNO 973.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

SILESII Romano GERMANORUM Imperio subjecti.

XXIV. GERMANIS post Ottonem I. Magnum, Filius OTTO II. RUFUS, ab Anno 973 ad 984, Imperator: SILESIIS Polonisque MIESLAUS I. jam Christianus Dux, ultra 984 Annum, præfuit.

XXV. Per hoc Temporis Spatium, ab Anno 973 ad 984, quô Cæsar Otto II. è vivis abibat, SILESII Romano GERMANORUM Imperio subjecti permanserunt: quorum Dux MIESLAUS, quamdiu vixit, à Romanis Germanorum Imperatoribus adeo nunquam defecit, ut eis potius Reverentiam Subjectionemque singularem nunquam non probaverit. Quam humili Cultu MIESLAUS Udonem, Imperatoris Ottonis I. Comitem in Germania Limitaneum, id est, Marchionem, prosecutus fuerit, Ditmarus in Chronico, Lib. V. indicat his Verbis: *Quam iniquè comparandi sunt Antecessores nostri & contemporales? Vivente egregio Udone, Pater istius*

ANNO 973.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO I.
SILESIORUM Dux MIESLAUS. I.

istius [Boleslai I. Silesiorum & Polonorum Ducis] *MISECO* [Mieslaus] *Domum, in quâ eum esse sciebat, intrare, vel eô assurgente, nunquam præsumsit sedere.* Quibus ibidem Ditmarus addit, quemadmodum à MIESLAI, quem vocat MISECONEM, Genitoris sui Exemplo, qui nec Honorem, nec Obsequium Romano Germanorum Cæsari debitum imminuerit, Filius Boleslaus I, Imperatoris Ottonis III. Adversarius recesserit. De quô videantur, quæ proferemus Cap. VIII. §. XXIII.

ANNO 979.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

XXVI. Ecclesiasticus Anno 979 Mos oriebatur, quem Dux MIESLAUS etiam SILESIIS, non tantum POLONIS præscripserat, ut, Diebus Deo sacris, potiores in Templis armati Gladios, ad Evangelii Recitationem, tanquam Christianorum Religionem Armis etiam defensuri, mediôtenus stringerent, mox reconderent. Ioannes Dlugossus in Polonica Historia, Lib. II. ad Annum 979 de Mieslao I: *Ipsius siquidem Operâ & Instinctu sacrosanctus Mos in Proceres, Militares & quoslibet Nobiles eo Anno introductus est, prope ad nostra usque Tempora servatus, ut præfati Proceres Polonorum & Milites Diebus Dominicis audituri Divina, Ecclesias sacras militari Gladio ingrederentur accincti, & ad Divina, Sacerdote canente: Sequentia S. Evangelii secundum Matthæum vel alios Evangelistas: è Vestigio omnes, velut Certamen inituri, extendebant pro Dimidietate è Vagina Gladios, quò usque à Scholaribus responderetur: Gloria Tibi Domine: Vice versâ in Vaginas recondebant. Demonstrantes eô, tam frequenti & quolibet Die Dominico, repetitô Actu, pro Defensione Veritatis Evangelicæ ab eis cognitæ & professæ, intrepidè & alacriter pugnaturos, &, si oporteret, Mortem etiam appetituros.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. III. de Mieslao I: *Non videtur Silentiô prætereundum esse, quod sub hoc Principe Mos inolevit apud POLONOS, ut Homines Equestris Ordinis in Templis, dum Sacerdos apud Altare pronunciat,*

ANNO 979.

GERMANORUM Romanus Imperator OTTO II.

SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

at, unde recitaturus sit Evangelium, Gladios mediotenus stringerent, quasi profitentes Evangelii & Religionis Defensionem. Choro autem respondente; Gloria Tibi Domine: rursus reconderent. Diuque hic Mos mansit in Polonia. Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ad Annum 979: *Inter alia scribitur in Historia, Nobilitatem, ut testaretur Studium suum in defendenda & propugnanda Religione recens accepta, Anno Christi 979 feciſſe publicum Decretum, ut Sacerdote inchoante Recitationem Evangelii ad Aram, omnes Nobiles Gladios aliqua ex Parte nudarent, eosque Choro respondente usitato Cantu, tandem reconderent.* Moris hujus præterea meminerunt, Nicolaus Polius in Hemerologio Silesiaco, ad Diem Martii VII, Annum 965. Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. XI. Gotfridus Ferdinandus Buckisius in Ecclesiasticæ Silesiorum Historiæ Prolegomenis, Cap. I. §. IV.

ANNO 983.

GERMANORUM Romanus Imperator OTTO II.

SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

SILESIORUM Episcopus II. SMOGRENSIS,

URBANUS Romanus.

XXVII. GOTHOFREDUS primus SILESIORUM Episcopus Smogrensis per Annos XVII Officio defunctus, ex humanis abibat Anno 983, Smogræ nactus Sepulcrum. Ioannes Dlugossius in Historia Polonica, Lib. II ad Annum 981: *Primus WRATISLAVIENSIS Episcopus, qui SMOGORZOVIENSIS tunc intitulabatur, GOTFRIDUS Genere Romanus, Pontificatu suo per Annos XVII continuato moritur, & ibidem sepelitur.*

XXVIII. Succedebat Gothofredo URBANUS, Patriâ Romanus, Stirpe nobilis, S. Mariæ Majoris Canonicus Romanus: quem Boleslaus I. quidem, non autem, ut quidam referunt, jam Polonorum Rex, sed Mieslai I. Polonorum Silesiorumque Ducis, ad Annum usque 999, & viventis, & regnantis Filius, à Romano Pontifice, non, ut quidam commemorant, Iohanne XII, quem Annus 964 exstinxit, sed Benedicto VII, qui demum

ANNO 983.

GERMANORUM Romanus Imperator OTTO II.

SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

mum 984 decessit, expetitum obtinuerat. Laudatus Dlugossius ibidem: *Cui* [Gothofredo] *URBANUS Primus ad Petitionem Boleslai Chrabri Ducis Poloniæ & Monarchæ, nobilis Genere, Natione Romanus, ad Provisionem Papæ* [Iohannis] *XII, fuit substitutus.* Idem Dlugossius in Episcopis Vratislauiensibus MStis, Num. II: *URBANUS Primus, secundus SMOGROVIENSIS Episcopus, ob Petitionem Boleslai ante dicti Poloniæ Regis, per Iohannem Papam XII, Anno Domini 983, fuit provisus & datus.*

SILESIORUM prima SCHOLA SMOGRENSIS.

XXIX. Eruditionis propagandæ studiosissimus necessarios ex Italia secum afferebat & Libros, & Viros, per quos Iuventuti consulebat intra Scholam SMOGRÆ publicam, in SILESIA primam. Literas humaniores, cum alias, tum Latinas Discentibus etiam, non solum Docentibus Manu beneficâ simul Vitæ Subsidia, simul Præmia Diligentiæ porrigebat: egregiô Urbanitatis, quod Successoribus in Exemplum reliquit, Documentô verè Urbanus. Idem Dlugossius in Vratislavienſibus Episcopis MStis, Num. II: *Non multos Viros Spirituales & Sacerdotes, Libros quoque Ecclesiasticis Officiis deservientes secum ex Italia detulit. Hic primo Curam adhibuit, ut Pueri & Adolescentes in Latinis erudirentur Literis, SCHOLAMque ob id in SMOGRA constituit, & tam Doctores Scholarium, quam Scholares ipsos de Mensa sua liberaliter reficiebat & providebat.* Ioachimus Curæus de Silesiorum Episcopis, Urbano: *Vidit, nec propagari, nec conservari Religionem posse sine Eruditione: ideo, sicut ab Initio Ecclesiæ semper fuerunt conjunctæ Scholæ: ita ipse ex Italiæ adduxit Cœtum piorum & doctorum Hominum, & Supellectilem utilium Librorum. Instituit igitur SCHOLAM ad Templum SMOGRENSE, in quâ Viri docti Adolescentiæ instillarunt Semina Pietatis, Linguam Latinam, & Initia Artium, eamque ad Exercitia Pietatis & utiles Ceremonias assuefecerunt. Hoc igitur tunc fuit COLLEGIUM SMOGRENSE, in quo EPISCOPUS, tanquam supremus Inspector, & totius Ministerii Gubernator, Doctoribus & Auditoribus Victum ex sua Mensa dedit.* Ibidem post quædam: *Ab hoc igitur URBANO SILESIA verè urbana & civilia Ornamen-*

ANNO 983.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

ta Studiorum accepit: in quibus etsi tunc multum fuit Caliginis & Barbariei, ex Vitio barbari Sæculi: tamen rectæ Voluntas meretur Approbationem: neque illa Initia fuerunt sine Fructu. Nam & Religio felicius fuit propagata, & Mores Gentis sunt facti molliores & humaniores.

XXX. Ita sui Nominis Homo, partim Ore, partim Opere præsentibus ad Commoditatem, Posteris ad Imitationem vivebat URBANUS: quem eâdem Laude condecorant, Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. III. Cap. II. Num. II. Gotfridus Ferdinandus Buckisius in Ecclesiasticæ Silesiorum Historiæ Prolegomenis, Cap. I. §. VIII. Fridericus Lucæ in Silesiæ Memorabilibus Parte II. Cap. I. Num. II. Plura de Urbano dicemus Cap. VIII. §.

ANNO 984.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

SILESII Romano GERMANORUM Imperio subjecti.

XXXI. Post Imperatorem Ottonem II. Anno 983 extremo vivis exemtum, Successor Filius OTTO III. ad Patris Exemplum SILESIOS suo, id est, Romano GERMANORUM Imperio subjectos tenebat.

XXXII. Nam Cæsaris OTTONIS III. & Patruus magnus, & Tutor, Henricus Bavarorum Dux Imperium affectare nihil veritus, à quibusdam Principibus, Magdeburgum convocatis, mox Quedlinburgum traductis, renunciabatur Imperator Anno 984. Inter hos autem, qui malebant Henrico Viro, quam Ottoni Puero subesse, quanquam invitis repugnantibusque multis, Henricum pro Imperatore colentes, cui Subjectionem jurabant, præter Mistuium Obotritorum, & Boleslaum Bohemorum Ducem, erat MIESLAUS, quem MISECONEM dici jam sæpius indicavimus, SILESIORUM Polonorumque Dux. Ditmarus in Chronico, Lib. IV. ad Annum 984: de Henrico Bavarorum Duce: *Qui cum Palmarum Solennia in Magdeburg celebrare voluisset, omnes Regionis illius Principes huc convenire rogavit, atque præcepit, tractans, quomodo se suæ Potestati subderent, Regnique cum Fastigio sublevarent. Huic Consilio*

ANNO 984.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

silio maxima Pars Procerum hoc Dolo consensit, quod Licentiam à Domino suimet Rege, cui juraverat prius, peteret, postque secura novo Regi serviret. Quidam autem ob ejus indignationem digressi, occultis meditantur Astutiis, qualiter hoc unquam fieret. Inde egressus Henricus proximum Pascha Quidilingiburg festivis peregit Gaudiis. Quo magnus Regni Primatus colligitur, à quibusdam venire illò nolentibus, ad omnia diligenter inquirenda Nuncius mittitur. Hac in Festivitate idem à suis publicè Rex appellatur, Laudibus divinis attollitur. Huc MISECO & Mistui, & Bolislaus Duces cum cæteris ineffabilibus confluebant, Auxilium sibi deinceps, ut REGI & DOMINO cum IURAMENTIS affirmantes.

ANNO 985.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

XXXIII. Henricus Imperium Anno 985 in Comitiis Francofurtanis OTTONI III. permittebat. MISECO igitur mutatô Animô, se OTTONI III. Cæsari subjectum in Quedlinburgensi Conventu declarabat. Ditmarus eodem Lib. IV: *Celebrata proxima Paschalis Solennitas in Quidilingeburg à Rege* [Imperatore Ottone III,] *ubi quatuor ministrabant Duces, Henricus ad Mensam, Conradus ad Cameram, Hecil ad Cellarium, Bernhardus Equis præfuit. Hic etiam Bolizlaus & MISECO cum suis conveniunt. Omnibus rite peractis, muneribus locupletati discesserunt. In Diebus illis MISECO semetipsum Regi dedit, & cum Muneribus aliis Camelum ei præsentavit, & duas Expeditiones cum eo fecit.*

XXXIV. Post ea diu SILESIOS, & quantum perspicere possumus, ad Annum 999, quô MISECO, id est, MIESLAUS, eorum Dux, Mortem obiit, Imperatori OTTONI III. ad Obsequia non tantum obligatos, verum etiam propensos fuisse, Ditmarus indicat, cum MISECONIS Imperatori semper fidelis, Filium BOLESLAUM, Mores Patris non imitantem, magis magisque Subjectionem Imperatori subtraxisse commemorat: ut ex iis patet, quæ jam diximus §. XXIV. & patebit, quæ dicemus Cap. VIII.

ANNO 997.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

XXXV. Nam MIESLAUS quidem poſtremis, & Regiminis ſui, & OTTONIS III. Annis, majore Libertatis Appetitu ſtimulatus, hoc agebat, ut â Subjectione, quam Romano GERMANORUM Imperio debebat, ſe tandem, non bellicæ Fortitudinis, ſed Dignitatis Regiæ Titulô vindicaret. Ideo in quendam Poteſtatis abſolutæ Characterem Diadema Regium, quod è ſola Cæſaris Manu pendere, Dux Romano Imperio ſubjectus ignorare non poterat, certè non debebat: Anno 997, â Pontifice Romano, non, ut plerique ſtatuunt, Benedicto VII, qui jam Anno 984 mortuus erat, ſed Silveſtro II, per Lambertum Epiſcopum Cracovienſem, Italum, expetebat. Idque faciebat, â Proceribus, potiſſimum Epiſcopis intra Poloniam & Ortu, & Obſequio Romanis, creſcentem Epiſcopi Romani Autoritatem ad celſius Faſtigium evehere conantibus, in Romani Cæſaris Præjudicium, perſuaſus novitius Chriſtianus. Sed Imperatorem Romanum, â quo Decus intentum capere potuiſſet, capiendum verò deſperaverat, poſthabere nihil veritus, non â Pontifice Romano capiebat: qui dare non tam nolebat, quam non valebat, niſi gravem Indignationem Ultionemque ſubiturus eô Sæculô, quô Imperatores Romani ne totam quidem Eccleſiaſticam, adeo non Summam Civilem Poteſtatem Romanis Pontificibus concedebant. Ita fiebat, ut MIESLAUS â minus propitio Patrono diſſimulatis veris, divulgatis falſis Cauſis, deteriorem Nationi Polonicæ Notam imprimente, pro Regia Corona, Repulſam ſordidam reportaret. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. II. ad Annum 997: *MIECSLAUS interim Polonorum Dux, Prælatorum & Baronum Poloniæ ſedula Admonitione & Conſilio perſuaſus, ut ad ſummum Pontificem Benedictum VII. Nuncios mittat, & Coronam ſibi & Polonorum Regionibus dari petat.* Quid Lamberto Mieslai Legato reſponderit tandem Pontifex, ibidem addit: *POLONOS magis Sanguini, Cædi & Venationibus, quam Devotioni & Miſericordiæ Operibus: magis Oppreſſioni Subditorum & Rapinis, magis Mendacio & Dolis, quam Veritati deditos & intentos eſſe: majorem illos agere Belluarum & Canum, quam Hominum Curam, in Effuſionemque Sanguinis humani proclives, nondum dignos exſiſtere, quibus Corona hactenus de-*

ANNO 997.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

debeatur conferri. Paria commemorant, præter alios Hiſtoriarum Polonicarum Conditores, Matthias Michovius Lib. II. Cap. I. Alexander Guagninus in Mieſcone I, ad Annum 965. Martinus Cromerus Lib. III. de Miecislao I.

XXXVI. Ab iis per varias Circumſtantias diſſentiunt, qui eandem Coronam, non omnes MIESLAO I. ſed quidam ejus Filio BOLESLAO I. negatam: ſub Imperatore, non OTTONE III, ſed HENRICO II: â Pontifice, non Benedicto VIII, ſed SILVESTRO II: [cujus Regimen ab Anno 997, ad 1002 duravit:] non Anno 997, ſed 1000 expetitam: Stephano Hungarorum Regi collatam ſcribunt. Inter quos ſunt, Petrus Damianus, Epiſcopus Oſtienſis, in S. Romualdi Vita: quam Henricus Surius in Sanctorum Actis, Tomo III, ad Diem XIX Iunii edidit, Cap. XXXII. Cartuitius Epiſcopus in S. Stephani Hungarorum Regis Vita: quam idem Surius Tomo IV, ad Diem XX Auguſti exhibet. Antonius Bonfinius in Rebus Hungaricis, Decade II. Lib. I. ad Annum 997. Cæſar Baronius in Eccleſiaſticis Annalibus, Tomo X, ad Annum 1000, Num. XVIII. Chriſtophorus Katskius in Epiſcoporum Cracovienſium Vitis: quas Ioannes Cæſarius edidit, Num. III. de Lamberto. Petrus Revva in Rerum Hungaricarum Centuria I.

XXXVII. Nihil hæc Diſcrepantia facit ad mutandam Sententiam noſtram: quia, ſeu Mieslao I, ſeu BOLESLAO I, Regiam Coronam quæſitam credas: nihilô ſecius ſtat Fulcris ſuis adhuc firmum, ſub MIESLAO I. conſtanter SILESIOS fuiſſe Romano GERMANORUM Imperio devinctos, ad Annum 999, quô, Imperii ſui XXXV Anno, Vitam MIESLAUS I. clauſit.

SILESIÆ Caput VRATISLAVIA

num â MIESLAO I. SILESIORUM
Duce Chriſtiano Primo,
Intra 964 & 999 ANNUM condita ſit.

XXXVIII. VRATISLAVIA, primaria SILESIORUM Urbs,

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

unde Nomen acceperit, quem Conditorem, quem Annum natalem habuerit,

Historici *certant, & adhuc sub Iudice Lis est.*

Autorem habuisse MIESLAUM I. ab Anno 964 ad 999, Silesiorum Polonorumque Ducem primum Christianum, semper Christianam, pauciores affirmant, plures negant.

XXXIX. Primò negant, certè non affirmant: quibus, incertum, quando ad VIADRUM Amnem à Trajectu Nomen Slavicum sortita creditur. Slavis enim TRAIECTUS & BRODA & BRATA vocatur. Hinc quod ad Viadrum esset quidam TRAIECTUS SLAVORUM, Germanis EINE UBERFAHRT DER SLAVEN, Slavicè cum BRODSLAVA, tum BRATSLAVA, denique BRATISLAVA & BRATISLAVIA censetur dicta. Fovent hanc Opinionem Caspar Peucerus in Ioannis Carionis Chronico, quod auxit, Lib. IV: locutus de Viadro: *A SCLAVORUM TRAIECTU*, inquiens, *VRATISLAVIA Nomen adepta videtur.* Clarius hæc indicat Petrus Albinus in Misnensium Chronico, Lib. I. Tit. VII: *Von der SLAVEN UBERFAHRTEN sol auch BRESLAW oder VRATISLAVIA den Namen haben. Denn BRATA oder BRODA so viel heist, als eine UBERFAHRT.* Ernestus Ludovicus, Pomeraniæ Dux, Academiæ Witebergensis Rector, in Testimonio, quod Iohanni Sitschio Silesio dedit, Anno 1564, Die XX. Martii: *BRATISLAVIA, princeps Civitas Regionis SILESIACÆ, vel à VRATISLAO Conditore, uno ex priscis Ducibus Bohemiæ appellata est: vel, ut alii suspicantur, à SLAVORUM TRAIECTU Nomen accepit, quiVandalicâ Linguâ BROTO est, quasi BROTOSLAVIA: cum & in Ripa Viadri jaceat, & tunc Slavi ibi transierint, in illis Locis Sedem quærentes.* Quò si respicias, etiam secundum Slavicam Originem scribi meretur BRATISLAVIA, non autem B in V præter Necessitatem mutato, VRATISLAVIA, multò minus V duplicatò WRATISLAVIA. Sed in eâ Conjecturâ, quibusdam recentioribus Autoribus inventâ, quæ nihil, nisi quandam Vocum Slavicarum Convenientiam pro Fulcro habet, aut nullum, aut exiguum Momentum est ponendum.

XL.

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

XL. Secundo negant, MIESLAUM I. Ædificatorem VRATISLAVIÆ, cujus Natalem Anno 758 adscribunt: à quo 206 Anni præterfluxerunt ad 964: quo Mieslaus I. Regimen suscepit. Hos secutus est Duces in Ephemeridibus, ab Anno 1669 ad 1688, Vratislaviæ publicatis, Christophorus Neubarthius, Boleslaviensis Silesius, ejusque Filius Iohannes Neubarthius. Sed quis hanc eis Sententiam persuaserit, non habemus cognitum.

XLI. Tertio negant, sub MIESLAO I. exstructam esse VRATISLAVIAM, quibus in Vratislaviensium Insignium Clypeo Litera W Fundatorem WRATISLAUM denotare judicatur. At ea quidem Litera per se non denotat Conditorem: quoniam plures intra Germaniam Urbes, Brunsuicensium Gottinga, Suevorum Campidonum & Werda, Silesiorum Monsterberga & Glogovia Literas Nominum suorum Initiales, G. K. W. M. G. in Clypeis suis tenent: quæ tamen Conditores non designant. Certò non WRATISLAI Conditoris, sed Urbis WRATISLAVIÆ Nomen per W indicant Nummi VRATISLAVIENSES, sub Bohemorum Regibus, Silesiorum Ducibus, Matthia I, Ludovico I, Ferdinando I, Matthia II, Ferdinando II cusi. Evidenter hoc Inscriptiones, quarum duas recentiores proferemus, docent. Prior est: FERDINANDUS II. D. G. R. IMP. S. A. G. H. B. REX. DVX SIL. 1627. In aversa Parte: NEC NON ARCHIDVX AVS. DVX BVR. M. M. C. T. (W). Posterior est: MON. ARG. PRINC. ET STAT. EVANG. SIL. In aversa Parte: IEHOVA SALVS ET VICTORIA NOSTRA. 1634. (W).

XLII. Accedit huc, quod Insignia Civitatis VRATISLAVIENSIS Anno 1530 aucta repræsentent, cum S. IOHANNIS Baptistæ, tum etiam S. IOHANNIS Apostoli Caput. Quibus additum W videri potest indicare S. WENCESLAUM, Bohemorum Ducem Martyrem: cujus Memoriam non minus in Pretio habuerunt VRATISLAVIENSES. In quorum tamen non nullis Nummis, & Imaginem, & Nomen expressum Wenceslai exhibentibus, W adjectum non Wenceslaum, sed Wratislaviam, etsi non per W, sed per V ibidem scriptam, denota-

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

denotare judicamus. In Exemplum ſit Nummus ſub Ludovico I. aureus: cujus Inſcriptio: MO. AVR. VRATISLAVIENS. 1525. Ubi ſupra Leonem: W: infra Leonem: XX. In averſo Latere: S. WENCES-LAUS D. B. ubi ſtans, Dexterâ Vexillum, Siniſtrâ Gladium tenet.

XLIII. At eſt, cur in VRATISLAVIENSIUM Clypeo Literam W non S. WENCESLAUM, ſed WRATISLAUM Conditorem deſignare vix dubites. Id enim docet nos Interpres Carolus V. Imperator in Literis, Auguſtæ Vindelicorum, Anno M. D. XXX, Die X Iulii ſcriptis, Civitati Vratislauienſi renovata Inſignia conferentibus: ubi legas hæc: *So haben Wir Ihnen noch hierüber ihr alt und vorig Stadt-Wapen, ſo Ihnen zuvor berührter unſer freundlicher lieber Bruder, Khunig FERDINAND gebeſſert, nachfolgender maſſen, noch weiter geendert, gezieret, gebeſſert, und alſo hinfüran zu führen vergundt und erlaubt: nemlichen den Schild Quartirter Weiſe, abgetheilet: in Mitte deſſelben ein Silber-farbe Schüſſel, darinnen St. IOHANNIS des TÆUFFERS Haubt, und in dem andern hintern rothen, St. IOHANNIS des EVANGELISTEN Haubt, am Halſe unter ſich, mit einer gulden Cron verbræmt: und in dem fordern untern Goldfarben Theil ein ſchwartz W: welches bedeutet den Nahmen WRATISLAI, der die Stadt BRESLAU erſtlich gebauet, und nach ſeinem Nahmen WRATISLAW genandt hat.*

XLIV. Tamen inde non ſatis certus quisquam ſubtilior Hiſtoriarum ſpeculator fiet, Urbi VRATISLAVIÆ primum Conditorem fuiſſe VRATISLAUM. Nam uſitatum Scriptoribus eſt, Urbium conditarum etiam INSTAURATORES vocare CONDITORES: quemadmodum Medorum Urbem Ecbatana, quam, ut Herodotus Lib. I. Cap. XCVIII, refert, Deioces condidit: Seleucum condidiſſe Plinius commemorat Lib. VI. Cap. XIV. Ita Iuſtinus Gentem Tyriorum, quam à Phœnicibus conditam Lib. XVIII. Cap. III. §. II. ſcripſerat: ab Alexandro Magno conditam, id eſt, inſtauratam eodem Libro, Cap. IV. §. I. narrat. Sanè Carolus V. WRATISLAUM (quod deinde confirmabimus) WRATISLAVIÆ non aliâ Notione, niſi quâ primum REPARATOREM denotat, Veritate ſalvâ, primum CONDITOREM dicere potuit.

XLIV.

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

XLV. Primum, quisnam ille VRATISLAUS, noſtræ VRATISLAVIÆ primus, ſeu CONDITOR, ſeu INSTAURATOR fuerit, dubium & controverſum eſt. SLAVUM vel POLONUM, vel BOHEMUM [ut alias Circumſtantias Silentiô tranſeamus] indicat Nomen ipſum Slavicum. POLONUM nemo ſtatuit. BOHEMUM etiam qui unum eundemque, non tamen paris Temporis VRATISLAUM exiſtimant.

XLVI. Etenim non nulli putant, illum VRATISLAUM circiter Annum 666 exſtructæ VRATISLAVIÆ Fundatorem è Bohemicis Ducibus progenitum, fuiſſe Bogenii [Anno circiter 656 mortui] Filium: Mnatæ Nepotem: Nezamlyslii Pronepotem: Libuſſæ Abnepotem: Croci II. Trinepotem: cujus Tritavus Crocus II, Croci I. Filius, Avum habuerit Zechum, Slavorum Bohemicorum Ducem primum: Lechi, Slavorum Polonicorum Ducis, Fratrem, Bohemiam Anno circiter 278 ingreſſum. De quô Vratislao Bohuslaus Balbinus in Rerum Bohemicarum Epitome, Lib. I. Cap. X, intra Genealogiæ Tabulam, ex recentioribus Bohemorum Hiſtoricis, Petro Codicillo & Daniele Weleslavino compoſitam: *WRATISLAUS, Princeps Lucenſis, & Partis SILESLÆ, putatur condidiſſe WRATISLAVIAM.* Idem Lib. III. Cap. VIII: de Vratislavia: *Niſi cum Weleslavino & Cutheno dicere alicui placeat, à VVRATISLAO Lucenſi Principe eam Urbem circa Annum 660 conditam eſſe, & à Conditore Nomen accepiſſe.*

XLVII. At primum Hiſtoricorum illorum Bohemicorum ea Chronologia longius abit à melioribus Chronographis, qui Zechum circiter Annum 550 in Bohemiam veniſſe ſtatuunt: quô Lechus Frater intravit Poloniam. Deinde Narratio, quæ VRATISLAUM Bohemiæ quidem, ſed etiam SILESIÆ Principem, VRATISLAVIÆ Conditorem, circiter Annum 660 exſtitiſſe tradit, Rem minus credibilem profert: de quâ nihil, vel Coſmas Pragenſis, vel Ioannes Dubravius, vel Wenceslaus Hagecius, vel Martinus Boregkius, Vratislavienſis, vel alii probatiores Hiſtorici Bohemici referunt.

XLVIII. Id quidem non negamus, illum VRATISLAUM Lucenſium [deinde Saltzenſium dictorum] in Bohemia Ducem fundaſſe quan-

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

dam, incertum, quando, ſed in BOHEMIA Urbem, cui de ſuo dederit Nomen, VRATISLAVIAM. De quâ Coſmas Pragenſis in Chronico, Lib. I: cum de Bello eſſet locutus: *quod*, ut ait, *olim antea retro Dierum, Tempore Ducis Neclam in Campo, qui dicitur Iurtzo, conſertum eſt inter Bohemos & Lutzanos, qui nunc â modernis ab Urbe Satz vocantur Satzenſes:* iis addit poſt quædam: *His* [Lutzanis] *præfuit Dux Nomine VVRATIZLAII, Vir bellicoſus in Bellis, Armis animoſus, ac Conſiliis ſupra Modum doloſus.* De quô iterum poſt non nulla: *Hic condidit Urbem, quam appellavit Nomine ſuo VVRATIZLAII, inter duos Montes Meduez & Pripek: ſcilicet in Confinio duarum Provinciarum, Belinæ & Lutomerici.* Eum verò Ducem VRATISLAUM etiam in SILESIA, cujus Partem poſſederit, ſui Nominis quandam Urbem condidiſſe, nusquam reperimus, nec in Bohemicis, nec in Polonicis, nec in Sileſiacis, nec in aliis facilem Aſſenſum merentibus Scriptoribus.

XLIX. Accedit huc, quod Vero ſimile non ſit, VRATISLAVIAM circiter Annum 660 jam conditam, per Annos trecentos, ad 965, quô SILESII pro Pagana Chriſtianam Religionem ſunt amplexi, nondum ita fuiſſe diſpoſitam, ut Epiſcopatui, ad Evangelium per SILESIAM feliciter propagandum inſtituto, cui Gothofredus, Patriâ Romanus, melioribus Vitæ Subſidiis aſſuetus, præficiebatur, magis commodum & Habitaculum, & Templum præbere poſſet, quam prius SMOGRA, deinde BICINUM præbuit.

L. Alii VRATISLAUM quidem eundem, cujus Mentionem §. XLVI. fecimus, ſed alio Ævo, cum Carolus Magnus ab Anno 800 ad 814, Romano Germanorum Imperio præeſſet, VRATISLAVIÆ Conditorem fuiſſe tradunt. Ioannes Dubravius in Hiſtoria Bohemica, Lib. II. de Vogeno, qui aliis Bogenus dicitur: *Hic duos poſt Obitum ſuum Filios ſuperſtites reliquit, Ulneslaum natu majorem, & minorem VRATISLAUM.* Ibidem poſt quædam: *Ita inter illos Hæreditatem dividi placuit, ut Septentrionalis Plaga, ad quam Lucenſis ſeu Zatecenſis Regio poſita eſt, VRATISLAO attribueretur: totam autem reliquam Boiemiam Ulneslaus, tanquam Boiemiæ Princeps, ut obtineret. Sorte ſuâ uterque contentus, fraternam inter ſe Benevolentiam colebant, mutuaque ſibi invicem Auxilia præſtabant adverſus CAROLUM Cæſarem, Saxones etiam tum & Vandilos, ipſosque præterea Boiemos oppugnantem.* Albertus Krantzius in Vandalia, Lib. I. Cap. XX: *Mnata*, [non Mnata, ſed, ut Dubravius narrat, Vogenus Mnatæ Filius] *Rex Bohemiæ, duos reliquit Filios, Urislaum* [Uneslaum] *& VRATISLAUM. Urislaus major natu ſucceſſit in Regnum. Frater contentus Portione Ditionis in ea, quæ nunc eſt SLESIA, præclaram Urbem fundavit, de ſuo Nomine VRATISLAVIAM: BRESLOVV vulgo appellant. Quæ Res indicat, omnem tunc SLESIAM paruiſſe Bohemiæ.*

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

LI. At Coſmam Pragenſem ſecutus, non aſſecutus videtur Albertus Krantzius. Nam ille VRATISLAUM quidem VRATISLAVIAM, ſed in BOHEMIA, non in SILESIA condidiſſe narrat: ut §. XLVIII. indicavimus. Præterea tum SILESIAM totam BOHEMIÆ ſubjectam fuiſſe, quisnam Fide non indignus ex antiquioribus refert? Quæ non inani Suſpicioni Locum faciunt, Errore converſam Bohemicam in Sileſiacam VRATISLAVIAM.

LII. Hæc cum ita ſint: nos aliam ingrediemur Viam, quâ Urbis VRATISLAVIÆ primum verumque ſimul & Nomen, & Conditorem inveſtigemus, inventumque monſtremus. Quantum variis è Circumſtantiis colligere poſſumus: VRATISLAVIA noſtra primum accepit Nomen a Solo, cui ſtat impoſita, generandis Plantarum optimarum Radicibus habili. Nam conſpicitur, ut Nicolai Henelii Verbis utamur, quibus eam in Breslographia, Cap. II. deſcribit, *in pulcherrima, neque minus ab Aeris Salubritate, quam Amœnitate commendanda Planicie: in Territorio quaqua verſum fœcundiſſimo, &, quod adeo aut florulentum Pratis, aut conſitum Pomariis, aut amœnatum Lucis, aut Amnibus irrigatum, aut interfuſum Piſcinis, aut Lini, Cannabis, Rubiæ, cujus præ tota SILESIA Ager VRATISLAVIENSIS abundat, Culturis diſtinctum: aut Tritici, Adorei, Hordei, Avenæ, Milii aliarumque Frugum Meſſibus circumdatum.* Idque circumcirca fertiliſſimum VRATISLAVIÆ Solum, adeo multis, præſertim Rubiæ ſativæ Radicibus beari, quas & arefactas, &

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

contritas, fixis durabilibusque Coloribus, in Lanam, & quicquid ex eâ fieri potest, inducendis aptissimas, Exteris transmittere SILESIA consuevit, universa GERMANIA Commodo suo dudum cognovit.

LIII. Ob hanc Soli Bonitatem videtur amplus ille Tractus, qui Ducatum hodie VRATISLAVIENSEM complectitur, neque multum inæquati Fundo præditus est, olim Germanicum, ê duabus Vocibus compositum, Nomen habuisse. Prior quidem est RADIX, Germanis aut WURZEL, aut WORZEL. Posterior autem est PRATUM, Germanis vel AUE, vel AU. Nam, ut illud hodiernis est, sic fuit hoc antiquis usitatius. Ideo Ditmarus Episcopus Martisburgensis [Anno 1018 mortuus] Misnensium ad Moldaviam Urbem WURZENAM vocat WORZINAM, in Chronico, Lib. VII: *Cum juxta VVORZIN Civitatem, Mildam nimis effusam transire voluissent.* Hinc VRATISLAVIENSIUM illa Regio non præter Causam dicta fuit RADICIS PRATUM: Germanis WORZELAU, Latinis WORZELAVA & WORZELAVIA. Hoc genuinum WORZELAVIÆ Vocabulum, Ortu Germanicum, censemus Slavis, Multiplicationem consonantium Literarum amantibus, ideoque Mollitiem Nominum Germanicorum in Duritiem mutantibus, corruptum.

LIV. Certè Boleslai II. Polonorum Silesiorumque Ducis Uxor Germanica, quæ RIXA Germanis, Polonis non sine trium Literarum Additamento RIKSCHA nuncupatur: quô Modô eam vocat Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. II. ad Annum 1021, 1026. & 1033. Sic, ut Proposito nostro præsenti convenientius præmittamus Exemplum: inter Silesiorum Polonorumque Duces MIESLAUS I. & II. Historicis Germanicis leniorem in Modum Sonumque scribi Latinè solitus, Polonicis, aliis MIECZSLAUS, aliis omisso vel C, MIEZSLAUS: vel Z, MIECSLAUS: aliis inserto I, vel MIEZISLAUS, vel MIECISLAUS Latinè scribentibus reperitur appellatus: quæ tamen unius Nominis adeo multiplex Varietas non semper Autoribus, opinamur, sed interdum Librariis est imputanda.

LV. Non igitur abhorret à Vero, mediam SILESIÆ Partem, quæ Ducatum VRATISLAVIENSEM continet, Germanis seu WORZELAVIAM,

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

VIAM, seu ejecto E, WORZLAVIAM dictam, Licentiâ consimili Polonis admodum Slavicè WORCZSLAVIAM, nimiamque Literarum Asperitatem fugientibus, præsertim Latinè scribentibus, seu Polonis, seu Germanis, omissô vel C, WORZSLAVIAM: vel Z, WORCSLAVIAM: aliis addito I, vel WORZISLAVIAM, vel WORCISLAVIAM esse nominatam.

LVI. Hoc magnum SILESIÆ PRATUM, ob insignem RADICUM Copiam, Germanicô WORZELAVIÆ, Slavicô WORCISLAVIÆ Vocabulo designatum, recepit ejusdem Appellationis Urbem. Usitatius quidem est, Regiones ab Urbibus consequi Nomen: quô Modô SILESIORUM ad Viadrum â primariis Urbibus, Ratiboria, Oppolia, Brega, Glogovia, Crosna vocantur Ratiborensis, Oppolienses, Bregenses, Glogovienses, Crosnenses: non tamen inusitatum est, à Regionibus etiam Urbes capere Nomen: quo Modo GERMANORUM ad Rhenum Regio, tum RHENI CAMPUS, id est, RHEINFELDIA, dedit Urbi RHEINFELDIÆ: tum RHENI PRATUM, id est, RHEINAVIA dedit Urbi RHEINAVIÆ Nomen: de quibus agit Iohannes Stumpfius in Helvetiorum Chronico, Lib. V. Cap. VIII. & Lib. XII, Cap. XI. Videantur, quæ proferemus §. LXXVI.

LVII. Quia vero demonstrata Nominis solius nec Origo, neque Significatio id, quod affirmavimus, per se confirmat: illam peculiarem SILESIÆ Planitiem, Germanicè WORZELAVIAM, Slavicè WORZISLAVIAM dictam, Urbe, cui par Nomen primum contigerit, postea Vocabulum VRATISLAVIÆ consecutâ, nobilitatam fuisse, probabilem ignorantibus Notitiam, dubitantibus Fidem conciliabunt, quæ mox dicemus.

LVIII. Primum Assertionis nostræ Fundamentum est hoc. Intra 964 & 999 Annum, MIESLAUS I, Silesiorum Polonorumque Dux Christianus primus, eam in SILESIA ædificavit Urbem, quam Posteritas, & dixit olim, & etiam nunc dicit VRATISLAVIAM. Hujus ille fuit CONDITOR, non INSTAURATOR: nisi credere malueris, ex Lygiorum veterum Oppidi, quod Claudio Ptolemæo in antiqua Geogra-

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

phia, Lib. II. Cap. XI. BUDORGIS nominatur, Ruderibus excitatam. Ioannes Dlugoſſus in Polonica Hiſtoria, Lib. I. Cap. XXXVI: quo Civitates ad Poloniam ſpectantes recenſet: *WRATISLAVIA â MIECZSLAW Polonorum Principe, ſub quô primum Poloni â Diis Gentium ad Chriſtianitatis Iura converſi ſunt, condita, Cathedræ Honore, & Corporibus Beatorum Martyrum, ac Templis Sanctorum pulchro Opere fabrefactis, Fluvioque Guttalo* [Viadro] *illam alluente celebris.*

LIX. Quo Anno MIESLAUS I. Urbem VRATISLAVIAM condiderit, nusquam reperire potuimus. Eam quidem jam Anno 983 conditam ſcribit, Dlugoſſo Teſte, Nicolaus Polius, in Hiſtoria Incendiorum de Urbe Vratislavia: *MIESLAUS*, inquiens, *der Erſte getauffte Herzog in Polen, ſo Anno 999. geſtorben, hat ſie Anno 983, zu einer Stadt angeleget: wie Dlugoſſius berichtet.* At inveſtigare fruſtra tentavimus, ubi hoc Dlugoſſus commemoret. Certè non in Polonica Hiſtoria; cujus ad Annum 983 narrat, eô primum SILESIORUM Epiſcopum VRATISLAVIENSEM Gothofredum eſſe mortuum: de quo tamen addit: *qui SMOGORZOVIENSIS tunc intitulabatur.*

LX. Alii VRATISLAVIAM paulo ante 1000 Annum conditam eſſe tradunt. Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus: *Dugloſſus, quô nullus inter Scriptores Polonos eſt locupletior, commemorat, VRATISLAVIAM conditam eſſe â MIESLAO Polonorum Principe, paulo ante Annum Chriſti Milleſimum.* Curæum ſequitur Nicolaus Henelius in Breslographia, Cap. II: *Dlugoſſius*, inquiens, *VRATISLAVIAM â MICISLAO Polonorum Principe primum conditam paulô ante Chriſti Annum Milleſimum commemorat.* Eis conſentit Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XI. & XIV. Lib. IV. Cap. VIII.

LXI. Horum verò Sententiam, More ſuo, pervertit Bohuslaus Balbinus, pro Teſtibus Dlugoſſum, Curæum & Henelium citare nihil veritus, cum VRATISLAVIAM poſt Annum Milleſimum conditam eſſe narrat in Miſcellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. II. Cap. VI. §. V: *VVRATISLAVIA*, inquiens, *Urbs pulcerrima, & nullâ, etiam Imperialium Urbium inferior, BRESLA â Sileſiis appellatur: condita eſt â MIECZISLAO Po-*

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

Polonorum Principe, PAULO POST Annum Milleſimum. Illam certè poſt hunc Annum condere MIESLAUS I. non potuit, Anno 999 vivis exemtus.

LXII. Mireris, unde ſtatuentes, paulo ante Milleſimum Annum VRATISLAVIAM eſſe conditam, id hauſerint. Dlugoſſus enim, ut diximus, nullum indicat nobis Annum, quo ſit exſtructa: niſi quod ante Milleſimum Annum conditam innuit, cum ejus Fundamenta MIESLAUM I. [Anno 999 mortuum] poſuiſſe tradit. Hinc autem non rectè colligas, paulo ante Milleſimum Annum eſſe compoſitam: præſertim quoniam ille MIESLAUS per Annos XXXIV Imperio præfuit.

LXIII. Nobis, ad ſecundum Aſſertionis noſtræ Fundamentum progredientibus, occurrit, ex quô ducamur in Notitiam, non paulô, ſed multô ante Milleſimum Annum â MIESLAO Primo WORZELAVIAM noſtram, poſtea VRATISLAVIAM dictam, eſſe conditam.

LXIV. Nam, ut eam Rem ſuis ê Principiis provehamus, & WORZELAVIÆ Nomen SILESIACÆ cum REGIONI, tum URBI datum oſtendamus: Anno 966, MIESLAUS I. ſimul & SILESIORUM, & POLONORUM Dux, in Provinciis ſuis Epiſcopos novem conſtituebat: in Polonia Gneſnenſem, Cracovienſem, Poſnanienſem, Cruſuicienſem [poſtea Vladislavienſem dictum:] in Maſovia Plocenſem: in Ruſſia Camenecienſem: in Pruſſia Culmenſem: in Marchia Lubuſſenſem: in SILESIA verò SMOGRENSEM: qui deinde BICINENSIS, denique VRATISLAVIENSIS factus eſt. Id confirmant Hiſtorici, quos hujus Capitis §. XIII. indicavimus. His novem Epiſcopatibus, quamdiu Mieslaus I. vixit, reſiduâ Sæculi Decimi Parte nullum: nullum inter Initia Sæculi Undecimi acceſſiſſe conſtat: niſi quod iisdem in Pomerania Colbergenſem non nulli adjectum ſtatuunt.

LXV. At verò intra Polonicas Provincias, cum Annus 1001 ageretur, Epiſcopatus WIOTISLAENSIS exſtabat: quem Cæſar OTTO III. Archiepiſcopo Gnesnenſi ſubjiciebat. De quô Ditmarus, Martisburgenſis Epiſcopus, in Chronico, Lib. IV: *Fecit* [Cæſar OTTO III] *ibi* [Gneſnæ Polonorum Oppido] *Archiepiſcopatum, ut ſpero, legitimè, ſine Con-*

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

Conſenſu tamen præfati Præſulis: cujus Diœceſi omnis hæc Regio ſubjecta eſt: committens eundem prædicti Martyris Fratri Kadimo: eidemque ſubjiciens Reinbernum ſanctæ Cholbergenſis Eccleſiæ Epiſcopum, Popponem Cracuenſem, Ioannem WIOTISLAENSEM. Ea Vox, quæ, citra Dubium, depravata legitur, ſi Convenientiam Nominum ſpectes, non alium indicare videtur Epiſcopatum, niſi vel POLONORUM Cruſuicienſem, deinde WLADISLAVIENSEM dictum: vel SILESIORUM Smogrenſem, poſtea Bicinenſem, denique WRATISLAVIENSEM nuncupatum. Tum verò, cum Annus 1001 ageretur, nondum erat Epiſcopatus, neque WLADISLAVIENSIS: quoniam Cruſuicienſis Cruſuicio Wladislaviam Anno 1156 translatus eſt: ut Ioannes Dlugoſſus refert in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1156. Neque WRATISLAVIENSIS: quoniam Smogrenſis Smogra Bicinum Anno 1041: & Bicino Vratislaviam Anno 1052 translatus eſt: ut ex iis, quæ Cap. VIII. ad Annum 1041 & 1052, dicemus, conſtabit.

LXVI. Ditmarus, ais, corruptâ Voce WIOTISLAENSEM nominat Epiſcopatum, quem Poſteritas nominavit WRATISLAVIENSEM: eâ Sermonis uſus Figurâ, quæ Prolepſis Rhetoribus appellatur, Temporibusque Nomen prioribus attribuit, poſterioribus inventum. Quô Dictionis Genere Conſtantinopolis, antea Byzantium vocata, Chriſto nato antiquior ſtatuitur, cum ante Chriſtum natum a Byzante condita legitur: quæ Nomen Conſtantinopoleos demum Anno Chriſti 330 accepit: ut in Rerum Byzantinarum Scriptoribus, Parte I. Cap. I. §. CLII. indicavimus. Hinc non rectius ex Ditmaro Epiſcopatum WIOTISLAENSEM, id eſt, WRATISLAVIENSEM, Anno 1001, Archiepiſcopatui Gneſnenſi ſubjectum: quam eundem Anno 966, per Romani Pontificis Autoritatem confirmatum ex Dlugoſſo colligas: cujus hæc Lib. II. ad Annum 966, Verba ſunt: *Egidius Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis, à ſummo Pontifice Iohanne XIII miſſus, ſingulos Epiſcopatus Poloniæ, videlicet biduas Metropoles, Gneſnenſem & Cracovienſem: item Poſnanienſem, VVRATISLAVIENSEM, VVladislavienſem, Plocenſem, Chelmenſem, Lubecenſem, & Kamionecenſem, Cathedrales Eccleſias, confirmavit.*

LXVII.

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

LXVII. At eſt, cur talis loquendi Forma Ditmaro attribui nequeat. Nam is Anno 1005 intra SILESIAM Poloniamque cum Henrico II. Imperatore, Boleslaum I. Mieslai I. Filium, Sileſiorum Polonorumque Ducem Armis proſequente, fuit: Chronicon ſuum Anno 1017 compoſuit: Anno 1018 vivis exceſſit: ut commemoravimus in Antiquitatibus de Sileſiorum Nominibus, Cap. V. §. IX. Quo igitur Modo ſcire Ditmarus potuit, Epiſcopatum Smogrenſem, poſtea Bicinenſem, denique VRATISLAVIENSEM Anno 1052 futurum?

LXVIII. Nos igitur alium monſtrabimus Modum, quo Ditmarus Epiſcopatum ſuo Tempore SMOGRENSEM, poſtea BICINENSEM, denique VRATISLAVIENSEM Nomine poſtremo indicare potuerit. Primum in Dimaro pro WIOTISLAENSEM arbitramur legendum eſſe WORZISLAENSEM, id eſt, WORZELAVIENSEM: quoniam Ditmari Ætate non SILESIÆ tantum REGIO media, verum intra eam Urbs etiam WORZELAVIA nominabatur. Quod partim ex iis patet, quæ diximus. §. LIII & LVI, partim ex iis patebit clarius, quæ dicemus §. LXXI. Ditmarus enim, ſicut eum SILESIÆ Locum, a quo Epiſcopum WIOTISLAENSEM appellat, vel WIOTISLAAM, vel WIOTISLAVAM nuncupandam Libro IV innuit: ita Libro VII, Urbem in SILESIA ſitam WORCIZLAVAM, id eſt, WORCISLAVAM nominat: quoniam More Polonico, Z pro S ponit: ideoque BOLIZLAVUM dicit, quem alii BOLISLAVUM dicunt.

LXIX. Quamobrem, quoniam SILESIÆ Tractus ille, qui SMOGRAM, itaque ſimul Smogrenſis Epiſcopi Sedem complectebatur, hodieque Ducatus VRATISLAVIENSIS nominatur, tum WORZELAVIENSIS, corrupteque WORZISLAVIENSIS appellabatnr: Epiſcopatus Smogrenſis pari Iure potuit, ut ab Oppido SMOGRENSIS, ſic a Provincia WORZELAVIENSIS nuncupari: quemadmodum jam, præſertim Exteris, mox VRATISLAVIENSIUM, mox SILESIORUM Epiſcopatus vocatur.

LXX. Deinde Ditmari Epiſcopum WIOTISLAENSEM non alium eſſe, niſi WORZELAVIENSEM, confirmat Autor Chronici Magdeburgenſis, quod in Rerum Germanicarum Scriptoribus Henricus Meibomius edidit. Nam is Epiſcopum, quem Ditmarus WIOTISLAEN-

ANNO 999.

GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.

SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

SEM nominat, WORTISLAVIENSEM appellandum indicat, de Giſelharii, Archiepiſcopi Magdeburgenſis Secundi Rebus agens. *Iſte*, ait, *Imperator* [Otto III. Polonicam Provinciam] *in quinque dividens Epiſcopatus, in ipſa Urbe Gnezi, Gaudentium, Beati Alberti Germanum, conſecrari Archiepiſcopum fecit: eique tres alios Epiſcopos in tribus Locis, id eſt, Slazcholberg, Crackawe, VVORTIZLAVE ordinatos ſubjecit.* Hinc eundem WORTIZLAVIENSEM Epiſcopum Georgius Fabricius VRATISLAVIANUM nominat in Originibus Saxonicis ad Annum 989: *Subjecit autem Gneſnano* [Archiepiſcopo Cæſar Otto III.] *Eccleſiam Slazocolbergiam, Cracovianam, VRATISLAVIANAM.* Videantur, quæ proferemus Cap. VIII. §.

LXXI. Tertium, quod ſecundo Fulcrum præbet, Aſſertionis noſtræ Fundamentum eſt hoc. SILESIORUM Urbs WORZELAVIA, cum Annus 1017 ageretur, & eo Nomine gaudebat, & munita ſic erat, ut in ea MIESLAI I. Filius, BOLESLAUS I. Sileſiorum Polonorumque Dux cum Imperator Henricus II. in SILESIA NIMICIUM obſideret, GLOGOVIA WORZELAVIAM, id eſt, VRATISLAVIAM, velut in propinquiorem tutioremque Locum diſcederet, Obſidionis Eventum ibi exſpectaturus. Ditmarus, cum reliquorum in præcedentibus Mentionem jam feciſſet, Lib. VII: *BOLIZLAVUS verò in WORCIZLAVA Civitate Eventum Rei* [Nimicii ab Henrico Militibus circumdati] *ſolicitus exſpectans, cum Imperatorem abiiſſe, Urbemque ſuam incolumem ſtare audiret, lætatur.* Videantur ea, quæ commemorabimus Cap. VIII. §. LI. ad Annum 1017.

LXXII. Hinc verò, ſi jam tum WORZELAVIA, id eſt, VRATISLAVIA, quoddam ſuo Duci Receptaculum Propugnaculumque contra præpotentem Cæſarem præbuit: probabiliter colligas, eam non demum ante paucos, circiter XVIII Annos, itaque non paulò, ſed potius multò ante Milleſimum Annum à MIESLAO I. eſſe conditam.

LXXIII. His, quanquam luculenter propoſitis, quæ SILESIORUM Metropolin VRATISLAVIAM, primò eòque GermanicoNomine WORZELAVIAM dictam, à MIESLAO I. Sileſiorum Duce, quantum videtur, non paulò ante Milleſimum Annum, ſed aliquantò, ſi non multò

ANNO 999.

GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.

SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

tò prius, conditam fuiſſe docent, imò demonſtrant: tamen contrarium ſentientes, non unum, quod opponant, producere poſſunt Argumentum.

LXXIV. Primum eſt: Si WORZELAVIAM, deinde VRATISLAVIAM dictam, MIESLAUS I. eamque non paulò, ſed multò ante Milleſimum Annum condidit: cur in eam recentem non SILESIORUM Epiſcopatum Anno 966 inſtitutum, collocavit: per quem ſimul & Incolis, & Chriſtianis convaleſceret? Cur eandem ſub Initium Imperii, quod Anno 964 aggrediebatur, & Chriſtianiſmi, quem Anno 965 amplectebatur, conditam, per tam multos Annos recipiendo Epiſcopatui, quem in Smogrenſium Oppido reliquit, non fecit aptam? Et cur MIESLAI I, neque Filius BOLESLAUS I, neque Nepos MIESLAUS II. ſed Pronepos CASIMIRUS I. Epiſcopatum SILESIORUM demum Anno 1041, Smogrâ Bicinum, & Anno 1052, Bicino VRATISLAVIAM transtulit? Quæ cum Probabilitati parum reſpondeant, an non innuunt, VRATISLAVIAM, prius WORZELAVIÆ Vocabulo deſignatam, vel non à MIESLAO I, vel ſub Imperii, quod geſſit, Terminum, id eſt, paulò Ante 1000 Annum conditam?

LXXV. Nos his Dubiis per multiplices Cauſas expediendis non immorabimur. Fac, MIESLAUM I. jam ſub Initium Regiminis, quod Anno 964 obtinuit: vel Anno 965, quo Chriſtianam Religionem ſuſcepit: vel Anno 966, quo Epiſcopatum Smogrenſem conſtituit, Urbi WORZELAVIÆ prima poſuiſſe Fundamenta. Numquid ab eis perficiendis & in juſtam Urbis commodioris conſpectiorisque Formam convertendis, MIESLAUS I, ejusque Filius BOLESLAUS I, & Nepos MIESLAUS II, crebro ſeu Bellorum Studio, ſeu Impendiorum Defectu, ſeu aliorum Obſtaculorum Concurſu non revocari potuerunt? An non etiam certo juſtoque Conſilio fieri potuit, ut VVORZELAVIA, licet primis MIESLAI I. Temporibus exſtructa: licet ſub BOLESLAO I, & MIESLAO II, magis atque magis exculta: licet nutriendo & ſuſtinendo Epiſcopatui ſatis jam idonea judicaretur, tamen non applicaretur? Sanè, ſi non cum MIESLAUS I. ab Anno 964 ad 999: at, cum ejus Fi-

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

lius BOLESLAUS I. ab Anno 999 ad 1025 imperaret, intra SILESIAM, tum GLOGOVIA Ducem Boleslaum I. Anno 1008 defendens: tum NIMECIUM Anno 1017 Obsidionem Cæsaris Henrici II perferens, Munimentis stabiles, Episcopatuique capiendo aut parem, aut majorem in Modum, quam WORZELAVIA fortassis habiles Urbes inveniebantur: [de quibus Cap. VIII. ad Annum 1008. & 1017, agemus:] tamen neutra Smogrensi Episcopatui destinabatur in Sedem.

LXXVI. Secundum est: Si VRATISLAVIA Polonum MIESLAUM I, Conditorem habuit: cur ea nec Mieslai, nec Polonico alio, sed Germanico signata Vocabulo, dicta fuit WORZELAVIA? Unde Vires capit Dubitatio, num à MIESLAO I, Silesiorum Duce Polono exstructa sit VRATISLAVIA.

LXXVII. Sed nihil hæc in Recessu tenere videmus. Non enim Rationem invenimus, cur WORZELAVIA, quæ MIESLAVIA dici potuisset, Appellatione Conditoris posthabitâ, non à Regione suâ WORZELAVIA potuerit æquè vocari, quam Germanorum Alsatorum LANDAVIA, Bohemorum FALCKENAVIA, Holsatorum ALTENAVIA, Palatinorum HIRSCHAVIA, Silesiorum & LIEBENAVIA, & SCHOENAVIA.

LXXVIII. Tertium est: Si VRATISLAVIA Conditore MIESLAO I. primum WORZELAVIÆ Nomen accepit: hoc utique longô Temporis Spatiô retinuit: donec à Reparatore suo VRATISLAO novum VRATISLAVIÆ Nomen obtineret. Scriptores autem, qui de SILESIORUM Rebus ad Tempora MIESLAUM I secuta pertinentibus agunt, non WORZELAVIAM, sed VRATISLAVIAM nuncupant, quoties faciunt ejus Mentionem. Unde Suspicio quædam in Autores, quibus WORZELAVIA nominatur, non immerito cadit, Vocabulô in WRATISLAVIAM mutandô appellari WORZELAVIAM. Hinc verò in eam Sententiam provehi curiosiores possunt, VRATISLAVIAM non à MIESLAO I. esse conditam: quia primum à Conditore VRATISLAO impositum VRATISLAVIÆ Nomen Constantiâ perpetuâ gesserit.

LXXIX. At solidum nec huic Argumento subest Robur: quod à Tem-

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

à Tempore, quô WORZELAVIA dici VRATISLAVIA cœperit, potissimum dependet. Ducem illum VRATISLAUM, cui VRATISLAVIA Nomen suum acceptum refert, POLONUM fuisse, quod sciamus, nemo statuit. Non fuisse BOHEMUM, Anno circiter aut 660, aut 800 superstitem, MIESLAO I. Polono, [cujus Imperium ab Anno 964 ad 999 duravit] longè antiquiorem, ostendimus §. XLVI. & L. Quare jam quæritur, quanam Ætate, post MIESLAUM I. Polonum, VRATISLAUS ille Bohemus, Vratislauiensis Urbis, non Conditor, sed Instaurator vixerit.

LXXX. Non diu post MIESLAUM I. Silesiorum Polonorumque Ducem, mortuis ejus Filio, BOLESLAO I, & Nepote MIESLAO II, cum inter se discordibus POLONIS nullus esset Dux, SILESIIS peculiarem Gubernatorem CONRADUS II. Imperator præfecisset: VRATISLAVIAM Anno 1038 Dux BOHEMORUM occupabat, incendebat, retinebat: eamque post exstinctum Imperatorem CONRADUM II. contra Filium Successorem HENRICUM III. Cæsarem, Anno 1040 defensurus, citra Dubium reficiebat exustam, tum etiam SILESIORUM, partim subactorum & à Polonis Separatorum Dux ad Annum 1052: quô SILESIAM, in eâque VRATISLAVIAM Duci Polonorum CASIMIRO I. reddebat. Ea cum Circumstantiis pleniorem in Modum commemorabimus Cap. VIII. ad Annum 1038, 1040, 1052.

LXXXI. At ille BOHEMORUM Dux, quantum habemus cognitum, nemini seu VRATISLAUS, seu WRATISLAUS appellatur: quem BISETISLAUM Æneas Sylvius in Historia Bohemica Cap. XIX. Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ad Annum 1038. BRECISLAUM Cosmas Pragensis in Bohemiæ Chronico, Lib. I. ad Annum 1054. BRZEMISLAUM Wenceslaus Hagecius in Bohemiæ Chronico, ad Annum 1054. BRZETISLAUM Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. I. Cap. XI. & XIII. Thomas Zechorodus in Marte Moravico, Lib. III. Cap. II. Bohuslaus Balbinus in Rerum Bohemicarum Epitome, Lib. III. Cap. II. & in Miscellaneis Bohemicis Decade I. Lib. VII. Sectione I. Cap. XX. BYZETISLAUM Antonius Bonfinius de Hungarorum Rebus, Decade II. Lib. II. PRÆDISLAUM Martinus Cromerus de Polonorum

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

Rebus, Lib. IV. ad Annum 1038, vocant. Præterea BRETISLAUM Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. II. ad Annum 1038. Ioannes Dubravius in Hiſtoria Bohemica, Lib. VIII. ad Annum 1038. Martinus Boregkius in Bohemiæ Chronico, Duce XXII. Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XIV. BRATISLAUM Nicolaus Polius in Incendiorum Hiſtoria, Num. II. ad Annum 1038. aliique nominant.

LXXXII. Quemadmodum ergo Dubium non eſt, quin VRATISLAVIA hunc BOHEMORUM Ducem, antea Deſtructorem, poſtea Reparatorem habuerit: ſic WORZELAVIA prius dicta, vel ab eo, vel ſub eo videtur conſecuta recentius VRATISLAVIÆ Nomen. Id à BRETISLAI Vocabulô, cum diſcrepet, quô Facto vel ſit derivatum, vel derivari potuerit, breviter, tamen luculenter, oſtendemus.

LXXXIII. Quantum aſſequi Conjecturâ poſſumus: Urbs noſtra prius WORZELAVIA, deinde VRATISLAVIA dicta, cum pro Germanico Slavicum, idque Bohemicum Nomen accepit ab Inſtauratore ſuo, Bohemorum Duce, qui neque WRATISLAUS, neque VRATISLAUS, ſed Curam Vocum meliorem ſuſcipientibus vel BRATISLAUS, vel BRETISLAUS reperitur appellatus: ſicut ex antecedentibus patet: Latinè ſcribentibus, ad legitimam Literarum Compoſitionem vel BRATISLAVA, vel BRETISLAVA: & injecto I, vel BRATISLAVIA, vel BRETISLAVIA fuit nuncupata. Unde, quod ejusmodi Verba ſolent habere Fatum, omiſſo I, ut ille Dux BRATSLAUS, aut BRETSLAUS eſt dictus, ita Urbs hæc vel BRATSLAU, vel BRETSLAU, & ejecto T, vel BRASLAU, vel BRESLAU Germanis quidem, Latinis autem vel BRASLAVIA, vel BRESLAVIA, ſæpius etiam poſthabitis ultimis tribus Literis, BRESLA vocari cœpit: ſecundum Originem Bohemicam.

LXXXIV. Contra, quoniam Bohemorum Dux laudatus, vel BRATISLAUS, vel BRETISLAUS plerisque dictus, Polonis Vocabulum prius poſteriori præferentibus, W tanquam B pronunciantibus, & propterea B aut in VV, aut in V mutantibus, vel WRATISLAUS, vel VRA-

TIS-

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

TISLAUS eſt appellatus: inde WORZELAVIA multis WRATISLAVIA, cæteris VRATISLAVIA nominari conſuevit.

LXXXV. Iam quis non videt, Nominis Originem ſuo Merito attendentibus, omnino rectius noſtram Urbem VRATISLAVIAM, non autem WRATISLAVIAM nominari: quoniam Vocabulum prius eſt magis genuinum, quam poſterius, quod à Fonte ſuo per Licentiam Scripturæ Slavicam longius præter Neceſſitatem, intra Sermonis Latini Cancellos abit? Ideo ſemper fuerunt Viri præclari, tam Sileſii, quam Exteri, Verborum etiam, non tantum Rerum ſtudioſiores, qui Barbariem, ut in Moribus, ita Vocibus abjecturi, Latinius VRATISLAVIAM cenſuerunt ſcribendam, & ſcripſerunt: quod editi partim Codices, partim Nummi cum antiquiores, tum recentiores docent. E Contrario aut nihil, aut certè parum Præſidii, quo ſe tueantur, ex Inſtauratoris pro Conditore jam recepti BRATISLAI Vocabulo, in aſperiorem Habitum depravato, capiunt: qui Patriæ noſtræ, nunquam omnino Slavicæ, dudum penitus Germanicæ, non VRATISLAVIÆ gratioſius, ſed inamœnius WRATISLAVIÆ Nomen attribuere non verentur: imò, quos antea diu VRATISLAVIAM appellaviſſe, tandem ſic pœnitet, ut velut emendaturi Nævum, magno Studio WRATISLAVIAM nuncupent: veram Nominis Originem aut ignorantes, aut poſthabentes. Idque tanto minus iis excuſabile videtur, quibus ne Vox quidem VRATISLAVIA [cui parem Latina Lingua non habet, ideoque, niſi V primum in U vertas, itaque duas ex una Syllabas formes, inuſitata contingit Lectio] aut ſemper, aut ſatis arridet. In Exemplum eſt Antonius Bonfinius, cui VRATISLAVIA ſæpius BRATISLAVIA nuncupatur in Rebus Hungaricis, Decade III. Lib. II: *In SLESIAM Sigismundus Iter forte divertit, VRATISLAVIAMque pervenit, quæ Caput Gentis eſt.* Decade IV. Lib. II: de Matthia I. Bohemorum Rege: *In SILESIAM deinde Caſtra mota: quæ, ne à Fide Bohemica Tractatione deficere videretur, ultro eum advocarat. In primis BRATISLAVIA, quæ Provinciæ Caput eſt.* Ibidem paulo poſt: *Id ipſum cæteræ Civitates & Oppida faciunt, BRATISLAVIENSIUM Exemplo.* Iterum poſt quædam: *Antequam BRATISLAVIAM intraret.*

LXXXVI.

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

LXXXVI. Poſt Bretislaum Filius VRATISLAUS, Spitignei, cui mortuo, cum Annus 1061 ageretur, ſucceſſit, Frater, Bohemorum Dux, SILESIAM quidem Polonis â Bretislao dudum redditam, Iure novo acquirebat: ab Henrico IV. Imperatore [cui, tanquam ſummo Principi, quanquam Poloniæ conjuncta, ſuberat] non tantum Bohemorum Regis Titulum, verum etiam SILESIORUM Ducis Terram Anno 1086 conſecutus: hic autem VRATISLAUS, Bohemorum prius Dux, poſtea Rex, Armis Ius donatum obtenturus, SILESIAM quidem ingrediebatur, VRATISLAVIAM verò, tum Vladislao I. Sileſiorum Polonorumque Duci ſubjectam, non in ſuam Poteſtatem redigebat: Anno 1093 mortuus. De quo pluribus agemus Cap. VIII. ad Annum 1038. 1040. 1052. Cap. IX. ad Annum 1086. & 1093.

LXXXVII. Quare noſtra WORZELAVIA, ſi non a BRETISLAO, certè non a VRATISLAO videtur VRATISLAVIÆ Nomen accepiſſe: niſi ſtatueris, a BRETISLAO prius BRETISLAVIAM, deinde BRESLAVIAM: & â Bretislai Filio VRATISLAO tandem VRATISLAVIAM dictam: quod â Bohemis inventum utrumque Vocabulum poſtea Sileſii, Poloni, aliique Scriptis ſuis adhibuerint. Hoc autem Pacto ab Imperatoris Caroli V. receſſeris Teſtimonio: quod §. XLIII. adduximus. Id enim VRATISLAVIAM non ab alio VRATISLAO, niſi â quo primum exſtructa, id eſt, inſtaurata fuit, Nomen ſuum obtinuiſſe docet.

LXXXVIII. Quare juſtô magis ad Urbis Conditorisque Vocabulum ſolum [non ad ea, quæ commemoravimus] reſpexerunt, qui ſtatuunt, VRATISLAVIAM non BRETISLAO, verum ejus Filio VRATISLAO, licet Urbis Vratislavienſis neque Poſſeſſor, neque Reparator fuerit, debere poſterius hodieque nobis uſitatum Nomen. Inter hos Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus: de Vratislavia: *Ego verò arbitror*, ait, *Urbem hanc, etſi fortaſſis ipſius Fundamenta jacta ſunt â MIESLAO, & Structurâ deinde per illa continua Bella impeditâ, redactam in quandam Civitatis Formam eô Tempore, quô Bohemi in Sileſia dominati ſunt.* Ibidem poſt quædam: *Circa hunc igitur Temporis Articulum colloco vera Primordia & veram Exornationem hujus Urbis, quæ tunc etiam Nomen*

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

Nomen ſuum, quod omnino Bohemicum eſt, accepit. Fuit autem is VRATISLAUS, Filius Biſetislai, natus ex Matre Germanica Iuditha: qui mortuo Patre, factus eſt Dominus Moraviæ & vicinæ Sileſiæ: & demum ab Henrico IV. renunciatus eſt Rex Bohemiæ: illique permiſſum, ut, quoniam Poloni Pacta inita cum Caſimiro Monacho non ſervabant, SILESIAM Bello repeteret. Curæi Iudicio ſubſcribunt, Iacobus Schickfuſius, in Sileſiæ Chronico, Lib. IV. Cap. VIII. Nicolaus Henelius in Breslographia, Cap. II. Fridericus Lucæ in Sileſiorum Memorabilibus, Parte IV. Cap. I.

LXXXIX. Iam, ut propius ad Scopum noſtrum progrediamur: VRATISLAVIAM ſub Polonorum & Sileſiorum Duce MIESLAO I, intra 964 & 999 Annum conditam, primum WORZELAVIÆ Nomen Germanicum retinuiſſe, donec vel â BRETISLAO intra 1040 & 1052 Annum reparata: vel â Bretislai Filio VRATISLAO intra 1086 & 1093 Annum, etſi nec ſubacta, nec poſſeſſa, nec exculta, tamen Donô accepta, novum VRATISLAVIÆ Nomen Slavicum acciperet, veroſimillimum exiſtimamus, quia Mutationis aliam Cauſam nullam, nullum aliud Indicium, cui quoddam inſit Pondus, in Antiquitatibus reperimus.

XC. Quamobrem noſtræ non obſtat Aſſertioni, quod VRATISLAVIA, Sileſiæ poſtea Metropolis, â MIESLAI I. Temporibus, hoc eſt, ab Anno 964 ad 1045, imò ad 1093, ultra Sæculum, non quidem â nullis, tamen â pauciſſimis, iisque nec Polonicis, nec Bohemicis, nec Sileſiacis Chronicographis, Res Urbis noſtræ commemorantibus, unquam WORZELAVIA dicta reperiatur. Nam, ſi Ortu Germanum Saxonem Ditmarum, Martisburgenſem in Miſnia Epiſcopum, excipias, Anno 1018, ut diximus, mortuum: cujus Ætate WORZELAVIA nominabatur: cæteri omnes, quos VRATISLAVIÆ quandam Mentionem feciſſe nobis conſtat, diu poſt Annum 1093 vixerunt. Inter quos antiquiſſimus, Coſmas Pragenſis Decanus, Anno 1225 ſuperſtes, Urbem WRATISLAI ad Annum 1054 appellavit: Æneas Sylvius Anno 1464: Ioannes Dlugoſſius Anno 1480 vivis exceſſit. Ideo non eſt, ut mireris, cur nec per antecedentes quidem Annos, ad 1045 & 1093, cum Res Vratislavienſes commemorant, Nomen WORZELAVIÆ, quamvis ultra Sæculi Ætatem

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

uſitatum, Scriptores illis Annis multô recentiores uſurpaverint: ſeu, quod antiquius WORZELAVIÆ Nomen ignoraverint: ſeu quod VRATISLAVIÆ jam Ævo ſuo receptum Nomen adhibere maluerint: nihil veriti, WORZELAVIAM, etſi nondum Vratislaviam dictam, præpoſterô loquendi Modô appellare VRATISLAVIAM: quemadmodum Autoribus multis Epiſcopatus Sileſiorum, Anno 966 inſtitutus, licet ſub Initium SMOGRENSIS, poſtea BICINENSIS, nondum Vratislavienſis, tamen ad Annos etiam 1052 antiquiores VRATISLAVIENSIS nominari ſolet: ut innumera potiſſimum Ioannis Dlugoſſi Loca docent: quorum non nulla reperies Cap. VIII. ad Annum 1045. §. LXXIV.

XCI. Proinde, cum hæc, quô diffuſius, eô clarius in medium allata, non citra ponderoſiores Rationes rejici mereantur: nihil obſtare videmus, quô minus admittamus, â SILESIORUM Duce Polono MIESLAO I, Religionis Chriſtianæ cum intra Poloniam, tum etiam intra Sileſiam Propagatore ſtudioſiſſimo, inter 964 & 999 Annum conditam WORZELAVIAM: pro quô RADICIS PRATUM denotante Vocabulo Germanico, deinde Sileſiorum Duce Bohemo, BRETISLAO, intra 1040 & 1052, in integrum reſtituta, ſuſceperit Slavicum, prius Bohemicum BRETISLAVIÆ, BRETSLAVIÆ, BRESLAVIÆ: poſtea Polonicum BRATISLAVIÆ, VRATISLAVIÆ, WRATISLAVIÆ Nomen.

XCII. Unde non abhorret â Vero illud, quod in duobus Chronicorum Sileſiacorum MStis, altero Latino, altero Germanico, cujus olim Poſſeſſor Diaconus Vratislavienſis Ieremias Multerus fuit, annotatum invenimus: eô SILESIÆ Locô, quô in Viadrum Olavia decurrit, â SILESIORUM Duce MIESLAO I. Chriſtiano, Fundamentum Urbi Vratislavienſi, jam tum in Epiſcopalem Sedem deſtinatæ primum præparatum eſſe, cum ageretur Annus 966. Quæ ſi Lectorem non fallunt: VRATISLAVIA, ſemper Chriſtiana, per Annos XXXIII magis magisque culta, pro Temporum illorum Ædificiis atque Munimentis, melior firmiorque conſpici potuit, cum MIESLAUS I. more-

ANNO 999.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux MIESLAUS I.

retur, Anno 999: duravitque, licet variis obnoxia Mutationibus, jam 739 Annos, ad hunc 1705 Annum.

CAPUT VIII.
SILESIORUM RES.

ANNO 1001.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.
SILESII Romano GERMANORUM Imperio ſubjecti.

I.

GERMANIS ad Annum 1002 OTTO III Imperator: SILESIIS & Polonis poſt Mieslaum I. Anno 999 exſtinctum, Filius BOLESLAUS I. Cognomine Polonico CHROBRUS, Latino ACER, ad Annum 1025 Dux præfuit: ſub quô SILESIOS Romanum GERMANORUM Imperium Populis ſubjectis additos retinebat. Id duobus Argumentis validiſſimis confirmabimus: quorum prius circa Res ſacras, poſterius circa Res Civiles Poteſtatem ſummam Imperatori OTTONI III in Polonorum Provincias fuiſſe, luculenter oſtendet.

II. Quod Res ſacras ſpectat: Adalbertus [non Germanus, Archiepiſcopus ille Magdeburgenſis, ab Imperatore Ottone I. Epiſcopis intra Polonorum Terras præfectus: Anno 981 mortuus: cujus Mentionem Cap. VII. §. XX. fecimus, ſed] Bohemus, Epiſcopus Pragenſis, ad Polonos Anno 996, Cracoviam, poſtea Gneſnam pervenerat. A Polonis ad Boruſſos digreſſus, Anno 997 Martyr trucidabatur: cujus emtum â Boruſſis Corpus, Gneſnam in Poloniam translatum Reverentiâ ſingulari honorabatur. De quô agunt in Adalberti [quos habuit coævos] Vitâ Scriptores duo: quorum prior quidem Coſmas Decanus Pragenſis Editoribus Henrico Caniſio & Marquardo Frehero: alius autem Bohus-

ANNO 1001.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

lao Balbino existimatur: uterque publicatus in Godefridi Henschenii & Danielis Papebrochii Actis Sanctorum, Mensis Aprilis Tomo III, ad XXIII Diem, reperitur: præterea Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. II. ad Annum 989. 993. 994. 995.

III. Eundem Adalbertum Cæsar OTTO III. in Amicis planè familiaribus habuerat. Id narrant in Adalberti Vita Scriptores duo Anonymi, quos jam indicavimus. Prior Cap. IV. §. XXI, de Ottone III. locutus: *His Temporibus Christianissimus ille Cæsar, cui circa Servos Dei maximum Studium semper & diligens Cura fuit, crebro alloquitur sanctum Adalbertum, & habebat eum sibi familiarem, audiens libenter, quæcunque sibi diceret.* Ibidem, Cap. V. §. XXIII: de Adalberto & Ottone III: *Cumque velut duorum prope Mensium Iter agerent, venerunt Mogontiam, ubi regressus ab Italicis Oris Imperator commoratus est: cum quô Vir Dei mansit bonum Tempus, quia valde familiarissimus sibi erat, & Nocte pariter ac Die velut amicissimus Cubicularius Imperiali Curti vel Cameræ adhæsit.* Posterior, Cap. V. §. XX: de Adalberto: *Hinc ad Imperatorem redit: qui Hominem Dei adeo dilexit: cujus Mores nobiles novimus, quia omnes bonos eô plus amare studuit, quô quemque majorem habita Bonitas fecit. Cum quô aliquos Dies commoratus, nec Nocte, nisi ante Conspectum Imperatoris jacere permissus est. Intellige, quantum Charitate sibi junctus erat, quamvis Puer & errans Moribus Cæsar, tamen benignus, sine Comparatione OTTO Imperator Augustus.*

IV. Iam tum valebat Opinio, Preces ad Sanctorum apud Deum pro nobis intercedentium Sepulcra fusas plus Efficaciæ consequi. Quamobrem Anno 1001, Cæsar OTTO III, vel circa singularis Amici sanctique Martyris Adalberti Reliquias Orationem ad Deum habiturus: vel, quod probabilius est, sub hoc speciosо Titulo, post Imperatorum Germanicorum multiplices cum Slavis ad Germaniæ Fines hærentibus, partim Hostibus, partim Amicis, & Bello, & Pace gestas, in futurarum Expeditionum meliorem Successum [quem ostendit Eventus] Poloniam ipse cogniturus, Iter longum, per Provincias Imperio suo deditas, Misniam, Lusatiam, SILESIAM, in POLONIÆ majoris Urbem,

ANNO 1001.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

bem, prius Posnaniam, postea Gnesnam, ad SILESIORUM & POLONORUM Ducis Mieslai I. Filium BOLESLAUM [qui suum jam virilis Ætatis Ingenium Germanis ante Patris Obitum patefecerat] intuendum peragebat. Ditmarus in Chronico, Lib. IV: de Ottone III: *Postea Cæsar auditis mirabilibus, quæ per dilectum sibi Martyrem Dominus fecit Adelbertum, Orationis Gratiâ eò pergere festinavit.* Ibidem post quædam: *Decursis tunc Milcieni* [Soraborum in Lusatia] *Terminis, huic ad Diedesisi* [Silesiis propinquum] *Pagum primo venienti, BOLIZLAUS, qui major Laus non Merito, sed More antiquo interpretatur, parato in Loco, qui Ilua dicitur, suimet Hospitio multum hilaris occurrit. Qualiter autem Cæsar ab eodem tunc susciperetur, & per sua usque Gnesin* [Gnesnam] *deduceretur, dictu incredibile ac ineffabile est. Videns â longe Urbem desideratam, nudis Pedibus suppliciter advenit, & ab Episcopo ejusdem* [Boleslai Ducis, intra Urbem non Gnesnenſem, sed Posnanienſem, per quam ad illam tendebat, habitare solito] *Ungero* [Iordano Ursino] *venerabiliter susceptus, Ecclesiam introducitur, & ad Christi Gratiam sibi impetrandam, Martyris Christi intercessio profusis Lacrumis invitatur.* Martinus Polonus in Chronico de Ottone III: *Imperator, ordinatis Imperii Rebus, ducens secum nobiles aliquos Romanos, in Saxoniam est reversus: & visitans Locum in Polonia, ubi S. Adelbertus quiescebat Martyr: acceptô ipsius Brachiô, Romam est reversus.* Vincentius Kadlubko in Polonica Historia, Lib. II. Epist. XI: *Imperator OTTO Rufus* [non Rufus, id est, Secundus, sed Tertius] *Desiderio experiendi ea, quæ Fama de BOLESLAO diffuderat, Poloniam ingreditur, quasi Beato Martyri Adalberto votivam exhibiturus Reverentiam.* Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. II. ad Annum 1001: *Miraculis singularibus & stupendis, quæ Clementia Salvatoris per Merita S. Adalberti, Gnesnensis Archiepiscopi, operata est, & in Oras longè lateque diffundentibus, OTTO III. Imperator Romanorum æger, & suo Instinctu, & aliorum Familiarium suorum Avisamento* [Consilio] *permotus, sanctum Dei Adalbertum pro sua Liberatione cœpit solicitè invocare, votensque Votum Domino, promisit ejus Sepulcrum personaliter adire, si illum contingeret priori restitui Sanitati, mirum*

ANNO 1001.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

vum in Modum facto Voto, ab eâ, quâ detinebatur, Infirmitate ſenſit ſe perfectè ad Invocationem S. Adalberti liberatum. Voto itaque ſuo ſatisfacturus, ad Corpus ſacrum digna Sancto Munera oblaturus, in Poloniam verſus, ſtipatus Multitudine Principum & Militum procedebat, ſimul, & ut Votum ſuum perſolveret, & Ducis BOLESLAI Perſonam, quam univerſorum Fama magnis celebrabat Laudibus, videret. Conſtabat quoque, illum non ſolum pro viſendo Corpore Beati Adalberti, Poloniam profectum fuiſſe, ſed etiam BOLESLAI Ducis Polonorum Famâ pertractum. Cujus Adventum BOLESLAUS, Polonorum Dux, plurimorum Denunciatione præſentiens, ſingularum Rerum, quibus tam magnificus Hoſpes & ejus Exercitus excipi procurarique poſſet, inſtituit Apparatum, & venienti Imperatori ad Fines Poloniæ, eum cum omni excepit Reverentiâ & Honore. In Finibus autem ſuis exceptum, omnibus neceſſariis, tam ipſum, quam omnes ſuos Milites abundè & liberaliter procurat, & per Loca directiora usque Poſnaniam deducit. Et, quoniam OTTO Imperator in Conditione Voti ſui habebat, ſeptem milliaribus ad Corpus S. Adalberti pedeſtre Iter conficere, ex Poſnania [tanto enim Spatio Iter intermedium verſus Gneſnam protenditur] ire decrevit. Quâ Re ad Notitiam BOLESLAI perlatâ, quò omnem poſſibilem ſibi Honorem Imperatori exhiberet, omne Iter à Poſnania usque Gneſnam, variorum Pannorum Coloribus, per quod Imperator OTTO tranſiturus erat, conſterni diſpoſuit, ut in gradiendo Imperator cum Militibus nullibi Terram contingeret. Ibidem poſt quædam: *Imperator itaque Romanorum OTTO III. in Civitatem Gneſnenſem perveniens, Eccleſiam majorem ingreſſus ad Corpus S. Adalberti ſe proſternens, cum magnâ Devotione Gratias Deo egit, & S. Adalberto de ſua ad bonam Valetudinem Reſtitutione.*

V. Tum Gneſnenſibus Epiſcopus quidem, Archiepiſcopus autem nondum erat. Nam, licet iis ab Anno 966 ad 996, Vilibaldum, Hattonem, Robertum Epiſcopos datos, quidam Archiepiſcopos fuiſſe contendant: non tamen in antiquâ Re, quam Silentiô veteres omnes tranſierunt, Aſſenſum merentur recentiores.

VI. At, poſt Robertum, inquis, Anno 996, Adalbertum, illum Pra-

ANNO 1001.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

Pragenſem Epiſcopum, cujus Mentionem jam crebram fecimus, Archiepiſcopum Gneſnenſem fuiſſe ſtatuunt Rerum Polonicarum Scriptores, Vincentii Kadlubkonis Commentator, Ioannes Dlugoſſus, Matthias Michovius, Bernardus Vapovius, Martinus Cromerus, Ioannes Herburtus, Salomon Neugebauerus. Quibus accedit Stephanus Damalevicius in Archiepiſcoporum Gneſnenſium Vitis.

VII. Tamen non eſt, ut horum & plurium, quos præterimus, ab Adalberto, ultra quintum, imò ſextum Sæculum diſtantium, quamvis concordibus Calculis habeamus Fidem. Nam primum ex duobus illis, quos Vitæ ſuæ coævos Scriptores Adalbertus habuit, ſupra citatis, neuter commemorat, Gneſnenſem ſeu Epiſcopatum, ſeu Archiepiſcopatum ſuſceptum Adalberto: quem Hiſtorici antiquiores, in Polonicis Vincentius Kadlubko: in Bohemicis Æneas Sylvius: in Germanicis Adamus Bremenſis, Marianus Scotus, Helmoldus Boſovienſis, Theodorus Engelhuſius, Paulus Langius Epiſcopum Pragenſem, nunquam vel Epiſcopum, vel Archiepiſcopum Gneſnenſem nominant. Præterea Gneſnam Adalbertus Anno 996 intrabat: quô Robertus ibi Epiſcopus ê vivis excedebat: cujus, quemadmodum arbitramur, ad Tempus exiguum Vicarius, non Succeſſor Epiſcopus, adeo non Archiepiſcopus, erat. Non enim credibile videtur, Adalbertum Pragenſem Epiſcopum, ob lævam Bohemorum Duritiem, Pragâ profectum, convertendis ad Chriſtum Slavis pluribus intentum, ideoque mox ê Polonia in Boruſſiam digreſſurum, recepiſſe Munus Archiepiſcopi Gneſnenſis ordinarium.

VIII. Quid multis? Cæſar OTTO III. ſuam in ſacris Poteſtatem ſummam Polonis præſens oſtenſurus, Gneſnenſibus Adalbertum, cujus, ſingularis Amici ſui Honorem Poſteritati commendatiſſimum reddere conabatur, & cuſtodientibus, & amantibus, & venerantibus, Epiſcopo quidem non deſtitutis, nullum tamen Archiepiſcopum habentibus, primum, ipſius Adalberti Fratrem Germanum Kadimum, quem Poloni & Radzinum, & Gaudentium nominant, præficiebat: citra Conſenſum, & Archiepiſcopi Magdeburgenſis, cui jam Imperator OTTO I. in Polonorum Regionibus Epiſcopos ſubjecerat: & Epiſcopi Poſnanienſis, ad quem,

tan-

ANNO 1001.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

tanquam Archiepiſcopi Magdeburgici Vicarium, illa Polonicarum Provinciarum Pars antea pertinebat. Ditmarus in Chronico, Lib. IV. de Ottone III: *Nec Mora: fecit ibi* [Gneſnæ] *Archiepiſcopatum, ut ſpero, legitimè, ſine Conſenſu tamen præfati Præſulis* [Poſnanienſis, Ungeri] *cujus Diœceſi omnis hæc Regio ſubjecta eſt, committens eundem* [Archiepiſcopatum] *prædicti* [Adalberti] *Martyris Fratri Kadimo.* Autor veteris Hildesheimenſis Chronici, ad Annum 1000: *Imperator OTTO III. Cauſâ Orationis ad S. Adalbertum Epiſcopum & Martyrem, Quadrageſimæ Tempore Slaviam* [Poloniam] *intravit: ibique coadunatâ Synodo Epiſcopia VII diſpoſuit: & Gaudentium, Fratrem B. Adalberti, in principali Urbe Slavorum* [Polonorum] *Gneſnâ ordinari fecit Archiepiſcopum, Licentiâ Romani Pontificis, Cauſâ Petitionis BOLIZLAVONIS Polonorum Ducis.* Chronographus Saxo ad Annum 996: *Hanc ergo Urbem* [Gneſnam] *devotus Imperator* [Otto III.] [*occurrente ſibi Loci Epiſcopo nudis Pedibus intravit, & poſt lacrymoſam ad S. Adelbertum Orationem, novâ illum Inſtitutione, id eſt, Archiepiſcopatus in eodem Loco Fundatione, ſed non legitimâ honoravit. Nam tota hæc Provincia unius Poznanienſis Epiſcopi erat Parochia, & ipſa cum omnibus futuro Tempore illic fundandis Epiſcopatibus, Autoritate Primi OTTONIS, & Pontificum Apoſtolicæ Sedis, Metropolitano Magdeburgenſis Archiepiſcopii fuerat ſubjecta. Hanc ergo* [Poloniæ Provinciam] *ſine utrorumque Epiſcoporum* [Magdeburgenſis & Poſnanienſis] *Conſenſu, iſte Imperator* [Otto III] *in quinque dividens Epiſcopatus in Urbe Gneſi, Gaudentium Beati Adelberti Germanum conſecrari fecit Archiepiſcopum.* Quæ iisdem Verbis Autor Chronici Magdeburgici de Giſelharii, Archiepiſcopi Magdeburgenſis Secundi Rebus narrat. Georgius Fabricius in Originibus Saxonicis, Lib. II. ad Annum 998: cum Cæſaris Ottonis III. Adventum in Poloniæ Civitatem Gneſnenſem commemoraviſſet: *Inſtituta tunc ibidem Sedes Metropolitana ab Imperatore eſt, propter Honorem* [ibidem ſepulti Adalberti] *Martyris. Quod tamen eum non legitimè feciſſe, Annales Saxonici teſtantur. Nam nec Antiſtitem Magdeburgium audierat, cui ab OTTONE Primo omnes Eccleſiæ Polonicæ ſubjectæ erant: nec Poſnanienſem, Magdeburgii Vicarium, in Conſilium adhibuerat.*

IX. Quos-

ANNO 1001.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

IX. Quosnam Gneſnenſi Archiepiſcopo Epiſcopos Cæſar OTTO III. ſubjecerit, non eſt controverſum: niſi quod eorum Nomina diverſiſſimis proferuntur Formis. Ob quas potiſſimum Ditmarus, Martisburgenſis Epiſcopus, quanquam Ottonis III. Ævo ſuperſtes, Polonicarumque Rerum Notitiam intra Poloniam ipſam conſecutus, apud non nullos ſiniſtram incurrit Suſpicionem. At Polonorum Nominibus Slavicâ Linguâ duriorem in Modum formatis raro Habitum Latinum citra Mutationem grandiorem contingere, quis neſcit? Hoc vel ipſius Polonorum Ducis MIESLAI, dequô ſupra egimus, Cap. VI, §. X. & XV, Vocabulum docet: cum & MIECISLAUS, & MIESCO, & MISECO, & MISICA, & MISCA dicitur: in quibus tamen aliquid Æqualitatis remanſit. In multis ne una quidem Litera ſupereſt, ex qua Vocum, eosdem Homines indicantium, Similitudinem minimam æſtimes. Quem in Morem ADALBERTUS quidem WOYTECHUS: primus autem Cruſuicienſis Epiſcopus LUCIDUS appellatur IASNOCHUS: Cracovienſis Epiſcopus XIII, & GAUDENTIUS & RADOSTUS: Epiſcopus XVII, & FULCO, & PELKA nominatur. Sed fac, Ditmarum, Germanum Saxonem, in exponendis Polonorum Nominibus [niſi quædam Librarius etiam corruperit] aliquando, aut, ſi mavis, ſæpe lapſum: an ideo eum in Rebus ipſis ab Errore non immunem habere Prudentia permittit?

X. Ut igitur ad Scopum propius accedamus: Cæſar OTTO III. Gneſnenſium Archiepiſcopo, Adalberti Germano Fratri GAUDENTIO, quem Ditmarus KADIMUM, alii RADINUM, alii RADZINUM [inter quos ipſe Polonicus de Gneſnenſium Epiſcoporum Vitis Scriptor, Stephanus Damalevicius eſt] appellant, ſubjiciebat Epiſcopos tres: (I) REINBERNUM, in Pomerania COLBERGENSEM: (II) LAMBERTUM, Ditmaro PAPPONEM, in Polonia minore CRACOVIENSEM: (III) URBANUM, Ditmaro IOANNEM, in Sileſia tum SMOGRENSEM, poſtea Bicinenſem, hodie Vratislavienſem. Poſnanienſem, Ditmaro UNGERUM, aliis vel IORDANUM, vel URSINUM dictum, Obſequia novo Archiepiſcopo ſuo Gneſnenſi denegantem, prio-

ANNO 1001.

GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

ri Archiepiſcopo Magdeburgico ſubjectum relinquebat. Ditmarus in Chronico, Lib. IV: *Eidemque* [Kadimo, Gneſnenſium Archiepiſcopo, Imperator Otto III] *ſubjiciens* (I) *REINBERNUM, ſanctæ CHOLBERGIENSIS Epiſcopum:* (II) *PAPPONEM CRACUENSEM:* (III) *IOANNEM WIOTISLAENSEM:* [ut Cap. VII. §. LIV. & LXVII, jam indicavimus, non ita corruptè WORZISLAENEM, aliquantò rectius à Terrarum Vratislavienſium Tractu, qui WORZELAVIA nominabatur, in quò jacet Smogra, pro SMOGRENSI quondam WORZELAENSEM, id eſt, WORZELAVIENSEM dictum:] *UNGERO POSNANIENSE exceptò: factoque ibi Altari, ſanctas in eo honorificè condidit Reliquias.* Chronographus Saxo ad Annum 996: *Eique* [Gaudentio, Gneſnenſium Archiepiſcopo] *tres alios Epiſcopos in tribus Locis, videlicet* (I) *SALTZCOLBERCH,* (II) *CRACOUVE,* (III) *WROTISLA* (legendum, transpoſitis Literis, WORTISLA) *ordinatos ſubjecit: POZNANIENSEM vero Epiſcopum, non aſſentientem, priori Iuri & Magdeburgenſis Archiepiſcopi Subjectioni reliquit.* Eadem paulò aliter diſpoſitis Nominibus profert Autor Magdeburgici Chronici, de Giſelharii, Archiepiſcopi Magdeburgenſis Secundi Rebus: *Eique* [Gaudentio, Gneſnenſium Archiepiſcopo Cæſar Otto III] *tres alios Epiſcopos in tribus Locis, id eſt,* (I) *SLAZCHOLBERG,* (II) *CRACKAWE,* (III) *WORTIZLAWE ordinatos ſubjecit. POZANIENEM verò Epiſcopum non aſſentientem, priori ſuo Iuri & Magdeburgenſis Archiepiſcopi Subjectioni reliquit.* Clarius hæc tradit, partim interpretatus, Georgius Fabricius in Originibus Saxonicis, Lib. II. ad Annum 998: *Subjecit autem Gneſnano* [Archiepiſcopo Cæſar Otto III] *Eccleſiam* (I) *SLAZOCOLBERGIAM,* (II) *CRACOVIANAM,* (III) *VRATISLAVIANAM: quorum Præſulum tum Nomina erant, REINBORNI, POPPONIS & IOANNIS. Sed POSNANIENSIS, cum de ſuo Iure pugnaret, ſub Ditione Magdeburgicâ permanſit: & ei per Poloniam Ingenuitatis conceſſa Privilegia.*

XI. Quæ cum ita ſint: errant, qui jam ab Anno 966, quò primi per Polonorum Provincias Epiſcopi conſtituti ſunt, Polonis ARCHIEPISCOPUM GNESNENSEM, aliis VILIBALDUM, aliis VILIBALINUM dictum, aſſignatum fuiſſe narrant: cui, præter alios, SILESIORUM

ANNO 1001.

GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

RUM Epiſcopum SMOGRENSEM perperam ſubjiciunt: ab Imperatore OTTONE I, cum Annus 970 ageretur, non POLONORUM Gneſnenſi, ſed GERMANORUM Magdeburgico Archiepiſcopo parere juſſum.

XII. Cæterum Polonis [ut ſolet Ingeniis liberrimis Obſervantia Legum minor eſſe] quantum videtur, aliis veteri Magdeburgico, aliis novitio Gneſnano Archiepiſcopo ſubeſſe nolentibus, præſcriptus inter Epiſcopos Ordo, ultra Sæculum, ab Anno 970 ad 1075, ſi non penitus, tamen Partem maximam poſthabebatur. Teſtis eſt ipſe Pontifex Romanus, Gregorius VII, Lib. II. Epiſt. LXXIII: quam Anno 1075, ad Boleslaum II, Polonorum Ducem, ſcripſit. *Verum,* ait, *quia Chriſtianæ Religionis Ordo & provida Diſpenſatio ab his permaximè poſt Deum pendet, qui Dominici Gregis Paſtores & Rectores eſſe videntur: illud nobis primo attendendum eſt, quod Epiſcopi Terræ Veſtræ non habentes certum Metropolitanæ Sedis Locum, nec ſub aliquò poſiti Magiſteriò, huc & illuc, pro ſuâ quisque Ordinatione vagantes, ultra Regulas & Decreta ſanctorum Patrum liberi ſunt & abſoluti.* Per has in Polonorum Eccleſia Turbas, utri Archiepiſcopo, POLONORUM Gneſnano, an GERMANORUM Magdeburgico, an neutri Epiſcopus SILESIORUM Smogrenſis adhæſerit, exploratum non habemus: de quò altum in Polonorum Annalibus eſt Silentium.

XIII. Iam, quod Res Civiles attinet: eodem Anno 1001, Cæſar OTTO III, SILESIOS Romano GERMANORUM Imperio ſubjectos eſſe, duobus Gneſnæ patefaciebat Documentis. Prius edebat, cum BOLESLAUM Primum, SILESIORUM Ducem, hactenus POLONORUM Ducis contentum Titulò, declarabat ſolenniter POLONORUM REGEM, Imperii Romani Amicum. Poſterius edebat, cum eundem Boleslaum à priſtina Imperii Romani Subjectione tum alia, tum etiam Tributariâ liberum pronunciabat.

XIV. Sunt, qui utrumque: ſunt, qui non prius quidem, poſterius autem fictum eſſe judicant: præſertim Defenſores Polonicæ Libertatis, quam ab omni, Populis aliis, potiſſimum Germanis, debito & Tributo, & Obſequio ſtatuunt immunem. Ut harum Rerum, ſeu Falſitas, ſeu

ANNO 1001.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

Veritas eô clarius agnoſcatur, potiora utrumque cum affirmantium, tum negantium Argumenta proferemus, explicabimus, &, quantum valebimus, excutiemus.

XV. Affirmantibus in Sententiæ ſuæ Stabilimentum ſervit Teſtium partim Multitudo, partim Autoritas: ex quibus adducemus præcipuos. Autor antiquiſſimi Epitaphii, quod Boleslao I, Polonorum Regi conditum in Poſnanienſium Templo etiamnum reperitur: de quo Stanislaus Lubienskius, Epiſcopus Plocenſis, in Martialis Epiſcopi Plocenſis Secundi Vita: *Epitaphium hujus Regis BOLESLAI Chobrii, Tumulo ejus, quod adhuc Poſnaniæ in Eccleſia Cathedrali viſitur, vetuſtiſſimis Literis, & jam Antiquitate arroſis ſcriptum, his Vetuſtatem ſatis redolentibus, incomtis quidem, nec ſatis ſuis Numeris conſtantibus, ut rude illud Sæculum quivis agnoſcat, Verſibus comprehenſum.* Horum Verſuum ultimo proximus eſt:

Ob Famam bonam Tibi contulit OTTO Coronam.

Vincentius Kadlubko, Epiſcopus Cracovienſis, in Polonica Hiſtoria, Lib. II. Epiſt. XI: de Imperatore Ottone III: quemadmodum in Vratislavienſi MSto legitur: *Imperiale itaque Diadema trahens, Capiti BOLESLAI non ſine Reverentiâ imponit: illius ê converſo Gulimate* [id eſt, Pileo, ad Modum Galeæ facto] *ſuum Caput convenuſtans.* Ubi vetus Kadlubkonis Commentator: *OTTO Imperator III. Rufus BOLESLAUM conſortem IMPERII ordinavit, ſibique cum magna Reverentia Diadema impoſuit.* Ioannes Dlugoſſus, Canonicus Cracovienſis, in Hiſtoria Polonica, Lib. II. ad Annum 1001: *Imperator OTTO ex Thalamo egreſſus, cum Duce BOLESLAO in Gneſnenſem Eccleſiam pergit, utrumque comitante Frequentiâ Militum & utriusque Sexus in Multitudine infinita. Ubi dum perventum eſſet, mandat Imperator OTTO Gaudentio Archiepiſcopo, cæterisque Epiſcopis Poloniæ, BOLESLAUM in REGEM POLONIÆ ſacro Chriſmate inungi, & ſingula, quæ in Regum Coronationibus & Unctionibus fieri ſolita ſunt, cum Orationibus & Obſecrationibus conſuetis juſto Ordine perſolvi. Quô expletô, in Sellam eminentiorem, ex quâ ab omni circumſtanti Turba videri poteſt, Imperator OTTO BOLESLAUM perducit, & Diademate nobili,*

ANNO 1001.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

bili, quod tunc in Capite geſtabat, ex Vertice ſuo depoſito, Caput ejus coronat & inſignit, conſtituens & decernens eum, & quemlibet ejus Poſterum & Succeſſorem POLONORUM REGEM & IMPERII ROMANORUM SOCIUM & AMICUM: ſubjiciens ſibi & Regno ſuo omnes Polonorum Regiones Nationesque: donans verò ſingulos Principatus, Terras & Diſtrictus per eum & Succeſſores ſuos Reges Poloniæ, ſub Barbarorum infidelibus & Schismaticis Nationibus acquiſitas, & in poſterum Munere & Suffragio Divino acquirendas. Ibidem poſt quædam: *Et quô Donatio ipſa diuturnior eſſet, Privilegio Imperiali auream Bullam habente roborat & communit: Reges Regnumque Poloniæ ſingularibus Privilegiis, Libertatibus & Prærogativis eximens, libertans & extollens, & â ſuâ ſuorumque Succeſſorum ROMANA OBEDIENTIA & SUBIECTIONE perpetuo remittens & abſolvens. BOLESLAUS autem REX Poloniæ novellus, modeſtâ Oratione ſuper his, quæ eum admonuerat, reſpondens, & de his, quæ ſibi præſtiterat, Gratias ingentes agens, IMPLETURUM ſe OMNIA pro poſſe cum Dei aſſiſtentiâ repromiſit.* Matthias Michovius, Canonicus Cracovienſis, in Chronico, Lib. II. Cap. III: de Ottone III. Imperatore: *percontatus eſt, quo Genere renumerandi tantus Princeps* [Boleslaus] *dignus Nomine Regió eſſet præmiandus, & an Coronâ inſigniendus: de cæteroque Rex vocandus Autoritate Imperiali veniret. Cunctis autem Propoſitum Imperatoris extollentibus, conſulebant coronandum. Itaque ſequenti Die, acceptô BOLESLAO, proceſſit cum eo Imperator in Eccleſiam: convocatisque Gaudentio Gneſnenſi cæterisque Pontificibus, juſſit eum in REGEM POLONIÆ inungi, & deductum ſupra Sedem Majeſtatis, Corona ſuâ, Tempora BOLESLAI ornavit & coronavit: a ſua ſuorumque Succeſſorum, ROMANORUM IMPERATORUM OBEDIENTIA, eum & Poſteros ejus Reges Poloniæ perpetuo abſolvit.* Alexander Guagninus, Veronenſis Italus, Civis Polonus, in Poloniæ Chronico, de Boleslao I. Polonorum Rege: *Hoſpitalitatis Officiis OTTO in ſe exhibitis conſideratis, BOLESLAUM eodem in Templo Gneſnæ Imperiali Diademate ſolenniter coronavit: eumque REGEM POLONIÆ declaravit, & in æternum Autoritate Imperiali confirmavit: ab omnibusque TRIBUTIS & OBSEQUIIS Romanis IMPERA-*

ANNO 1001.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

TORIBUS pendendis, Posteros ejus omnes in Regno sibi succedentes, immunes fecit. Martinus Cromerus, Episcopus Varmiensis, de Polonorum Rebus, Lib. III. in Boleslao I: *Volens autem* [Imperator Otto III. Boleslao I.] *tam splendido Hospiti & Amico Principi, parem referre Gratiam, collocutus cum Consilio, quod secum in Comitatu habebat, REGEM eum appellat, SOCIUMque & AMICUM Romani IMPERII, a TRIBUTO & omni IURISDICTIONE IMPERATORUM immunem. Ac Diadema, Gaudentiô Archiepiscopô solennes Ceremonias peragente, ipsi imponit: eumque Honorem sempiternum ipsi & Posteris ipsius in Polonia regnaturis esse jubet.* Eadem iisdem Verbis referunt in Historia Polonica, Ioannes Herburtus Lib. II. Cap. IV. & Salomon Neugebauerus Lib. III. Cap. VIII.

XVI. His Rerum Silesiacarum Scriptores consentiunt. Ioachimus Curæus in Annalibus de Boleslao I: *BOLESLAUS Primus, dictus ACER, primus Poloniæ REX.* Ibidem paulo post: *Impetravit ab Imperatore OTTONE Tertio Nomen Regium. Imposita est ipsi Corona Gnesnæ ab ipso Cæsare.* Iterum post quædam: *Credibile est, BOLESLAUM, ut Exemplo Hungariæ, suas Provincias in certam Formam Regni redigeret, quod ad Hæredes suos posset transmittere, appetivisse Nomen Regium a Cæsare: & OTTONEM etiam, Pacis & Quietis publicæ Causa, ut tandem illa longæ Bella inter Slavos & Principes Imperii, præsertim Marchiones, finiret, non gravatim hoc Iter suscepisse.* Curæo Suffragium suum addunt, Iacobus Schickfusius in Chronico, Lib. I. Cap. XII. Iohannes Mollerus in Ducum Lignicensium Historia, Lib. I. Cap. VI: Gotfridus Ferdinandus Buckisius in Ecclesiasticæ Silesiorum Historiæ Prolegomenis, Cap. I. §. VII. Fridericus Lucæ in Silesiorum Memorabilibus Parte I. Cap. III. Num. VI.

XVII. Præter hos idem statuunt, Albertus Krantzius in Vandalia, Lib. II. Cap. XXXVI. Iodocus Ludovicus Decius de Polonorum Vetustatibus Lib. I. de Mieslao I. Stanislaus Sarnicius in Annalibus Polonicis, Lib. VI. ad Annum 1068. Ioannes Pistorius in Regum Polonicorum Genealogia. Ioachimus Pastorius in Floro Polonico, Lib. II. Cap. I. Thomas Zechorodus in Marte Moravico, Lib. III. Cap. I. Caspar Schu-

ANNO 1001.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

Schutzius in rerum Prussicarum Chronico, Lib. I. ad Annum 997. Iohannes Micrælius de Pomerania, Lib. II. ad Annum 1000. Thomas Iordanus in Genealogiis ad Ioannis Dubravii Bohemicam Historiam. Abrahamus Bucholcerus in Indice Chronologico, ad Annum 999. Caspar Iongelinus in Abbatiarum Ordinis Cistertiensis Notitia, Lib. V. intra Præfationem, quam Silesiæ Monasteriis præmisit. Marcus Zuerius Boxhornius in Historia universali, ad Annum 984. Georgius Hornius in Historiæ Politicæ Compendio, de Polonia. Bohuslaus Balbinus in Miscellaneis Bohemicis, Decade II. Lib. II. Tabula Silesiæ Ducum Genealogica.

XVIII. Quid aliud hinc colligas, nisi BOLESLAUM I. Polonorum Silesiorumque Ducem, ob Polonicarum Provinciarum, quamvis non Universitatem, attamen Partem magnam, in quâ SILESIAM reponas, Romano GERMANORUM Imperio fuisse, cum TRIBUTARIORUM, tum etiam FIDELIUM Iure subjectum: â quo duplici Obligationis Genere BOLESLAUM Primum Polonorum REGEM Autoritate suâ creatum Cæsar OTTO Tertius absolverit? Præterea peculiariter id notari meretur: Imperatorem OTTONEM Beneficia in Ducem BOLESLAUM, etsi maxima, non citra Leges quasdam collata, saltem eas, ad quas IMPERII ROMANI SOCIUS ac AMICUS Iure Populorum etiam liberrimorum naturali ferendas & implendas BOLESLAUS, etsi REX, adstringebatur. Has indicat Ioannes Dlugossus Verbis, quæ §. XIV. adduximus his: *Imperator OTTO BOLESLAUM perducit, & Diademate nobili, quod tunc in Capite gestabat, ex Vertice suo deposito, Caput ejus coronat & insignit, constituens & decernens eum, & quemlibet ejus Posterum & Successorem POLONORUM REGEM, & IMPERII ROMANORUM SOCIUM & AMICUM.* Iisdem Legibus, & quorum admonitus erat, BOLESLAUS se, quantum posset, satisfacturum promittebat. Idque Dlugossus ibidem his exprimit: *BOLESLAUS autem REX Poloniæ novellus modestâ Oratione super his, quæ eum* [Cæsar Otto] *admonuerat, respondens, & de his, quæ sibi præstiterat, Gratias ingentes agens, IMPLETURUM se OMNIA pro POSSE cum Dei Assistentiâ, repromisit.* Ita non est, ut

ANNO 1001.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

ut BOLESLAUS I. quantumvis POLONORUM REX, à Tributo & Obsequio liberatus, intra GERMANORUM Imperium prorsus exlex factus ideo credatur.

XIX. Hæc, quæ commemoravimus, negantes variis, plerisque vanis, ducti Conjecturis, Testimonia in medium allata, vel in Dubium vocantibus, vel ex arbitrio interpretantibus, Assertionem contrariam firmare conantur: per OTTONEM primum BOLESLAO primo, partim Regium Titulum donatum agnoscentes, partim nec hunc collatum, neque Tributum, nec Obsequium ablatum concedentes. Nos Rationum, quibus gaudent, primariam solidioremque, posthabitis tenuioribus, per ea, quæ mox in Æstimationem producemus, ex facili seipsas refutantibus, exponemus.

XX. Ne Fidem narratis habeant integram, circumspectioribus potissimum suadet DITMARUS, Martisburgensis Episcopus: qui Res in Polonia & Silesia, sub OTTONE III gestas ignorare non potuit: cujus Filio HENRICO II. Imperatori, BOLESLAUM I. debellanti Comes in utraque Provincia fuit: tamen inter sui Temporis Memorabilia, ne unius quidem in Beneficiis tribus meminisse judicatur: quibus Cæsar OTTO III. BOLESLAUM I. Ducem creando Regem, Tributo liberans, Obsequio exuens, ornaverit. Inter hos est Reinerus Reineccius in Proœmio, quod Ditmari Chronico præmisit. *Addo his*, ait, *Expositiones luculentas de tribus Poloniæ Principibus, Misecone, Boleslao Chrobro, & Misecone altero. E quibus cum BOLESLAO vulgo Regii Nominis Dignitas tribuatur, & ita tribuatur, ut Autor hujus adstruatur Imperator Cæsar OTTO III. Augustus: DITMARUS hac de Re Verbum nullum: ut dubitare de ea forte liceat: cum interim, qua is & Miseco Pater devincti Imperio essent, Clientelam non dissimulet.* Hermannus Conringius de Imperii Germanici Finibus, Lib. I. Cap. VIII: cum ab Ottone III. Boleslaum I. Coronâ Regiâ condecoratum dixisset: *Argueret etiam hoc Cæsaream Autoritatem, si esset verum, & deberet Polonia Beneficio huic Germanici Cæsaris Gratias immortales. At verò nusquam DITMARO BOLISLAUS Regio Nomine nuncupatur, sed Dux: & tamen persecutus ille est Bolislai omnia sic satis accuratè ad Annum M. XVIII.*

At

ANNO 1001.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

XXI. At verò, DITMARI Chronicon, sicut à Reinero Reineccio & Ioachimo Ioanne Madero publicatum reperitur, passim esse mancum, partim Narrationes in eo patefaciunt, partim etiam illud MStum docet, ex quô Additamenta in editis omissa, per celeberrimum Virum, Godefridum Guilielmum Leibnitium humanissimè nobiscum communicata vidimus. Unde suspicari possimus, BOLESLAI Polonorum REGIS Mentionem fortasse cum omissis hactenus in Ditmaro desideratam. Sed faciamus, eandem à Ditmaro præteritam, quam nec in Additamentis jam indicatis consignatam invenimus: neminem Admiratio subibit, cur Ditmarus BOLESLAUM, quem ab OTTONE III. Regem Polonorum declaratum omnino ille sciverit, etsi frequenter commemoratum, nusquam REGEM, ubique DUCEM nominet: si perpenderit Æstimatione curiosâ notabiles Circumstantias. BOLESLAUS I. Polonorum REX Anno 1001 creatus, vix decem Mensibus hoc Titulo gaudebat, cum Cæsar OTTO III, primo Anni 1002 Mense, vivis eriperetur. Tum BOLESLAUS statim elatô bellicosôque mutatus Animo, amare Beneficium, Benefacientem odisse nihil veritus, se Romano GERMANORUM Imperio non amplius AMICUM, adeoque non SOCIUM ostendebat, ut apertum potius ADVERSARIUM in Ottonis III Successorem HENRICUM II, Cæsarem ageret: sicut ex iis, quæ mox, Ditmaro Teste, proferemus, patebit. Ita violatô Pactô, id est, subversô triplicis Beneficii, per quod & REX, & à TRIBUTO, & ab OBSEQUIO liber evaserat, Fundamentô, BOLESLAUS, repentinâ omnium Cæsareanorum Munerum Iacturâ, sub pristinum Statum redactus, amissô Regiæ, non tantum Dignitatis Titulô, verum etiam Libertatis Potestatisque Privilegiô, Dux POLONORUM, ut antea, Romano GERMANORUM Imperio & TRIBUTARIUS, & SUBIECTUS constanter habitus dictusque fuit. Quam nos etiam censemus esse Caesum, quod in Rerum Germanicarum Scriptoribus, quanquam BOLESLAI Res attingentibus, neque DITMARUS Martisburgensis, nec Hermannus Contractus, neque Marianus Scotus, nec Otto Frisingensis, nec Albertus Stadensis, vel Nominis, vel Iuris Regii, quod Imperator OTTO Tertius BOLESLAO Primo Polonorum Duci concesserit, Mentionem faciant:

ANNO 1001.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

ſed potius inter eos quidam, BOLESLAUM I. ejusque Succeſſores, Polonorum Sileſiorumque Duces, quanquam Romano GERMANORUM Imperio ad Obedientiam devinctos, in plenæ Libertatis, quam ſemper affectabant, quoddam Signum, propriô Auſu, in Germanicorum Imperatorum Injuriam, ſibi Regium Nomen impoſuiſſe conquerantur.

XXII. Fortaſſis etiam peculiarem Silentii Cauſam DITMARUS habuit, quô magis in Amorem Cæſaris HENRICI II. propenſus, eô magis in BOLESLAI I Odium excitatus, cum illum hic ſæpius injuſtis Armis peteret, perverſisque Moribus læderet. Nam ſecretiorem utriusque Cognitionem aſſecutus, BOLESLAUM potuit non habere dignum, cujus in Honorem illa Regiæ Solennitatis Acta Literis committeret. Certè Faſtidium ex affectatâ Boleslai Gloriâ Ditmarus ſenſit, quod pateſaceit in Chronico, Lib. IV: de Boleslao I. hæc ſcribens: *BOLIZLAUS, qui MAIOR Laus, non Merito, ſed More antiquô interpretatur.* Id Boleslai Factis, Odium merentibus adſcribit, Lib. VIII: *Nec opus eſſe autumo, de BOLESLAO amplius differere: cujus Nomen & Converſatio, ſi Dominus omnipotens vellet, ſatis nobis lateret. Omne hoc, quod Pater ſuus* [Miſeco, id eſt, Mieslaus] *& iſte nobis in Conjugio ac Familiaritate magna copulati ſunt, plus Damni ſubſequentis, quam Boni præcedentis attulit: ac in futuro infert: quia, etſi Pace ſimulatâ nos ad Tempus diligat, attamen per ſecretas Tentationum Varietates nos â Charitate innata deducere, &, ſi quando Tempus ei ac Locus contingit, in Perniciem apertam aſſurgere non deſiſtit.*

XXIII. Imo DITMARUS alicubi BOLESLAUM etiam REGEM indicare videtur, cum ejus Terram, non Ducatum, ſed REGNUM appellat, Lib. VIII: de Odâ Boleslai Sponſâ: *Nupſit DUCI prædicto poſt Septuageſimam, abſque Canonica Autoritate, quæ vivebat hactenus ſine matronali conſuetudine, admodum digna tanto Fœdere. In hujus Sponſi REGNO ſunt multæ Conſuetudines.*

XXIV. At BOLESLAUM propterea pro REGE habitum ſtatuere, non eſt tutum. Sæpius enim ab Hiſtoricis ejusmodi, quorum in Ordinem DITMARUS referendus eſt, DUCATUS vocatur REGNUM. Lex Ba-

ANNO 1001.
GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

Baiuvariorum, Tit. II. Cap. X. §. I: [in Friderici Lindenbrogii Legum Antiquarum Codice:] *Si quis Filius DUCIS tam ſuperbus vel ſtultus fuerit, ut Patrem ſuum dehoneſtare voluerit per Conſilium malignorum, vel per Fortiam, & REGNUM ejus auferre ab eo.* Taſſilo, Baioariorum Dux, in Decreto, §. I: (quod ibidem reperitur:) *Regnante in perpetuum Domino noſtro Ieſu Chriſto, in Anno vero XXII, REGNI religioſiſſimi DUCIS Taſſilonis, Gentis Baioariorum.* Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1137: de Boleslao Polonorum & Sobieslao Bohemorum Ducibus: *Priusquam Triennales Treugæ* [Induciæ] *cum Sobieslao Bohemiæ Duce per Lotargium* [Lotharium] *Romanorum Imperatorem confectæ exſpirarent, communibus Baronibus tam Poloniæ, quam Bohemiæ agentibus, de Pace perpetua inter REGNA & DUCES firmanda, Tractatus haberi cœpti ſunt.* Inde quis non videt, pari Conditione DITMARUM potuiſſe BOLESLAO, quamvis DUCI, attribuere tamen REGNUM, id eſt, Imperium?

XXV. Alius, isque, niſi fallimur, non adeo ambiguus Locus invenitur, ubi DITMARUS ab OTTONE III. in BOLESLAUM I. collata Beneficia, obſcuriſſimè quidem, ſed tamen indicat: cum narrat, quemadmodum Polonorum Duces, MIESLAUS I. quem MISECONEM vocat, BOLESLAI I. Pater, adeo non Imperatori debitam ſubtraxerit Reverentiam, ut etiam Præfecto Marchioni Udoni, quô ſurgente non ſedere ſuſtinuerit, ſatis humilem Cultum præſtiterit: BOLESLAUS autem, quem Cæſar OTTO III ex TRIBUTARIO fecerit DOMINUM, id eſt, REGEM, mox GERMANORUM non AMICUS, ſed HOSTIS: non SOCIUS, ſed OPPUGNATOR, ad Conditionem priorem Vi ſubactus, non ad MISECONIS I. Patris Exemplum, illud ab Imperio Germanico impoſitum & SUBIECTIONIS & SOLUTIONIS Onus fideliter tulerit. Hunc enim Senſum reconditum habere videntur DITMARI Verba, quibus Lib. V, cum recenſuiſſet Boleslai I. Ducis, contra Henricum II. Cæſarem, in Luſaticas Terras Irruptionem, præcedentia præſentibus Temporibus opponit: *Quam iniquè*, inquiens, *comparandi ſunt Anteceſſores noſtri & contemporales? Vivente egregio Hudone, Pater iſtius* [Boleslai I.]

ANNO 1001.

GERMANORUM Romanus Imperator OTTO III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

MISECO [Mieslaus] *Domum, in quâ eum esse sciebant, *** intrare, vel eo assurgente, nunquam præsumsit sedere. DOMINUS indulgeat* [Deus ignoscat] *IMPERATORI* [Ottoni III.] *quod TRIBUTARIUM* [Boleslaum I.] *faciens DOMINUM* [REGEM, à Tributo & Subjectione liberum] *ad hoc unquam elevavit, ut* [collatis Privilegiis orbatus, & prioribus Obsequiis adstrictus] *oblitâ sui Genitoris* [Miseonis] *Regulâ, semper sibi Præpositis auderet in Subjectione paulatim detrahere: vilissimôque Pecuniæ transeuntis ineseatô Hamô, in Servitutis Libertatisque Detrimentum capere.*

XXVI. Quæ, cum ita sint, evidenter ostendunt, SILESIOS cum POLONIS sub eodem Duce BOLESLAO I. junctos, Imperatori OTTONI III. absolutam simul in Polonos & Silesios Potestatem, luculentis Speciminibus, circa Res cum Sacras, tum Civiles demonstranti, omnino fuisse, tanquam summo Principi, subjectos. Quo in Statu ad Cæsaris OTTONIS III. Mortem, id est, ad Annum 1002 perseverarunt.

ANNO 1002.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

XXVII. GERMANIS post Ottonem III. HENRICUS II, Cognomentô aliis SANCTUS, aliis CLAUDUS, Ortu Saxonum, Imperiô Bavarorum Dux, ab Anno 1002 ad 1024, Imperator: SILESIIS & Polonis, ut supra diximus, BOLESLAUS I. ab Anno 999 ad 1025, Dux præfuit.

XXVIII. BOLESLAUS electo quidem HENRICO Cæsari, cui Martisburgum in Misniam tendenti occurrerat, ibi supplex Pacem promittebat, sed fallax non servabat. Chronographus Saxo ad Annum 1002: de Proceribus Martisburgum ad Henricum profectis locutus: *Sed & BOLISLAVONEM Poloniæ Ducem occurrisse, & Regis* [Imperatoris] *Gratiæ ibi supplicasse, Pacis Fœdere promisso reperiunt: quæ quia firma non fuit, postmodum patuit.*

XXIX. Eckardus aliis Saxonum, aliis Misnensium Marchio, quem BO-

ANNO 1002.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

BOLESLAUS I. Polonorum Dux timuerat, post Imperatoris Ottonis III. Excessum, ob affectatum Imperium Romanum trucidabatur. Tum Boleslaus, quantum valebat, Potentiam Germanorum enervaturus, suam extensurus, statim contra HENRICUM II. Imperatorem arreptis Armis LUSATIAM, quam Præfectus Cæsareus GERO Comes Limitaneus defendebat, posteaque malis Artibus MISNIAM occupabat. Ditmarus in Chronico, Lib. V: *BOLIZLAUS, Miseconis Filius, Patre longè inferior, de Morte latatur Comitis Ekkehardi, moxque electo Exercitu omnem Geronis Comitis Marcham citra Albim jacentem: denique præmissis Obsidibus BUDISSINAM Civitatem, cum omnibus Appertinentiis comprehendens, statim STRELAM Urbem invasit, MISNENSES Pecuniâ corrumpere tentans.* Ibidem post quædam, de Misnensium Urbe Misnâ Boleslao deditâ: *Ducem BOLIZLAVUM per Internuncios invitant, Portisque eundem suscipiunt apertis, completurque, quod scriptum est: Lætantur, cum male fecerint, ac exsultant in Rebus pessimis. Et iterum: sunt Principia eorum, ut Mel, & novissima quasi Absinthium. Hac elatus Prosperitate BOLIZLAVUS, omnes Regionis illius Terminos, usque ad ELSTRAM Fluvium præoccupavit, Præsidiisque suismet muniit. Congregantibus tum se se ad hæc unanimiter prohibenda nostris, dolosus ille Legatum obviam misit, qui se protestaretur, cum Gratiâ HENRICI Ducis* [Imperatoris nondum coronati] *ac Licentiâ hæc incepisse: in nullo se Incolis nociturum, & se, quando is in Regno* [Imperio Romano] *vigeret, Voluntati ejusdem in omnibus assensurum: sin autem, quod his tum placeret, libenter facturum. Hoc animadvertentes nostri, Verbis credidere phaleratis, & inhonestè, quasi ad Dominum, ad eundem profecti, Honorem innatum Supplicatione & injusta Servitute mutabant.*

SILESIORUM Regio GLACENSIS
Per Boleslaum III. Bohemorum Ducem
occupata.

XXX. Illa SILESIÆ Pars, quæ finitimos habet ad Occidentem Bohemos, ad Meridiem Moravos, hodieque COMITATUS, à primaria

ANNO 1002.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II. SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

Urbe GLACIO, quæ Scriptoribus Slavicis KLECKO, KLOCKO, CLOSCUM dicitur, GLACENSIS nominatur, cum reliquo Sileſiæ Tractu olim Ducibus SILESIORUM ſubjecta, cum eorum Dux BOLESLAUS I, circa Luſatiam & Miſniam HENRICO II. Imperatori eripiendam peregri hæreret, vehementer affligebatur. Hanc enim totam SILESIÆ Provinciam BOLESLAUS III. Bohemorum Dux hoſtiliter invadebat, devaſtabat, ſubactamque ſibi reddebat tributariam. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. II. ad Annum 1002: *Pernicioſo Dux BOLESLAUS III. Bohemiæ Conſilio ſeductus, Guerram* [Bellum] *Cauſâ non præcedente, aut de Merito Regi Polonorum movens, in Terras Polonorum, verſus KLECKO armatus deſcendens, cœpit illas hoſtiliter vaſtare Igne, Populatione, & Gladio, ſuaque Ditioni ſubjicere & Tributo.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. III: de Boleslao III. Bohemorum Duce: *Improbo quorundam Procerum ſuorum Conſilio adductus, quod ii non permiſſos ſe à Miecislao Boemiam pro Libidine ſua vexare dolerent, Poloniæ* [Sileſiæ] *Fines circum CLOSCUM Oppidum Ferro & Igni Prædisque agendis vexabat*

ANNO 1004.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II. SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

XXXI. Hanc ulturus Injuriam BOLESLAUS I. Polonus Bohemicam Terram invadebat & occupabat. Hinc verò per HENRICUM II. Cæſarem ex Italia reverſum depellebatur profugus, Bohemis Deditionem Cæſari facientibus. Chronographus Saxo ad Annum 1004: de Henrico II. Imperatore: *Rex de Italia reverſus paulo poſt Tempore Boemiam, quam BOLIZLAUS Polnienſis injuſtè poſſederat, pugnaturus intravit. Sed, Deo adjuvante, tota illa Gens ſe ſe cum Pace ſuaque omnia dedere, & ille Tyrannus BOLIZLAUS contumelioſè evaſit.* Cœteras Res, inter Boleslaum I. Polonorum, & Boleslaum III. Bohemorum Ducem, iisdem Annis geſtas, ad Sileſiorum Hiſtoriam non pertinentes, enarrare non immerito ſuperſedemus: quas, præter Polonicos Bohemicosque Scriptores, utris-

trisque multò antiquior, tanquam ſui Temporis Acta, commemorat Ditmarus, Martisburgenſis Epiſcopus, non tam in editis, quam nondum editis, ex MSto excerptis, ad Librum V. Additamentis Leibnitianis.

ANNO 1005.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II. SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

SILESIORUM Epiſcopus III. SMOGRENSIS, CLEMENS Italus.

XXXII. URBANUS, ille SMOGRENSIUM Epiſcopus, per Annos XXII, de SILESIORUM Scholis laudabilem in Modum meritus, Anno 1005 decedebat. Ei Succeſſorem CLEMENTEM Italum, Stirpe nobilem, quem Opportunitas URBANO in SILESIAM tendenti Comitem adjunxerat, ſimul & Clerus, & Populus SMOGRENSIS, ad veteris Eccleſiæ Morem, eligebat. Ioannes Dlugoſſus in Epiſcoporum Vratislavienſium Vitis MStis, Num. III: *CLEMENS Primus SMOGERZOVIENSIS Eccleſiæ Pontifex à Clero & Populo SMOGERZOVIENSI electus.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, de Epiſcopis, Num. III: *Conſiderandus eſt Mos Electionis uſitatus illo Tempore, congruens ad Conſuetudinem primæ & purioris Eccleſiæ. Manifeſtè dicit Hiſtoria, fuiſſe eum* [Clementem] *electum à COLLEGIO & Populo Eccleſiæ SMOGRENSIS.*

XXXIII. Eundem CLEMENTEM Epiſcopum BOLESLAUS Primus SILESIORUM Dux electum admittebat: Iohannes XVII (aliis XVIII) Pontifex Romanus confirmabat: Hippolitus Archiepiſcopus Gneſnenſis ſolenniter inaugurabat: SILESII tantò magis amabant, quod Sermonis Germanici Peritiam conſecutus, eò felicius & in Eccleſia, & in Schola diſcentibus conſuleret. De quò agunt, Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XIII. & Lib. III. Cap. II. Num. III. Fridericus Lucæ in Sileſiæ Memorabilibus, Parte II. Cap. I. Num. III. Nos agemus etiam ad Annum 1027. §. LXII.

AN-

ANNO 1006.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

SILESII Romano GERMANORUM Imperio subjecti.

XXXIV. Cæsar HENRICUS II. Expeditionibus aliis per Italiam & Germaniam defunctus, MISNIAM & LUSATIAM, quas Polonorum Dux BOLESLAUS I. occupaverat, sub pristinum GERMANORUM Obsequium redigebat. Hinc sub Regimine Polonico Terras, à Lusatiæ Finibus, ultra VIADRUM ad VARTAM extensas, ad veterem SILESIAM pertinentes, BOLESLAO I, quas ipsius Pater MIESLAUS I. [ut Cap. VI. §. XVII. & XXVII. ostendimus] Imperio Romano subditas possederat, vel prorsum ereptus, vel ad Leges antiquas permissurus, oppugnabat. SILESIAM Anno 1006 ingressus ad ODERAM circa BOBERUM hærebat: ubi Germanis ad Urbem Crosnensem Poloni Transitum prohibebant. Intra Hebdomadem invento per BOBERUM Vado, HENRICUS statim BOLESLAUM in Fugam Terrore conjiciebat: nemine Moram objiciente, Victor in Septentrionem versus, peragrabat SILESIAM: majorem intrabat POLONIAM: ubi MESERICIO POSNANIAM tendebat. Quâ si potiretur HENRICUS, metuebat BOLESLAUS suorum Militum Defectionem, pluriumque Provinciarum Amissionem. Quamobrem BOLESLAUS ab HENRICO, qui secundum ad Lapidem à Posnania cum Exercitu consederat, Precibus, non Armis superando, Veniam Pacemque solicitus expetebat, Jætus impetrabat. Tangit hæc paucis Chronographus Saxo ad Annum 1005: *Rex* [Imperator Henricus II.] *Irâ permanente, contra BOLIZLAVONEM reparato Agmine POLONIAM accelerans fugientem insequitur, suam quasi Injuriam defensurus.* Ea verò, quibus Spectator adfuit, Cæsaris Henrici II Comes, multô, ut prolixiorem, ita meliorem in Modum exponit Martisburgensis Episcopus Ditmarus in Chronico, Lib. VI: *Inde mox imparibus Ducibus* [Henrico & Boleslao] *inæquales Turmæ usque ad ODERAM Fluvium provenientes, fixerunt Tentoria juxta Amnem, qui BOBER dicitur Slavonicè, Castor Latinè. Quos BOLIZLAUS munitis Litoribus præfati Fluminis cum Exercitu grandi in CROSNO sedens, ullo Modo transire prohibuit. Sed cum Rex* [Imperator Henricus] *septem Dies ibi moratus Naves atque Pontes pararet, Divinus Respectus missis Speculatoribus suis Vadum ostendit optimum. Quem sex Legiones*

ANNO 1006.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

nes in ipso Diei Crepusculo, Iussu Regis, intrantes, incolumes eo fruuntur. Quod eminus agnoscentes BOLIZLAVI Custodes, triste Nuncium ac incredibile Seniori suimet detulerunt. Hic tandem per tres vel amplius Legatos certus effectus, amotis propere Castris, ipse cum suis pluribus ibidem relictis Rebus fugit. Id Rex cum suis cautè considerans, Christo Laudes cum Clero & omni Populo altâ Voce cecinit, & cum Securitate Flumen pertransiit. Hi autem qui præcesserunt, cum Luiticios [Lusatos Auxiliatores sub Imperium Henrici II revocatos] *diu tardantes exspectarent, evenit, ut Hostes in Tentoriis improvisos opprimerent. Quos nostri alacriter insecuturi, velut fugaces Cervos, persequi cum non valerent, ad consociatos revertuntur. Profectus est inde Rex, & usque ad Abbatiam, quæ MEZERICI dicitur.* Ibidem post paucissima: *Dehinc Hostem in nulla suimet Urbium pernoctare præsumentem, proxima quæque vastando persequitur: & non longius, quam duo Milliaria ab Urbe POSNANI rogatus à suis Primatibus consedit. Exercitus autem in colligendis Frugibus cæterisque Rebus necessariis divisus, magnum ab insidiantibus Inimicis sustinuit Damnum. Interim per fidos Intercessores, Regis Gratiam BOLIZLAUS petiit, & exaudiri mox promeruit. Tagmo Archiepiscopus* [Magdeburgicus] *cum aliis Familiaribus Regis ad Civitatem prædictam, à BOLIZLAO rogatus venit, & cum Iuramentis ac Commendationibus condignis firma Pacis Fœdera apud eundem pepigit.* Eadem commemorat Georgius Fabricius in Originibus Saxonicis, Lib. II. ad Annum 1006: ubi talem in Modum postrema explicat: *Aberat Miles Saxonicus tantum duobus à POSNONIA Milliaribus: ad eamque Urbem capiendam, Prædæ Causâ, cupidè festinabat. Eâ Urbe si potirentur, Polonus suorum Defectionem metuebat: propterea, quod Bellum intulisset Hominibus quietis, quos propulsare non posset amplius. Quocirca Solicitudine anxius, Gratiam Imperatoris per Legatos implorat, & Veniam Facinoris petit: & Obsides mittit, ut sine Mora Conditiones conscribi & obsignari possent: quas Magdeburgius Antistes, Urbem una cum aliis ingressus ferebat, & Imperatori Regis* [Ducis Boleslai] *Mentem referebat. Novô inter ipsos Fœdere firmato, Saxones Domum redeunt.*

ANNO 1006.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

XXXV. Quibus Pacem Conditionibus ab HENRICO Imperatore Dux BOLESLAUS obtinuerit, non Ditmarus addit. Sed quis temere dubitet, quin Henricus Boleslao, inter Pacis Leges, ſubjectionem Romano Germanorum Imperio [ad quam Pater Mieslaus I. obſtrictus erat] debitam, in poſterum Tributarius, conſtanter obſervandam præſcripſerit? Et quis non videt ad eam HENRICO præſtandam ſingulariter obligatos SILESIOS: quorum Terram, à fugientibus POLONIS deſertam, ille jam ſuæ Poteſtati ſubditam, citra Obſtaculum, vel jam reddiderat, vel mox redditurus erat?

XXXVI. Id certè confirmant, quibus ab HENRICO victus & ſubactus BOLESLAUS narratur. Hermannus Contractus in Chronico ad Annum 1004: *HENRICUS Rex Italiam & Bohemiam, & BOLIZLAUM Ducem Slavorum cum prima Gente ſuæ ſubjugavit.* Marianus Scotus in Chronico ad Annum 1004: *HENRICUS Rex Italiam, Bohemiam & BOLIZLAUM cum omni Slavorum Gente ſubjugavit.* Eadem Albertus Stadenſis in Chronico iisdem Verbis commemorat, ad Annum 1003.

XXXVII. His verò in Locis non alium SLAVORUM, quam POLONORUM Ducem intelligendum, Otto Friſingenſis docet in Chronico, L. VI. c. XXVIII: ubi de Imperatoris Conradi II. [quem Cæſar Henricus II. Succeſſorem habuit] Rebus agit: *BOLESLAUS POLONORUM Dux, qui ab Anteceſſore ſuo HENRICO noviter ſubactus fuerat.* Autor Anonymus in Imperatoris Henrici II. Vita: quam Henricus Caniſius in Antiquæ Lectionis Tomo VI. edidit: *Convocatis Principibus Regni ſui* [Henricus] *apud Chutelingeburg Curiam celebravit, atque univerſis in id ipſum conſentientibus, POLONIAM & Bohemiam, cæterasque Slavorum adjacentes Regiones, quæ Fines Regni ſui devaſtaverant, debellare diſpoſuit.* Ibidem poſt quædam: *Ut verò Principes POLONIÆ & Bohemiæ, & cæterorum Sclavorum Primates Romanum Imperatorem cum Exercitu ſuo, ut eos debellaret, advenire cognoverunt, collectâ innumerabili Barbarorum Multitudine, in Bellum obviam proceſſerunt. Quod Regi piiſſimo per Speculatores ſuos citiſſimè innotuit.* Iterum poſt quædam: *Victis itaque Barbaris, & quæ ad futuram Pacem prodeſſe poterant, Pactione firmiſſimâ ſtabili-*

ANNO 1006.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

bilitis, Rex beatiſſimus cum ſuis reverſus eſt ad propria: Univerſis glorificantibus Deum & laudantibus, qui præſtat Auxilium omnibus in ſe ſperantibus. Cumque Imperator Chriſtianiſſimus POLONIAM, Bohemiam & Moraviam TRIBUTARIA feciſſet, ob Reverentiam S. Laurentii Martyris, Conculcationem & Deſtructionem Merſeburgenſis Eccleſiæ cœpit pro Miſericordiæ & Pietatis Intuitu reſpicere.

ANNO 1007.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

XXXVIII. BOLESLAUS I. Polonorum Dux, præpoſterus Germanorum Adverſarius, vanam ſine Viribus Iram nuper iterum expertus, tandem impatientior Subjectionis, quâ Cæſari HENRICO II devinctus erat, in recuperandæ Libertatis Spem erectus, miſſis ad Imperatoris Hoſtem Boleslaum III, Bohemorum Ducem Exſulem Auxiliis, prius clam, denique palam, & LUSATOS, & MISNENSES iterum invadens, Pacis Violatorem, Imperatoris Oppugnatorem agebat. Hinc, quod BOLESLAUS I. Polonus per BOLESLAUM III Bohemum fecit, utrivis reperimus aſſignatum. Ditmarus in Chronico, Lib. VI: *BOLIZLAUS autem Luzici, Zala & Selpuli* [Luſatiæ Oppida] *denuo occupat: & longè poſt BUDISSIN Civitatem, Præſidio Hermanni Comitis munitam.* Ibidem poſt quædam: *Venit* [Miſnenſium] *Marchio Hermannus ad Magdeburg, Walterdum tunc Præpoſitum interpellans, omnesque ſpecialiter per Legatos evocat Primates, quos multum hic tardaſſe vehementer queritur, & tamen Milites ſuos* [Budiſſinam defendentes] *per Internuncios ſolatur. Qui cum aſſidua BOLZLAVI Impugnatione laborarent, viriliterque diu reſiſterent, videntes non nullos ex Sociis ſuis nutare, Dominumque ſe ad liberandos non veniſſe, Licentiam hinc exeundi cum omnibus, quæ habebant apud Ducem præfatum impetrantes; Urbem ei reddiderunt, triſtesque Patriam repetebant.* Ibidem poſt multa: *Interea prædictam Urbem* [Miſnam] *Bruno Comes Frater Guncelini, Ordine Vicis ſuæ cuſtodiebat: & ecce, priori Die, quam Hermannus adventaret, magna POLENIORUM Caterva in primo Diei Crepu-*

ANNO 1007.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

pusculo Albim transgressa, usque ad Portam Civitatis sibi promissæ silenter veniebat. Sed cum positis ibidem Militibus facilis ei non pateret Introitus, reversa tristis, proh Dolor, illæsa & nemini nocens. Iterum post quædam: *BOLIZLAVUS autem inter Spem Metumque solicitus, in BUDISSIN hos exspectabat, &, ut adventare Socios comperit, delusum se graviter portat.*

ANNO 1008.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

XXXIX. Hæc non impune passurus HENRICUS Imperator, BOLESLAUM Polonorum Ducem Anno 1008 debellaturus, in SILESIAM Copias mittebat. BOLESLAUS ibi GLOGOVIAM, ubi Sedem habebat tutam, non egredi, Hostesque non aggredi ausus, circumcirca SILESIAM devastare patiebatur. Ditmarus Lib. VI: *Rex* [Imperator] *autem in hac Ætate & proxima Hieme, Consilio & Virtute pacatis Hostibus, Contumeliam & Damnum â BOLIZLAVO sibi illatum crebra Meditatione revolvit, & post Pascha Expeditionem suam atroci Iussione indixit.* Ibidem post quædam: *Prædicti Seniores, cum Urbem GLOGUA dictam, ubi BOLIZLAUS ipse fuerat, ac eos perspicere poterat gregatim, loricati transirent, Militum hac â Muris cernentium Animos provocant, & hi Ducem suimet, cur hoc pateretur, alloquentes: sibi eos tentandi Licentiam poscunt. Quibus talia refert: Exercitus, quem videtis Multitudine parvum, Virtute magnus est, & è Militibus cæterisque electus. Hunc si aggrediar, sive vincam, seu superabor, in postremum depressus sum. Regi possibile est, alium ilico Exercitum congregare: multò melius, nos hoc Modo patienter ferre, & alias, si posset fieri, absque magno nostri Detrimento his superbientibus nocere.* Paulò post ibidem: *Quamvis crebra Imbrium Inundatione nostri tardarentur, tamen latè Hostibus Damna intulerunt: tandem vastatis omnibus circumquaque jacentibus.*

ANNO

ANNO 1010.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

XL. Post hæc, paratis ad novam Expeditionem contra Polonorum Ducem BOLESLAUM Copiis, Cæsar HENRICUS ne prosequeretur eam cœptam, Valetudine sinistrâ impediebatur: devastatâ nihilò secius Polonorum Terrâ, non exiguam Prædam reportabat. Chronographus Saxo ad Annum 1010: *HENRICUS Rex in Expeditionem suas contrahens Copias, BOLIZLAUM Poloniæ quæsiturus: Sed quò velle ducebat minimè perventurus, gravi ingruente Ægritudine, mediâ revertitur Viâ: cæteris, ut erant Bello parati, plurima devastantibus Loca, multamque Prædam secum reportantibus.*

ANNO 1011.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

XLI. Hanc ulturus Cladem BOLESLAUS, invadebat HENRICI Regionem MISNIAM: ejusque Partem Dalamantiam, aliis Daleminciam dictam occupabat: cujus Urbem Misenam expugnabat: par, quod intulerat, Damnum passus, Domum redibat. Chronographus Saxo ad Annum 1012: *BOLIZLAVO multis Millibus suorum contractis Dalamantiæ Terminos occupavit, Urbem eò Loci noviter instauratam dolosè expugnavit, & utrinque magna Strage peracta cum captivis Domum reversus est.*

ANNO 1013.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

XLII. Tandem BOLESLAUS Propositis exsequendis se rursus imparem ab Eventu certus, ad Imperatoris HENRICI Gratiam confugiebat. Ab eò, intra Misniam apud Martisburgenses commorante, permissos Nuncios, etiam per Archiepiscopum Magdeburgicum expetebat, sed non impetrabat Pacem, toties sine justâ Causâ dissolvere nihil veritus, experiebatur Imperatorem ad Belli Continuationem propensissimum. Chronographus Saxo ad Annum 1013: de Henrico II. Cæsare: *Merseburg venit, & BOLIZLAVI Nuncios Pacem poscentes, & Confirmationem cum*

ANNO 1013.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

Misecone ejusdem Filio fieri promittentes audivit. Autor Chronici Magdeburgici de Magdeburgensibus Archiepiscopis, in Waltardo: *Invitatus à BOLESLAO, Polonorum Duce, qui REBELLABAT Regi* [Imperatori] *componendæ Pacis Gratiâ citius venit: ibique Biduo commoratus, sed nil proficiens, pro quâ accersitus fuerat Causâ, magnificè ab illo donatus remeavit. Indicitur ergo à Rege generalis Expeditio contra BOLISLAUM.*

XLIII. BOLESLAUS igitur Armis territus, per Filium suum MIESLAUM, quem plerique MISECONEM vocant, HENRICO Fidem Sacramentô firmabat. Ditmarus in Chronico, Lib. VI: *Interpositis Diebus paucis MISECO, BOLIZLAVI Filius, cum magnis veniens Muneribus, Regis* [Imperatoris] *efficitur, & Fidem cum Sacramento firmat.* Eadem profert Chronographus Saxo ad Annum 1013.

XLIV. Mox ipse BOLESLAUS Martisburgum ad HENRICUM, obsidibus in Securitatem acceptis, extremô Vere digressus, Gratiam plenam certamque Pacem obtinebat: præsertim novâ Muneris Obligatione vinctus, Imperatoris creatus MILES, id est, EQUES, quem Ætas illa Militem nominabat: & ARMIGER, id est, Scuti Gladiique Portator, primarius in Palatio Augusto Minister. Ditmarus, eô Tempore Martisburgensis Episcopus, Lib. VI: *In cujus* [Pentecostes] *Vigiliâ BOLIZLAVUS cum Securitate Obsidum apud se relictorum venit, & optimè suscipitur. In Die sancto Manibus applicatis MILES efficitur, & post Sacramenta Regi ad Ecclesiam ornato incedenti ARMIGER habetur. In secunda Feria Regem magnis Muneribus à se & Contectali* [hoc est, sub eodem Tecto habitante Uxore] *suâ oblatis placavit: deinde Regiâ Largitate his meliora ac multo majora cum Beneficio diu desiderato suscepit, & Obsides suos cum Honore & Lætitia remisit.* Eadem profert Chronographus Saxo ad Annum 1013.

XLV. Tali POLONORUM Statu, quem nemo satis exposuit, quæ SILESIORUM fuerit Sors, ambiguum quidem est: probabile tamen est, in Polonorum Terris, tanquam Beneficiis, Romano GERMANORUM Imperio addictis, fuisse nostram SILESIAM: quam BOLESLAO amissam infra commemorabimus ad Annum 1018. §. LVI.

XLVI.

ANNO 1013.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

XLVI. Cæterum BOLESLAUS quantamcunque contestatus HENRICO, licet juratam, Fidem, palam quidem Amicus, clam verò Inimicus, Expeditionem in Italiam suscepturo promissas Copias nequaquam mittebat, insidiis deditus: quibus Fortunæ Vices observabat, Imperatorem Vires augentem formidaturus, perdentem debellaturus. Ditmarus Lib. VI: *Hinc usque ad Romam Rex* [Imperator Henricus II] *sine omni Scrupulo Regina comitante venit. Ad Supplementum hujus Itineris BOLIZLAVUS antea invitatus nil aspiravit, & in bene promissis More solito mendax apparuit. Insuper anteà Domino Papæ questus est per Epistolæ Portitorem, ut non liceret sibi propter latentes Regis Insidias promissum Principi Apostolorum Petro persolvere Censum. Tunc verò missis illo Nunciis, tacitus miratur, qualiter Rex in his Partibus haberetur: quoscunque potuit, ab ejus Gratia per hos amovere conatus. Tantus fuit hic Respectus Domini* [Cæsaris] *& sic piorum quæsivit Interventum, ac ita elucebat MILITIS* [EQUITIS ARMIGERI] *inclyti firma Fides, & de Sacramentis terribilibus adeo curavit.* Horum Interpretem agit Georgius Fabricius in Originibus Saxonicis, Lib. II. ad Annum 1012: *In Equitatu mittendo, ita, uti convenerat, POLONI magnifica Promissa fefellerunt. Nam non modo Rex* [Dux Boleslaus] *misit neminem: sed etiam Literas præmisit Romam, quibus Imperatorem accusavit, quod per ejus Insidias sibi factas staret, quô minus Votum Principi Apostolorum, quod fecerat, hactenus persolvisset: eludens sua Vanitate & Imperatorem, & Pontificem. Nam Legationis ejus Causa non erat Religio, sed ut exploraret Imperatoris Fortunam: quæ si fuisset adversata ejus Honori aut Felicitati, ut pro Tempore invadendi Germaniam sumeret Consilium.*

ANNO 1014.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

XLVII. In his BOLESLAUS non acquiescebat, sed HENRICO intra Italiam commoranti Bellum illaturus, per Filium suum MIESLAUM, qui pluribus MISECO dicitur, Bohemos in Partes suas pertrahere cona-

ANNO 1014.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

nabatur. MISECONEM ab Othelrico [Udalrico] Ianmiri [Iaromiri] Bohemorum Ducis Fratre captum, & HENRICO traditum, Gero Archiepiscopus Magdeburgicus non dimittendum suadebat ideo, ut, cum BOLESLAUM, tum MISECONEM, Polonorum Duces, Romano Germanorum Imperio subjectos retineret. Sed tamen HENRICUS, à corruptis Auro Polonico Aulicis persuasus BOLESLAO expetenti sæpius MISECONEM, iterum in Fidem receptum, quanquam difficulter, restituebat. Ditmarus Lib. VII: *Præfatus Dux* [Boleslaus] *mille Artium Scientiâ plenus, Filium suimet MISECONEM ad Othelricum Bojemorum Provisorem misit, ut memores mutuæ Consanguinitatis, se invicem pacificarent, & cunctis Hostibus suis, & maximè Cæsari resisterent.* Ibidem post quædam: *Tunc Othelricus nolens volens captivum* [Miseconem Henrico] *reddidit, & Imperatorem multum placavit. BOLIZLAUS autem de Ereptione Filii supra Modum gavisus, per Internuncios suimet condignas Cæsari Gratias egit, postulans, ut eum sibi ad Honorem, Inimicis autem suis ad Dolorem remitteret, & futuram utriusque Remunerationem veraciter agnosceret. Quod Imperator tunc non posse fieri, respondit: sed, cum ad Merseburg veniret, cum communi Principum Consilio suorum Voluntati suimet se tunc satisfacturum promisit. Hoc BOLIZLAUS ut audivit, non bene suscepit, qualiterque Filium in suam redigeret Potestatem, semper tacitâ Mente & crebra Legatione revolvit. At conductum Cæsar ut venit Locum, cunctos Optimates, quid sibi de hac re esset faciundum, consuluit. E quibus Gero Archiepiscopus loquitur primus: cum Tempus fuit, & cum Vestro Honore id fieri potuit, me ista hortantem non exaudistis. Nunc à Vobis est Mens BOLIZLAVI ob longam Filii retentionem & Custodiam aversa: & vereor, si hunc, sine Obsidibus, cum aliis Confirmationibus remittitis, ut in posterum FIDELI SERVITIO amborum careatis. Talia loquentem maxima præsentium Turba consequitur: & Pars corrupta id cum Honore magno fieri non posse ingeminat. Vicit Pecunia Consilium, & ut hoc BOLIZLAVO charius esset, in Fidem suam, cum omnibus, quæ habebat, MISECONEM recipi jubeat. Et* [Boleslai Legatus] *hæc à Cæsare suscipiens, reduxit & promissa percepit: admonens eundem & Filium, ut memores Christi & Fidei,*

ANNO 1014.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

dei nullum Cæsari Incommodum amplius inferrent, nec suos decipi paterentur Amicos. Unde colligas, tum adhuc SILESIOS [si non à POLONIS jam separati fuerunt] cum BOLESLAO Duce suo prius Vinculum passos, quò GERMANIS, tanquam Imperii Romani Populus, obligabantur.

ANNO 1015.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

XLVIII. Sed ne posthac quidem in Cæsaris HENRICI Obsequio diu BOLESLAUS Dux persistebat. Ideo illum partim Nuncio suo, partim Responso duro, quod ipse misso Cæsaris Legato reddebat, geminò Superbiæ Documento graviter offendebat: nihil ablatorum HENRICO restituturus. Chronographus Saxo ad Annum 1015: *Digressus* [Cæsar Henricus] *Merseburg, Paschale Festum peregit: ubi BOLIZLAVO omnia munera, quæ illi miserat, simul cum Gratia perdit, dum illum Legatione superbâ infestum reddidit.* Ibidem post quædam: *Addidit etiam hoc Anno Imperator Legationem mittere ad BOLIZLAVUM pro restituendis Regionibus, quas abstulerat. Ille verò, More consueto, superbe respondit: se non solum propria retinere velle, quin potius non sua diripere malle.*

XLIX. Hanc BOLESLAI perpetuam Contumaciam HENRICUS castigaturus, directo ad POLONIAM Exercitu, intrabat SILESIAM. Ibi, cum ad Urbem VIADRO adsitam CROSNAM hæreret, per Legatos in Vicinia cum Copiis subsistentem MISECONEM, Boleslai Filium, admonebat, ut promissæ Fidei memor, depositis Armis, Deditione sibi consuleret, neque pateretur Bonorum suorum Iacturam. Is verò, se Patris, talia prohibentis, cujus adhuc in Potestate sit, Iussa non posse non fideliter exsequi; Patriam suam, dum accederet Pater, defensurum respondebat. Tangunt hæc, Lambertus Schafnaburgensis in Chronico, ad Annum 1015: *Imperator ad POLONOS cum Exercitu abit.* Chronographus Saxo ad Annum 1015: cum Boleslai Responsum Legato Cæsaris datum indicavisset: *Ad hæc Imperator merito indignatus Bella parat, fortiaque Virorum Millia vocat in Arma, cum quibus sine Mora Poloniæ* [Silesiæ]

ANNO 1015.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

attigit Fines. Plenius ea commemorat Ditmarus in Chronico, Lib. VII. de Henrico II: *Inde ad Magdaburg proficiscens, Interventum Christi Militis Mauritii, ad exsuperandam Hostis BOLIZLAVI Contumaciam, supplicitèr rogavit.* Ibidem, cum Cæsaris per Lusatiam Iter narravisset: *Inde usque ad ODERAM Imperator profectus, ad Locum, qui CROSNA dicitur, optimos ab Exercitu ad MISECONEM, ibi turmatim sedentem, misit, ut eum de promissâ sibi Fide admonerent: &, ne propter eum ab Imperatore sua perderet Bona, cum Deditione sua præoccupare voluisset, unanimiter rogarent. Quibus is talibus respondit: Agnosco, me Gratiâ Cæsaris ab Inimici Potestate ereptum, ac Vobis Fidem promisisse: & eam libenter, in omnibus adimplerem, si liber existerem. Nunc autem, ut ipsi scitis, sum mei Patris Dominio subditus: &, quia ille hoc prohibet, & sui Milites hîc modo præsentes talia fieri non patiuntur, invitus omitto. Patriam, quam quæritis, meam, si possum, defendere usque ad Adventum Patris volo: & tunc eum ad Gratiam Cæsaris & ad Amorem vestrum inclinare cupio. Hoc nostri audientes egressi sunt, & hæc Imperatori Responsa detulerunt.*

L. His tanto majus Cæsar HENRICUS irritatus, obluctantes Copias Polonicas reprimebat: deletisque multis, seu sexcentis, seu nongentis, amplissima Spolia consequebatur. Eâ perculsus Clade BOLESLAUS, repellendis Hostibus impar, Fugâ sibi consulebat: HENRICUM superato VIADRO Terras Polonicas depopulari sustinebat. Ditmarus in Chronico, Lib. VII: *Cæsar autem, in Inventione Christi Protomartyris, ODERAM transmeans, reluctantem POLENIORUM Multitudinem admodum prostravit.* Ibidem post quædam: *Eorum autem, qui ex Parte hostili oppetierunt, non minor erat Numerus, quam sexcenti: Prædam relinquentes nostris ineffabilem. Hoc BOLIZLAVUS, ubi tunc mansit, ab Internunciis festinantibus mox rescivit: & quamvis eo libenter pergere voluisset, tamen præsentibus Inimicis Introitum patefacere ausus non est. Quocunque nostri in Navibus declinabant: illuc ipse cum suis Equô sequebatur alatô. Ad ultimum verò, erectis celeriter Velis, nostri per Amnem, unum navigabant Diem: & Inimicis eos tunc comitari non volentibus, Litus optatum securi comprehendunt, & proxima incendunt Loca. Quod cum eminus*

ANNO 1015.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

nus Dux præfatus agnosceret, More solitô fugit, & nostris Fiduciam, & Locum nocendi invitus concessit. Chronographus Saxo ad Annum 1015: *In primo* [Poloniæ] *Aditu Divina* [Henrico] *adsunt Solatia. Hostes enim terga verterunt: sed alibi nongenti ceciderunt: ipse quoque BOLIZLAVUS á Facie eminus fugit.* Ibidem post quædam: *Cæsar, ODERAM transmeans, reluctantem POLONIORUM Multitudinem admodum prostravit.*

LI. HENRICUM ex SILESIA discedentem BOLESLAUS Pace falsâ per Exploratorem circumvenire conabatur: Fraude cognitâ, per Vim, intra SILESIAM non nihil persequebatur. Ditmarus in Chronico, Lib. VII: *BOLIZLAVUS autem audiens, Imperatorem aliâ, quam intraverat, Viâ hinc exiturum, juxta ODERAM omnimodis sua firmavit. Sed cum hunc jam abiisse comperiret, magnam Peditum Multitudinem ad Locum, ubi noster consedit Exercitus, præmisit: præcipiens eis, si aliqua Opportunitas sibi accidisset, hujus saltem aliquam Partem lædere tentaret. Insuper Aboatem suum, cum Nomine, simulatâ Pace ad Cæsarem misit, qui protinus ab eo Explorator esse cognoscitur, & ibidem, quousque omnis pene Exercitus, factis in præcedenti Nocte Pontibus, Paludem transcenderet præterjacentem, detinetur.* Ibidem post quædam: *Post hæc ab Hostibus prope in Silva latentibus magnus Clamor ternis Mugitibus attollitur, & mox nostrum Agmen Sagittariis intermixtim currentibus ab his appetitur. Quibus primo Conflictu secundoque fortiter resistunt, & ex eis multos palantes occidunt.*

ANNO 1016.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

LII. BOLESLAUS, quem HENRICUS, nisi Bellis aliis fuisset impeditus, facile sub priorem Subjectionem & Obedientiam redigere potuisset, post hæc quietus, iterum, sed citra Successum, ab illo Pacem expetebat. Denique Submissionem cum Elatione commutans, Bohemiam, HENRICO subjectam Provinciam, per MISECONEM Filium, deprædatur, ingentemque Captivorum Copiam reportat, in Patris Applau-

ANNO 1016.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

ſum. Ditmarus Lib. VII: *Hoſtis autem noſter BOLIZLAVUS inter hæc nil noſtra læſit, ſed ſua munit, & certus de Eventu Cæſaris effectus, lætatur & nimis extollitur. Namque multi, quibus hoc cognitum erat, veraciter aſſerebant, ſi Cæſar ad eum tunc turmatim veniret, Timore, quod eundem de noſtris reſpiceret, & eum ad SERVITUTEM ſuam, Pace tantum conceſſâ, promtum & FIDELEM habere potuiſſet.* Ibidem poſt multa: *HENRICUS, quondam Bavariorum Dux, a BOLIZLAVO, quò Pacis firmandæ Gratiâ perrexit, cum Nunciis ejusdem rediit: quem Imperator audita referentem ſua iterum Legatione remiſit: nilque ibi proficientem, ad Dominam & Sororem ſuam abire ſinit.* Iterum poſt quædam: *Dum hæc aguntur, MISECO, BOLESLAVI Filius, Bojemiam, Abſentia Othelrici Ducis ſui, minus ſolitò repugnantem, cum decem Legionibus invadens, duos Dies prædatur eandem, & cum innumerabili captivorum Multitudine reverſus, Patrem Gaudiis implevit immenſis.*

ANNO 1017.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

LIII. HENRICUS igitur à Bohemia MISECONEM averſurus, BOLESLAUM in SILESIA debellabat. Ibi adventurum Hoſtem ad Urbem GLOGOVIAM exſpectabat: quò HENRICUS Die IX Auguſti perveniebat. Inde miſſis duodecim Legionibus NIMICIUM occupare conabatur. Eam non à Slavis, ſed à Germanis conditam, quam fortiter oppugnabat, rarâ Obſidionis Patientiâ reſiſtentem, quò minus expugnaret, Moravorum in Bohemiam [ad quam defendendam ſtimulabatur] Impetu prohibebatur. BOLESLAUS ut Nimicenſium Obſidioni propinquior eſſet, GLOGOVIÁ progrediebatur VRATISLAVIAM: quam Ditmarus WORCIZLAVAM, id eſt, WORZELAVIAM, nominat. Ibi lætus ob induratam Nimicenſium Conſtantiam, è ſuis clam in Bohemiam miſſos ſexcentos, non Prædam, ſed Damnum aſſecutos mœſtus audiebat. Lambertus Schafnaburgenſis in Chronico ad Annum 1017: *Imperator contra POLONOS iterum Exercitum duxit.* Ditmarus in Chronico,

ANNO 1017.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

co, Lib. VII: *Cæſar verò cum Exercitu ſuo & Bohemiorum atque Luticiorum Comitatu obvia quæque devaſtans, quintò Idus Auguſti, ad Urbem GLOGUAM, ubi BOLIZLAVUS cum ſuis eos præſtolatur, ſolicitus venit, & provocantem inter Sagittarios latitantès Hoſtem noſtros perſequi prohibuit. Inde electas ab Exercitu valido XII Legiones ad Urbem, eò, quod à noſtris olim ſit condita, NEMEƵI dictam, præmiſit.* Ibidem poſt quædam: *Tunc omnigenarum Species Inſtrumentorum à noſtris parari jubentur, & mox Parte contraria his admodum ſimilia videntur. Nunquam audivi aliquos, qui meliori Patientia ac prudentiori Conſilio ſe unquam defendere viterentur. Si quid his proſperi accidit, nunquam exclamabant: nec Adverſitatem aliquò Gemitu ingraveſcente aperiebant. Interim Mararenſes Bohemiam ingreſſi, Urbem quandam expugnant, & cum Præda ingenti incolumes exibant.* Iterum poſt quædam: *Cæſar autem videns Exercitum, Infirmitate depreſſum, in Urbe capienda invanum laborare, Iter ſuum nimis arduum ad Bohemiam direxit.* Iterum poſt quædam: *BOLIZLAVUS verò in WORCIZLAVA Civitate Eventum Rei ſolicitus exſpectans, cum Imperatorem abiiſſe, Urbemque ſuam incolumem ſtare audiret, lætatur, Militibusque congaudet. Pedites autem plus quam ſexcenti Bohemiam clanculum petentes, Prædamque ſibi More ſolito inde ſperantes, quem Hoſtibus Laqueum extendére, paucis excedentibus incurrére.*

ANNO 1018.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

LIV. Tandem BOLESLAUS licet Fidei toties Violator, ad Preces iteratas, intra Luſatiæ Budiſſinam Urbem, obtinebat ab HENRICO Pacem Die Ianurii XXX: eamque, ſicut ex Circumſtantiis partim recenſitis partim recenſendis patet, ad veteres Leges, quas Romanum Germanorum Imperium Ducibus in Beneficium indultas Provincias poſſidentibus præſcribere ſolet. Ditmarus Lib. VIII: *Anno Dominicæ Incarnationis M. XVIII. Indictione II. Anno autem Domini HENRICI Imperatoris Auguſti XVII, Imperii autem IV. Circumciſio Domini & Theophania in prædicta Civitate ab eodem*

ANNO 1018.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

dem veneràbiliter colebatur: poſteaque Iuſſu ſuo & aſſidua BOLIZLAVI Ducis Supplicatione in quadam Urbe Budiſſin dicta, à Gerone & Arnulpho Epiſcopis, & à Comitibus Herimanno atque Thiedrico & Friderico ſuimet Camerario, Pax Sacramentis firmata eſt III. Calendas Februarii: non, ut decuit, ſed ſicut tunc fieri potuit, electisque Obſidibus acceptis, præfati Seniores reverſi ſunt.

LV. Eandem Pacem, quam cum HENRICO inire BOLESLAUM Neceſſitas juſſerat, neque ſinceram, neque diuturnam declarat ibidem Ditmarus, cui Boleslaus non ex Fama, ſed ex Vita, cujus intra Poloniam & Sileſiam præſens fuerat Æſtimator, bene cognitus erat. *Nec*, inquit, *opus eſſe autumo, de BOLESLAO amplius diſſerere: cujus Nomen & Converſatio, ſi Dominus omnipotens vellet, ſatius nobis lateret. Omne hoc, quod Pater ſuus* [Mieslaus, quem vocat Miſeconem] *& iſte* [Boleslaus] *nobis in Conjugio ac Familiaritate magna copulati ſunt, plus Damni ſubſequentis, quam Boni præcedentis attulit, ac in futuro infert: quia, etſi Pace ſimulatâ nos ad Tempus diligat, tamen per ſecretas Tentationum Varietates nos à Charitate mutuâ, à Libertate innatâ, deducere: &, ſi quando Tempus ac Locus contingit, in Perniciem apertam aſſurgere non deſiſtit.*

LVI. Ita verò nunquam inter HENRICUM II. Cæſarem, & BOLESLAUM I. Sileſiorum Polonorumque Ducem ſtabilis Amicitia fuit: quoniam Henrico nunquam Boleslaus ſervabat Fidem; nunquam Henricus indulgebat Boleslao immunem ab Obſequiis Romano Germanorum Imperio præſtandis Libertatem: cujus ſemper Affectator maximus exſtitit. Cœterum, in Bellis toties contra Germanos renovatis, ſub Henrico Boleslaus amittebat SILESIAM: incertum, quando recuperatam. Eandem, quantum videtur, BOLESLAUS Bello ſubactam, ad ultimum propitiô Pacis Pactô retinebat. Vincentius Kadlubko, per SELEUCIAM intelligens SILESIAM, in Polonica Hiſtoria, Lib. II. Cap. XIII: de Boleslao I: *Armorum Strenuitate reſplenduit: quibus SILEUCIAM, Pomeraniam, Pruſſiam, Ruſſiam, Moraviam, Bohemiam, ſua ſubjiciens Ditioni, ſuis Poſteris reliquit vectigales.* Commentator vetus ibidem: *Sic enim ſtrenuus exſti-*

ANNO 1018.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

exſtitit, quando SLEZIAM, Pomoraniam, Pruſſiam, Ruſſiam, Moraviam, Bohemiam, ſuæ Ditioni ſubjiciens, ſuis ſic ſuccedaneis reliquit tributarias & vectigales. Quare jam ex antecedentibus rectè ponderatis colligas: SILESIOS, ab HENRICO II Cæſare, tanquam ſummo Principe, Duci BOLESLAO I. cum ereptos, tum permiſſos, nunquam non permanſiſſe Romano GERMANORUM Imperio ſubjectos.

ANNO 1024.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

LVII. GERMANIS poſt Henricum II. CONRADUS II. Cognomentô SALICUS, ab Anno 1024, ad 1039 Imperator: SILESIIS & Polonis BOLESLAUS I. ad Annum 1025 Dux præerat.

LVIII. Tum BOLESLAUS, tanquam ſui Iuris Dux, plenam REGIS Poteſtatem iterum affectare gaviſus, Titulum REGIS uſurpabat: quô, tanquam Imperatoribus Germanicis tributarius ſubjectusque, nuper HENRICO II. refractarius ſubactusque Dux, in CONRADUM II. injurioſus habebatur. At reſumto Superbiæ Spiritu mox edebat Vitæ Spiritum, Anno 1025. Wippo Presbyter, Cæſaris Henrici II Sacellanus de Conradi II Vita [quam Cæſari Henrico III, Conradi II Filio dedicavit,] Cap. IX: *Eodem Anno, quem ſupra notavimus* [Conradi II primo, Chriſti 1024] *BOLISLAUS Sclavigena, Dux BOLANORUM, Inſignia Regalia, & REGIUM Nomen in INIURIAM Regis* [Imperatoris] *CHIIONRADI] ſibi adaptavit: cujus Temeritatem cita Mors exinanivit.* Otto Friſingenſis in Chronico, Lib. VI. Cap. XXVIII: *In Primordio Regni ejus* [Conradi II. Cæſaris] *BOLESLAUS Polonorum Dux, qui ab Anteceſſore ſuo Henrico* [Secundo, Imperatore] *noviter SUBACTUS fuerat, à Regno* [Imperio Germanorum Romano] *dividi, REXque per ſe vocari molitur. Qui non multô poſt moriens, Miſiconem Filium ſuum Succeſſorem reliquit.* Gotfridus Viterbienſis in Chronico, Parte XVII, ad Annum 1020: *In Principio Regni ſui* [quod Cæſar Henricus II ſuſceperat] *Dux Polonorum BOLESLAUS, quem Prædeceſſor ſuus HENRICUS* [Secundus] *noviter Regno SUBIECERAT, per*

ANNO 1024.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

per ſeipſum REX vocari intendit, & ab Imperio [Germanorum Romano] *dividi proponit.* Ioannes Nauclerus in Chronographia, Vol. II. Generatione XXXV, ad Annum 1025: *In Principio Regni CUNRADI Dux Poloniæ BOLESLAUS, cujus Regnum HENRICUS Imperator Romano Imperio TRIBUTARIUM fecit, absque CUNRADI Requiſitione Nomen ſibi REGIUM impoſuit.* Henricus Mutius in Chronico Germanico, Lib. XIV: *Non diu poſt ſuſceptum à CONRADO Imperium, BOGISLAUS* [Boleslaus] *Dux Poloniæ, ſpreta CONRADI Autoritate, ſeipſum REGEM appellavit, & TRIBUTUM, quod debebat CONRADO ex Fœdere, negavit.*

ANNO 1025.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS I.

LIX. BOLESLAUS, Anno 967 natus, [poſt Miſnenſium Marchionis Ridagi Filiam, Caroli Sororem, Ditmari, Martisburgenſis Epiſcopi, Comitis Saxonici, Cognatam, ante Nuptias Repudium paſſam] IUDITHAM, Hungarorum Ducis Geyſæ Filiam, Stephani Sororem, Uxorem adeptus, Romanis GERMANORUM Imperatoribus Ottoni III. & Henrico II, quanquam ſæpe contumax, omnino ſubjectus SILESIORUM Dux, obibat ultimum Diem Aprilis tertium, Anno Ætatis LVIII, Imperii XXVI, Chriſti 1025.

SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

SILESII Romano GERMANORUM Imperio ſubjecti.

LX. Poſt Boleslaum I. exſtinctum, SILESIIS & Polonis Filius MIESLAUS II, quibusdam MIESCO, plerisque MISECO dictus, ab Anno 1025, ad 1034, Dux præfuit.

LXI. Ingenio hebes, Animô levis, Uxorem habebat RIXAM, Ehrenfridi, quem alii vel Gothofredum, vel Ezonem, vel Ezelinum vocant, Comitis Palatini ad Rhenum, ex Imperatoris OTTONIS III. Sorore Mechtilde, Filiam, Fœminam prudentem, magnanimam, juſtam. Huic committebat Imperium, cui parum aptus erat. RIXA, non tantum ipſa moderatioris aviti Moris retinentiſſima, ferociorem Affectuum In-

ANNO 1025.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

Intemperantiam in Proceribus cohibebat: verum etiam Marito ſemper ſuadebat, ut à Romano GERMANORUM Imperio, cui vectigalis & ſubjectus erat, nunquam deficeret. Quô utroque Virtutis Documentô, & imperans, & Germanica Mulier, ab immorigeris & inſolentibus POLONIS pro Gratiâ reportabat Odium: cujus Reliquias in Scriptoribus Polonicis etiamnum reperimus. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. II. ad Annum 1026: *MIECSLAUS, Poloniæ Rex, tardus ingeniô, hebes Animô, Moribus quoque incultus, Conſiliô ineptus, Actione levis, ad Res, Dignitatem aut Gravitatem depoſcentes, expediendas parum idoneus.* Ibidem ad Annum 1034: *Adminiſtratio interim Regni apud RIKSCHAM Reginam erat, & ſingula ex ejus Arbitrio gerebat.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib III. ad Annum 1034: de Mieslao II: *Uxori tamen, Mulieri avaræ & importunæ ita fuit obnoxius, ut ejus maximè Nutu & Arbitrio Regnum adminiſtraret. Quæ quidem deinceps, cum Rex Amentiâ correptus, ſui compos non eſſet, Dominatum omnem Regium ad ſe tranſtulit: quô majus etiam Hominum in ſe & in Regem Odium concitavit.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, de Mieslao II: *Hic multum fuit diſſimilis Patri, imbecillis Corpore & Animo, adeo, ut ante Mortem parum Mente conſtaret. Rexit eum Regina Conjux, Mulier ſapiens, quæ, cum ex Conſideratione Potentiæ Germanicæ, & Amore ſuæ Gentis Hortatrix eſſet Viro, ne opponeret ſeſe Imperatori, venit in Odium apud Polonos.* Videantur Teſtimonia, quæ proferemus ad Annum 1032, & 1036. de Rixa, §. LXXX. LXXXVI. LXXXVII. & LXXXVIII.

ANNO 1027.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

SILESIORUM Epiſcopus IV. SMOGRENSIS,
LUCILIUS Italus.

LXII. CLEMENS, Smogrenſis Epiſcopus, poſt XII Annos in Eccleſiæ Commodum impenſos, Febre conſumtus exſpirabat Anno 1027. Tum aſſiduus Eruditionis, ſerius Honeſtatis Cultor, etiam Germanicæ, non

ANNO 1027.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

tantum Polonicæ Linguæ Notitiam consecutus, Smogrensis Canonicus, LUCILIUS Italus, à cœteris Canonicis Episcopali Cathedrâ dignissimus censebatur: ad quam, concordi & MIESLAI II. Silesiorum Ducis, & Iohannis XIX [aliis XX] Pontificis Romani, Consensu, per Bossutam Archiepiscopum Gnesnensem solennibus Ceremoniis evehebatur. Ioannes Dlugossus in Polonica Historia, Lib. II. ad Annum 1027: *Febre gravi correptus CLEMENS Smogorzoviensis sive Wratislaviensis Episcopus, Annis duodecim in Pontificatu exactis, moritur, & in Smogorzoviensi Ecclesia sepelitur. Cui LUCILIUS Primus, Canonicus Smogorzoviensis à Capitulo electus, à MIECSLAO, Poloniæ Rege, promotus, per Silvestrem secundum* [quem Anno 1003 mortuum esse constat: pro quô scribendum erat, per Iohannem XIX] *confirmatus, & per Stephanum* [pro quô legendum, Bossutam] *Archiepiscopum Gnesnensem consecratus. Vir Italici Generis; sed Polonicæ Linguæ satis gnarus.* Idem Dlugossus in Episcoporum Vratislaviensium Vitis MStis, Num. IV: *Defuncto CLEMENTE, LUCILIUS, unus ex Smogorzoviensibus Canonicis ad Cathedram elatus & suffectus est. Vir Italicus Genere & Lingua: cujus Electionem Romanus Pontifex Silvester Papa Secundus ad instantes Preces Poloniæ Regis, Anno Domini M.XXVII, confirmavit: cui postea Bossutæ Gnesnensis Archiepiscopus Consecrationem contulit.*

LXIII. Ipse castus castos in magno Pretio habebat, impudicos justissimis Pœnis afficiebat Clericos. Ioannes Dlugossus in Episcoporum Vratislaviensium Vitis MStis, Num. IV: *Vitâ pudicâ & nitidâ clarebat. Clericos, quos noverat castos & pudicos, singulari prosequebatur Benevolentia & Charitate: Incontinentiam verò Clericorum vario Pœnarum Genere multabat.* Ioachimus Curæus, in Silesiorum Annalibus de Episcopis, in Lucilio: *Mores ejus fuerunt casti & honesti. Iam tunc enim, crescentibus Opibus, nimium sibi indulgebant Sacerdotes, & multi sibi sumebant Licentiam non bonam. Ideo severè Flagitia illa punivit Episcopus, & asperas Pœnas in delinquentes sancivit.*

LXIV. Primus conspectiorem in SILESIA Bibliothecam sibi compara

ANNO 1027.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

parabat non exiguis Sumtibus: Libros Aurô Argentôque potiores ratus, ex quibus semper aliquid salutare diurnus nocturnusque capiebat Lector insatiabilis. Eos in Hæreditatem SMOGRENSI Collegio relinquebat. Ioachimus Curæus Loco dicto: *Instructus magna Eruditione, amavit Studia & doctos. Comparavit sibi Bibliothecam amplissimam, & omne Tempus, quod à Labore docendi habebat vacuum, consumsit in Studiis.* Ibidem post quædam: *Moriens reliquit Bibliothecam suam Collegio Smogrensi.* Mentionem horum & plurium faciunt etiam, Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. XIII. & Lib. III. Cap. II. Num. IV. Gotfridus Ferdinandus Buckisius in Ecclesiasticæ Silesiorum Historiæ Prolegomenis, Cap. I. X. IX. Fridericus Lucæ in Silesiorum Memorabilibus, Parte II. Cap. I. Num. IV. ut MSta Chronica Silentiô prætereamus. Cœtera de Lucilio proferemus ad Annum 1036. §. LXXXII.

ANNO 1031.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

LXV. MIESLAUS, Germanis plerisque MISICO dictus, non semper Uxoris, meliora suggerentis, sed interdum etiam vel suum, vel alterius Consilium secutus, extremis Temporibus affectatô REGIS Titulô, ad Patris Exemplum, Cæsaribus Germanicis Obsequium denegaturus erat. Ideo Fratrem OTTONEM, Imperatori CONRADO addictum, Patriâ depellebat. CONRADUS, cujus Opem OTTO implorabat, Poloniam ingressus Armis superabat MIESLAUM. Hæc, & alia, quæ mox in medium afferemus, de quibus Polonorum Annales silent, Historici Germanici narrant: ideo plurium firmanda consentientibus Suffragiis, quoniam Libertatis Polonicæ Propugnatoribus, tanquam ficta, repudiantur. Wippo Presbyter in Cæsaris Conradi II. Salici [cujus fuit Sacellanus] Vita [quam Henrico III, Conradi II Filio dedicavit] Cap. IX: *Filius autem ejus* [Boleslai Polonorum Ducis] *MISICO similiter REBELLIS Fratrem suum OTTONEM, quoniam Regis* [Imperatoris Conradi II] *Partibus fævebat, in Russiam Provinciam pepulit. Qualiter verò*

ANNO 1031.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.

SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

vò ejusdem MISICONIS Protervitatem, & cujusdam Udalrici Ducis Bohemiæ Perfidiam Rex CHOUNRADUS postea compesceret, in Loco suo dicam. Ibidem Cap. XXIX: ad Annum 1032: *Supra dictus BOLESLAUS Dux BOLANORUM mortuus, reliquit duos Filios, MISICONEM & OTTONEM. MISICO dum Fratrem suum OTTONEM persequeretur, expulerat eum in Russiam. Dum ibi aliquantum Tempus miserabiliter viveret, cœpit rogare Gratiam Imperatoris CUNRADI, ut, ipso imperante & juvante, restitueretur Patriæ suæ. Quod dum Imperator facere vellet, decrevit, ut ipse cum Copiis ex una Parte, ex altera Frater OTTO MISECONEM aggrederetur.* Cum Wippone consentit Otto Frisingensis in Chronico, Lib. VI. Cap. XXVIII: *In Primordio Regni ejus* [Cæsaris Conradi II] *BOLESLAUS Polonorum Dux, qui ab Antecessore suo HENRICO* [Secundo, Cæsare] *noviter SUBACTUS fuerat, à Regno* [Imperio Romano] *dividi, REXque per se vocari molitur. Qui non multò post moriens, MISICONEM Filium suum Successorem reliquit. Is, dum Patrem imitari cogitaret, insuperque Fratrem suum OTTONEM expulisset, Rex* [Imperator Conradus II] *tam profugum in Patriam reducturus, quam de contumace* [Misicone] *Regni INIURIAM vindicaturus, in POLONIAM Procinctum movet.* Nec ab Ottone discrepat Gotfridus Viterbiensis in Chronico, Parte XVII. ad Annum 1020: *In Principio Regni sui* [quod Cæsar Conradus II susceperat] *Dux Polonorum BOLESLAUS, quem Prædecessor suus HENRICUS noviter Regno SUBIECERAT, per se ipsum REX vocari intendit, & ab Imperio dividi omnino proponit. Qui cum Morte Propositum prævenisset, MISICONEM Filium suum Successorem relinquit. Ille dum Patrem imitari cogitat, & insuper Fratrem suum OTHONEM à Patria expulisset: Rex tum expulsum ejus Fratrem in Patriam reducturus, quam de CONTUMACIA MISICONIS se & Regnum vindicaturus, in POLONIAM transit.*

LXVI. His antiquioribus tribus adjungemus totidem recentiores quidem, non tamen contemnendos Testes. Ioannes Nauclerus in Chronographia, Volumine II. Generatione XXXV. ad Annum 1025: de Boleslao I. Polonorum Duce: *MISICONEM Filium reliquit, qui mox defuncto Patre Fratrem suum OTHONEM acquiescere* [consentire] *REBELLIO.*

ANNO 1031.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.

SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

LIONI nolentem, à Patria expulit: qui ad CUNRADUM Regem confugit. Iratus CUNRADUS, præmisso OTHONE cum magno Teutonicorum Exercitu, statim ipse cum maximo Robore Militum secutus est, ac omnia intra POLONIAM Armis miscebat. Ioannes Aventinus in Annalibus Boicis Lib. V. ubi nostrum MIESLAUM, aliis MISICONEM, vocat MITZKONEM. *Inter hæc MITZKO Polonus, pulso Fratre OTTONE, Regem se appellat: & Ulricus quoque Boiemus, occiso Fratre suo Iacomaro, nova molitur. Hi ambo IUGUM IMPERII NOSTRI rigida Cervice excutere, & sui Iuris esse conantur. OTTO à Fratre Polonia pulsus, ad CUNRADUM confugit, ab eôque Armis restituitur.* Huldericus Mutius in Chronico de Germanorum Rebus, Lib. XIV: *Non diu post susceptum à CONRADO Imperium, BOLISLAUS Dux Poloniæ, spretâ CONRADI Autoritate, seipsum REGEM appellavit, & TRIBUTUM, quod debebat CONRADO ex Fœdere, negavit. Quem Majestatis Imperialis Contemtum iniquissimè ferens CONRADUS, cogere Copias incipit. Interea moritur BOLISLAUS, duos Filios relinquens, Nominibus MISICONEM & OTHONEM, ambos strenuos ex strenuo Patre: quorum alter, OTHO scilicet, nolens CONRADO REBELLARE, periculosum nimirum existimans, à Fratre Regno ejicitur. Quare fugit ad Imperatorem, apud quem multa pro se contra MISICONEM Germanum Fratrem dicit: currentemque CONRADUM concitat magis. Coactis igitur Copiis in POLONIAM profectus, assumto OTHONE, MISICONIS Germano, quærit Hostem REBELLEM: Militibus prohibens, ne quem ex Plebe non armatâ tangerent, & Manus abstinerent ab omnium Facultatibus. Esse enim hoc Regnum magis OTHONIS, qui esset in Exercitu, quam MISICONIS.*

ANNO 1032.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.

SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

LXVII. MIESLAUS, ab Imperatore CONRADO victus, ad Udalricum Bohemorum Ducem, Cæsaris Adversarium confugiebat. CONRADUS Imperiô MIESLAUM privabat, OTTONEM donabat: quem

ANNO 1032.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

creabat POLONORUM Ducem. Hic CONRADO, tanquam ſummo Principi ſuo, cum Diadema, quô Pater BOLESLAUS I, in Romani GERMANORUM Imperii Præjudicium, ſe Polonis Regem oſtenderat, transmittebat: tum etiam ſeipſum declarabat omnino ſubjectum: non diu eâ Felicitate gaviſus, quem per Inſidias non multô poſt Armiger Miles clam trucidabat. Wippo Presbyter in Conradi II. Vita, Cap. XXIX. ad Annum 1032: *Hinc* [Cæſaris] *Impetum MISICO ferre non valens, fugit in Boemiam ad Udalricum Ducem, cui tunc Temporis Imperator iratus fuerat.* Ibidem poſt quædam: *OTTO reſtitutus Patriæ & Dux factus à Cæſare, dum poſt aliquod Tempus minus cautè ageret, à quodam familiari ſuo clam interfectus eſt.* Otto Friſingenſis in Chronico, Lib. VI. Cap. XXVIII: *MISICO Regis impetum ferre non valens, fractis quibusdam Regni inſignibus, ad Ulricum Boemienſium Ducem, qui & ipſe tunc Temporis Hoſtis Regni fuerat, fugit.* Ibidem poſt quædam: *OTTO verò liberè Ducatu* [Poloniæ] *potitus, Diadema, quod Pater ejus* [Boleslaus I.] *ad IGNOMINIAM REGNI* [Imperii Romani] *ILLICITE fecerat, Regi* [Cæſari Conrado II] *miſit, ſeque per omnia DITIONI ejus SUBIECIT. Ipſe autem non multo poſt Fraude Armigeri ſui Vitâ privatus eſt.* Gotfridus Viterbienſis in Chronico, Parte XVII. ad Annum 1020: *MISICO cum non* poſſet [Cæſari Conrado] reſiſtere, ad Ulricum Boemorum Ducem, *qui etiam tunc Hoſtis Imperii erat, confugit.*

LXVIII. Udalricus, Bohemorum Dux, fallax MIESLAI Polonorum Ducis, Exſulis recepti AMICUS, ad exſtinguendam Cæſaris promeritam Iram, ſe commendaturus CONRADO MIESLAUM traditurus erat. At eam Proditoris Fraudem Magnanimitas Imperatoris repudiabat. GERMANOS, inquiens, Virtute, non Scelere Vim nocendi adimere ſuis Hoſtibus. Wippo Presbyter in Conradi II. Vita, Cap. XXIX. ad Annum 1032: de Udalrico Bohemorum Duce: *Ille, ut ſic placaret Imperatorem, voluit ſibi reddere MISICONEM. Quod Pactum ſceleratum renuit Cæſar, dicens: ſe nolle Inimicum emere ab Inimico.* Otto Friſingenſis in Chronico, Lib. VI: Cap. XXVIII: *Quem* (Miſiconem) *cum Ulricus Regi* (Cæſari) *dare, & ſic ad Gratiam ejus redire vellet, ipſe, ut erat ſereniſſimus* (ſincerriſſimus) *eum hoc Modo à perfido Duce recipere noluit.* Gotfridus Viterbienſis in Chronico, Parte XVII: ad Annum 1020: *Quem cum Ulricus Regi reddere, & per hoc in Gratiam cogitaſſet redire, Rex eum ſub Perfidia illiusmodi recipere contemſit.* Ioannes Nauclerus in Chronographia, Vol. II. Generat. XXXV. ad Annum 1025: *MISICO videns, ſe nulla Ratione poſſe conſiſtere, relicta POLONIA, ad Waldricum, Ducem Bohemiæ, Hoſtem Imperii confugit. Waldricus verò credens, Imperatoris Gratiam, quam amiſerat, recuperare, Polonorum Ducem, quem Exſulem & Supplicem ſuſceperat, tradere CUNRADO ſtatuit: atque hoc illi per ſecretum Nuntium intimavit. Sed Imperator, Vir magnanimus illius deteſtatus Perfidiam, Oblationem proditoriam contemſit, & MISICONEM alibi Salutem quærere, quam in Bohemia, admonuit.* Ioannes Aventinus in Annalibus Boicis Lib. V: *MITZKO* (id eſt, Mieslaus) *externæ Opis egens, in Bojemiam ad Ulricum Regulum aufugit: quem, cum Ulricus CONRADO Auguſto prodere, ab eoque Gratiam inire vellet, Imperator reſcripſit: Solere GERMANOS Virtute cum Hoſtibus, non Fraude certare, nihilque acrius, quam Perfidiam ulciſci: Sceleribus, non Nomini Hoſtium iraſci: oportere armatum eſſe, quem oderint.* Huldericus Mutius de Germanorum Rebus Lib. XIV: *MISICO ſuorum Animos magis inclinari ad Fratris* [Ottonis] *Partes* [*ſive quod Imperatorem timebant, ſive quod meliorem de ſe præbebat OTHO ſpem*] *videns, deſperat, cedit, in Boemiam fugit. Nam illius Rex Waldrichus erat Hoſtis Imperatoris. Sed Hoſpes exceptus à Rege Hoſpite tutus non fuit. Waldrichus enim MISICONEM, quem ſupplicem ſuſceperat, conjectum in Vincula mittere ad CONRADUM, Exſulemque Ducem, qui ſe Fidei ejus commiſerat, perfidus Proditor tradere Hoſti decrevit. Hoc clam Boëmus per Literas ſignificat CONRADO, ſperans hoc nefando Munere Gratiam Imperatoris redemturum. CONRADUS deteſtatus Regis Impietatem, clam admonet, ut aliorum Fidei ſe credat, ſi velit eſſe ſalvus, ſimul Regis illi mittit Literas.*

LXIX. Hac inuſitata Cæſaris Æquitate ſtimulatus MIESLAUS, mutatô in melius Animô, ad obtinendam Veniam Gratiamque ſupplex Arbitrio CONRADI ſe totum devovebat. Wippo Presbyter de Conradi II. Vi-

ANNO 1032.
GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

ANNO 1032.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

II. Vita, Cap. XXIX. ad Annum 1032: *Tunc MISICO omnibus Modis quærebat Gratiam Imperatricis Giselæ & reliquorum Principum, ut mereretur redire ad Gratiam Imperatoris. Cæsar Misericordiâ motus dedit sibi Veniam.* Ioannes Nauclerus in Chronographia, Vol. II. Generat. XXXV. ad Annum 1025: de Mieslao, quem Misiconem vocat: *Imperatoris miratus Bonitatem, clam relictâ Bohemiâ, ad propria remeavit, atque abjectis Regni Insignibus, quæ Pater* [Boleslaus I.] *assumserat, modico Comitatu contentus, ad Imperatorem CUNRADUM ultro accessit, atque ejus Voluntati se subjiciens, Coronam humiliter Imperatori resignavit.* Huldericus Mutius de Germanorum Rebus Lib. XIV: *MISICO Proditoris* [Bohemorum Ducis] *Animô cognitô, Bonitatemque & Magnanimitatem Imperatoris videns, subducit se ex Boemia, & ultro supplex venit ad CONRADUM, illique offert TRIBUTI IUS, quod debitum Pater negarat dare, IMPERIO se OBSECUTURUM pollicetur, Veniam Temeritatis juvenilis rogat: impetrat Veniam.*

LXX. CONRADUS â MIESLAO talem in Modum agnitus Princeps omnium supremus, omnino suæ Potestati subjectas POLONORUM & SILESIORUM Terras dividebat in tres Partes: quarum uni [Polonicum Solum, idque non universum comprehendenti] præficiebat MIESLAUM Triarcham: reliquas duas Præsidibus citra Dubium Germanicis subjiciebat. Sic, præter alias POLONIS addictas Provincias, SILESIA per MIESLAUM II. Polonum circumciso Iure Ducem, amissa Postliminiô ad pristinam Imperii GERMANORUM Reverentiam & Subjectionem Anno 1032 tota revertebatur. Wippo Presbyter de Conradi II. Vita, Cap. XXIX. ad Annum 1032: *Cæsar Misericordia motus dedit sibi* [Misiconi] *Veniam: & divisâ Provinciâ BOLANORUM in tres Partes, MISICONEM fecit TETRACHAM* [Triarcham] *reliquas duas duobus aliis commendavit. Sic imminutâ Potestate minor facta est Temeritas.* Adamus Bremensis in Historia Ecclesiastica, Lib. II. Cap. XXXIX: [aliis XCIV:] *Fortissimus Cæsar CONRADUS mox POLANOS & Regem eorum MISINGUM magnâ Virtute PERDOMUIT, & Auxiliatores Bohemos, cæterosque Slavorum Populos sub TRIBUTUM misit.* Eadem profert Albertus Stadensis in Chronico, ad Annum 1027. Otto Frisingensis in Chronico, Lib.

ANNO 1032.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

Lib. VI. Cap. XXVIII: *At MISICO â Rege* [Imperatore] *Exsul factus, ad Imperatorem supplex venit: Interventuque Reginæ divisâ in tres Partes Provinciâ, tertiam Partem ipse obtinuit. Ex hinc Provincia illa Regibus* [Imperatoribus] *nostris sub TRIBUTO SERVIRE cognoscitur:* seu, ut in quibusdam Codicibus legitur, *cogitur.* Gotfridus Viterbiensis in Chronico, Parte XVII, ad Annum 1020: *MISICO autem accepto â Rege* [Cæsare CONRADO] *Ducatu Poloniæ, Coronam, quam Pater ejus* [Boleslaus I.] *sibi imponere CONTRA IMPERIUM cogitaverat, CONRADO resignavit, seque DITIONI suæ SUPPOSUIT.* Ibidem post quædam: *Ab illo Tempore Provincia POLONORUM Imperio nostro* [Germanico] *solvit Tributum.* Ioannes Nauclerus in Chronographia, Vol. II. Generat. XXXV. ad Annum 1025: de Mieslao apud Conradum in Gratiam recepto locutus: *Ab eo Tempore POLONIA Romano Imperio prius ab HENRICO tributaria facta permansit.* Ioannes Aventinus in Annalibus Boicis, Lib. V: *MITZKO hisce Rebus, Perfidiæ nimirum Ulrici, & Iustitiæ Augusti compertis, supplex ad hunc venit, ab eoque divisa POLONIA, Partem Ducatumque recepit.* Videantur, quæ proferemus §. LXXVIII.

LXXI. His adeo antiquis, adeoque multis contrarii Testimoniis detrahunt Fidem, qui POLONOS nunquam GERMANIS, nunquam Exteris, vel tributarios, vel aliâ Lege subjectos fuisse contendunt. In eis Polonicæ Libertatis Assertoribus Martinus Cromerus Rationes plures, cur recensita pro falsis habenda sint, affert, de Polonorum Rebus Lib. III. in Miecislao II. his Verbis: *Nam* (I) *iidem* [Historici Germanici] *scribunt, & sequitur Bonfinius, BOLESLAUM Regium Titulum imperante adhuc HENRICO usurpantem, â CONRADO multis & gravibus Præliis superatum & subactum esse: MIESCONEMque Filium ejus aliquantô post eadem molientem, ejectum: & Fratrem ejus OTTONEM, qui â MIESCONE pulsus fuerat, restitutum: MIESCONEM verò profugum ad Böemos, ab Udelrico quidem penè proditum, Imperatoris verò Clementiam & Magnanimitatem expertum, ejus Fidei sese commisisse: reversumque in Poloniam Principatum cum Fratre partitum, Regiâ Dignitate se abdicasse, contentum Principis Nomine: POLONIAM verò Imperatori tributariam mansisse: longè in his aberrasse â Vero videntur. Nam* (II) *neque CONRADUS Imperium vivente BO-*

ANNO 1032.
GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

LESLAO adeptus est: (III) *neque BOLESLAUS præter MIECESLAUM sive Miesconem alium Filium habuit:* (IV) *neque Diadema Regium ille ipse BOLESLAUS temere usurpavit: sed ab OTTONE III. Imperatore ultro oblatum accepit, atque Posteris suis reliquit:* (V) *neque CONRADUS compluribus aliis externis pariter ac civilibus Bellis distentus, Otium ad persequendos Bello POLONOS habuit:* (VI) *neque vero POLONOS PRINCIPES cuiquam omnino IMPERATORI ROMANO unquam tributarios fuisse, isti* [Germanici Scriptores] *vetustioribus & Fide dignis Testimoniis aut Argumentis docere possunt. Sed cum Partem aliquam Poloniæ Germani, ut superius meminimus, seu per Deditionem, seu Vi cepissent, universam se Poloniam subjugasse jactarunt. Hoc unus aliquis ab aliis auditum, vel ne auditum quidem fortassis, postea Literis mandavit, & cæteri secuti sunt.* At nihil solidi Ponderis subest omnibus his Rationibus.

LXXII. Prima est: *De BOLESLAO I. & MIESLAO II. Polonorum Ducibus expositas Narrationes Germanici, non Polonici consignaverunt Scriptores.* Numquid autem propterea pro certis eas non haberi par est? An, propter tacentes Polonos, Germani loquentes suspecti sunt? Est, cur Polonos, non Germanos, Veritatis neglectæ postules. Quantum enim cunctis è circumstantiis perspici potest: Germanos, ut suorum Gloriam publicè cognitam profiterentur, Fiducia Veritatis impulit: Polonos, ne quod suorum Dedecus Posteris facerent manifestum, Veritatis Fastidium deterruit. Nec est, ut solis Germanis in Re contra Polonos Fidem dubiam esse statuas: nisi parem Fidem attribuas solis Polonis in Re contra Germanos. Quo Pacto, si Natio quæque parum aut prorsus inidoneos declarabit Testes Nationis alterius Historicos: quæ tandem relinquetur omnium Gentium Annalibus Fides? Nos in hac Controversia censemus Scriptoribus Germanicis, maximè Wipponi Presbytero, Acta Cæsaris Conradi II, cujus Sacerdos aulicus erat, commemoranti, tam diu stare Fidem integram, dum ea per Causam probabilem demonstrabilemque subversa collabascat. Huc accedit, quod in Germanis laudatus Wippo Sæculo XI, Otto Frisingensis & Gotfridus Viterbiensis Sæculo XII Libros suos, itaque multò ante scripserint, quam ullus è Polonis Manum ad Res Gentis suæ con-

ANNO 1032.
GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

consignandas adhibuit. Quin Polonos cum Germanis gesta potissimum à Scriptoribus Germanicis accepisse, nisi quod dissplicentia Silentiò præterierint, variis è Documentis constat.

LXXIII. Secunda est: *BOLESLAUS I, Polonorum Dux, ante susceptum à CONRADO II Imperium Romanum mortuus, quomodo ab eodem Imperatore potuit debellari & subigi, ob commissas sub HENRICO II Res: usurpatum Titulum Regium & negatum Tributum?* At BOLESLAUS omnino, imperante jam CONRADO, ultra sex Menses vixit. Nam CONRADUS Anno 1024, Die, quò S. Maria nata creditur, id est, VIII Septembris, consecrabatur Imperator: ut ipsius Sacellanus Wippo in Vita refert, Cap. III. BOLESLAUS autem vivis eximebatur Anno 1025, Die III Aprilis: ut Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. II. ad Annum 1025 indicat. Utrumque confirmant ea, quæ diximus §. LVIII.

LXXIV. Tertia est: *Nullus OTTO fuit Polonorum Duci BOLESLAO I. Filius, MIESLAO II. Frater. Hinc omnia OTTONIS, omnia CONRADI II. pro Ottone contra MIESLAUM Acta sunt ficta.* Sed unde constat, BOLESLAO I. Filium, MIESLAO II. Fratrem OTTONEM non fuisse? Scriptores Polonici Boleslao I. Mieslaum II. Filium, nusquam simul Ottonem Filium adscribunt: de quò nihil quicquam referunt. Contra in Scriptoribus Germanicis præcipuus Wippo, quem Imperatoris CONRADI II. [sub quo vixit] gesta non latere potuerunt, disertè narrat: BOLESLAO I. duos Filios relictos, MIESLAUM, quem MISICONEM vocat, & OTTONEM. Cum Wippone consentiunt, in antiquioribus Otto Frisingensis & Gotfridus Viterbiensis: in recentioribus, Ioannes Nauclerus, Ioannes Aventinus & Huldericus Mutius: quorum Testimonia produximus §. LXV. & LXVI. Certè Polonicorum Scriptorum Silentium tanti non est, ut Germanicorum Scriptorum Assertionem in Fabulam mutare valeat.

LXXV. Quarta est: *BOLESLAUS I. Polonorum Dux Titulum Regium non temere sibi dedit: sed ab Imperatore OTTONE III. sponte collatum recepit: Filioque MIESLAO II. reliquit. Hic, cum eundem Titulum adhiberet, quomodo CONRADUM II. Cæsarem ad sui Oppressionem incitare potuit?*

ANNO 1032.
GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

tuit? At Titulum Regium, quem ab Imperatore OTTONE III. certis Legibus acceperat, an non his ſtatim poſt Ottonis Exceſſum violatis, BOLESLAUS amiſit? Mox enim ab HENRICO Imperatore, Ottonis III. Succeſſore, cui Hoſtis Luſatiam eripuerat, ad vetus & Obſequium, & Tributum Germanis præſtandum adigebatur: ut oſtendimus §. XXXIV. & XXXV. Quare MIESLAUS II. uſurpatô Regis Titulô, quem Genitor BOLESLAUS ſemel perditum recuperare nunquam poterat, utique CONRADUM II. ad Arma in ſui Perniciem irritare potuit: imò irritavit maximè, cum debitam Romano Germanorum Imperio Subjectionem denegaret: ut §. LXV. LXVII. LXIX. LXX. indicavimus.

LXXXVI. Quinta eſt: *CONRADUS II. Imperator & internis, & externis Bellis occupatus, non habuit Otium ad POLONOS perſequendos.* Ideo Bellum, quod CONRADUS pro OTTONE, contra MIESLAUM geſſit, & quicquid eò pertinet, vanum eſt Inventum? Sed quam frigida ſit hæc Ratio, quis per ſe non videt?

LXXVII. Sexta eſt: *Scriptores Germanici nullis vetuſtis Fideque dignis, ſeu Teſtimoniis, ſeu Argumentis docere poſſunt: POLONORUM Duces cuiquam Romano GERMANORUM Imperatori fuiſſe Tributarios.* Ergo falſis, certè nondum probatis annumerandum eſt: MIESLAUM II. Polonorum Ducem CONRADO Imperatori fuiſſe Tributarium? At verò in præcedentibus, omnino vetuſtis, partim etiam Tempori, de cujus Rebus ſcripſerunt, coævorum Hiſtoricorum, Fideque digniſſimis Teſtimoniis evidenter oſtendimus, è Sileſiorum Polonorumque Ducibus alios Tributariorum, alios præterea Fidelium Iure ſubjectos fuiſſe Romanis Germanorum Imperatoribus: CAROLO Magno LESCUM Secundum: LUDOVICO Secundo & CAROLO Calvo SEMOVITUM: HENRICO Primo & OTTONI Primo SEMOMISLUM: OTTONI Primo & Secundo MIESLAUM Primum: OTTONI Tertio, HENRICO Secundo, & CONRADO Secundo BOLESLAUM Primum. De quibus egimus Cap. IV. V. VI. & hoc ipſo VIII: cujus §. XV. indicavimus, etiam in Polonis quosdam, BOLESLAUM I. Polonorum Ducem, per Imperatoris OTTONIS III. Gratiam, ſimul & à Tributo, & ab Obſequio, ad quod Cæ-

ANNO 1032.
GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

Cæſaribus Germanicis obſtrictus erat, abſolutum profitentes. Inter hos ipſe Martinus Cromerus de Boleslao I: *Regem*, inquiens, *eum* [Otto III] *appellat, Sociumque & Amicum Romani Imperii, à TRIBUTO & omni JURISDICTIONE Imperatorum immunem:* quid aliud denotat, niſi malus Verborum ſuorum Interpres malit eſſe? Nam Imperatoris OTTONIS III. quodnam fuiſſet BOLESLAO I. Duci Beneficium, declarari ſe, cum à Tributo, tum à Iurisdictione prorſus immunem: qui nec ad Tributum ſolvendum, nec ad Iurisdictionem patiendam fuiſſet unquam GERMANIS obligatus?

SILESIORUM à POLONIS ſeparatorum
Cæſareus Præfectus Germanus.

LXXVIII. Cæterum non diffitemur, moveri de POLONIÁ poſſe Dubium, an, comprehenſis omnibus ad eam ſpectantibus Provinciis unquam fuerit tota Romano GERMANORUM Imperio, ſeu Feudi, ſeu Tributi Iure ſubjecta. Nos eam Controverſiam non ſuſcipimus expediendam: qui ſatis habemus, ex Wipponis aliorumque validis Aſſertionibus patere, cum ante diviſam, tum poſt diviſam in tres Partes POLONIAM, quamdiu MIESLAUS Secundus Sileſiorum Dux vixit, CONRADO Secundo Imperatori ſubditus, SILESIAM, ſeu, tanquam tertiam POLONIÆ Partem Mieslao ſolam contigiſſe, quod probabile non eſt, exiſtimes: ſeu, quod Vero ſimilius, imò, ut mox indicabimus, in reliquis duabus Partibus, tanquam proximam GERMANIÆ Provinciam Præfecto Germano commiſſam concedas: omnino fuiſſe Romano GERMANORUM Imperio ſubjectam ad Annum 1034: quô Mieslaus II. deceſſit.

LXXIX. His, quæ ſub quadam Dubitationis Formâ potiſſimum de SILESIIS affirmavimus, certiorem majoremque Fidem conciliat Vetus Chronicon MStum Polonicum, cujus Poſſeſſor Hieronymus Kromayerus, Anno 1543 electus Senator Vratislavienſis olim fuit, de Mieslao II: *CHUNRADUS Saliquus SLEZIOS, quos Lechitis Victor rapuerat, ſub Teutonico Præpoſito regebat: prætextu, quod ii erant GERMANI. Hi de POLONIS*

ANNO 1032.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

divisis divisi triumphabant. Eadem ampliorem, partimque Scriptoribus Germanicis conformem in Modum ipsis è Polonis patefacere nihil veritus est Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. II. ad Annum 1031: de Gentibus ad Poloniam pertinentibus: *Sæpius Bellis finitimorum ALMANORUM* [Germanorum] *lacessitæ, crebrisque Præliis & Spoliis hostilibus vexatæ, nihil Defensionis & Præsidii à MIECSLAO Polonorum Rege tulerant, facile à sua & POLONORUM desciverunt Obedientia, in variasque Ditiones & Proprietates scissæ: nonnullæ ad IMPERIALEM OBEDIENTIAM SUBACTÆ, cæteræ à finitimis Principibus occupatæ, aliquæ verò suis PARERE PRÆSIDIBUS & illorum suscipere DOMINIUM compulsæ sunt. Ab eo autem Tempore Gentes Oraque prædictæ, discerptæ & à Corpore Regni POLONIÆ distractæ, variosque Dominos & Principatus sortitæ, per tam longum & diuturnum Tempus earum Defectionem secutæ, nunquam ad Integritatem ejus potuerunt reduci.*

LXXX. Hac turbulenta POLONORUM Tempestate, SILESII Ducem prius MIESLAUM Polonum, deinde CONRADUM Germanum solum habentes, disparem quidem, plerumque tamen mitiorem sentiebant Sortem. Nam sub MIESLAO viventibus, tanquam Germanis, propensior RIXA, Ortu Germanica, Mieslai Uxor, & Imperii Polonici præpotens Administrator, multas & Libertatis, & Honoris, & Æris accessiones faciebat. De quibus Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. II. ad Annum 1036: *Regina RIKSCHA, & in Regis MIECSLAI Mariti sui Vita, diuturno Tempore, & postquam è Vita subtractus erat, POLONOS perosa, Mores eorum & Conversationem fastidiens, rigidâ interdum Sugillatione carpebat. Tenebat insuper & in Aula sua, & in Officiis ALMANNOS* [Germanos] *neglectisque, &, ut verius loquar, contemtis Polonorum Proceribus & eorum Filiis, quantumcunque primis & ingenuis, quoslibet TEUTONICOS Inquilinos, Sortis & Conditionis tenuis ac infimæ Homines in conferendis Officiis & in largiendis Pecuniis præferebat.* Prorsus autem SILESIIS à Polonici Corporis Gubernaculo Separatis, sub Imperatoris CONRADI Præfecto Germanico agentibus, præterita Regiminis Forma præsentem tantò magis reddebat com-

ANNO 1032.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM Dux MIESLAUS II.

commendabilem, quantò plus Malorum intra Societatem cum Polonis pertulerant: quemadmodum commemorant meliores de Silesiorum Rebus MSti Codices.

LXXXI. MIESLAUS II. Polonorum, non amplius SILESIORUM Dux, Die XV Martii, Anno 1034, finiebat Vitam. Quis postea fuerit Status SILESIIS, solum Imperatorem CONRADUM II Ducem, cujus Præfecto Germano suberant, agnoscentibus, mox distinctâ secundum Annos Narratione proferemus.

ANNO 1036.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM à POLONIS separatorum
Cæsareus Præfectus Germanus.
SILESIORUM Episcopus V. SMOGRENSIS,
LEONHARDUS Italus.

LXXXII. LUCILIUS, Smogrensis Episcopus, per Annos IX Sacris defunctus, Anno 1036, vivis eximebatur: postremus Episcoporum, quibus SMOGRA Sepulcrum dedit. Tum novo Electionis Modô, quô tres fidi Scrutatores à singulis, penes quos Electionis Ius residet, Suffragia diligenter inquirunt & annotant, id est, Scrutinió, accipiebat Successorem LEONHARDUM Italum, Genere Nobilem, hactenus Smogrensium Canonicorum Decanum. Ioannes Dlugossus in Vratislaviensium Episcoporum Vitis MStis, Num. V: *Post Mortem Lucilii, LEONARDUS, ejusdem Ecclesiæ Decanus, à Capitularibus, per Modum Scrutinii eligitur: Vir Generis Italici & Linguæ, ex Stirpe nobili ducens Ortum.*

LXXXIII. Hic LEONHARDUS Consensu Benedicti VIII, Pontificis Romani, solenniter Smogrensibus repræsentabatur Episcopus, per Archiepiscopum Gnesnensem: non, ut plerique commemorant, Stephanum: sed, ut potiores narrant, Bossutam. Nam Anno 1036, quô Episcopatum Smogrensem LUCILIUS amittebat, & LEONHARDUS suscipiebat, Gnesnensium adhuc Archiepiscopus Bossuta erat, demum Anno 1038

mor-

ANNO 1036.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM à POLONIS ſeparatorum
Cæſareus Præfectus Germanus.

mortuus: ut, præter Ioannem Dlugoſſum in Hiſtoria Polonica, Lib. II ad Annum 1038: Stephanus Damalevicius in Archiepiſcoporum Gneſnenſium Vitis, Num. VII. indicat.

LXXXIV. Quibus ſe Virtutibus amabilem LEONHARDUS reddiderit, laudatus Dlugoſſus eodem in Loco exponit: *In Moribus*, inquiens, *affabilis & humanus, in Choleram proclivis, Vitæ caſtæ & mundæ.* Poſt quædam ibidem: *Hic ſingulari Dei Gratiâ profuſus, uti etiam in Conſpectu Hominum gratioſus habebatur, verax in Sermone, & juſtus in Iudicio, in agendisque Rebus adeo efficax, ut ejus Prudentiâ & Diligentiâ Epiſcopatus Smogorzovienſis notabile Incrementum acceperit.* Cætera de Leonhardo proferemus ad Annum 1041. §. CII. & ad Annum 1045. §. CX.

SILESII tumultuantibus POLONIS quieti.

LXXXV. Hanc Sileſiorum in Eccleſiaſticis Mutationem major in civilibus, poſt Quietem non diuturnam excipiebat Motus. Nam SILESII, cum MIESLAUS II, Polonorum Dux, Anno 1034 decederet, ſub Cæſaris CONRADI II Præfecto, ut diximus, Tranquillitate vix per Biennium gaudebant. Interea diſſidentes, & interno externum Bellum addentes POLONI tandem SILESIIS etiam gravem attrahebant Fortunæ Vicem.

LXXXVI. Reliquerat MIESLAUS II, Polonorum Dux, Filium CASIMIRUM Adoleſcentem, nondum Regiminis capacem. Quamobrem Mater RIXA, conſentientibus Populi Suffragiis, Gubernacula ſuſcipiebat, exoptata quidem GERMANIS, at inviſa POLONIS. Hos maximè, quia Germanicas & Leges, & Conſuetudines, quantum poſſet, introduceret, Polonicis anteponendas, nimium acerbos Perſecutores experta, ne Vim patereturapertam, cum Filio deferebat: quem è Polonico in Germanicum ſolum, aſſumto cum Viæ, tum Vitæ, quod ſufficeret, Subſidiô, ad Imperatorem CONRADUM, tanquam Tutorem, cui Ius in Poloniam integrum, allatis duabus Coronis Regiis, conſervare cupiebat, Anno 1036, transferebat: ex eo majora ſemper capientibus Incrementa Polonorum Diſſidiis. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. II. ad Annum 1036: *RICKSCHA poſt Mortem Mariti MIECSLAI, Poloniæ Regis, regerabat Regnum Polonicum, nutriens in Sceptra Adoleſcentem CAZIMIRUM, quem ex Miecslao Rege ſuſceperat: Fœmina quidem virilem gerens Animum, & in Chriſti Religione non feriata, Pietati & Virtuti dans Operam, ſed quæ Habenas Polonici Regni parum providè & civiliter viſa eſt Polonis adminiſtraviſſe. Virium enim ſuarum & fœmineæ Conditionis immemor, Felicitatem in Stultitiam vertit, malo graviorique Conſilio uſa. Primum Contemtui habere Nomen Polonicum cœpit, deſpiciens omnes, & ſola univerſa pro Imperio agens. Nulli, præterquam ALMANO* [Germano] *ſua credere Conſilia, Polonorum verò aſpernari, potioresque conſuevit Magiſtratus in ALMANOS conferre, POLONOS abjicere. Quarum Rerum Indignitate moti Proceres Regni in Stultitiam Reginæ & Filii ſui CAZIMIRI, Stulti & ipſi conſpirant, Viamque ſceleràti & ad extremum dementis Conſilii arripiunt: Reginam RICKSCHAM cum Filio CAZIMIRO, ne quoque adultus Morum maternorum foret Sectator, expellunt, Damnatioque injuſtâ atque indignâ, neque Sexui, neque Conditioni, neque Ætati parcentes, utrumque exſiliant: nihilque infeſtius unquam de ſe & Patria, de Templis, Delubris, Focis & Pignoribus conſulendo acerbius.* Ibidem poſt quædam: *Crebris itaque Injuriis & Moleſtiis RICKSCHA Reginа Poloniæ à Proceribus & Militibus Polonorum affecta, & ne in ſe & Filium ſuum CAZIMIRIUM Polonorum Vis gravius quicquam conſuleret, verita, de Polonia in Saxoniam, in Maideburg & Brunſuig, pulſa excedit, Filium quoque ſuum CAZIMIRUM ſecum educit. Sed neque his contenta, omnem in Auro, Argento, Gemmis & Lapidibus pretioſis Supellectilem, per BOLESLAUM & MIECSLAUM Poloniæ Reges congeſtam, magnique Ponderis & Valoris duas Coronas, quibus Reges & Uxor Boleslai Primi Regis, & tandem ipſa RICKSCHA coronati erant, ſed & plura alia Clenodia, Monilia, Vaſa & Inſignia, charis & præſtantiſſimis Gemmis, Unionibus fulgentia. Item Pecuniæ Regiæ ex Theſauro grandem Quantitatem aufert & aſportat, Poloniæque Regnum ingenti Theſauro ſpoliat. In Saxoniam autem perveniens, Imperatorem primum adiit, à quô officioſè & venerabiliter ſuſcepta*

ANNO 1036.
GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM à POLONIS ſeparatorum
Cæſareus Præfectus Germanus.

ANNO 1036.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM à POLONIS ſeparatorum
Cæſareus Præfectus Germanus.

duabus Coronis, quas ſecum ex Polonia duxerat, Imperatorem honoravit, & de Injuriis, quibus à Polonis afflicta fuiſſet, queſta, ſeipſum & Filium ſuum CAZIMIRUM in Tutelam & Gubernationem Imperatoris commendavit.

LXXXVII. Eadem paulò aliter, quibusdam & in POLONORUM Decus omiſſis, & in GERMANORUM Dedecus additis, commemorat Gentis ſuæ ſtudioſiſsimus Martinus Cromerus, de Polonorum Rebus, Initiô Libri IV: *Interim penes RIXAM Reginam Pueri Matrem Regia Poteſtas relinquitur: quâ abuſa Mulier, pia alioqui & religioſa, quemadmodum videri volebat: cæterum audax & avara, variis & gravibus Exactionibus vivo Marito inſtitutis, Homines magis ac magis premebat: novas Rationes cogendæ Pecuniæ exquirebat: POLONOS Deſpicatui habebat: THEUTONAS ſuos in Conſilium adhibebat: hos ad Honores & Magiſtratus evehebat: hos Divitiis & Poſſeſſionibus augebat, etiamſi nullum Induſtriæ & Virtutis Specimen præ ſe ferrent. Indignè hæc ferre Poloni: orare Reginam, ut, quorum Armis atque Sanguine Regnum defenderetur, & ad tantam Amplitudinem, quanta regnante Boleslao fuit, perductum eſſet, eorum majorem quam externorum, quamque ſuæ Cupiditatis Rationem duceret. Multa Polonos Principibus ſuis concedere & indulgere, aſperioris Dominatus inſuetos eſſe: externis Hominibus, in quibus aliquid modo Ingenii Virtutisque ſit, majorem, quam Gens ulla habeat, Honorem habere. Sed poſthaberi ſe omnino in Patria ſua, dignisque indignos præferri non oportere. Cæterum, ubivident, orando apud Reginam ſe nihil proficere: fremebant inter ſe vulgo, atque adeo palam etiam loquebantur: non ferendum eſſe Viris tam grave & contumelioſum externæ Mulieris Imperium. Contemnebant viciſſim Potentiores Iuſſa Reginæ, & Regias Poſſeſſiones atque Reditus non nulli invadebant: atque ut inter quosque Simultates & clandeſtinæ Odia ante id Tempus fuerant, tunc in apertam Hoſtilitatem erumpebant. Comparabantur Factiones & omnia Diſſidiis atque Seditionibus plena erant. Regina verita, ne in tanta Licentia & irritatis in ſe Hominum Animis majus ali-*

ANNO 1036.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM à POLONIS ſeparatorum
Cæſareus Præfectus Germanus.

aliquod Malum in ſe redundaret, Conſilium Fugæ cum Filio atque Theutonibus ſuis clam iniit: Regium Fiſcum, in quo cum pretioſæ Res multæ, tum duo Diademata Regis & Reginæ erant, compilat: Regno excedens in Saxoniam ſe contulit.

LXXXVIII. Simplicius & Sileſiorum Chronicis antiquis MStis convenientius hæc in ſuis Annalibus Ioachimus Curæus ita exponit: *Mortuo MIESLAO, cum Filius propter Ætatem teneriorem nondum aptus eſſet ad Gubernationem, Regnum commendatum eſt RIXÆ Reginæ. Sed ea jam tunc inviſa erat Polonis, & crevit deinde Odium in ipſam. Etſi autem Hiſtoria Polonica eam accuſat propter Avaritiam, tamen Annales alii valde vetuſti MSti laudant ejus Pietatem & Iuſtitiam: ſcribunt autem eam in ſe concitaſſe Odia Gentis, quod Exemplo Boleslai Soceri coerceret nimiam Licentiam Nobilitatis, quæ partim adhuc implicata idololatricis Cultibus, partim ex Feritate Morum, graſſabatur in Eccleſias, exercebat Tyrannidem in Subditos & aſpernabatur Autoritatem Reginæ. In iſta Anarchia cum Mulier prudens & ſancta, ſicut ipſi fatentur Poloni, Inſidiis & manifeſtâ Vi ſe peti videret, profecta eſt in Exſilium ad CONRADUM Cæſarem in Germaniam: cui, ut IIIS ſuum in POLONIAM ſervaret integrum, transmiſit utrumque Diadema Regis & Reginæ: aſportavit etiam nobilem Theſaurum ex Polonia pro Viatico & Alimento.*

LXXXIX. Hanc POLONORUM adverſus GERMANOS Injuriam Cæſar CONRADUS II. Anno 1036 vindicaturus quidem mittebat Exercitum in Poloniam, mox tamen inde potioribus in Burgundiam & Italiam Expeditionibus revocabatur. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. II. ad Annum 1036: *Et Imperator quidem* [Conradus] *miſſo in Fines Poloniæ Exercitu, Injuriam ejus ſuperficietenus vindicare viſus eſt.*

XC. Tum Seditionibus perpetuis, quas nullius Ducis, Legis nullius Autoritas componere valebat, Patriam ſuam POLONI devaſtabant: SILESII, quantum partim ex præcedentibus Narrationibus, partim ex MStis Chronicis colligi poteſt, à Polonis, Germanos ſummâ & Nauſeâ, & Violentiâ proſequentibus, ſeparati, non ſolum CONRADUM II. Im-

ANNO 1036.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM à POLONIS ſeparatorum
Cæſareus Præfectus Germanus.

peratorem, ejusque Filium HENRICUM III. deſignatum Succeſſorem, quibus erat ſummum in SILESIAM, ipſamque POLONIAM, etſi fortaſſis non univerſam, Ius: ſed etiam MIESLAI II. Polonorum Ducis Hæredem Filium CASIMIRUM ejusque Matrem RIXAM, quos Germanis benigniſſimos ſciebant, Conſiliis Actionibusque ſuis reſpicientes, brevi Pace gaudebant: intra quam ſpeculabantur Anarchiæ Polonicæ dubium Eventum.

ANNO 1038.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM à POLONIS ſeparatorum
Cæſareus Præfectus Germanus.

SILESIORUM cum BOHEMIS Bellum.

XCI. BRETISLAUS, aliis BRATISLAUS, aliis aliter dictus, Bohemorum Dux, nihil veritus Imperatorem CONRADUM II, cui ſubjectus erat, Ultorem, Polonis Hoſtem, gravioribus Expeditionibus intentum, POLONOS ingentibus Diſſidiorum Cladibus ſe prorſus enervantes oppreſſurus, Anno 1038, ut Viam ſibi faceret commodam, prius SILESIOS, antehac Polonorum in Bohemiam irrumpentium Socios, invadebat. Horum expugnabat, diripiebat, incendebat [ſed tamen retinebat] Urbem VRATISLAVIAM. Hinc majorem in POLONIAM progreſſus, pari Calamitati ſubjiciebat POSNANIAM & GNESNAM. Ioannes Dlugoſius in Hiſtoria Polonica, Lib. II. ad Annum 1038: *Anno Domini M.XXXVIII. civili & plusquam civili, Nobiliumvidelicet & Popularium Furore, Regnum Poloniæ BRETISLAUS, Boemiæ Dux, intelligens dilaceratum & colliſum, & ſuo Rege atque Principe deſtitutum, invadere illud, velut paratam Prædam, & amplioribus Incommodis afficere, nullam illinc ſciens Reſiſtentiam, conſtituit. Ad quod illum non ſolum acceptæ in Excæcatione Avi ſui Boleslai Ducis Boemiæ per Boleslaum Chrobri, Facti Memoriâ, Injuriæ, ſed Livor & Odium, ſimulque occupandi Regni alieni, aut ſaltim exterminandi ſtimulabat Ambitio & pravæ Voluptas. Collectâ itaque Nobilium & agreſtium Mul-*

ANNO 1038.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM à POLONIS ſeparatorum
Cæſareus Præfectus Germanus.

Multitudine, POLONIAM ingreſſus, Civitates ejus opulentas & inſignes, WRATISLAVIAM [tum non amplius Duci POLONORUM, ſed GERMANORUM Imperatori ſoli addictam] *videlicet, & POSNANIAM, Oppidaque, Vicos & Villas, quas civilis Stridor nondum deleverat, diripit & exurit. Ad GNESNAM tandem POLONORUM Metropolin perveniens, illam quæ nec Situ, nec Arte munita erat, ſed neque Defenſores habebat, facile capit.* Eadem Matthias Michovius commemorat in Poloniæ Chronico, Lib. II. Cap. XIII. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. IV. ad Annum 1038: *PRÆDISLAUS Boëmus, cum, poſt Ulderici Patris Mortem, Iaromiro cæco Patruo concedente, Principatum ſuſcepiſſet, cum valido Exercitu, Ferro & Igni, SILESIAM, quæ ſic poſterius dicta eſt, & majorem POLONIAM quam longiſſimè populatus eſt. WRATISLAVIAM, POSNANIAM aliaque minora Oppida diripuit & incendit: nulli neque Sexui, neque Ætati Hominum pepercit: nec à Templis impias & Sacrilegas Manus abſtinuit:* [*nam de CRACOVIA Sylvio & Hageco non aſſentimur, refellitque eos Locorum Ratio*] *GNESNAM Metropolin, nec Manu munitam, & Habitatoribus Defenſoribusque vacuam primo Impetu cepit.* Ioannes Dubravius in Hiſtoria Bohemica, Lib. VIII. ad Annum 1038: de Bretislao: *Atque in tanta Victoria hoc ſibi præclarum in primis putavit, quod quatuor inſignes Urbes, GNESNAM, CRACOVIAM, POZNANIAM, VRATISLAVIAM non totâ Æſtate transactâ expugnaſſet.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 1038: *BISETISLAUS Bohemorum Princeps, ulturus veteres Injurias, cum Exercitu infeſto SILESIAM & POLONIAM invaſit. Cepit, ſicut dicitur, nominatim VRATISLAVIAM, &, ut ſcribit Sylvius, CRACOVIAM: deinde POSNANIAM, atque etiam Sedem Regiam GNESNAM.* Eadem Nicolaus Polius in Incendiorum Hiſtoria commemorat, Num. II. ad Annum 1038.

XCII. At non diu Victor BRETISLAUS in SILESIA & POLONIA commorabatur: ex quibus per Imperatorem CONRADUM II. Bohemiam ingreſſum revocabatur: non tamen univerſam relinquebat, neque PO-

ANNO 1038.
GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS II.
SILESIORUM â POLONIS ſeparatorum
Cæſareus Præfectus Germanus.

POLONIAM, neque SILESIAM: in quâ retinebat, cum alia Loca, tum etiam VRATISLAVIAM: quod ex ſubſequentibus patebit. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. IV. ad Annum 1038: *Gravioribus etiam fortaſſe Incommodis ferox Bohemus* [Bretislaus] *POLONIAM tunc affeciſſet, ni Metus domeſtici Belli â CONRADO quidem Imperatore intentati, ab HENRICO autem Filio & Succeſſore ejus illati, eum repreſſiſſet.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 1038: de Bretislao: *Nec reliquiſſet POLONIAM Bohemus, niſi CONRADUS Imperator, exoratus Precibus Reginæ RIXÆ Exſulis, quæ Populi ſui, quamvis ingrati, movebatur interitu, eum Vi & Armis retraxiſſet.*

ANNO 1040.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM â POLONIS ſeparatorum
Gubernator BRETISLAUS.

XCIII. Poſt CONRADUM II, Anno 1039, vivis exemtum, Succeſſor HENRICUS III. Cognomentô NIGER, Imperator GERMANIS præerat. Tum POLONI, poſt MIESLAUM II. Anno 1034 mortuum, Duce carentes adhuc diſſidebant.

XCIV. BRETISLAUS, Bohemorum Dux, etſi per CONRADUM II. in Bohemiam ex Polonia & Sileſia prævalidis Armis revocatus, tamen utramque totam nondum deſuerat: ut ſupra diximus, & infra demonſtrabimus. Certè magnam, ſi non maximam, SILESIÆ Partem, in eâque VRATISLAVIAM Urbem militaribus Præſidiis adhuc tenebat obſtrictam. Quamobrem SILESIIS Cæſareo, tam Præfectô, quam Auxiliô, quod ſufficeret, deſtitutis, cohibendæ POLONORUM tumultuantium Irruptioni per ſe non paribus, tantô ut æquiorem, ſic faciliorem in Modum tolerabatur interea Bohemus, non tam Dominator, quam Gubernator, præſertim Vratislavienſis Urbis optatus Inſtaurator.

XCV. HENRICUS III. Imperator cœptum â CONRADO II. Bellum contra BRETISLAUM, ob SILESIAM & POLONIAM, Imperii

ANNO 1040.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM â POLONIS ſeparatorum
Gubernator BRETISLAUS.

rii Romani Provincias devaſtatas, Anno 1040 continuabat. Antonius Bonfinius de Rebus Hungaricis, Decade II. Lib. II: *HENRICUS igitur Tertius graviter indignatus, quod* [Bretislaus] *POLONIAM Injuſſu ſuo devaſtarit, Odalrico, Filioque* [Bretislao] *Bellum indixit: quia Romano Imperio Ducatus ille* [Polonorum] *ſubjectus erat, quotannisque Boves centum & viginti, item Argenti puſtulati quinquaginta pendere cogebantur.*

XCVI. Sed parum felix erat HENRICI hæc adverſus BRETISLAUM Expeditio. De quâ Hermannus Contractus in Chronico ad Annum 1040: *HENRICUS Rex* [Imperator] *Boemiæ Ducem Bello petit: ſed multis Proceribus & Militibus in Præſtructione Sylvæ citrâ & ultra occiſis vel captis nihil dignum efficere potuit.* Eadem, partim eundem, partim etiam pleniorem in Modum commemorant, Marianus Scotus in Chronico ad Annum 1041. Conradus Urſpergenſis in Chronico ad Annum 1041. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. III. ad Annum 1041. Ioannes Dubravius in Hiſtoria Bohemica, Lib. VII.

ANNO 1041.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM â POLONIS ſeparatorum
Gubernator BRETISLAUS.
POLONORUM Dux CASIMIRUS I.

XCVII. Iam, ut Statum SILESIORUM poſtea mutatum eô melius exponere poſſimus, Neceſſitas nos jubet, Eventum Anarchiæ Polonicæ prius indicare notabilem: qui novam SILESIIS afferebat Vicem. POLONI, per Septennium Duce carentes, cum tandem ſe, non tantum ſuis, verum exteris quoque Latrociniis Prædam feciſſe dolerent, in Malorum ſuorum Remedium ſtatuebant, MIESLAI II. Ducis Filium CASIMIRUM Exſulem pro Capite patriis Terris reddendum. Hunc, paſſim Germaniam & Italiam perluſtrare gaviſum, in Gallia Biennio Pariſiis eruditum, jam Cluniacenſem Ordinis Benedictini Monachum Decanum, multis ad ipſum, ad Matrem RIXAM, ad Pontificem Romanum, ad Impera-

ANNO 1041.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM à POLONIS ſeparatorum
Gubernator BRETISLAUS.

ratorem HENRICUM, cui defendendum contra BRETISLAI Bohemorum Ducis Injuriam, & in Terrarum per eum ablatarum Poſſeſſionem reſtituendum commendabant, Legationibus & Precibus difficulter obtinebant. CASIMIRUS, Conſenſu HENRICI Cæſaris in Poloniam reverſus, ſexcentis Germanis Equitibus præmunitus, Gneſnæ ſolenniter, Anno 1041, Dux POLONORUM agnoſcebatur: quibus ſe mitem, &, ut decebat, ſimul religioſum, ſimul doctum exhibiturus, Injurias Oblivioni tradebat. Hæc, ut ſolet, diffuſius quidem, diſtinctius tamen narrat Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. II. ad Annum 1038: CAZIMIRUS, *Filius MIECSLAI Polonorum Regis, qui & CAROLUS nominatus eſt, dum in Pariſienſi Schola integro Biennio Studiis Operam, Matre Regina RIKSCHA Impenſas largas miniſtrante, dediſſet, & plures coætaneos ſuos, tam Ingenio & Arte, quam Formâ excederet, cœpit apud univerſos Opinione & Famâ celebris haberi.* Lib. III. ad Annum 1041: *Dux CASIMIRUS Polonorum Legatis, religioſo Veſtitu amotô, ſeculari & Regiô amictus redditur. Novum Metamorphoſis Genus, & nullis umquam viſum Sæculis, nec ab Ovidio in Libris decantatum, ex Monacho Rex, ex Religioſo Sæcularis, ex Diacono Miles, ex Continentiam perpetuam profeſſo Maritus, ex paupere dives, ex contemplativo activus.* Ibidem poſt multa: *Rebus ſuis CAZIMIRUS Poloniæ Dux apud HENRICUM III. Romanorum Regem pro Voto ſtabilitis, Licentiâ â Rege & Genitrice RIKSCHA Regina obtentâ ex Miſnia verſus Poloniam diſcedebat.* Ibidem poſt quædam: de Caſimiro: *Ille id* [Injuriarum Veniam] *Animo ſuo inſedisſe præcipuum* [Legatis, â quibus intra Poloniam excipiebatur] *reſpondit, eâque de Cauſâ dulcem Religionis Cultum ſe reliquiſſe, & in Poloniam cum Almannorum* [Germanorum] *non contemnendis Copiis ſe rediiſſe docet, ut Reſpublica ex Calamitate eam detinente, & mediis quoque, quibus jactata eſt, peneque merſa Fluctibus, in tutum evadat, declarat ſe invitantibus Polonorum Legatis, Papa quoque, non permittente ſolum, ſed & jubente, in Poloniam pro Polonici Populi & Regni Salute & Inſtauratione adveniſſe: non ſolum non repetiturum Pœnas â ſuis & Genitricis ſuæ Ejectoribus, ſed etiam*

ANNO 1041.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM à POLONIS ſeparatorum
Gubernator BRETISLAUS.

etiam omnibus offenſis perpetuam Oblivionem daturum, ut non tam Autoritate, quam Benignitate & Facilitate cunctis imperet. Excepti ſunt & à Polonis Almanorum, qui cum CAZIMIRO advenerant, Milites & magnus illis Favor & Honor, pro omnium Tempore, quô Militiam agebant, in Polonia habitus. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. IV: *Ad HENRICUM deinde Imperatorem* [Legati Polonorum] *adeunt, orant, ut Diademata, quæ RIXÆ ê Polonia ſublata CONRADO Patri ipſius donarat, propinquo Regi reddat, eumque Socium ac Amicum Romani Imperii tuendum ac defendendum ſuſcipiat: Boemum Ducem* [Bretislaum] *ab inferendo Polonis Bello cohibeat: & ad reddenda, quæ ſuperiore Tempore abſtulerat, cogat. Non difficilem ſe in iis, quæ petebantur, HENRICUS præbuit. Nam & Coronas reddidit, & ſexcentorum Equitum Præſidium CAZIMIRO deducendo addidit: & de Boemo, cum quo Bellum tunc gerebat, Curæ ſibi fore promiſit. Igitur auctus Comitatu CAZIMIRUS & plenus bonæ Spei, ſalutato Imperatore in Poloniam contendit.* Ibidem poſt quædam: *Ita denſiſſimis Lætitiaque exſultantibus Hominum Catervis præcedentibus & ſubſequentibus, Gneſnam honorificentiſſimè deducitur, Anno ſeptimo, poſtquam exceſſerat.*

XCVIII. Is CASIMIRI Ducis ad POLONOS Imperio ſuo regendos in Patriam Reditus, ob peculiares Circumſtantias SILESIIS ad Hiſtoriarum ſuarum tantô exactiorem Notitiam Momenta quædam ſuggerit.

XCIX. Primum notabiles ſunt Leges, ſecundum quas Pontifex Romanus [incertum, quis, ob plurium eâ Ætate Romanum Epiſcopatum affectantium & occupantium Diſſenſionem] CASIMIRUM Polonis ê Monaſterio dimiſit. Quarum Prima fuit, ut omnes, exceptis Clericis & Equitibus, pro Tributariorum Conſuetudine, quotannis Ærario Romano Eccleſiaſtico Nummum [S. PETRI nominatum DENARIUM] in Lucernam perpetuam ſolverent. Secunda fuit, ut omnes, in Monachorum Morem, quamvis non Clerici, Tonſuram Capillorum rotundam reciperent. Tertia fuit, ut Equites, ad Sacerdotum Inſtar, præcipuis Diebus feſtis, dum Sacra peraguntur, candidam Faſciam ê Collo ſuſpenſam re-

ANNO 1041.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM â POLONIS ſeparatorum
Gubernator BRETISLAUS.

rerent. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. III. ad Annum 1040: *Tum Polonorum Regiones & Regnum in Signum præſtiti per Sedem Apoſtolicam, acceptique in magno ſuæ Neceſſitatis Articulo Beneficii, Beato Petro & Succeſſoribus ſuis Romanis Pontificibus de quolibet Capite, Nobilium Capitibus circumſcriptis, uſualem Nummum Annis ſingulis ſolvere: Cæſariem Capitis & Comam barbaro More non nutrire, ſed Auriculis patentibus, ad Inſtar Catholicarum & Latinarum Nationum, tonſuratum Caput geſtare, & in præcipuis Chriſti & Virginis Matris ejus Feſtivitatibus, Panno lineo albo, in Stolæ Modum, dependente Cervicem exornare perpetuo redduntur adſtricti.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. IV: *Pro hoc Polonis, quô Beneficium Sedis Apoſtolicæ agnoſcant, injunctum: primum, ut de ſingulis Capitibus, exceptis Nobilibus ſive Equitibus, & qui ſacris addicti ſunt, quotannis Obolus unus in Lucernam perpetuo in Æde Divi Petri Romæ arſuram pendatur: qui etiamnum Sancti Petri Nummus dicitur.* Ibidem poſt quædam: *Deinde præſcriptum eſt, ut omnes Poloni rotundâ, in Morem Monachorum, Tonſurâ Capillorum utantur, nec infra Auriculas, Ritu barbarico, quisquam omnino Comam promittat: Feſtis ſolennibus, dum ſacra peraguntur, ut ſinguli Equites Faſciam lineam candidam in Modum Stolæ, quâ in Sacris utuntur Sacerdotes atque Diaconi, è Collo ſuſpenſam ferant. Suſcipiunt non gravatim Præcepta & Leges Pontificis Oratores, & Poloniam omnem ad ſervanda hæc obſtringunt.* Horum Mentionem faciunt, præter alios Polonicorum Annalium Conditores, Ioannes Dubravius in Hiſtoria Bohemica, Lib. VII. & Sileſiacarum Rerum Scriptores, Ioachimus Curæus, Iacobus Schickfuſius, Gothofredus Ferdinandus Buckiſius, Fridericus Lucæ, de Caſimiro agentes.

C. His Legibus POLONI, ſed non SILESII [quanquam eos ob diu ſervatam cum Polonis Societatem Ætas illa Polonis annumerabat] tum non ſub CASIMIRI, Polonorum Ducis, ſed ſub BRETISLAI, Bohemorum Ducis, Regimine viventes, obligati fuerunt.

CI. Præterea memorabiles ſunt Conditiones, ſecundum quas Imperator HENRICUS III. Poloniam CASIMIRO Duci conceſſit. Eas quidem

ANNO 1041.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM â POLONIS ſeparatorum
Gubernator BRETISLAUS.

dem non invenimus evidenter annotatas: ſed Dubium non eſt, quin CASIMIRUS Imperatori ad vetuſtas Leges in Subjectionem fuerit obſtrictus. Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 1041: *CASIMIRUS renovatis cum Cæſare veteribus Pactis, rediit in Poloniam Anno 1041.* Imò CASIMIRUS præſtabat HENRICO fideliter Obſequium ad Tempus, quô hæc Wippo Presbyter de Cæſaris Conradi II. Vita ſcripſit ad Henricum III. Imperatorem, Cap. XXIX: *Defuncto Miſecone, CASIMIRUS Filius ejus FIDELITER SERVIEBAT usque huc Imperatoribus noſtris.* Poſt hæc quidem [ut infra dicemus, ad Annum 1051, §. CXVII.] CASIMIRUS eandem Fidem HENRICO per complures Annos ſervatam violaturus dicebatur, ſed aut falſo accuſatus, aut Armis deterritus redintegrabat.

SILESIORUM Epiſcopatus ex Smograno BICINENSIS.

CII. Tum CASIMIRUS, quanquam POLONORUM, tamen nondum SILESIORUM Dux erat: quos BRETISLAUS Bohemorum Dux adhuc tenebat Belli Iure ſibi devinctos: ſed non univerſos. Etenim, quod partim aliunde, partim è Chronicis noſtris MStis conſtat, CASIMIRO Imperator HENRICUS III. cum POLONIAM, in quam Ius ſummum habebat, concedebat: ſimul aliquam, eamque Polonorum Finibus adſitam SILESIÆ Partem, quam BRETISLAUS ſibi non ſubjecerat, permittebat. Ea, præter SMOGRAM, olim Oppidum, hodie Pagum, continebat Oppidum BICINAM. Ideo SILESIORUM Epiſcopus Smogrenſis LEONHARDUS, in Motibus Polonorum internis, Bohemorum externis, multa Securitatis & Utilitatis Damna perpeſſus, â Polonorum Duce CASIMIRO, & Literis, & Sacris dedito, non ita pridem in Patriam reverſo, cum Annus 1041 ageretur, impetrabat, ut Epiſcopatus, quem ab Anno 1036 adminiſtraverat, SMOGRA BICINAM, in Urbem hodie Ducatui Bregenſi adjacentem transferretur. Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, de Epiſcopis, in Leonhardo: *Poſt Bellum Anno 1041, cum*

ANNO 1041.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM à POLONIS ſeparatorum
Gubernator BRETISLAUS.

cum rediiſſet in Regnum CASIMIRUS, migravit in vicinum Oppidulum BICINAM.

ANNO 1042.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM à POLONIS ſeparatorum
Gubernator BRETISLAUS.

CIII. BRETISLAUM, Bohemorum Ducem, SILESIÆ POLONIÆque, Provinciarum Germanico Imperio ſubditarum Invaſorem, partimque Poſſeſſorem, Imperator HENRICUS III. iterum Armis aggreſſus ita ſuperabat, ut ſupplex Imperatori ad Obſequium priſtinum ſe ſubjiceret, atque Polonico Terrarum Corpori, poſt MIESLAI II Ducis Obitum, ablata, ſed intra POLONIAM, non intra SILESIAM, Filio CASIMIRO tandem reſtitueret. Eam HENRICUS Imperator cum BRETISLAO Pacem, non, ut quidam referunt, 1052, ſed, ut antiquiores melioresque commemorant, & potioribus è Circumſtantiis patet, 1042 Anno, inibat. Hermannus Contractus in Chronico ad Annum 1041: *HENRICUS Rex* [Imperator] *Boemiam cum Exercitu ingreſſus, Igne Prædâque cuncta devaſtat, & REBELLEM Ducem Obſides dare, & ipſum poſt ſe Ratisponam ad DEDITIONEM humiliter venire, ſibique Iurejurando FIDELITATEM SERVITIUMque confirmare coarctat.* Eadem leguntur apud Marianum Scotum in Chronico ad Annum 1042: & apud Conradum Urſpergenſem in Chronico ad Annum 1042. Coſmas Pragenſis in Bohemiæ Chronico ad Annum 1042: *HENRICUS Imperator, ſemper magnificus Triumphator, volens ulciſci ſuorum Ruinam inclytorum, intrat tribus Itineribus Terram Boemorum, & eam ferè totam hoſtiliter devaſtat, ac multas Civitates, quas illi defendere non valentes deſeruerant, Igne ſuccendit.* Ibidem poſt quædam: *Quod videns Dux BRECISLAUS, neſcit quid faciat: Mentem Dolor undique turbat. Iam pœnitet eum, olim pugnaſſe contra Cæſarem: jam pœnitet eum, ſpreviſſe Monita Ducis Okardi: jam mavult Precibus pugnare, & eum Precibus ſuperare, quem olim pugnando ſuperarat, atque his*

ANNO 1042.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM à POLONIS ſeparatorum
Gubernator BRETISLAUS.

his Verbis tentat diram deflectere Cæſaris Iram: Bella geris, Cæſar, nullos habitura Triumphos. Nam Terra tua eſt Camera, nosque tui ſumus, & eſſe tui cupimus. Eadem narrat Æneas Sylvius in Hiſtoria Bohemica, Cap. XIX: & Ioannes Dlugoſſus in Polonica Hiſtoria, Lib. III. ad Annum 1042: quibus ad ultimum hæc ſubjungit: *HENRICUS autem Rex ſatis ſe ultum ſuas ſuperiores Injurias advertens, oblatam Deditionem acceptat, Ducem BRETISLAUM Bohemiæ primum dare Obſides, deinde Caſtris & Munitionibus, quas in Regno POLONIÆ aut occupaverat, aut erexerat, cedere, & CASIMIRO Regi reddere imperat. Poſtremo duobus Millibus Marcarum Argenti puri, & quinquaginta Auri multat. Quibus omnibus dum BRETISLAUS paruiſſet, HENRICUS Rex humilitatis Bohemis Obſidionem ſolvens in Almaniam eſt egreſſus, Ducem BRETISLAUM Bohemiæ Ratisbonam Deditionem innovaturum, & Iurejurando FIDELITATEM præſtiturum ſeſequi coarctans.*

SILESIORUM Germanico Imperio ſubjectorum,
Dux BRETISLAUS.

CIV. Afferebat hæc Imperatoris HENRICI cum BRETISLAO Bohemorum Duce Pax novam SILESIIS Mutationem. Hos enim [ut §. LXXVIII. indicavimus] CONRADUS II. Imperator MIESLAO II. [quem Poloniæ Ducem Triarcham, hoc eſt, tertiæ Partis Dominum fecerat] ereptos, Præfecto Cæſareo Germano, cum Annus 1036 ageretur, gubernandos ſubjecerat: quos eidem, itaque non POLONIS, poſt MIESLAUM II. Anno 1034 mortuum, ejectumque Filium CASIMIRUM, Duce carentibus, ſed GERMANIS, ad Imperium Romanum pertinentibus, Anno 1038, BRETISLAUS Bohemorum Dux, per injuſtam Vim ademtos, ad Annum 1042, Bohemis conjunctos, per Imperatoris Tolerantiam, pro Temporum illorum ſtatu revera Præfectus magis, quam Dominus, Licentiâ bellicâ retinuerat. Tum autem HENRICUS III. Cæſar expetitam BRETISLAO Pacem indulgens relinquebat occupatam SILESIÆ Partem, in eaque VRATISLAVIAM Urbem: [de quâ dicemus ad Annum 1052]

ANNO 1042.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM Dux BRETISLAUS.

ſub Auri & Argenti annuo Tributo, quod BRETISLAUS Imperatori penderet. Æneas Sylvius in Hiſtoria Bohemica, Cap. XIX: *Fractus Animo BISETISLAUS errati Veniam petiit: dictæ ſunt Pacis Leges, quas voluit Imperator, & trium Annorum Tributum penſum. SLESIA ſub Annuo Tributo Auri XXX. Argenti CL. Marcarum, Bohemiæ Principi tradita.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus: *Adjicit Sylvius, tunc ex Sententia Imperatoris SILESIAM fuiſſe relictam BISETISLAO aut Prædislao, ut alii eum nominant, ita, ut quotannis Provinciæ hujus Nomine Tributum Imperio Romano penderet: quod fuit Auri XXX, Argenti CL Librarum.* Ei conſentit Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XIV. Prorſus eadem commemorat Martinus Boregkius in Bohemiæ Chronico, ad Annum 1052.

CV. His contrarium, eumque malum Sylvii Verborum Interpretem agit Ioannes Dubravius, cum in Hiſtoria Bohemica ſcribit, CASIMIRUM Polonorum Ducem BRETISLAO Bohemorum Duci ſolviſſe Tributum, quod indicavimus. *Interea Temporis*, ait, Lib. VII, *cuncta fere in Polonia ad CASIMIRI Reditum mutata erant. POLONIS videlicet à BRETISLAO, domi Tumultu-Hungarico impedito, ad præſentem Caſimirum certatim deſciſcentibus: pauca retenta in SLESIA à Præſidio Bojemorum Arces, & ex Urbibus ſola VRATISLAVIA: quam, ut rurſus aſſequeretur CASIMIRUS, ne Stipendiarii quidem & vectigalis Principis Conditionem ſuſtinere gravabatur. Vectigal BRETISLAO in ſingulos Annos Auri XXX, Argenti CL Libras appendebat.*

CVI. Eandem Sylvii ſententiam deteriore Modo pervertit Martinus Cromerus, de Polonorum Rebus Lib. IV: ubi ſtatuit, ab HENRICO III. Imperatore traditam BRETISLAO Bohemorum Duci, ſub Tributi Onere, non SILESIAM, ſed MORAVIAM poſſidendam. *Neque enim*, ait, *exiſtimandum eſt, POLONIAM tunc in Ditione Romanorum Imperatorum fuiſſe. Nam, quod addit Sylvius, SILESIAM Boemis ab Imperatore, impoſitô Tributô traditam eſſe, de MORAVIA id rectius accipitur. SILESIAM enim etiam tunc in Polonorum Ditione manſiſſe, vel S. PETRI Nummus, cujus dudum Mentionem fecimus, Argumento eſt. Nam eum SI-*

ANNO 1042.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM Dux BRETISLAUS

SILESII quoque, itidem ac cæteri omnes, qui tunc Regno Polonico continebantur, etiam nunc pendunt. Ibidem poſt pauca: *Adde, quod poſterius, CAZIMIRUS Rex Polonorum, cujus Tempora nunc proſequimur, SMOGORZOVIENSEM ſine BICINENSEM Cathedram & Epiſcopatum WRATISLAVIAM transtulit: quæ Urbs in Umbilico SILEIÆ ſita eſt.*

CVII. At Interpretationis hujus, citra Teſtes, imò etiam contra Teſtes pro Sententiâ contrariâ productos, revera non aliud habet Fundamentum, niſi vulgarem, quam Cromerus Nervis omnibus defendere conatur, omnino falſam Opinionem: ne SILESIAM quidem, Poloniæ conjunctam Provinciam, adeo non ipſam POLONIAM cuiquam Extero fuiſſe tributariam. Rationes duas, quas Aſſertioni ſuæ Colorem additurus, priorem de S. PETRI Denario, quem ad Regionum Polonicarum Legem SILESIA ſolverit: poſteriorem, de SILESIORUM Epiſcopatu BICINENSI, quem CASIMIRUS Polonorum Dux VRATISLAVIAM transtulerit: non demonſtrare, quod demonſtrandum erat, ex iis luculenter patebit, quæ poſtea proferemus ad Annum 1045. §. CXIV.

ANNO 1044.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM Dux BRETISLAUS

SILESIORUM Monaſterium primum LEUBUSINUM.

CVIII. CASIMIRUS Polonorum Dux, antea Ordinis Benedictini Monachus apud Gallos Cluniacenſis, Amorem ſuis ad eandem Vitæ ſanctioris Regulam obſtrictis olim Fratibus Ope monſtraturus, duo ejusdem Ordinis excitabat Monaſteria: prius intra minorem POLONIAM, ad Fluvium VISTULAM, Urbi CRACOVIÆ propinquum, TINECINUM: [quod hodie Abbatem, quinque Civitatum & centum Villarum Dominum habet, Canonicum perpetuum Cracovienſem:] poſterius intra SILESIAM inferiorem, [cujus Partem BRETISLAUS ſibi non habebat ſubjectam] ad VIADRUM Amnem, duobus à WOLAVIA Milliari-

ANNO 1044.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM Dux BRETISLAUS.

ribus, LEUBUSINUM: cui Dotem satis amplam, Oppidum, Villas, perpetuum Piscationis, Venationis, Telonii Ius addidit. Annum, quo ædificabatur, nec Ioachimo Curæo, neque Iacobo Schickfusio, neque Gotfrido Ferdinando Buckisio, neque Friderico Lucæ, Silesiorum Historicis: neque Caspari Iongelino, Monasteriorum Scriptori, aut exploratum, aut annotatum, primus indicavit cum aliis eò spectantibus, posteaquam de Monasterio Tinecino Narrationem finierat, Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. III. ad Annum 1044. de Casimiro: *Exstruxit & aliud Cœnobium ejusdem Ordinis & Professionis ad Flumen ODRA, in Loco, qui Iulii Mons* [*Stativa enim quondam Iulius Cæsar habuisse fertur*] *à Polonis verò Voce Latinâ LUBENS appellatur. Regiam quoque & liberalem ei assignat Dotem, donando eidem Monasterio Oppidum LUBENS, Novum Forum, Bogunow, Dobrogostow, Napstir, Stepin, Vickschino, Nalibin & plures alias Villas, Possessiones, Reditus, Census, Telonia & Introitus, atque in Flumine ODRA Piscationes, & Naulum, in Silvis verò Mellificia & Venationes.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. II. Cap. XIV: de Casimiro, ad Annum 1044: *Cœnobium eodem Anno supra ODRAM Fluvium in LUBENS exstruxit, & Dote liberali ac sufficienti providit, prælibatis Fratribus Cluniacensis Ordinis.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus: *CASIMIRUS etiam, ut gratus esset suis Nutriciis, Colonias Monachorum Benedicti in Poloniam deduxit, & Sodalitium unum collocavit LEUBUSIUM in SILESIAM ad VIADRI Ripam, ubi olim fuerat celebris Cultus Idoli Ethnici.* Caspar Iongelinus in Abbatiarum Ordinis Cisterciensis Notitia, Libro V: de Silesiæ Monasterio Leubusiensi, quod Lubense vocat: *Hic* [Casimirus] *Ordinis S. Benedicti, quem antea professus erat, non ingratus esse volens, ejusdem aliquot Monachos ex Polonia in SILESIAM transtulit, & Monasterium in Loco dicto LUBENS exstruxit: ubi Iulius Cæsar olim Castra locasse dicitur, & ubi Idolorum fuit Templum, cujus Vestigia hodie adhuc inibi monstrantur.* Ibidem post quædam: *Monasterium sanè peramplum, magnificum: ubi adhuc hodie monstratur primum Benedictinorum Templum & Conventus, à suprà dicto CASIMIRO erectum.*

CIX.

ANNO 1044.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM Dux BRETISLAUS.

CIX. Idem Monasterium, Anno 1044 per CASIMIRUM Polonorem Ducem Benedictinis ad Annum 1175, postea Cistercienſibus recentioris Ordinis Monachis per BOLESLAUM Altum Silesiorum Ducem Lignicensem, ad nostram Ætatem in Proprietatem contigit. De quô ibidem Caspar Iongelinus: *Est verò LUBENSE Cœnobium hodie in tota SILESIA, sui & aliorum Ordinum primarium, utpote cujus Prælatus semper solet esse Visitator & Vicarius Generalis.* Cœterum, quô Modô CASIMIRUS, Polonorum Dux, hoc Cœnobium intra SILESIAM, quæ tum BRETISLAO Bohemorum Duci parebat, condere potuerit, ostendimus ad Annum 1042, §. CIV.

ANNO 1045.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM Dux BRETISLAUS.
SILESIORUM Episcopus VI. BICINENSIS,
TIMOTHEUS Italus.

CX. LEONHARDUS, Bicinensis Episcopus, variis Molestiis bellicis obnoxius, per novem Annos Ephoriâ in Ecclesias & Scholas defunctus, quartanâ Febre superatus, Anno 1045 excedebat. Tum Episcopatus Bicinensis evidentioribus valebat Opibus. De quibus Ioannes Dlugossus in Vratislaviensium Episcoporum Vitis MStis, Num. VI: *Creverant Providentiâ & Curâ superiorum Episcoporum Bona temporalia Episcopatus PITZINENSIS.* Tantô pluribus igitur Ambitione solitâ expetebatur. De quibus Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, inter Episcopos de Timotheo: *Crescentibus Opibus crevit Ambitio. Plures igitur tunc Locum illum, qui antea fuerat spretus, appetebant: & mutabatur tota Forma Electionis.*

CXI. Posthabitis aliis, LEONHARDO Successor Calendis Martiis à Bicinensibus Canonicis eligebatur eorum Præpositus, TIMOTHEUS, Natione Italus, Stirpe Nobilis, Legum Pontificiarum peritus: quem Stephanus Gnesnensium Archiepiscopus, non in Bicinensium, sed in Gnesnensium Templo Cathedrali solenniter Die XII Martii consecrabat: ut ibidem Dlugossus refert.

ANNO 1045.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM Dux BRETISLAUS.

CXII. Erat TIMOTHEUS Vir caſtus & beneficus. De quô laudatus Dlugoſſus Locô dictô: *Vir pudicæ Vitæ, Caſtitatem magnopere in ſe & aliis diligens & obſervans.* Ibidem poſt quædam, quibus Sileſiorum Calamitates indicat: *Epiſcopus tamen omnibus deſolatis & afflictis de ſuis liberaliter ſubveniebat Facultatibus.* Cœtera de Timotheo dicemus ad Annum 1051, §. CXVIII.

Sancti PETRI Denarius POLONIS,
Non SILESIIS imperatus.

CXIII. Eodem 1045 Anno, CASIMIRUS Polonorum Dux ad promiſſum Pontifici Romano Denarium [cujus Mentionem ad Annum 1041, §. XCIX. fecimus] ſolvendum, per Nuncium urgebatur. Quare, partim Obligatione, quam Poloni Pollicitatione liberâ ſibi attraxerant: partim Reverentiâ in ſummum Occidentis Epiſcopum adductus, Capita Imperio ſuo addicta reddebat Romano Ærario Pontificio tributaria. Ioannes Dlugoſſius, quem VRATISLAVIENSIBUS etiam Denarium illum præceptum commemorare mireris, in Hiſtoria Polonica, Libro III, ad Annum 1045: *Miſſo autem ad CAZIMIRUM Regem* [Romani Pontificis Benedicti IX] *ſpeciali Nuncio, requirit illum, ut juxta Legatorum Polonorum Apoſtolicam ſedem pro ſui Regis Diſpenſatione, plurimis Inſtantiis flagitantium, Sponſionem & ſuam ſubſecutam Confirmationem, Capitis Cenſus de univerſis Regni Poloniæ Provinciis conquiſitis & conquirendis mandaret pro Beato PETRO & ſuo Succeſſore Papa Romano Collectoribus Apoſtolicis, ſingulis Annis, exhiberi. Volens CAZIMIRUS Rex Poloniæ Pacis, ſummo Pontifici Benedicto primum per Legatos Polonorum, deinde per ſe promiſſis ſatisfacere, generalem omnium ſuarum Provinciarum indicit Conventum. In quo & Pollicitatio Apoſtolicæ Sedi per Legatos Polonorum facta Concordia, omnium Devotione & Conſenſu, decreta & innovata eſt, & univerſali Mandato Solutio unius uſualis Obuli de Capite, tam Civitates & Oppida, quam Vicos & Rura colentium in duabus Provinciis Gneſnenſi & Cracovienſi, & Diœceſibus iisdem ſubjectis, videlicet Poſnanienſi, Plocenſi, Cruſuicen-*

ANNO 1045.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM Dux BRETISLAUS.

cenſi, WRATISLAVIENSI, Lubiecenſi, Culmenſi & Camencenſi imperata.

CXIV. Sed non eſt, ut mireris, quemadmodum CASIMIRUS Polonorum Dux VRATISLAVIENSIBUS, per illud Tempus BRETISLAO Bohemorum Duci, tam Belli Iure, quam Pacis Lege ſubjectis, Denarium Pontifici Romano tribuendum imponere potuerit. Multô minùs eſt, ut inde colligas, CASIMIRO tum in Obſequium addictos fuiſſe VRATISLAVIENSES. Nam Dlugoſſus de Polonicarum Terrarum Epiſcopatibus Anno 1045 exſiſtentibus loquens, per VRATISLAVIENSEM intelligit BICINENSEM, demum Anno 1052 converſum in VRATISLAVIENSEM Epiſcopatum. Ea Nominum Permutatio familiaris eſt Dlugoſſo: qua Epiſcopatum prius SMOGRENSEM, ad Annum 1041: poſtea BICINENSEM, ad Annum 1052: denique VRATISLAVIENSEM, tum etiam nuncupare ſolet Vratislavienſem, cum nondum Vratislavienſis, ſed adhuc vel Smogrenſis, vel Bicinenſis fuit. Nam Lib. II. ad Annum 966, cum de Ortu Epiſcopatuum ad Poloniam pertinentium primo Verba feciſſet: *Duæ autem*, inquit, *Suffraganeæ* [Eccleſiæ] *quas nominavimus, SMOGORZOVIENSIS & Cruſuicienſis propter Locorum Transmutationem etiam Titulos ſuos variare coactæ ſunt. SMOGORZOVIENSIS enim primum in BYCZINAM Oppidum Diſtrictus Brzegienſis, ſed propter uberiorem Situm tandem in WRATISLAVIAM translata eſt, & ultimi Loci ſortita eſt Appellationem.* Tamen ibidem ad eundem Annum, Epiſcopum SMOGRENSEM primum nominat VRATISLAVIENSEM: *Ordinatus eſt autem*, inquiens, *in Gneſnenſi Eccleſia primus Archiepiſcopus Vhalinus: in Cracouienſi verò primus Archiepiſcopus Prochorius: in Poſnanienſi primus Iordanus: in WRATISLAVIENSI primus Gotfridus.* Ad Annum 983: *Primus WRATISLAVIENSIS Epiſcopus, qui SMOGORZOVIENSIS tunc intitulabatur, Gotfridus.* Proinde pari Dlugoſſius Licentiâ Epiſcopatum, nondum Vratislavienſem, ſed adhuc BICINENSEM, appellavit VRATISLAVIENSEM. Ideoque CASIMIRUS, quanquam POLONORUM, non SILESIORUM Dux, tamen, quoniam SILESIÆ Partem aliquam [ut ſupra indicavimus ad Annum 1042, §. CIV.] Polonis addictam, in eâque

ANNO 1045.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM Dux BRETISLAUS.

BICINENSEM, tum Civitatem, tum Episcopatum possedit, BICINENSIBUS quidem, non autem VRATISLAVIENSIBUS cœterisque SILESIIS omnibus Denarium, de quo agimus, imperare potuit.

CXV. Occurrit aliud, quo SILESIOS ad S. PETRI Denarium Pontifici Romano tribuendum non adstrictos fuisse monstrari possit. Anno 1041, quo POLONI tandem concordes CASIMIRUM ex Monacho Ducem constituturi, Pollicitis faciles, à Pontifice Romano redimebant, SILESII non amplius POLONIS, Ducem nullum habentibus, sed jam BOHEMIS sub eorum Duce BRETISLAO annexi, non in Polonicam, nec Ducis Electionem, nec Tributi Promissionem consenserant. Quare CASIMIRUS solvendum S. PETRI Denarium, cum imperavit POLONIS, non potuit imperare SILESIIS, nisi paucissimis, forsan nullis, nisi BICINENSIBUS.

ANNO 1051.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM Dux BRETISLAUS.

CXVI. SILESII, quemadmodum diximus, à POLONIS separati, cum BOHEMIS conjuncti, Anno 1051, adhuc Romano GERMANORUM Imperio subditi erant: cui non tantum CASIMIRUS Polonorum, verum etiam BRETISLAUS Bohemorum Dux, ad Obsequium erat obligatus.

CXVII. CASIMIRUS, Polonorum Dux, Imperatori HENRICO III. subjectus, tanquam non amplius Fidem antiquam præstiturus, sed in Cæsaris Præjudicium, BRETISLAO Bohemorum Duci permissam SILESIAM erepturus, intra Goslariam commoranti reddebatur suspectus. At innocens, seu quod esset, seu quod crederetur, declaratus, in Gratiam Imperatoris, adversus POLONOS Bellum aggressuri, sed ægrotantis, [ad quem CASIMIRUS vel ipse profectus erat, vel Legatos miserat] redibat. Hermannus Contractus in Chronico ad Annum 1051: de Henco III: *Imperator contra GAZMERUM Ducem Polonorum, REBELLIONEM molientem, Expeditionem parat: gravique Infirmitate detentus, Pacem PACTUMque eum petentem suscipiens discessit*; hoc est, dimisit. Ioannes

ANNO 1051.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM Dux BRETISLAUS.

nes Dlugossus in Historia Polonica Lib. III. ad Annum 1051: *Grandi Indignatione HENRICUS Romanorum Imperator contra CAZIMIRUM Poloniæ Regem, BRETISLAI Ducis Bohemiæ provocatus Suggestione, quasi Andreæ Hungariæ Regis Partes enixius promovisset, & REBELLIONEM contra Imperatorem molitus, Imperii Regiones Bello affligere conaretur, Expeditionem contra Poloniam parabat. Sed interim gravi Infirmitate obrutus, Legatis Polonorum Regis CAZIMIRI ad eum venientibus, & Causas Accusationesque falsas monstrantibus, & Indignationem, & Apparatum bellicum deposuit.* Ioannes Aventinus in Bojorum Annalibus, Lib. V: *Rumor erat, CATHOMARUM* [Casimirum] *Polonorum Regulum, SILESIAM, ab Augusto Boiemio Præfidi datam, Armis affectare. CATHOMARUS, ubi isthæc accepit, ad Imperatorem venit, Rumorem de se temere natum coarguit. Cæsar excusatum eum habuit, Domumque redire jussit.* Cyriacus Spangenbergius in Saxoniæ Chronico, Cap. CLXXIV: ad Annum 1050: *Es kam aber umb diese Zeit auch das Geschrey, als solte Kœnig CASIMIR zu Polen in die SCHLESIEN einen Einfall gethan haben. Derwegen der Keyser ein sonderlich Kriegsvolck, solchs zu wehren, zu Goslar versamlete. Aber der Kœnig kam selbst, und entschuldigte sich der Auflage, und ward in Gute wider vom Keyser abgefertigt.*

SILESIORUM Episcopus VII. BICINENSIS,
HIERONYMUS Italus.

CXVIII. TIMOTHEUS sex Annos Episcopatu Bicinensi functus, è vivis Anno 1051 excedebat: in Templo, ubi docuerat, sepultus. Huic succedebat HIERONYMUS, Natione Italus, Stemmate Nobilis, hactenus inter Bicinensis Ecclesiæ Canonicos Cantor, Iuris Pontificii peritus, à Collegis per Scrutinium Die I. Iulii electus: postea per Stephanum Archiepiscopum Gnesnensem consecratus. Ioannes Dlugossus in Episcoporum Vratislaviensium Vitis MStis, Num. VII: *Post Mortem TIMOTHEI, Pitzinensis Episcopi, primo Calendas Iulii, HIERONYMUS, Pitzinensis Ecclesiæ Cantor & Canonicus, Iuris Pontificalis peritus, à Capitularibus per Scru-*

ANNO 1051.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM Dux BRETISLAUS.

Scrutinium unanimiter eligitur, & à Stephano Archiepiſcopo Gneſnenſi Anno Domini M.LI, confirmatur, ac in Pitzinenſem Epiſcopum conſecratur: Vir Italus, ex Romana Curia nobilem ducens Ortum. Plura de Hieronymo dicemus ad Annum 1052, §.CXX.

ANNO 1052.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM Dux CASIMIRUS I.

CXIX. CASIMIRUS, Polonorum Dux, à BRETISLAO, Bohemorum Duce, tandem cœteris Polonicis Terris, quas occupaverat, recuperatis, reſiduam SILESIÆ Partem, in eâque VRATISLAVIENSEM Urbem Pactô impetrabat. Sunt, quibus id Anno 1054 accidiſſe ſcribitur: ſed, quod è Circumſtantiis patet, rectius aliis ad Annum 1052 refertur. Coſmas Pragenſis Decanus in Bohemiæ Chronico, Lib. I. ad Annum 1054: *Urbs WRATISLAI & aliæ Civitates à Duce BRECISLAO redditæ ſunt Polonis, eâ Conditione, ut quam ſibi, tam ſuis Succeſſoribus quingentas Marcas Argenti, & triginta Auri annuatim ſolverent.* Eadem Wenceslaus Hagecius in Chronicon ſuum Bohemicum transtulit, ad Annum 1054. Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, de Caſimiro: *Scribunt, illi à Bohemis ſub certis Conditionibus redditam eſſe SILESIAM: quam CASIMIRUS exornavit & munivit.* Eadem Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XIV. annotavit.

SILESIORUM Epiſcopatus ex Bicinenſi
VRATISLAVIENSIS.

CXX. CASIMIRUS, jam etiam SILESIORUM, non tantum POLONORUM Dux, quemadmodum in Clericos & doctos, ipſe quondam Clericus, & pro Sæculi Habitu ſatis doctus, maximè propenſus erat: ita SILESIORUM Epiſcopatum SMOGRENSEM aliquantô melioribus Conditionibus in BICINENSEM Anno 1041 converſum eſſe, non contentus: Bicinenſem Anno 1052 efficiebat VRATISLAVIENSEM: quem ad Viadri commodam Inſulam, S. IOHANNIS Vocabulo deſignatam, collocatum, multô amplioribus Oppidorum, Prædiorum & Redituum Acceſſionibus donabat. Huic tum præerat HIERONYMUS Epiſcopus: cujus Mentionem fecimus §.CXVIII. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. III. ad Annum 1052: *Conditionem SMOGORZOVIENSIS, tum BYCZINENSIS Eccleſiæ, CAZIMIRUS Poloniæ Rex, ſatagens efficere meliorem, Locum WRATISLAVIENSIS Civitatis intelligens propter Fluorem ODRÆ habere Situm, multis Commoditatibus refertum, illam de BYCZINA, velut Loco tum obſcuro & agreſti, in quem altera jam Vice de SMOGORZOW fuerat translata, in WRATISLAVIAM transtulit: & Locum ampliſſimum, Caſtro ſuo WRATISLAVIENSI proximum & cognitivum, in Circuitu quoque cætera Loca pro Pontifice & Prælatis atque Canonicis aſſignavit: ab eôque Tempore, Nomine priori abrogato & mutato, WRATISLAVIENSIS cœpit vocitari. Primus ejusdem Eccleſiæ Epiſcopus, ex quô de BYCZINA in WRATISLAVIENSEM translata eſt, fuit HIERONYMUS.* Ibidem exponit & refutat Errorem, qui Caſimirum ob præſignem Munificentiam Epiſcopatui VRATISLAVIENSI non Inſtauratorem, ſed Conditorem fuiſſe tradunt. *Translata autem,* inquit, *Eccleſia memorata per CAZIMIRUM Poloniæ primum Regem & procurata Cauſam dedit Errori, ut CAZIMIRUS ipſe Rex in non nullis Annalibus & Hiſtoriis inſcribatur & referatur primarius Eccleſiæ WRATISLAVIENSIS Fundator, cum tantummodo illius fuerit Translator. Fundatio enim præfatæ SMOGORZOVIENSIS ſeu WRATISLAVIENSIS Eccleſiæ* [quod ſupra oſtendimus Cap. VII. §. XII.] *ſub uno eodemque Tempore* [Anno 966] *cum Gneſnenſi, Cracovienſi, Poſnanienſi, Plocenſi, Cruſuicenſi, Culmenſi & Camenecenſi Eccleſiis, quarum Diœceſibus in plerisque Locis confirmatis, à Miecslao primo Polonorum Catholico Principe & Monarcha cœpta & perfecta eſt. Neque enim Polonorum Pontifices, aut aliquos ex illis adeo negligentes & deliros, & ſuarum Injuriarum ignaros Repreſſores credi fas eſt, ut intra Fines ſuarum Diœceſium novam Cathedralem Eccleſiam, tam diffuſos Terminos, quales nunc VRATISLAVIENSEM obtinere novimus, habentem erigi, & ſuas Diœceſes coarctari, & Uſum Perceptionemque Decimarum Manipularium, in quibus Eccleſia ipſa, quemadmodum & cœteræ Polonicales Eccleſiæ fundatæ*

ANNO 1052.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM Dux CASIMIRUS I.

ANNO 1052.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM Dux CASIMIRUS I.

data ſunt, adimi paſſæ fuerint. Poterat & ad priorem Erroris præfati Cauſam etiam altera accedere. Dum CAZIMIRUS Rex Poloniæ præfatus, in Translatione hujusmodi, Oppidorum & Villarum prædictorum liberalem Donationem, priore multò ſuperiorem Eccleſiæ VVRATISLAVIENSI adjiciens, per Donationem munificam, & Translationem providam â plerisque habitu creditusque eſt, habito ad priſcam Tenuitatem Eccleſiæ Reſpectu, Fundator ipſius verius, quam Translator. Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. II. Cap, XIV: de Caſimiro: *Eccleſiam RICINENSEM, olim SMOGORZOVIENSEM, cupiens meliorare, in VVRATISLAVIAM transtulit: aſſignans Loca pro Pontifice & Canonicis. Exinde putabatur ab aliquibus, Cathedram VVRATISLAVIENSEM fundaſſe. Fuit illo Tempore HIERONYMUS Epiſcopus VVRATISLAVIENSIS: poſt quem deinceps cæteri Præſules WRATISLAVIENSES titulantur in hanc Diem.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, de Epiſcopis: *Ut Homo Romanus* [Hieronymus] *quæſivit Incrementa Opum & Dignitatis. Migravit cum ſuo Collegio ad Ripam Viadri in Urbem VRATISLAVIAM. Caſimirus Rex, qui viderat Splendorem Italicum & Gallicum, multa huic Epiſcopo donavit.*

CXXI. At Epiſcopatui tamen VRATISLAVIENSI, quantus etiam Opulentiæ Cumulus acceſſerat, tum adhuc erat Ligneum & Pedum, & Templum: S. IOHANNI Baptiſtæ, ſicut olim Smogrenſe, nuper Bicinenſe, conſecratum, Ioannes Dlugoſſius in Epiſcoporum Vratislaviensium Vitis MStis, Num. VII: de Hieronymo: *Primus in Eccleſia VRATISLAVIENSI ex Ligno fabricata Pedum Pontificale geſſit.* Ibidem poſt quædam: *Sepultus eſt VRATISLAVIÆ in Cathedrali Eccleſia Lignea tunc temporis.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, de Caſimiro: *Regebat tunc Eccleſiam hanc* [Vratislaviensem] *HIERONYMUS Romanus, qui ſepultus eſt VRATISLAVIÆ in Æde ſacra Lignea & vili, dicata Divo IOHANNI.* De Sileſiorum Epiſcopis, Num. VII: de Hieronymo: *Templum tamen fuit fabricatum ex Ligno, & Ligneum etiam Pedum geſtabat Paſtor.* Id eis conſentientes affirmant, Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. III. Cap. II. Num. VII. Nicolaus Polius in Incendiorum Hiſtoria, Num. II. ad An-

ANNO 1052.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS III.
SILESIORUM Dux CASIMIRUS I.

Annum 1052. Gothofredus Ferdinandus Buckiſius in Eccleſiaſticæ Sileſiorum Hiſtoriæ Prolegomenis, Cap. I. §. XI. Fridericus Luçæ in Sileſiorum Memorabilibus, Parte II. Cap. I. Num. VII.

ANNO 1056.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux CASIMIRUS I.

CXXII. GERMANIS poſt Henricum III. HENRICUS IV. ab Anno 1056, ad 1077 Imperator: CASIMIRUS Polonis ab Anno 1041: SILESIIS ab Anno 1052 ad 1058 Dux præfuit. SILESIOS per Ducem Caſimirum Henrico IV. Imperatori ad Annum 1056 ſubjectos fuiſſe, conſtat ex præcedentibus. Eosdem, per eundem Ducem Caſimirum, quamdiu vixit, hoc eſt, ad Annum 1058, Henrico IV. parem in Modum obligatos permanſiſſe, Cauſa dubitandi nulla ſe prodit, omnes Circumſtantias prudenter intuentibus.

ANNO 1058.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.

SILESII Romano GERMANORUM Imperio ſubjecti.

CXXIII. Poſt Caſimirum, Anno 1058, Die XXVIII Novembris, mortuum, Filius BOLESLAUS II, Cognomento aliis AUDAX, aliis EFFERUS, præfuit SILESIIS Polonisque Dux ad Annum 1081. Erat quidem Libertatis ſtudioſiſſimus Amator, ſed tamen non adeo validus Aſſectator, ut Imperatori Henrico IV. debitum Obſequium denegare ſuſtineret, ad Annum usque 1077: ad quem SILESIOS Romano GERMANORUM Imperio ſubjectos fuiſſe mox dicemus.

ANNO 1062.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.

SILESIORUM cum BOHEMIS Bellum.

CXXIV. BRETISLAUS, Bohemorum Dux, quinque Filios, Spitigneum, Vratislaum, Ottonem, Conradum & Iaromirum reliquerat:

ANNO 1062.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.

ex quibus Spitigneo Imperium, Iaromiro Sacerdotium, tribus mediis Moraviam deſtinaverat. Mortui Spitignei Succeſſor VRATISLAUS Bohemorum Dux Iaromiro, Hæreditatem ſibi denegatam non perpeſſuro, nihil, niſi Epiſcopatum permiſſurus, extrema tentandi Neceſſitatem afferebat. Ideo Iaromirus, ex Diacono Miles, cum paucis Comitibus ad BOLESLAUM Sileſiorum Polonorumque Ducem confugiebat: à quo receptus Auxilium obtinebat. Hinc VRATISLAUS iratus BOLESLAO, Iaromiri Patrono, cujus metuebat Bellum, Bellum inferebat: Exercitu ampliſſimo ferè totam SILESIAM diripiebat & devaſtabat: ibique GLACIUM [quod tum erat, imò etiamnum eſt SILESIORUM Regionis, quanquam eſt hodie BOHEMORUM Ditionis] Oppidum expugnabat. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. III. ad Annum 1062: *Fugam Iaromiri Fratris ſui in Poloniam VRATISLAUS Bohemiæ Dux irato & moleſto Animo ferens, cum Sugillationis & Ignominiæ haberet plurimum, & Suſpicionis non parum. Verebatur enim VRATISLAUS Bohemiæ Dux, ne Poloniæ Regis BOLESLAI & Polonorum Suffragiis, Iaromirus Frater ſuus ſtipatus, Bohemiam invaſurus adveniret, & Bohemorum Gentem ad Defectionem inclinaret. Et cum à Iaromiro Pœnas clandeſtini Diſceſſus exigere non poterat, omnes Iras, quas pro Fuga hujusmodi conceperat, in Regem Poloniæ BOLESLAUM & Polonos, qui Iaromirum Iure & Honore Hoſpitii ſuſceperant, vertit. Quapropter cum omnibus Gentium ſuarum Agminibus ulturus fugitivi Fratris Receptionem, Poloniam invadens, Flammis & Spoliis affligere cœpit, nullâ Hoſtilitatis Denunciatione præmiſſâ: à Silvis quoque Hyrcianis, quæ Poloniam à Bohemis diſterminant, Oram omnem, quæ nunc SILESIA appellatur, vaſtabat.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. II. Cap. XVI: *BOLESLAUM VRATISLAUS Dux Bohemiæ irato Animo ſugillabat, quod Germanum ipſius Iaromirum [Gradu Diaconatus rejecto, & Habitu Laicali aſſumto] profugum ex Bohemia, & exſulantem Iure Hoſpitii ſuſceperit. Veritusque ne aliquando Ducatum ejus, Polonorum Suffragiis ſtipatus ad Defectionem declinaret. Cum tota Potentia Regnum Poloniæ ingrediens, vaſtabat eam Oram, quæ SLESIA dicitur.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. IV: *VRATISLAUS ergo permoleſtè ferens, Re-*

ANNO 1062.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.

Receptum ex Fuga Fratri ſuo Iaromiro patere, veritusque, ne quid ille novi contra ſe, Polonorum Favore & Auxiliis fretus moliretur, cum infeſto Exercitu in Fines Poloniæ ingreſſus eſt: Oram eam ferè omnem, quæ poſteà SILESIÆ Nomen accepit, populatus, Igni Ferroque vaſtavit. Ioannes Dubravius in Hiſtoria Bohemica, Lib. VIII: de Vratislao: *Compertô deinde, Polonos denuo adverſus Boiemos in SLESIA graſſari, decernit & ipſe Delectum Militum, eisque Oppidum GLACIUM nominat, ad quod præſtituto Die conveniant. Nam hoc Oppidum in SLESIAM totum prominet, utpote ultra Boiemiæ Montes in plano Situm, quondamque numeratum inter SLESIACA Oppida: quibus tunc magna ex Parte Poloni dominabantur, aſſiduo ſatagentes, ut GLACIO quoque rurſus potiri poſſent.* Repentinus erat hujus Direptionis Exitus. VRATISLAUS, ex SILESIA in Poloniam digreſſus, à BOLESLAO ad repetendas Bohemiæ Silvas in Fugam depulſus, Bellum in Pacem mutabat.

ANNO 1063.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.

SILESIORUM Epiſcopus VIII. VRATISLAVIENSIS,
IOHANNES I. Polonus.

CXXV. HIERONYMUS per undecim Annos Epiſcopatu, prius BICINENSIUM, deinde VRATISLAVIENSIUM defunctus, in horum Cathedrali Templo primus ex Epiſcopis Sepulcrum intrabat, Anno 1062. Hactenus SILESIIS Ars Romanæ Curiæ Pontificiæ non alios, niſi Romanos, certè Italos, Epiſcopos, ab Anno 966, dederat: quorum Ope faciliorem in Modum ad Regimen intentum perſuaſerat Obſequia: non, quaſi nullus è Canonicis vel Polonus, vel Sileſius eâdem Cathedra inveniretur dignus.

CXXVI. Hoc non diutius ferendum cenſentes Canonici VRATISLAVIENSES, partim SILESII, partim POLONI, tandem BOLESLAI Si-

ANNO 1063.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.

lesiorum Polonorumque Ducis assumtâ in Præsidium Autoritate, Suffragiis Italorum prævalebant: eligebantque, non Silesium quidem, sed tamen Polonum. Erat ille IOHANNES Cognomento ACCIPITER, nobili Familiâ progenitus, Canonicus Vratislaviensis. Huic collatum, à Pontifice Romano Alexandro II approbatum, Petrus I. Gnesnensis Anno 1063 publicabat Episcopatum, non in Vratislaviensium, sed in Gnesnensium Cathedrali Templo, per consuetam Solennitatem, quam ipse BOLESLAUS Dux Præsentiâ suâ condecorabat. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. III. ad Annum 1062: *Suffectus autem est in Locum Hieronymi IOANNES Canonicus Wratislaviensis. Qui cum esset à majori Parte Capituli Wratislaviensis electus, BOLESLAO Poloniæ Rege Electionem suam acceptante approbanteque, ab Alexandro II. Papa Romano Electio sua fuit confirmata. Et ipse Anno in sequenti in Episcopum Wratislaviensem ordinatus, & à Petro primo Gnesnensi Archiepiscopo, in Gnesnensi Ecclesia, BOLESLAO Rege præsente, consecratus. Genere hic nobilis de Domo ACCIPITRUM, & qui primus ex Polonis, abrogatis Italis, Pontificale Pedum in Wratislaviensi Ecclesia gessit.* Et in Vratislaviensium Episcoporum Vitis MStis, Num. VIII: *In Locum Hieronymi, Vratislaviensis Episcopi, noviter defuncti, Prælati & Capitulares, tam Itali, quam Poloni, qui tunc Ratione Electionis aliquo Modo differentes fuere, ob Interventum BOLESLAI Poloniæ Regis, IOANNEM, Canonicum Vratislaviensem, unanimiter eligunt, Virum generosum, de Domo & Familia ACCIPITRUM: qui pro Insigni Soleam ferream, Cruce in Medio positâ, in Campo cæruleo gestant, ducens Stirpem. Is per Petrum primum, Gnesnensem Archiepiscopum, in Præsentia BOLESLAI Poloniæ Regis prædicti, in Gnesnensi Ecclesia consecratus, & ab Alexandro Papa II. feliciter approbatus est.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Ioanne I. Episcopo: *Commendatum fuit huic Munus Episcopi, jubente Rege BOLESLAO.*

CXXII. Ne tam facilis esset in posterum ad Episcopatum Vratislaviensem Exteris Via, IOHANNES Episcopus decedentibus, seu per Mortem, seu per aliam Mutationem Canonicis, POLONOS, quantum poterat, Successores facere studebat. Ioannes Dlugossus in Vratislaviensibus

ANNO 1063.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.

sibus Episcopis, Num. VIII. de Iohanne I: *Hic inter Polonos Nomine & Natione primus fuit, qui Episcopalem obtinuit Vratislaviensis Ecclesiæ Dignitatem: qui etiam summopere conatus est in Locum abeuntium & defunctorum Canonicorum Compatriotas substituere.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Iohanne I: *Fuit nobilis Polonus: & tantum hoc annotatum est, egisse eum magno Studio, ut in Collegium solum reciperentur Homines Poloni, non Exteri.* Post hæc, durabili Consuetudinis Lege, cui magnum Robur ipse plurimorum Silesiæ Ducum firmus Consensus addidit, non eligebatur Vratislaviensis Episcopus, nisi vel Polonus, vel Silesius. Plura de Iohanne dicemus ad Annum 1072. §. CXXIX.

ANNO 1071.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.

SILESII Romano GERMANORUM Imperio subjecti.

CXXVIII. His Temporibus SILESIOS, imo etiam POLONOS, Romano GERMANORUM Imperio Subjectos fuisse docet HENRICI IV. Cæsaris Autoritas: quâ dissidentibus BOLESLAO II Polonorum, & VRATISLAO Bohemorum Ducibus, in Germanicam Misnensium Urbem Misenam convocatis, ut Terrarum suarum Terminis contenti Pacem colerent, non ut electus Arbiter & Amicus suasit, sed ut communis Iudex & Ultor præcepit. Lambertus Schafnaburgensis de Germanorum [sui Temporis] Rebus, ad Annum 1071: *Inter Ducem POLONORUM & Ducem BEHEMORUM infestissima Dissensio erat: propter quod eos Rex in Civitatem Misenæ Autumnali Tempore evocatos DURIUS CORRIPUIT: &, ut deinceps suis singuli Terminis contenti essent, nec se vicissim temerariis Incursionibus lacesserent, sub Obtentu Regiæ Majestatis PRÆCEPIT: alioquin se Hostem & Vindicem experturus foret, qui prior alteri Arma intulisset.*

ANNO 1072.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.
SILESIORUM Episcopus IX. VRATISLAVIENSIS,
PETRUS I. Polonus.

CXXIX. IOHANNES I. ACCIPITER, decem Annis Episcopus Vratislaviensis, Anno 1072, Doloribus Calculi superatus, decedebat. Hujus Sedem occupare jubebatur PETRUS I. VULPINUS, Natione Polonus, Stirpe nobilis, inter Canonicos Vratislavienses Scholasticus: rarâ Suffragiorum Concordiâ inter BOLESLAUM II. Silesiorum Ducem, Vratislaviensesque Canonicos electus: non in Vratislaviensium, sed in Gnesnensium Cathedrali Templo, per Petrum Primum, Archiepiscopum Gnesnensem, consecratus. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. III. ad Annum 1072: *IOANNES, Wratislaviensis Episcopus, cum Annis X Cathedræ præsedisset, à Calculo correptus, mortuus est, & in Wratislaviensi Ecclesia sepultus, PETRUM, Wratislaviensem Scholasticum habuit Successorem. Et Electio sua quoniam uniformis erat, & illi præsens aderat, à Petro Gnesnensi Archiepiscopo in Gnesnensi Ecclesia confirmata, & Consecrationis Munus illi ab eodem Archiepiscopo ibidem, BOLESLAO, Polonorum Rege, qui Electioni aderat, consentiente, impensum, Nobilis de Domo VULPIUM.* Et in Vratislaviensium Episcoporum Vitis MStis, Num. IX. de Petro: *Interventu BOLESLAI II. Poloniæ Regis, PETRUS Scholasticus Vratislaviensis à Capitularibus ibidem concorditer electus est in Pastorem: Genus inter Nobiles ducens Polonos, ex Familiâ VULPINA, geminatam Crucem, Sagittæ Cruci appositâ, in Campo rubeo deferens, pro Insigni habens.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Episcopis, Petro I: *Fuerat Ecclesiæ Vratislaviensis Scholasticus: natus est Familiâ nobili in Polonia: creatus est Episcopus ex Autoritate BOLESLAI II. Poloniæ Regis.* Plura de Petro dicemus ad Annum 1092. Cap. IX. §. XIII.

ANNO 1077.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.
SILESII Romano GERMANORUM Imperio subtracti.

CXXX. Diu SILESII per BOLESLAUM II. Ducem Romano GERMA-

ANNO 1077.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.

MANORUM Imperio subditum addicti fuerant: denique per eundem à Subjectione, quam eidem Imperio seu præstiterant, seu debuerant, retrahebantur. Hactenus enim BOLESLAUS Polonorum etiam, non tantum Silesiorum, DUX, non REX [quamvis Rerum Polonicarum plerisque Scriptoribus dici haberique solitus] agnitus erat, tum ab aliis, tum ab ipso Gregorio VII, Pontifice Romano: cujus ad hunc Boleslaum Anno 1075 scriptam Epistolam LXXIII, nobis exhibet Pontificiarum Epistolarum Tomus III: Conciliorum, quæ Philippus Labbæus & Gabriel Cossartius ediderunt, Tomus X. In eâ, *Gregorius*, inquit, *Servus Servorum Dei, BOLESLAO, Polonorum DUCI, Salutem & Apostolicam Benedictionem.* Post illa verò BOLESLAUS, ut erat quoque, non solum cogominabatur, AUDAX, internis Romanum Germanorum Imperium Bellis defatigantibus, quod repudiato HENRICO IV. à potentioribus RUDOLPHO Suevo dabatur, securus, sibi REGIS & Nomen, & Ius [quod, cum verum est, absolutum est, superiorisque Potestati non subjacet] applicare non veritus, Imperatori HENRICO IV. subtrahebat Obsequium. De quo Lambertus Schafnaburgensis in Germanorum Rebus, ad Annum 1077, quô vixit: *DUX POLONORUM, qui per multos jam Annos Regibus* [Imperatoribus] *TEUTONICIS TRIBUTARIUS fuerat, cujusque Regnum jam olim Teutonicorum Virtute subactum atque in Provinciam redactum fuerat, repente in Superbiam elatus, propterea, quod Principes Teutonicos cerneret domesticis Seditionibus occupatos, nequaquam ad inferenda exteris Gentibus Arma vacare, REGIAM Dignitatem, REGIUMque Nomen sibi usurpavit, Diadema imposuit, atque ipso Die Natalis Domini, à XV Episcopis in REGEM est consecratus. Quæ brevi post comperta, Principes Teutonicos, quibus Reipublicæ Dignitas Curæ fuit, graviter afficere, sibique invicem succensebant, quod, dum intestinis in se atque in sua Viscera Odiis sævirent, & digladiarentur, Potentiam Opesque Barbarorum in tantum aluissent, ut jam tertio Dux Boemicus Regnum Teutonicum Ferro & Igne populabundus peragrasset: & nunc Dux POLONORUM in Ignominiam Regni Teutonici, contra LEGES ac IURA Majorum, Regium Nomen, Regiumque Diadema affectasset.*

CXXXI. Hoc, quanquam illorum Temporum, quibus BOLES-
LAUS

ANNO 1077.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.

LAUS II. Silesiorum Polonorumque Dux vivebat, Scriptoris Testimonium, tanquam fictum, rejicitur à quibusdam, magis Polonorum, quam Germanorum Existimationi faventibus. Martinus Cromerus, Lamberti Narrationem miratus, duplici Ratione falsam declarat: non tantum, quia REGIS Titulum inter Polonorum Duces primus, non BOLESLAUS II assumserit, sed olim BOLESLAUS I. ab Imperatore OTTONE III. acceperit: verum etiam, quia neque tunc, neque postea Poloni habuerint Episcopos XV, à quibus Rex coronari potuerit. Ideo Lamberti Verbis hæc subjungit, de Polonorum Rebus Lib. IV. extremo: *Atqui plus septuaginta Annis ante hoc Tempus Polonia REGEM cum habuisset, & quidem OTTONIS Rufi Germani Imperatoris Beneficio, per hoc Tempus habere desiit. Iam verò QUINDECIM Episcopos Poloniam non modo tunc, sed unquam omnino habuisse, ipsâ Rei Evidentiâ falsum esse convincitur.* Eadem Stanislaus Sarnicius profert in Annalibus Polonicis, Lib. VI. ad Annum 1068. Duriores, Lambertum Fide prorsus indignum statuentes, quicquid de Polonis narrat, vel Amori, quem in Germanos, & Odio, quod in Polonos, gesserit: vel Ignorantiæ, quam circa Res exteras habuerit, adscribunt. Horum Partes agit præcipuus Patronus, Iohannes Schultzius, in Polonia nunquam Tributaria, Sectione VI, §. VIII: *Sanè*, inquiens, *ut plerosque mediæ Ætatis Scriptores, ita & hunc* [Lambertum] *forte Torrente quodam Affectus in Patriam intensioris aut Odii in Gentem nostram, Libertatis suæ tenacem, ne dicam, crassæ in Exteris Ignorantiæ abreptum innuit pompatica illa Iuris Imp. in Poloniam Deductio, nullis certè Fundamentis innixa, nec prævalentis HENRICI Potentiæ Augmento firmata.*

CXXXII. Sed habitô ad illa, quæ sunt hactenus in medium de Polonis, maximè Silesiis, allata, Respectu: hæc tanti non sunt, ut omnem Lamberto Fidem in narratis adimant. Nam primum, quod Titulum REGIS attinet, quem OTTO III. Imperator BOLESLAO I. Polonorum Duci contulisse, quibusdam creditur, aliis negatur: quamvis concedamus Boleslao I. attributum: an non idem Boleslaus mox amisit, ob violatam cum eodem Imperatore stabilitam in certas Leges Amicitiam? De quô Sententiam nostram indicavimus Cap. VIII. ad Annum 1001, §. XIII.

ANNO 1077.

GERMANORUM Romanus Imperator HEINRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.

XIII. & XXI. Deinde, circa Episcoporum NUMERUM Error, utrum Lamberto, an Librario imputandus sit, dubium est. Sit Lamberti, non Librarii: num tota ideo Narratio Fidem amittit? Præterea, quoniam nullus Temeritatis, nullus Falsitatis, nisi cujus possit convinci, accusandus est Autor: quare Lambertus sit, vel illius, vel hujus Nævi postulandus, Causam justam nondum videmus.

ANNO 1079.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.

SILESIORUM publicus DEI Cultus impeditus.

CXXXIII. BOLESLAUS II, Polonorum Silesiorumque Dux, ad ultimum nimis AUDAX, enormium Criminum, non a Petro Primo, Gnesnensium Archiepiscopo, ad quem id Ecclesiasticum Officium pertinebat, sed a Stanislao, Cracovienſium Episcopo, admonebatur. Cujus, quo crebrioribus, quo durioribus, eo imagis ab obstinato rejectis Exprobrationibus, præsertim & Diris devotus, & Sacris prohibitus, adeo irritabatur, ut Anno 1079, Die Maji VIII, Stanislaum in Templo ad Aram, Sacrificio, quod Missam vocant, intentum ipse trucidaret, devorandum Bestiis objici juberet. Huic ne mortuo quidem parcebat, quem non Pontificem, sed Prolificem: Pistorem, non Pastorem: Oppressorem, non Præsulem: Opiscopum (id est, Opibus debitum) non Episcopum: Spiculatorem, non Speculatorem appellabat: Facinori suo daturus Colorem. Quæ multo exactius & copiosius describunt, Vincentius Kadlubko in Poloniæ Chronico, Lib. II. Epist. XXI. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, lib. III. ad Annum 1074. & 1077. Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. II. Cap. XX. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. IV. in Boleslao II. Ioannes Herburtus in Historia Polonica, Lib. III. Cap. VIII. Salomon Neugebauerus in Historia Polonica Lib. III. de Boleslao II.

CXXXIV. Hanc Stanislai Cædem ulturus Gregorius VII. Pontifex Romanus, non solum BOLESLAUM Ducem Imperio penitus indignum

ANNO 1079.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.

declarabat, verum etiam per omnes Polonorum Provincias Templa obsecrari & Sacra omitti præcipiebat: Delictum tam in committente, quam in detestantibus graviter puniturus. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. III. ad Annum 1079: *Archiepiscopus autem Gnesnensis Petrus & omnes Poloniæ Ecclesiarum Episcopi, Mandatis Apostolicis acceptis, etsi grandia & amara videbantur, prævaricari tamen summi Pontificis Mandatum non ausi, interdictum summi Pontificis publicant, & in Ecclesiis singulis observatis, Laudum Divinarum Organa, non sine suo gravis & Populi Ejulatu suspendunt.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. IV. extremo: *Hæc ubi Romæ nunciata sunt, Pontifex Maximus ejus Nominis septimus, Atrocitate Rei commotus, toti Poloniæ Sacris interdixit: BOLESLAUM Diris devovit.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Boleslao II: *Fuit hæc quidem Sævitia Regis injusta: etsi & Zelus Episcopi potuit excedere Modum: tamen Seditio, quæ contra ipsum Furiis Sacerdotum accensa est, non potest excusari. Nam, cum Sacerdotes Querimoniam detulissent Romam ad Pontificem, ille totum Regnum Fulmine suo ferit, jussit claudere omnia Templa.* Ibidem post quædam: *Fuit autem is Pontifex Hildebrandus, qui etiam nostræ Germaniæ fuit fatalis, cum sub HENRICO IV. Majestatem & Potentiam Imperii Germanici suis Consiliis insidiosis everteret, & Monarchiam Romanam stabiliret.*

CXXXV. Tum etiam VRATISLAVIENSIS Episcopus PETRUS I, Stanislai Martyris Amicus intimus, Pontificio Edicto satisfacturus, innocentes SILESIOS ubique clausis Templis, pressisque Sacris affligebat. Ioannes Dlugossus in Episcoporum Vratislaviensium Vitis MStis, Num VIII. de Petro I: *Coætaneus hic fuit, & B. Stanislao Cracoviensi Episcopo singulari Familiaritate conjunctus fuit.* Ibidem post quædam: *Eo etiam Tempore B. Stanislaus Martyr feliciter occubuit: ob cujus Mortem Interdictum Ecclesiasticum, a Petro Gnesnensi Archiepiscopo, in universa Polonica Ecclesia Provincia, quam primum feliciter fuerat consummatus, Martyrio positum, studiose conatus est observari.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Episcopis, in Petro I: *Ob cujus (Stanislai) Necem, cum totum Regnum Fulmine Anathematis ferirent Episcopi, Regem ejicerent, &*

Titu-

ANNO 1079.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.

Titulum etiam Regium Poloniæ detraherent, secutæ sunt Confusiones miserabiles: ut quidem in Historia relatum est. PETRUS [Vratislaviensis Episcopus] *scribitur in primis valde rigide Censuram illam observasse: etsi miser Populus, cui tam graves Laquei injiciebantur, nihil deliquerat.*

CXXXVI. Hac Occasione [quod in Silesiorum Chronicis MStis reperitur] VRATISLAVIENSIS Episcopus PETRUS experiebatur, SILESIOS, anxie Sacrorum, aut Restitutionem integram, aut melioremAdministrationem urgentes, magis Animarum, quam Nummorum [quibus Rigorem cohibebant Ecclesiasticum] Amatores. Id annotandum etiam Fridericus Lucæ judicavit in Silesiorum Memorabilibus, Parte II. Cap. I. Num. VIII. de Petro. Sed tamen hinc & aliunde conquisitas Divitias PETRUS in publicas Utilitates convertebat: plura emendo Prædia, in Episcopalium Redituum annuorum majus Incrementum. Quo fretus auxit, & Canonicorum, & Vicariorum Vratislaviensium Numerum, quibus lautiorem præparabat Mensam. Ioannes Dlugossus in Episcoporum Vratislaviensium Vitis MStis, Num. IX. de Petro I: *Coemit aliquot Villas in Sortem Vratislaviensis Ecclesiæ, & Numerum Canonicorum & Vicariorum Vratislaviensium notabiliter auxit, dans illis de Mensa sua Episcopali in Decimis Manipularibus Dotem.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Episcopis, Petro I: *Ipse Episcopus locupletavit Ecclesiam Opibus, emtis multis Prædiis. Auxit etiam Numerum Personarum sacrarum in Collegio: & tenuioribus dedit Victum ex suis Reditibus.*

ANNO 1081.

GERMANORUMRomanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS II.

CXXXVII. BOLESLAUS omnia pro se frustra conatus agere, tandem se unum neque Romani Pontificis, neque Sacerdotum, neque Procerum, neque Populorum suorum Odio superando esse videns, cum Mieslao Filio in Exsilium, Anno 1081, sponte sua discedebat. In quo, incertum, quibus in Terris, Mieslaus Anno 1089, Boleslaus Anno 1091 periit. De quibus diversa diversi Scriptores Polonici aliique commemorant.

CAPUT IX.
SILESIORUM RES.

ANNO 1082.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAVS I.
SILESIORUM Capitaneus I. VRATISLAVIENSIS, MAGNUS Comes.

I.

ANno 1082, poſt digreſſum e Patria BOLESLAUM II Ducem, Interregno, quanquam brevi, Polonicus Sileſiacusque Populus aliam Imperii Formam recipiebat. Terris omnibus in Provincias diviſis peculiarem ſingulis Gubernatorem præficiebat. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1082. *Ab eo ſiquidem Tempore, quo Viri B. Stanislai Cracovienſis Epiſcopi Occiſio per Boleslaum Poloniæ Regem & ſuos Milites patrata obvenerat, & Honor Regius Poloniæ detractus eſt, & ipſa in plures Principatus multipliciter, Ducum Succeſſione diviſa, Corporis robuſti & uni Formam amiſit, & in conditionem depreſſam & ſervilem tranſiit.*

II. Hos Gubernatores, quos a Provincia deſumtum Cognomen invicem diſtinguebat, reperimus in Polonicis & Sileſiacis Annalibus plerumque CAPITANEORUM Vocabulo denotatos. Tum SILESIUS, e Proceribus Germanis electus MAGNUS Comes præponebatur, etiam Virtute, non Genere tantum illuſtris, eruditus & humanus: qui Sedem in Vratislavienſium Urbe, jam conſpectioribus Munimentorum, Domorum, Civium, Opum Acceſſionibus alias, etſi antiquiores, ſuperante, nactus, ideo CAPITANEUS VRATISLAVIENSIS appellabatur. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1096: *MAGNUS Comes VRATISLAVIENSIS CAPITANEUS.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, de Vladislao I: *Solebant vero tunc Principes Poloni in SILESIAM collocare Gubernatorem, qui Sedem ſuam habebat VRATISLAVIÆ. Is tunc erat quidam Comes, quem nominant MAGNUM.* De quo plura commemorabimus ad Annum 1096, §. XXVI.

III. In

ANNO 1082.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADILAVS I.

III. In hos CAPITANEOS Provinciis præpoſitos, Anno 1082, Imperium a Proceribus ſupremum accipiebat VLADISLAUS I. Caſimiri I. Filius, Boleslai II. Frater, Cognomento Germanico HERMANNUS: quem plurimis Ducem, cœteris vel Ethnarcham, vel Monarcham, non Regem invenimus Scriptoribus Polonicis nominatum. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1082: *Prælatis & Baronibus ad formandum Reipublicæ novum Statum converſis, WLADISLAUS ex Filiis Regis CAZIMIRI reſiduus, & BOLESLAI Regis Germanus, Cognomento HERMANNUS, Conſenſu omnium concordi, in Boleslai Locum ſuffectus eſt.*

IV. VLADISLAUS, Apellatione DUCIS contentus, REGIS Titulo, quem Frater BOLESLAUS aſſumſerat, non præter Rationem abſtinebat: ſeu, quia Gregorius VII. Pontifex Romanus Epiſcopis Polonis, ne quem Regem, citra Indulgentiam ſuam, coronarent, prohibuerat: ſeu, quoniam Vladislaus, Fratrem fortaſſis rediturum arbitratus, Imperii tantum Adminiſtrator, nondum Poſſeſſor haberi volebat: quemadmodum Scriptores Polonici tradunt. Ioannes Dlugoſſus Loco dicto, de Vladislao: *Qui, etſi in primis, ut Rex habitus & cultus ſit, & licet ab omnibus Regis appelletur Nomine, ipſe tamen ſibi Titulum & Decus Regium non uſurpare duxit: ſive, quod Majorum More coronatus & unctus non fuerat, Pontificibus Regiam illi Benedictionem conferre, ne Apoſtolicum prævaricarentur Mandatum, detrectantibus: ſive quod Fratrem ſuum BOLESLAUM Regem aliquando ſperabat redituram: & tamen non DUCEM tantummodo Poloniæ, ſed Regni Poloniæ HÆREDEM ſe titulavit: tanquam Faſces Regiæ & Decus Regium Homini, non Provinciæ tributæ eſſent.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V: in Vladislao I: *Et ſuſcepit is quidem Principatum: ſed tamen REGEM ſe appellari paſſus non eſt: vel quod inunctus & coronatus, ſolenni Regum Ritu, non eſſet: vel quod reverſurum aliquando BOLESLAUM, Regnumque repetiturum exiſtimaret. Principis vero & Hæredis Regni Polonici Nomen ſibi ſumſit.*

V. Sed neutra Tituli Regii deinde poſthabiti Cauſa Veritati ſatis reſpondet. Nam primum Gregorius VII, Pontifex Romanus, ob Stanislai Epiſcopi Cracovienſis Cædem, Epiſcopis intra Polonicas Terras, cum

ANNO 1082.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV. SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

Sacra, tum etiam Coronationem prohibuerat quidem, mox tamen interdicta concedebat. Iohannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1082: de Vladislao I: *Et quia Interdicti Cenſura ex Sedis Apoſtolicæ Autoritate pervenerat, Nuncios ſolennes Eccleſiaſticos & Sæculares Romam ad Gregorium VII. mittit. Quorum humillimis & ſedulis Precibus Gregorius VII. motus, cum & Boleslaum Regem Sancti Viri Occiſorem pro comperto accepiſſet, de Poloniæ Regno exſulaſſe, & Fratrem ſuum WLADISLAVM Principem raræ Devotionis ſucceſſiſſe, Interdictum hactenus in Eccleſia Polonica ſuſtulit.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. I. de Vladislao I: *Miſit inſuper ad Gregorium Papam ſeptimum, ad tollendum Interdictum in ultionem Occiſionis ſancti Præſulis Stanislai latum: quod & fecit.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V: in Vladislao I: *Ad Pontificem Maximum de tollendo Interdicto, quo Poloni univerſa, ob Necem Stanislai Epiſcopi, obnoxia Sacris ſe abſtinebat, Oratorem miſit, Virum eruditum & eloquentem, Lampertum, Equeſtri apud Polonos ortum Familia, Canonicum Cracovienſem, quem Pontifex divo Stanislao Succeſſorem dedit, & ſublato Interdicto Epiſcopum remiſit.* Tum igitur auferebatur, quod Regiam Coronationem hactenus impediverat.

VI. Nec eſt, ut Sacra quidem, non autem Coronationis Iura Polonis reſtituta putes: quemadmodum Ioachimus Paſtorius in Floro Polonico refert, Lib. II. Cap. V: de Vladislao I: *REGIS Titulum refugiebat, ſeu ſpe Fratris redituri [nam Mors ejus ſerius demum vel ſecuta eſt, vel innotuit:] ſeu Metu Pontificis, qui Poloniæ, ut Sacris, ita REGIS creandi Poteſtate interdixerat. Prima ergo illi Cura fuit, Pontificis Interdicta tollere, miſitque in id Legatum: qui tamen nihil amplius, quam Libertatem Sacrorum impetrare tum potuit.* Nam Gregorius Pontifex contra Polonos Interdictum, non Interdicti Partem, ſuſtuliſſe commemoratur: quorum poſterius neque Dlugoſſus, neque Michovius, neque Cromerus, ut ex adductis Verbis conſtat, nec alius eorum, quos conſuluimus, indicat.

VII. Præterea, cum Boleslaus II. Anno 1091, ejusque Filius Mieslaus ante Patrem, Anno 1089 extinctus eſſet: VLADISLAUS non habebat, cur

ANNO 1082.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV. SILESIORUM Dux VLADILAVS I.

cur vel ob exſpectandum Boleslai Reditum, vel ob metuendam Mieslai Poſtulationem, differret Coronationis Regiæ Solennitatem, ad Annum 1102. ſuperſtes.

VIII. Quantum igitur perſpicere poſſumus: Polonorum Duces, Romano Germanorum Imperio ad Tributum & Obſequium obligati, repudiabant ideo Regium Titulum, ne, quod aliquoties contigerat, eo, tanquam Poteſtatis abſolutæ Signo, irritarent ad Bella Germanicos Imperatores. Et VLADISLAO I. quidem ad eam Modeſtiam Stimulus peculiaris eſſe potuit Matrimonium ſecundum, quod Cæſarium HENRICI III. Filiam, HENRICI IV. Sororem, Salomonis Hungarorum Regis Viduam, Anno 1088. ſibi conjunxerat. Cæterum, intra eosdem Reverentiæ Cancellos ſe continuerunt ſequentes Polonorum Duces, ultra duorum Sæculorum Spatium, ad Annum 1295: quo Præmislus Titulo Regio ſe condecorabat.

SILESII Romano GERMANORUM Imperio ſubjecti.

IX. Erat utique VLADISLAUS I. ut SILESIORUM; imo etiam ut POLONORUM Dux, ad Boleslai II. Fratris Exemplum, Romano GERMANORUM Imperio & tributarius, & ſubjectus: per quem pari Obligatione SILESII tenebantur. Idque nos Cæſar HENRICUS IV ipſe docet: cujus Acta mox narrabimus.

ANNO 1086.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV. SILESIORUM Dux VLADISLAVS I.

X VLADISLAUS I, quanquam Titulo Regis non uſus, GERMANIS, quoniam Tributum non exſolverat, itaque juſtum Obſequii Documentum non exhibuerat, ingens Odium contra ſe concitaverat. Hinc, Anno 1086, Imperator HENRICUS IV. in publicis Comitiis Moguntinis, VRATISLAO (cujus Filiam Iuditham Vladislaus I. Uxorem primam habuerat, eodem Anno mortuam) Bohemorum Duci, quem REGEM creabat, POLONIAM, ſi non univerſam, ut quidam commemorant, certe, quatenus ſecundum illorum Temporum loquendi Conſuetudinem,

SI-

ANNO 1086.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

SILESIAM, Poloniæ connexam, denotat, tanquam Criminis ream, conferebat occupandam. Cosmas Pragensis Decanus in Bohemiæ Chronico (quod octogenarius, Anno 1125 superstes, absolvit) Lib. II. ad Annum 1086: de Comitiis Moguntinis (quibus ipse Cosmas interfuit): *Iubente & peragente Romanorum Imperatore Tertio* [Quarto, si Henricus Auceps primus habeatur] *HENRICO Augusto, celebrata est Synodus magna in Urbe Moguntia. Ubi quatuor Archiepiscopi & duodecim Præsules, quorum Nomina post docebimus, simul cum Abbatibus Monasteriorum & cæteris Fidelibus residentes, plurima Decreta super Statu sanctæ Ecclesiæ scriptis roboraverunt. In quo Conventu idem Cæsar omnibus sui Regni Optimatibus, Ducibus, Marchionibus, Satrapis, Episcopis assentientibus & collaudantibus, Ducem Boemorum WRATISLAUM tam Boemiæ, quam POLONIÆ præfecit: imponens Capiti ejus, Manu sua Regalem Circulum, jussit Archiepiscopum Trevirensem Nomine Egilbertum, ut eum in Sede sua Metropoli Praga in REGEM ungat, & Diadema Capiti ejus imponat.* Ibidem post quædam: *Interea Egilbertus Trevirensis Archiepiscopus Iussis obtemperans Imperatoris, adveniens Metropolim Pragam XVII. Calendas Iulii, inter sacra Missarum solennia Regalibus Fascibus indutum unxit in REGEM WRATISLAUM, & imposuit Diadema super Caput tam ipsius, quam ejus Conjugis Zuatavæ, Cyclade Regia amictæ, Clericis & universis Satrapis ter acclamantibus: WRATISLAO REGI quam BOEMICO, tam POLONICO, magnifico & pacifico, a Deo coronato, Vita, Salus & Victoria.*

XI. Non his contradicit, quibus tamen faciendis Ius defuisse putat, Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. V: in Vladislao I: *WARTISLAUM Boemorum Principem HENRICUS IV. Imperator de Consilii Sententia Moguntiæ, REGEM appellaverat, Anno post Christum natum 1087: eique & posteris ejus omnem POLONIAM, in qua uterque ne tantillum quidem habebat, quantum Pedis Vestigio calcare posset, attribuerat.*

XII. Cæterum ea, quæ Cosmas refert, alii narrant expressius, SILESIAM a POLONIA distinguentes. Æneas Sylvius in Historia Bohemica, Cap. XXII; *Post hæc Anno sexto & octogesimo supra Mille, ab Ortu Salvatoris Christi, apud Moguntiam in Concilio Principum ab Imperatore HENRI-*

ANNO 1086.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

RICO ejus Nominis Quarto, VRATISLAUS REX declaratur, Moravorum Regno [quod supra exstinctum diximus] in Bohemiam translato: POLONIA, SLESIA, Lusacia, Moravia Bohemorum Imperio adjectæ Antonius Bonfinius in Rebus Hungaricis, Decade II. Lib. V: *VRADISLAUS, Othonis & Conradi Filius, populatâ Austriâ, ad Moguntiam habito Conventu, ab HENRICO IV. Rex Boemiæ primus declaratur, ac Imperatoris Autoritate Principumque Decretô, Boemiæ Regno Moravia, POLONIA, SLESIA, Lusacia est adjecta.* Paulus Langius in Chronico Citizensi, ad Annum 1086: *Apud Moguntiam, in Concilio Principum, HENRICUS Imperator VRATISLAUM Ducem Bohemiæ REGEM fecit: Moravorum Regno pridem exstincto, in Bohemiam translato, POLONIAM, SLESIAM, Lusatiam Bohemorum Imperio adjiciens.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Vladislao I: *Bohemicum Bellum suscitatum est, & sunt concitati Bohemi in Polonos ab HENRICO Quarto Imperatore: qui Anno 1086, VRATISLAO Principi Bohemorum, Moguntiæ in Conventu Imperii, tribuit Nomen & Dignitatem Regiam, & simul adjudicavit illi Moraviam, tanquam Provinciam Regni: fecitque illi Potestatem, ut SILESIAM, Lusatiam, & totam POLONIAM ad se traduceret. Cujus Concessionis Causam nullam aliam reperio, quam quod Cæsar querebatur, Imperio non exsolvi Pensiones constitutas & promissas recens suo Patri â Casimiro* [Silesiorum & Polonorum Duce, antea] *Monacho: deinde, quod VRATISLAI fideli Operâ utebatur in Bello civili contra Saxones.* Eadem commemorant, Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. XVI. & Nicolaus Polius in Incendiorum Historia, Num. III. ad Annum 1086.

ANNO 1092.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

SILESIORUM Episcopus X. VRATISLAVIENSIS,
ZYROSLAUS I. Polonus.

XIII. PETRUS I. VULPINUS, transactis in Episcopatu XXI Annis, Anno 1091, Spiritum edebat: in Cathedrali Vratislaviensium Tem-

ANNO 1092.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV. SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

plo sepultus. Consequebatur Successorem ZYROSLAUM I. ROSAM, Natione Polonum, Prosapià nobilem, Doctrinâ celebrem, in Canonicis Vratislavienſibus Præpoſitum. VLADISLAI I. Sileſiorum Ducis Conſenſu, ab Eccleſiæ Canonicis, eodem Anno 1091 electus, Martinum I. Gneſnenſem Archiepiſcopum, non in Vratislavienſium, nec in Gneſnenſium, ſed in Caliſienſium intra Poloniam Templô, habebat uſitatâ Solennitatis Ceremoniâ publicum Anno 1092 Præconem. Ioannes Dlugoſſus in Epiſcoporum Vratislavienſium Vitis MStis, Num. X. de Zyroslao I: *Canonici Capitulares, Die Sancti Martini Confeſſoris, pro Electione inſtituta, ZYROSLAUM Præpoſitum Vratislavienſem per Scrutinium eligunt in Epiſcopum. Genere hic nobilis erat, de Domo & Familia ROSARUM, Roſam albam in Campo rubeo deferentium, ex Provincia Cujaviæ ortus.* Idem in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1091: *ZIROSLAUM* Primum, Wratislavienſem Præpoſitum, Genere nobilem, de Domo ROZA, in *Terra Cracovienſi* [legendum, Cujavienſi] *ortum, Viâ Scrutinii electum, habuit Succeſſorem. Cui facile & WLADISLAUS, appellatus HERMANNUS, Dux & Monarcha Regni Poloniæ, Filius Caſimiri, & Germanus Boleslai, Poloniæ Regum, aſſenſus eſt. A Martino Primo, Archiepiſcopo Gneſnenſi, in Anno ſubſequenti ipſe ZIROSLAUS apud Civitatem Kalisz fuit conſecratus.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, de Zyroslao I: *Natus fuit in nobili Familia, in illa Poloniæ Parte, quam patriâ Linguâ nominant Cujaviam. Erat Eccleſiæ Præpoſitus.*

XIV. Fuit peculiaris ſub ZYROSLAO inter Prælatos Canonicosque Cracovienſes & Vratislavienſes Amicitia: quæ nec hos illis ob Vratislavienſia, nec illos his ob Cracovienſia Beneficia Eccleſiaſtica quodam Invidiæ Stimulo permittebat fieri moleſtos. Ioannes Dlugoſſus in Epiſcoporum Vratislavienſium Vitis MStis, Num. X. de Zyroslao I: *Vigebat eodem Tempore inter Prælatos & Canonicos Vratislavienſis & Cracovienſis Eccleſia tam ardens Favor, ut pauci ex Vratislavienſibus Prælatis & Canonicis exſiſterent, qui in Cracovienſi Eccleſia Præbendas & Beneficia, & contrà, non obtinerent.*

XV. Templis Ornamenta, Ceremonias, jucundioresque cantandi Mo-

ANNO 1092.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV. SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

Modos addebat ZYROSLAUS, Vratislavienſes Cracovienſibus accommodans Ritibus. Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, de Zyroslao I: *Amavit Ceremonias & ſacros Ritus: inſtituit in Templis Ordinem Lectionum & Cantus uſitatum in Eccleſia Cracovienſi.* De quo plura dicemus ad Annum 1096. §. XXX. & Annum 1120, Cap. X. §. XLIII.

ANNO 1093.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV. SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

SILESIORUM cum BOHEMIS Bellum.

XVI. VRATISLAUS, Bohemorum Dux, cui [quemadmodum §. X. diximus] Imperator HENRICUS IV. Regi declarato SILESIAM, imò POLONIAM quoque ſubigendam, & in Poſteros hæreditariâ Lege transmittendam conceſſerat, Anno 1093 Mortem obierat. Succeſſor Filius BRETISLAUS, patrio Iure ſtatim uſurus, eô Tempore, quo Vladislaus, Sileſiorum Polonorumque Dux, omne Robur militare Prutenis & Pomeranis debellandis applicuerat, invadebat SILESIAM. Hujus jacentes ad dexterum VIADRI Latus Regiones, exigendis duorum Annorum Tributis accinctus, à BECCERO Arce [cujus etiamnum Pagus, intra Ducatum Vratislavienſem, Finibus Territorii Bregenſis cohærentem, ſupereſt] enormiter per XXV Milliaria Germanica depopulabatur, ad Urbem usque GLOGOVIAM: ubi duobus hærebat Menſibus, donec in Bohemiam cum Spoliis ampliſſimis rediret. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1093: de Bretislao: *Vacuas quoque eas* [Polonorum Terras] *tunc Militibus reperiens, cum Hoſtilitatem ſuam WLADISLAUS Dux Poloniæ minimè ſuſpicatus, ex omnibus Principatibus ſuis Milites in Pomeranicum* [Prutenico junctum] *Bellum aſciverat, liberius Vaſtationi ejus intenderat. A Caſtro quoque Grecz ſupra Albim ſito, quod Iuris Polonorum erat, Initium ſumens, usque ad Fluenta ODRÆ graſſabatur. Cauſam licet falsè Belli confingens, Oram illam Daciam quandam debitam* [id eſt, Tributum quoddam debitum] *non pendiſſe: Re autem vera Spoliis Regionis, eâ Tempeſtate, Pecore opulente, ſuam & ſuorum Eſuriem, visâ Op-*

ANNO 1093.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

portunitate, impleturus. Ioannes Dubravius in Historia Bohemica, Lib. IX: *Scripsit hinc Militem BRETISLAUS, quem adversus VLADISLAUM, Poloniæ Regem, debitum Annorum duorum Tributum non persolventem, [Mille Argenti, & Triginta Drachmæ Auri fuerunt] duceret. Ad Rhædecium Oppidum, juxta Albim situm, lustratus Exercitus est: & inde porro in SLESIAM, Polonis tunc subjectam, abductus ad Arcem, cui BECERI Vocabulum: unde populari SLESIA à Boiemis cœpta, secundum ODERAM Flumen, usque Glogoviam: tantâ Populatione, ut in medio Locorum Intervallo neque Iumentum, neque Hominem facile reperires. Duos deindè Menses prope GLOGOVIAM stativa habita, ut, si quis ex Polonia Ultor se offerret, Copiæ illi dimicandi haud deesset. Nemine comparente, cum longè majoribus Spoliis, quam Census erat debitus, in Boiemiam est reditum.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Vladislao I: *Narratur expresè, hanc Partem SILESIÆ, quæ nominatur Inferior, tunc ex diuturnâ Pace bene cultam, crudeliter à Bohemis fuisse direptam & vastatam.* Eadem Nicolaus Polius in Incendiorum Historia commemorat Num. IV. ad Annum 1094.

ANNO 1094.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

XVII. Ideo VLADISLAUS, Silesiorum Dux, BRETISLAO, Bohemorum Duci, parem in Moravia, quæ Bohemis tum parebat, Cladem inferre conabatur: non per se, cui Morbus obstabat, sed per Secechum Palatinum Cracovienſem, cui Boleslaum Filium, novennem Puerum, præpropero Belli Ardore stimulatum, quasi Genitoris Vicarium, addebat. Joannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1094: de Sececho, quem Setegium vocat: *Universâ Moraviâ, Igne & Spoliis vehementer afflictâ, magnam secum vehens Prædam, magnum quoque captivorum Numerum [quippe in aliquot particularibus Dimicationibus de Moravis triumphans] in Poloniam cum novo Tirunculo Boleslao, universo Exercitu certatim Tirocinium Boleslai efferente, reversus est.*

XVIII A

ANNO 1094.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

XVIII. A Dlugosso in quibusdam dissentit Joannes Dubravius in Historia Bohemica, Lib. IX. de Sececho: *Rector* [Secechus] *Iussa Regis* [Vladislai] *promtius accepit, quam exsecutus est: non ausus ultra extremos Moraviæ Fines & SLESIÆ conterminos progredi, ne quis forte intra penitiorem Moraviam Casus Iuveni Regulo contingeret: ob quem ipse, quantumvis insons, Noxæ dederetur. Paucis itaque Pagis incensis, Pecoribusque abactis, retrahit Copias, ac Patri Filium, quasi Victorem, restituit.*

XIX. Contra Dlugosso majorem in Modum respondet Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V: *Vastatâ Igni Ferróque aliquò usque Moraviâ, & paucis Hostium Turmis, quæ sese nostris tulerant obvias, aliquot Prœliis profligatis [Munitionum enim Oppugnatione abstinere VLADISLAUS jusserat] redumit cum Boleslao Copias Secechus Prædâ onustus.*

SILESIORUM Castrum CAMENCIUM
à BOHEMIS conditum.

XX. Hac Polonorum in Moraviam Irruptione non debilitatus, sed irritatus BRETISLAUS, eodem Anno 1094, VLADISLAUM oppugnaturus SILESIAM ingrediebatur. Hujus Incolis, ad NISSÆ Fluminis utramque Ripam hærentibus, Calamitatem priore non minorem inferebat. Ad VIADRUM Amnem, Vi occupatam Urbem Arcemque BREGENSEM diripiebat & devastabat. Intra MONSTERBERGENSEM Ducatum, ad Fluvium NISSAM, exstruebat in Saxo Arcem [cui postea Cœnobium accessit] CAMENCIUM: ut inde faciliorem in cœteros SILESIOS Impetum facturus, Viam suis præpararet, quod divulgabat Rumor, ad obsidendam VRATISLAVIAM. Quò Vratislavienses moniti solicitabant VLADISLAUM, ut territis vel potentius Periculò Auxilium afferret, vel renovata BRETISLAUM Amicitiâ semoveret Hostem. Ioannes Dubravius in Historia Bohemica, Lib. IX: *At BRETISLAUS intimam rursus SLESIAM percursat, similemque priori Calamitatem Incolis, cis ultraque NYSSAM Fluvium incolentibus affert. Ac mox Arcem BRI-*

ANNO 1094.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

GAM, Ripæ ODERÆ impositam, cum ipso Oppido Vi accipit, Militique illam diripiendam demoliendamque tradit. Ipse haud procul inde novam sibi construit Arcem, indito illi Nomine CAMENCE [nunc ibi Cœnobium visitur] sparsôque Rumore, se ex ea Arce Castra VRATISLAVIÆ esse admoturum. Unde multum VRATISLAVIENSES territi, multis cum VLADISLAO Precibus agunt, ut vel Periculum, quod imminet, ab illis amoveat, vel cum BRETISLAO, tanquam Affine suo, in antiquam redeat Concordiam.

XXI. Obstinatum BRETISLAUM, nisi post Tributum acceptum, nec è SILESIA discessisse, nec cum VLADISLAO Pacem iniisse, Scriptores Bohemici narrant. Ioannes Dubravius Loco dicto: Misit tamen in præsens VLADISLAUS Pacis conciliandæ Legatos, atque illi Rem turbatam prius in tranquillum conferre nequiverunt, quam collata & annumerata fuisset Pecunia, quâ uno & altero Anno Pensionem interruptam sarciret. Cum quô Wenceslaus Hagecius in Bohemiæ Chronico ad Annum 1094 consentit.

XXII. At hæc Polonis molesta Figmentis adscribit Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. in Vladislao I: *Hagecius More suo fingit, VLADISLAUM illa tam acri PRÆDISLAI* [Bretislai] *in Ditionem suam Invasione consternatum, statim avertendi Belli Causa Oratores ad eum cum Tributo duorum Annorum misisse, deincepsque perpetuo se & Posteros suos Boemorum Principibus vectigales fore promisisse, atque ita Pacem impetrasse.*

ANNO 1096.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.
SILESIORUM cum POLONIS Dissidium.

XXIII. Ærumnas SILESIIS, quas BOHEMI concitaverant, nondum obliteratas, POLONI renovabant: potissimum inter hos SECECHUS & SBIGNEUS.

XXIV. SECECHUS, Cracovienſium Palatinus, VLADISLAI Silesio-

ANNO 1096.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

lesiorum Polonorumque Ducis, quem Consiliis regebat, intimus Amicus, versâ in Superbiam Potentiâ, multos, quibus malè cupiebat, alios Vi, alios Metu coactos fecerat Exsules, in Bohemiam sub BRETISLAI Ducis Præsidium digressos. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1096: *Erant præterea ex Militibus Polonorum plures Numero fugitivi & Exsules: qui vel Ære alieno, vel in Iudiciis scelere damnati, aut Potentia & Livore SECEGII Palatini Cracovienſis pulsi: qui Autoritate pro eâ Tempestate apud VLADISLAUM Polonorum Ducem solus cæteris negletis pollebat arroganter & superbè erga singulos usus: multos Nobiles, quos suæ Conditioni obstare videbat, injustis Decretis & Iudiciis gravaverat, aut Possessionibus exturbaverat, Bohemiam impleverant.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V: *Valebat plurimum apud eum* [Vladislaum] *Gratiâ & Autoritate SEGECHIUS, idque non nullo suo Merito: magnamque Potentiam sibi comparavat, ita, ut ex ejus ferè Nutu Respublica omnis & ferè Princeps ipse pendere videretur. Magnam ea Res ipsi apud Nobilitatem Polonam Invidiam conciliaverat: majus ipse sibi indies Odium intolerabili Fastu suo, & immoderato Dominatu conflabat. Itaque complures ab eo Bonis exuti, proscripti, aut aliqua insigni Injuria vel Contumelia affecti: multi item Potentiam & Importunitatem ejus reformidantes, aut Necessarios afflictos secuti, solum verterant. Quibus omnibus apud Boemos tutus erat Receptus, PRÆDISLAO Principe comiter & benignè eos recolligente.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Vladislao I: *In Aula ex Successu Militiæ creverat quidam Palatinus Cracovienſis, SECECHUS. Is, sicut in Rebus secundis Homines raro manent modesti, abusus sua Fortuna & Gratia apud Principem, multos ex Nobilitate & Plebe injustè afflixit: ita ut plurimi, etiam potentes Viri, in voluntarium Exsilium, in Bohemiam proficiscerentur.*

XXV. SBIGNEUS autem, VLADISLAI Silesiorum Polonorumque Ducis ante susceptum Imperium ex Concubina procreatus Filius, ne BOLESLAO, ex Iuditha Uxore, VRATISLAI Bohemorum Ducis Filia, legitimo Fratri noceret, post Novercæ Iudithæ, cujus Odium passus erat, Mortem, à Genitore compulsus, aliquandiu in Saxonia Monachum egerat.

ANNO 1096.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

rat. Huic BRETISLAUS, Vratislai Filius, Bohemorum Dux, Polonorum Hostis, Auxilium pollicitus persuadebat, ut Exulum Polonicorum Caput, armatus Patriam repetiturus, tam Germanicis, quam Bohemicis Copiis munitus, ingrederetur SILESIAM, ibi quoddam in Asylum habiturus Civitatem VRATISLAVIAM. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1096: de Sbigneo: *Ne Tempore procedente cum Filio legitimo in Participationem paternæ Hæreditatis veniret, in Saxoniam, Duce WLADISLAO ordinante, deductus, in Monachum tonsus & Monasterio traditus est.* Ibidem post quædam: *Hos* [& invitos, & voluntarios Exsules Polonicos] *BRETISLAUS Bohemiæ Dux, Vir callidus in Perniciem Poloniæ, tam Consilio, quam Largitione subornans, suadet illis, & facilis erat apud Animos frementes & exulceratos Persuasio, quatenus ZBIGNEUM Filium WLADISLAI Polonorum Ducis in Monasterio, non sua sponte, sed Imperio Patris contravenire non ausō delitescentem assumant, sibique pro Duce constituto, vicinam Bohemis WRATISLAVIENSEM Oram occupent, non adversam aliquam Impugnationem ex Bohemia, sed Fidem & efficax sui Propositi Suffragium habituri. Callida & speciosa pro Odio, quod BRETISLAUS Dux Bohemiæ in Polonos gerebat, magis, quam salubria & tuta danti Consilia* [quippe non aliter se de Polonia, *quam civili dissemina-ta Procella, ultum iri arbitrabatur*] *universus fugitivorum & Exsulum Grex facile Verbis dolosis Spe impleturus, assensus est. Extemploque Monasterio, in quo ZBIGNEUS manebat, adito Zbigneo, ut versus WRATISLAVIAM, ad occupandam Civitatem, Oramque illius Regionis secum consentiret, ire suaserant: quem tandem Persuasione hujusmodi peractâ, è Monasterio, Monachis nequicquam adversantibus, extrahunt, &, ut BRETISLAUS Bohemiæ Dux suaserat, ad WRATISLAVIAM perducunt.* Eadem Martinus Cromerus commemorat de Polonorum Rebus Lib. V. in Vladislao. Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Vladislao I. *Susceperat Vladislaus Filium nothum SBIGNEUM, Animi, ut apparet, quidem generosi, sed turbulenti, nimisque ambitiosi. Sed eum, cum legitimum haberet ex Iuditha Uxore BOLESLAUM bonæ Indolis Principem, ablegarat in Saxoniam, ut ibi viveret in Monasterio.* Ibidem post quædam: *Exsules tamen, instigati à Bohemis, SBIGNEUM cum aliqua Manu Germanorum,*

ANNO 1096.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

norum, Monasterio eductum, ad se accersunt, atque ipso Duce petunt SILESIAM.

XXVI. Tum SILESIIS, Odium in SECECHUM, cujus & Insolentiam, & Injustitiam senserant, constanter alentibus, MAGNUS Comes, Capitaneus VRATISLAVIENSIUM fidus [cujus Mentionem supra fecimus §. II.] præerat. Per eum, apud VRATISLAVIENSES, in quorum Civitatem, non ut VLADISLAI Ducis Hostes, sed ut SECECHI Tyranni Exsules, recipi cupiebant: imò apud SILESIOS universos Auxilium contra iniquissimum Persecutoris Dominatum, quærebant per Legatos: quorum Orationem ad Vratislaviensem Capitaneum Ioannes Dlugossus in Historia Polonica nobis exhibet consignatam Lib. IV. ad Annum 1096. Hujus Orationis Summam, ut solet, aptiorem in Modum exponit Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. V: *Obtinebat*, inquiens, *Præfecturam WRATISLAVIENSEM MAGNUS, Comes illustris, & spectatæ Probitatis, cui Simultas etiam non nulla cum SECECHO intercesserat. Ad eum præmittunt Exsules Legationem, recipi se & SBIGNEUM Principis Filium postulantes. Nolle se Patriæ Bellum facere, neque Principi optimo & mitissimo: Parentum, Conjugum, Liberorum, Tectorum ac Domorum suarum, ipsius denique Patriæ Aspectui jucundissimo diutius carere non posse. Unde non ob aliquod Scelus suum, neque justa Principis Indignatione, sed per summam SECECHI Injuriam & impotentem superbiam ejecti essent. Ipsum quoque MAGNUM, multo præstantiorem dignioremque SECECHO Virum, scire se tamen haud penitus expertem esse illius Injuriæ. Ne pateretur se in Exsilio consenescere: néve ipse deterioris Dominatum ferret, suâque Patientiâ aleret. Miseraretur vel SBIGNEUM Principis Filium, qui SECECHI Operâ suasuque ab Oculis Patris avulsus, & in Monasterium, quasi in Carcerem quendam ærumnosum, retrusus esset. Cavendum esse, ne Homo ambitiosus eâdem Audaciâ alterum quoque Principis Filium circumveniat, Dominatumque Poloniæ, non exspectata etiam WLADISLAI Morte invadat. Frangendis SECECHI Conatibus atque Potentiæ neminem aptiorem fore, quam Principis Filium, Iuvenem magni Animi Consiliique, & SECECHO infensum. Eum igitur MAGNUS necessario illo ipsius Tempore*

ANNO 1096.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.

SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

Beneficio ſuo devinciret: per quem eum Locum adipiſci poſſet, quem tunc SECECHIUS obtineret. Quieturos ſe cum illo eſſe WRATISLAVIÆ, quò facilius é propinquo Revocationem á benigno & clemente Principe impetrare poſſent, & revocati accurrerent. Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, de Vladislao I: *SPIGNEUS igitur cum Exſulibus accedens ad VRATISLAVIAM, nunciat Gubernatori, ſe non venire, ut Hoſtem Patris ſui, ſed ut frangerent Tyrannidem SECECHI, qui ſeſe & totum Regnum per Vim opprimeret: contra quem Auxilia á SILESIIS peterent.*

XXVII. Tum SILESII, partim VLADISLAI Ducis, partim SECECHI Dominatoris, cujus ille, dum non vetabat, probabat, imò committebat in ſubditos Nefas, intolerabilem Perverſitatem in Conſiliis habentes, poterant quoddam priſtinæ, cum oſtendendæ Fortitudinis, tum obtinendæ Libertatis edere Documentum: externis Auxiliis non deſtituti, quæ non tantum BRETISLAUS, Bohemorum Dux, juratus POLONORUM Adverſarius, verum etiam Cæſar HENRICUS IV, ſupremus SILESIORUM Princeps, ſuppeditaturus erat: ſed intra Verecundiæ ſubmiſſioris Cancellos ſe continebant. Ut tantò rectius ſimul Conſcientiæ, ſimul Famæ ſuæ conſulerent, intra Civitatem VRATISLAVIAM congregatis totius SILESIORUM Regionis Ordinibus, deliberabant eó diutius, quo tutius agere volebant, quod agendum erat. Nam & SECECHI cohibendas Injurias, & innocentibus partim conſanguineis Exſulibus Opem ſuggerendam, neque SBIGNEUM afflictum prorſus deſerendum: ſed tamen ferre, quam negare Suppetias expetentibus periculoſum cenſebant: quia ferentes VLADISLAO, negantes SBIGNEO eſſent converſuri amicum in hoſtilem Animum. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1096: *Hac Legatione á fugitivis & Exſulibus, inter quos plures erant, qui ſibi ſtricta Neceſſitate junctí erant, MAGNUS Comes, WRATISLAVIENSIS Capitaneus accepta, longo Tempore, quid ageret, haſitavit. Hinc enim eum agebat Spes & Odium, hinc repugnabat Fides & Honeſtas. In ambiguo itaque rotatus, aceitis WRATISLAVIENSIS Regionis Primoribus, quid facto ſit opus, ſingulorum Conſilia exquirit.* Plenius Deliberationis Momenta proponit Martinus Cromerus de Polo-

ANNO 1096.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.

SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

norum Rebus Lib. V: *Hac Legatorum Poſtulatione, juſta in Speciem & honeſta, aliquantum permotus MAGNUS, tamen, ne quid imprudens contra Fidem & Officium ſuum faceret, Conventu WRATISLAVIENSIS Territorii Civitatisque celeriter convocato, rogat ea de Re Sententiam. Exoſum erat Vulgo SECECHI Nomen: miſerabantur Exſulum gentilium plerique & neceſſariorum ſuorum: miſerabantur SBIGNEI: audierant magna eſſe Principem erga ſuos Indulgentia, non oportere ſeſe in Patrem & Filium medios interponere. Alioqui hunc offenſuros, ab illo autem parvam vel nullam Gratiam inituros. Tum autem verebantur, ne Hoſtes eos in Agris experirentur, quos Hoſpites & Amicos recuſarent.*

XXVIII. Tandem victi & Precibus, & Rationibus SILESII, quos VRATISLAVIENSIUM Vocabulo deſignatos reperimus, in Tutelam quidem SBIGNEUM cum Sociis, & inſontibus, & ſupplicibus, annuente Capitaneo MAGNO Comite, ſingularis Ingenuitatis, Probitatis, Eruditionis & Humanitatis Viro, in Urbem Vratislavienſem, cujus Arx commodum Sbigneo fiebat Hoſpitium, recipiebant, ſed Iuramento adſtrictum, ne quid vel in Patrem, vel in Patriam iniquum committeret. Tali promiſſum Advenis Lege Subſidium á Fide, quâ ſe VLADISLAO Duci obligatos fatebantur, non alienum eſſe judicabant. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1096: *At illi* [Sileſii Vratislaviam convocati] *ut erant in SEGEGIUM novandarumque Rerum Studium vehementer incenſi, veriti, ne eorum Regioni per ZBIGNEUM Ducem Exſulesque & fugitivos Vis aliqua fieret, ZBIGNEUM cum Exſulibus & fugitivis ſuſcipiendum unanimi Voto decernunt, Iurejurando tamen adſtrictum, ut nihil contra Patrem & Patriam moliatur. In hunc Modum MAGNUS Comes perſuaſus, Vir alioqui Fide & Humanitate egregius, & multis Artibus bonis praditus, partim ſibi, partim Patriæ proſpiciens, ZBIGNEUM & univerſos fugitivos & Exſules excipit, & Ducali illum veneratus Honore in Arce WRATISLAVIENSI locat: ſingulorum illi Victualium neceſſaria, & his, qui ſecum una venerant, adminiſtrant.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. III. de Exſulibus: *Et componentes cum Capitaneo WRATISLAVIENSI nuncupato MAGNUS, Viro probatæ Fidei, pro SBIGNEO tamen & ex-*

ANNO 1096.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

pulsis inclinato & stante, ingressi sunt Castrum WRATISLAVIENSE. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V: *De Conventus Sententia, MAGNUS Exsulibus advenientibus Portas Urbis aperit: SBIGNEUM honorificè in Arcem deducit, omniaque ad Victum abundè ipsi suppeditat.*

XXIX. SECECHUS hæc in suæ Potestatis Decrementum acta, quò magis sentiebat, eò vehementius in VRATISLAVIENSES concitabat VLADISLAUM: cujus Nuntiis, Indignationem VLADISLAI, Excusationem SECECHI, gestorum Perversitatem indicantibus, Dimissionem Exsulum postulantibus SILESII respondebant: se VLADISLAO fidos, SECECHO invisos, nullius Rebellionis, nullius Criminis reos, Innocentiam defendere cognatorum Exsulum, quibus, in Polonici Regiminis Dedecus, imposita sit Necessitas, in exteris Terris agendi Mendicorum Personas, contra impiam Persecutionem, contra Dominatorem crudelem, Principis Ministrum, quem plus posse, quam ipsum Principem, neque Principi gloriosum, neque Populo salutare sit. Cæterum, Plebs ægrè contineri poterat, quò minus Excusationem SECECHI vanissimam, cujus Oratores non pudebat, Figmentorum impatientior, ad extremum refutaret non Rationibus, sed Lapidibus. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1096: de Secechо: *Susceptione ZBIGNEI Ducis & fugitivorum Exsulumque per MAGNUM, WRATISLAVIENSEM Capitaneum factâ, ad Notitiam Ducis WLADISLAI perlatâ, vehementes in eum Amaritudinis & Indignationis concitavit Aculeos: se contemtum apud suos iri, & Bellum sibi à naturali Filio, & à fugitivis Exsulibusque Bohemorum auxiliaribus intermixtis moveri depromentem. Altius tamen omnis Ira & Amaritudo in Pectore SETEGII Palatini Cracoviensis insedit, qui sui Odio & Invidia, & multorum Militum Fugam Exsiliumque, & eam, quæ apud WRATISLAVIENSES contigerat, Rebellionem, probè noverat celebratam.* Ibidem post quædam: *Mittitur ob eam Rem in WRATISLAVIAM à Duce WLADISLAO Nuncius, & Temeritatem MAGNI Capitanei, Nobiliumque & Civium WRATISLAVIENSIUM pro admisso ZBIGNEO in Arcem, fugitivis & Exsulibus correpturus, & SE-*

ANNO 1096.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

TEGII excusaturus Innocentiam. Is dicendi sibi Copia, adstante VRATISLAVIENSI Multitudine, mirari Ducem VLADISLAUM & magis dolere declarat, cur ejus Hostes, videlicet ZBIGNEUM, in externas Oras relegatum, & fugitivos Exsules suis ferè Factis depravatos, Arce & Urbe exceperint, & Domino suo naturali & hæreditario deserto ac inconsulto illos sibi conjunxerint, quærere & scire velle. Pro Rebellibusne eos, & Patriam communem Bohemi Hostibus infestis prodere volentibus, an pro subditis & devotis debeat æstimare. Quibus ibidem subjicit Orationem, pro SILESIIS, maximè VRATISLAVIENSIBUS, ab eorum Capitaneo, MAGNO Comite, ad VLADISLAI Ducis Nuntios habitam. *A MAGNO Capitaneo*, inquit, *& WRATISLAVIENSI Comite, Responsum Ducali Nuntio datum est. Non se Temeritate aliquâ aut Rebellione, sed bono Respectu permotos, neque prodendæ Bohemis Patriæ Gratiâ, quorum Hostilitatem, Odium & Vafriciem ipsi Vicini experiri nossent, ZBIGNEUM Filium Ducis naturalem, & Exsules fugitivosque in suam Communionem Urbemque recepisse: non ut Ducales Patriæque Hostes, sed Naufragii communis per SETEGIUM procurati Reliquias, ne in Patriæ & Generis Polonici universalem Contumeliam & Ludibrium in externis Oris Stipem alienam essagitare compellerentur. Se quidem ab Obedientia & Fide WLADISLAI Ducis, & Filii sui Boleslai illustris nullo Pacto, nullâ Conditione discessuros: SETEGII tamen Improbitatem & Arrogantiam, Ducis sui Gesta & Opera damnantis, & amplius suis Calliditatibus depravaturi, diutius se ferre non posse. Cum autem Ducalis Nuntius, ut sibi imperatum fuit, Factiones SETEGII conaretur diffuso Sermone diluere, tantas Iras Odio SETEGII in illum Multitudo concepit, ut, nisi Capitaneus MAGNUS cum Primoribus intercessisset, fuisset Nuntius ipse à Multitudine, quæ jam ad lapidandum Nuntium Saxa corripuerat, fœdè violatus.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V: *Quæ cum ad WLADISLAUM Principem perlata essent, commotus Animo majorem in Modum, mittit certos Homines, qui MAGNUM & WRATISLAVIENSES suis Verbis castigent, Fideique & Officii admoneant, eoque Prætextu otiosè & accuratè Rem omnem & Consilia Exsulum cognoscant. Responsum est a WRATISLAVIENSIBUS:*

ANNO 1096.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

se non Hostem, sed Filium Principis recepisse: putasseque gratum id fore Principi, à cujus Fide non recessissent, neque avelli se à quoquam passuri essent. De Exsulibus autem orare, ut optimus Princeps calamitosos Homines Clementiâ suâ, Redituque in Patriam dignaretur, nève Desperatione Salutis ad duriora Consilia capessenda eos cogeret. De SECECHI Crudelitate eos queri: eum, ne plus pateretur posse, quam ipse sibi sumat Princeps: ne omnium Voluntates propter unum Hominem, qui Dominatum omnem ad se transtulisset, pergat offendere. Hæc missi Principi referunt. His addunt, parum se abfuisse, ut lapidarentur à Conventu, cum SECECHUM purgare vellent. Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Vladislao I: *VLADISLAUS Pater missâ Legatione mandat VRATISLAVIENSIBUS, ut SBIGNEUM ejiciant: sed illi profitentur, nunquam se se discessisse à Fide Principis, sed orare tantum, ut Exsules, Homines honestos, non sinat ita crudeliter opprimi.*

XXX. VLADISLAUS novò Irritamento suscitatus, Expeditionem, SECECHO urgente, suscipiebat in VRATISLAVIENSES, præcipuos Exsulum Defensores. Hos ut eò facilius à SBIGNEO averteret, alios quidem Minis, alios autem Donis proniores sibi reddebat. VRATISLAVIENSES pridie, quam suis Mœnibus imminere VLADISLAUM conspicerent, SBIGNEO cum Exsulibus dimissis, in Urbem Polonicæ Crusuicienſem digressuris, Animô ad mitiora converso, quantum adversus inflammatam Ultoris Acrimoniam opportuna Modestiæ submissio valeat, intelligentes, ne sibi Damnum, præter Necessitatem, attraherent, VLADISLAUM, per se non durum, sed flexilem, efficacibus non Armis, sed Precibus ad Clementiam revocabant. Propinquum excipiebant obviam venientes Ordinis Equestris & Civilis Homines, quibus ZYROSLAUS Episcopus cum Clericorum Cœtu præibat: placabilem Arce, quam MAGNUS Comes tenebat, recipiebant. Remissa, quam imputabat, VRATISLAVIENSIBUS Culpâ: non parem Capitaneo Veniam tribuebat, quem à Præfecturâ removebat. Non diu VRATISLAVIÆ commoratus, ad persequendos eum SBIGNEO Exsules discedebat. Anonymus Autor [cujus Mentionem fecimus Cap. III. §. I.] in Poloniæ Chronico MSto,

ANNO 1096.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

MSto, Cap. XVI: de Vladislao I: *Ut Tumorem Filii superbientis perdomaret, illius fiduciali ssima Præsidia cautè dissolvere cogitavit, & Primates SLESINORUM, quosdam Viribus, quosdam Arte Donariorum ab ipso retraxit. Propter quod SBIGNEUS in Patrem Furore exardescens, WRATISLAVIA secessit, & deinde Crusuiciam robustorum Manu collecta festinè properat.* Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1096: *Nuncio ex WRATISLAVIA reverso, & omnibus, quæ secum acta erant, quæque Capitaneus MAGNUS, Barones & Populus respondisset, ex Ordine narratis: WLADISLAUS Dux, quamvis jam Annis, militaribus quoque & civilibus Muneribus gravis abscessisset, vigente tamen in Senili Corpore, Animi Consiliique Vi, non ultra cunctandum ratus, Armis correptis, & Expeditione indicta gliscentem in Dies Exsulum & fugitivorum Seditionem oppressurus, Filio Boleslao Cracoviæ relicto, WRATISLAVIAM contendit, Castris & Munitionibus, & eorum Præsidibus in Circuitu WRATISLAVIENSIS Civitatis consistentibus, ad WLADISLAI Ducis sui Obedientiam & Fidelitatem certatim occurrentibus. Cum postremo ad WRATISLAVIAM ventum fuisset, Præsul WRATISLAVIENSIS ZEROSLAUS cum singulari Ecclesiarum, Ordinum & Statuum Processione, WLADISLAO Duci, velut Domino suo, Patrono & naturali Hæredi, occurrit, & ipsum debito Honore ad Urbem deduxit. Patuit & Arx, quam MAGNUS Comes tenebat: in eam quoque WLADISLAUS Dux cum omni Militia sua, à Capitaneo ejus MAGNO, cum omni Humilitate & Devotione exceptus. Ex qua postridie* [legendum, pridie] *ZBIGNEUS singulique fugitivi & Exsules, non tam WLADISLAI Ducis Adventum, cujus Pectus Clementia refertum noverant, quam Truculentiam SETEGII veriti, omnium WRATISLAVIENSIUM, ipsiusque MAGNI Comitis subtracta sibi videntes Suffragia, in Castrum & Civitatem Crusuicensem, eatenus Frequentia Civium & Populorum refertam, ac Exsulibus & fugitivis occupatam perfugerunt. Pauco illic Tempore WLADISLAUS Dux commoratus, MAGNO Capitaneo & Nobilibus Civibusque WRATISLAVIENSIBUS, quod se inconsulto ZBIGNEUM & Exsules fugitivosque recepissent, clementius objurgatis, MAGNO Comite à Gubernatione Castri & Provinciæ WRATISLAVIENSIS, pro commisso Facinore, destituto.* Eadem Matthias Mi-

ANNO 1096.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III, Cap. III. commemorat. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V: *Non ceſſandum ſibi ratus WLADISLAUS, neque Patientiâ ſuâ confirmandum Vires & Auſa Exſulum, raptim, quantas poteſt, Copias cogit: cum iis ipſe, quamvis infirmus, proficiſcitur.* Ibidem poſt quædam: *Ubi de Principis Adventu WRATISLAVIENSES certiores facti ſunt, univerſa Multitudo Nobilium pariter & Oppidanorum obviam ei ſeſe effudit, cum ZIROSLAO Epiſcopo, Veniam errati petens. Reſalutatâ comiter pro Tempore Multitudine, Princeps patens Oppidum & Arcem ingreditur. Deinde advocatâ Concione, clementer objurgatis omnibus, Culpam remiſit: cæterum MAGNUM à Præfecturâ amovit.* Iterum poſt quædam: *Pridie, quam WRATISLAVIAM adveniret WLADISLAUS, SBIGNEUS cum ſuis inde profugerat, & Cruſuiciam contendit, frequens adhuc eâ Tempeſtate Oppidum. Eum igitur WLADISLAUS, Dies aliquot commoratus WRATISLAVIÆ, perſecutus eſt.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, de Vladislao I: *Princeps cum Exercitu ad Urbem* [Vratislaviam] *accedit. Ibi cum Populus, præeunte Epiſcopo ZIROSLAO, ipſi prodiiſſet obviam, & ſupplex Veniam petiiſſet, rediit cum illis in Graziam.* Eadem Nicolaus Polius narrat in Incendiorum Hiſtoria, Num. V, ad Annum 1095.

XXXI. Tum à VLADISLAO Duce nondum placato VRATISLAVIAM obſeſſam fuiſſe, Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XVI. narrat: quem Fridericus Luçæ in Sileſiorum Memorabilibus, Parte I. Cap. III. Num. X. ſequitur. Sed obſidendam videntur obſeſſam dixiſſe VRATISLAVIAM: de quâ obſeſſâ nihil, nec in Polonorum, nec in Sileſiorum Hiſtoriis tam editis, quam ineditis annotatum invenimus.

SILESIORUM Capitaneus II. VRATISLAVIENSIS,
VOISLAUS.

XXXII. VLADISLAUS, poſt MAGNUM Comitem, SILESIIS Provincialem Capitaneum VRATISLAVIENSEM dabat VOISLAUM: quem BOLESLAUS, Vladislai Filius, Magiſtrum habuerat. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. in Vladislao I: *Reliquit eum* [Boleslaum Filium] *Cracoviæ cum VOISLAO, quem Puero Cuſtodem & Curatorem, &*

ANNO 1096.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

& quaſi Magiſtrum dederat. Ibidem poſt quædam: *MAGNUM* [Capitaneum Vratislavienſem] *à Præfectura amovit, & pro eo VOISLAUM, Boleslai Pædagogum abſentem illis præfecit.*

XXXIII. Sunt, qui Præfecturam SILESIORUM VRATISLAVIENSEM, MAGNO Comiti ademtam, à VLADISLAO etiam Filio BOLESLAO, quanquam decenni Puero [in Honoris aliquod Signum] non uni VOISLAO commiſſam referunt. Ioannes Dlugoſſius in Hiſtoria Polonica, Lib. I. ad Annum 1096: *MAGNO Comite à Gubernatione Caſtri & Provinciæ WRATISLAVIENSIS, pro commiſſo Facinore, deſtituto, Filio ſuo BOLESLAO & VISLAO* [Voislao] *ejus Curatori eam dat tenendam.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. III: *Indignatus VLADISLAUS Capitaneo MAGNO, prius eum objurgans, Capitaneatum WRATISLAVIENSEM ei abſtulit: pro eôque ſurrogavit BOLESLAUM Filium ſuum cum VOISLAO Curatore ejus.*

SILESIORUM cum BOHEMIS Bellum.

XXXIV. BRETISLAUS, Bohemorum Dux, non aſſecutus, quod intenderat, cum à VLADISLAO Sileſiorum Duce diſperſos Exſules, SBIGNEUM captum, SECECHUM in Cuſtodiam traditum percepiſſet, promiſſorum Auxiliorum memor, arrepto Exercitu SILESIAM invadit, VRATISLAVIAM progreditur, Terram NISSÆ Fluvio adſitam devaſtat: ibi Caſtrum BARDUM Flammis delet, Arcem CAMENCIAM [non, ut Ioannes Dlugoſſus & Martinus Cromerus narrant, condit, ſed jam Anno 1094 à ſe conditam, ut ſuprà pluribus jam indicavimus §. XX.] munit, Præſidio inſtruit, & in Bohemiam redit. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1096: *Opportunitatem Rei, quam conflaverat BRETISLAUS Bohemiæ Dux, ut magis coaleſceret, ita enim recedentibus à ſe Polonorum fugitivis & Exſulibus ſpoponderat, adjuturus, verſus WRATISLAVIAM exercitualiter proceſſit, & ſub eo Tempore, quô ad Kruſuiciam inter Patrem & Filium dimicatum eſt, eam Partem Poloniæ* [Sileſiæ] *quæ circa Fluminis NISSÆ conſiſtit Oram, invadens, Spoliis & Incendiis agreſtes affligebat, & Caſtrum BARDO ad Ripas NISSÆ ſitum, vacuum enim Defenſoribus erat, occupavit & Igne conflagravit. Repertâ autem, haud*

ANNO 1096.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

procul inferius Fluvium NISSA descendendo, Rupe, cujus Moles in singulis circumquaque Locis abrupta, velut turrita consurgebat. Quæ dum in basso [imò, humili, depressò] *larga esset, ad Sublimitatem coarctata, Speciem naturalis Castri effecerat. Hac BRETISLAUS, Bohemiæ Dux, Lignorum Constructione amplius communita, Castrum in ea exstruxit, & KAMINIEC illud, quod Nomen in præsens retinet, cum in Saxo situm sit, appellat, Præsidióque Loco impositò, quod postea Virtutem BOLESLAI, Filii WLADISLAI Ducis Polonorum admiratus restituit, Bohemiam vadit.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V: *Interea dum WLADISLAUS SBIGNEUM Crusuiciam perfecutus erat, PRÆDISLAUS Bohemorum Dux, ad omnem Occasionem, quâ Polonis noceret, attentus, simul ut Exsulibus Promissum præstaret, cum tumultuaria suorum Manu raptim ad eam Oram, quæ ad NYSSAM Fluvium est, prædabundus Excursionem fecit. BARDUM Arcem Defensoribus vacuam, ut in Pace, nullo Negotio cepit & exussit. Aliam ipse in Rupe quadam eminenti & undique præruptа, Loco opportuno celeriter constituxit, & CAMENCIAM appellavit: relictòque ibi aliquantò Præsidiò, cum reliquis Copiis Domum se recepit.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Vladislao I: *Eadem Ætate Bohemi rursus aggressi sunt SILESIAM & ad WRATISLAVIAM usque processerunt: tandem, ut haberent stabilem Receptum CAMENZIUM Arcem ad Ripam NISSÆ, ubi postea Cœnobium constructum est, munierunt.* Eadem Nicolaus Polius in Incendiorum Historia commemorat Num. VI. ad Annum 1096.

ANNO 1097.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

XXXV. Huic SILESIORUM cum BOHEMIS Bello miscebatur intestinum POLONORUM Dissidium. Indulgentissimo Patri VLADISLAO Duci conciliatus Filius SBIGNEUS parem cum Fratre BOLESLAO se Gratiam debere gaudebat. Inter hos Litigium, ne suscitaret mortuus, VLADISLAUS Consilium arripiebat, sed quò suscitabat vivus. Provincias

ANNO 1097.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

cias suas, dum esset superstes, retenturus, dividebat in duas Partes, Filiis obtinendas: quarum minorem notho SBIGNEO, majorem legitimo BOLESLAO adscribebat. Huic destinabat Siradiam, Sandomiriam, Cracoviam, VRATISLAVIAM: non Urbes, sed Urbium Nominibus denotatas Provincias, in Polonia quidem majore Siradiensem, minore cum Sandomiriensem, tum Cracoviensem: in Germania verò VRATISLAVIENSEM, id est, SILESIAM. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1097: cum â Vladislao Filios, Sbigneum & Boleslaum de Primatu Imperii discordes, ex Pomerania reversos indicavisset: *Pater Amore Filiorum Certamen ferens, veritus, eos Morte suâ secutâ, ampliore Dissidio certaturos: Poloniæ Regnum inter eos dividit: & BOLESLAO quidem legitimo Filio Cracoviam, WRATISLAVIAM, Sandomiriam, Siradiam, & quæ meliora, cessura decernit: ZBIGNEO Pomeraniam, Partemque Poloniæ majoris, Lanciciam, Cujaviam & Masoviam assignat: omniam prædictarum Terrarum Usu & Administratione sibi ad Vitam reservatâ: se absumto sine Litigio suam quilibet sortem apprehensurus.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. III: de Vladislai duobus Filiis: *Pater, ne inter eos Scissio major oriretur post ipsius Mortem, jam enim senuerat; divisit Dominia Poloniæ in hunc Modum. BOLESLAO meliorem assignavit, scilicet Terras Cracovienſem, Sandomirienſem, Siradienſem, SLESIAM cum WRATISLAVIA. SBIGNEO naturali Filio Mazoviam, majorem Poloniam, Pomeraniam & Prussiam.*

XXXVI. Fuit hæc omnium prima Polonicarum Provinciarum, non Præfectis, sed Ducibus attribuendarum Divisio. De qua, præter Matthiam Michovium agunt, Martinus Cromerus in Polonorum Rebus Lib. V. & Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Vladislao I.

ANNO 1098.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

XXXVII. Tum Filiis VLADISLAI concordibus formidabilis SE-

ANNO 1098.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

CECHUS, magis BOLESLAO, quam SBIGNEO, quem tamen ante gravius offenderat, invisus, utrique, tanquam Principatui Polonorum consequendo intentus, miro Casu reddebatur maximè suspectus. Ficta quidem, at celer Fama, cujus Autor SECECHUS credebatur, divulgabat: BRETISLAUM, Bohemorum Ducem, imminere SILESIIS Hostem. Eum, Patre VLADISLAO jubente, BOLESLAUS quidem VRATISLAVIENSIBUS cum VOISLAO præfectus, expedito, quem contrahere poterat, Exercitu à Finibus depulsurus, VRATISLAVIA discedebat: VOISLAUS autem Capitaneus ibidem BOLESLAO duodecenni periculosam Expeditionem suscipienti Comes non aderat: incertum, quò VRATISLAVIA digressus. Hinc Suspicionem VOISLAUS incurrebat, se cum SECECHO, cujus erat cognatus, ad quem abiisse putabatur, parare BOLESLAO & SBIGNEO Insidias. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1098: de Vladislao: *Illi velox Nuncius allatus, BRETISLAUM, Bohemiæ Ducem, Copias congregasse, clandestinè Poloniam & WRATISLAVIENSEM Regionem invasurus. Id cum WLADISLAUS Dux BOLESLAO, WRATISLAVIAM & vicinam ei Oram gubernanti insinuasset, & Arma contra Bohemos Resistentiam facturus expedienda mandasset: paritum illico à BOLESLAO est, & Exercitus ad Confinia Regnorum deductus. In quò cum WOISLAI Pædagogi Absentia notata fuisset, ingens Suspicio inter Milites BOLESLAI primum, subsequenter privatum Murmur, & tandem aperta Vociferatio coorta est: unquoque semel ortam Suspicionem augente: differensque, non abs Re WOISLAUM insuo Comitatu deesse, & Alumnum suum BOLESLAUM Ducem in tam difficili Necessitatis Articulo deseruisse: omniumque consonâ Voce credebatur WOISLAUS BOLESLAO deserto ad SETEGIUM Palatinum Cracoviensem defecisse: & utriusque Calliditate & Ingenio ad agendum contra Bohemos Bellum, apud quos missi Exploratores quieta omnia nunciabant, BOLESLAO & sibi, SETEGII & WOISLAI Versutiâ, à Patre Arma ad Proditionem aut Interitum BOLESLAI imperata fuisse.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V: cum Boleslai Promtitudinem in Bohemos repellendos declaratam, irritumque Successum commemoravisset: *Ibi Ru-*

ANNO 1098.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

Rumor à paucis [ex Invidiâne vel Odio conflctus, an ex vero Timore ortus, nescio] mox tota pervasit Castra: unoquoque, ut fit, addente aliquid iis, quæ ab aliis acceperat: nimirum Famam illam de Motu Boemorum à SECECHO sparsam esse, ut conflatò Adolescentis Temeritate Bellò, Periculo ipsum objiceret, aut à Patre duntaxat sejungeret: ipse interim liberius Potentiam suam stabiliret, omniaque ad invadendum Principatum & ad Exitium absentis BOLESLAI compararet. Ibidem post nonnulla, quibus Secechi Vafritiem, Potentiam, Superbiam depingit: *Augebat Suspicionem* [Boleslai contra Secechum] *& illud, quod VOISLAUS BOLESLAO de More ad Expeditionem illam Comes non iverat. Nam & is SECECHI Cognatus erat.* Iterum post quædam de Sececho: *Fremitur totis Castris: indignum esse Facinus, ab uno sic omnes ludificari: non ferendum esse diutius impotentem ejus Dominatum, & intentas in Capita Principum suorum Insidias.*

XXXVIII. Mox igitur hi duo Fratres BOLESLAUS & SBIGNEUS, quos in Auxilia mutua Iuramentum constrinxerat, in Fœdus renovandum, ad SILESIORUM Civitatem VRATISLAVIENSEM properant. Ibi convocant SILESIÆ totius MILITES, id est, EQUITES.

XXXIX. EQUITES enim, Bonorum, quæ Iuris Doctoribus recentioribus Feuda nominantur, Possessores rudior Scriptorum Ætas Voce MILITUM designat. De quô ne dubites, id Testimoniis confirmabimus. Rogerius, Neapolitanorum Rex, in Constitutionibus Neapolitanis [quas in Legum Antiquarum Codice Fridericus Lindenbrogius edidit] Libro III, Titulo XIV, de Dotariis constituendis in Feudis & Castris, Lege I: *Si quis Baro vel MILES Uxorem duxerit, & tria Feuda habuerit, liceat ei unum Dotarium Uxori suæ de tribus Feudis constituere.* Fridericus I. Imperator ibidem Lege III: *Licentiam Baronibus & MILITIBUS impertimur, posse etiam de duobus Feudis Dotarium constituere.* Idem Imperator ibidem, Tit. XIX. Lege I: *Comitibus, Baronibus ac universis MILITIBUS Regni nostri, qui Feuda tenent, concedimus Facultatem.*

ANNO 1098.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

XL. Ut proinde clarius exponamus, quæ diximus: laudati Fratres in Urbe VRATISLAVIA congregant totius Provinciæ VRATISLAVIENSIS, hoc est, SILESIÆ, non Militarem, sed Equestrem Ordinem. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1098: *Ad cujus* [Secechi] *frustrandos Conatus, BOLESLAUS & SBIGNEUS Fratres stricto se Fœdere & Iurejurando adstrinxerant, unus alteri fideliter & sincerè auxiliaturos. Militibus itaque, se & BOLESLAUM, non ad Bellum gerendum accitos, sed ad Periculum subeundum expositos, Ingeminatione continua querentibus, Bello ocius pro evitando machinato Periculo discedere & Auxiliatorem ZBIGNEUM placuit accersire. Quô, juxta Pactum, cum Festinatione adveniente, ad WRATISLAVIENSEM Civitatem, ne ipsa à SETEGIO vel suis occupetur, Agmine citato itum est. Ubi universis Regionis & Civitatis WRATISLAVIENSIS convocatis MILITIBUS, BOLESLAUS Dux ita apud illos concionatus est.*

XLI. VRATISLAVIÆ conjunctos SILESIORUM Proceres BOLESLAUS [ad quem, ut Hæreditas futura, spectabat universa SILESIA] Documentô Fiduciæ magnô, quam in Urbis VRATISLAVIENSIS certam sinceramque Fidem ponebat, in Præsidium contra SECECHUM implorabat: Germanis plus tribuere visus, quam Polonis. Hoc evidenter apud laudatum Dlugossum Locô dictô patefacit, Oratione, quâ, suo & Sbignei Nomine habitâ, Silesios dudum Sececho inimicos alloquitur: *Quam latè, inquiens, quamque callide & vafrè SETEGII Palatini Cracovienſis grassaretur Temeritas, unicuique Vestrum patefactum esse non ambigo. Qui Patre nostro, sive illud causet suum grandævum Senium, sive SETEGII Dolus & Versutia ad omnia, quæ libet, pertractô & pene vinctô, & infascinatô, facile sibi Principatum Regni Poloniæ, Castris & Munitionibus sui Iuris & Potestatis effectis, Patre nostro absumto, repromittit. Et, quod sine Indignatione Rei vix eloqui valeo, Lachrimæ quoque ipsæ, quas Dolor & Acerbitas elicit, ut coram cernitis* [rigabat autem Fletu immenso Genas] *Testes sunt, quomodo uterque nostrum in Spem Regni hujus genitus intereat, magnâ provident Curâ, juxtaque nostra, velut immanium Hostium aut Barbarorum livida Capita. In hac Urbe, quæ nondum suâ Tyrannide attacta & infecta*

ANNO 1098.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

esta est, nos salvari posse, propter dudum expertam Fidem, confidimus: in Vobis spes nobis suprema videtur relicta: Vestram erga nos Fidem percepturi, huc nos ex cæteris Locis profligati contulimus, vobis sinceritatem Fidei nobis servantibus tuti, donec superimpendens SETEGII Furia tonat, quiescemus: reliquas Sedes Regni Poloniæ declinare cogimur, comparatam nobis Necem subituri. Si autem nec hic Hæredibus manere licet, in externas Oras abeundum est: Vitaque, quam SETEGIUS eripere contendit, salvanda Exsiliô.

XLII. Hac Oratione SILESII Proceres, Civesque VRATISLAVIENSES, ad Propensionem invitati, quantô infestiores SECECHUM detestabantur, tantô faciliores duobus VLADISLAI, Ducis sui, Filiis BOLESLAO & SBIGNEO Auxilium fidum pollicebantur. Idem Dlugossus ibidem: *Commota erant omnium* [Vratislaviæ congregatorum] *ad Misericordiam Filiis Ducalibus ferendam Viscera, tantumque apud universos & Miseratio Adolescentum, & Odium SETEGII valuit, ut Clamore sublato omnem Fidem, subjectionem & Devotionem, Duci WLADISLAO Patri eorum hactenus præstitam, in eorum Profectus & Commoda pollicerentur conversuros.*

XLIII. Dum hæc aguntur, VOISLAUS, Capitaneus SILESIORUM Vratislaviensis, redux in Urbem VRATISLAVIAM, cui, propter Cognationem Amicitiamque cum SECECHO, maximè propter Absentiam, quâ BOLESLAUM fidelis Adjutor & Gubernator custodire jussus, deseruerat, suspectus erat, BOLESLAO & SBIGNEO ibidem adhuc præsentibus, non intromittebatur. Sæpe laudatus Dlugossus Locô indicatô: *Interea, dum hæc WRATISLAVIÆ aguntur, WOISLAUS Boleslai Comes advenit, & omnium, quæ gerebantur, ignarus, mitti se in Urbem petit, Sedulitatem suam suo Alumno exhibiturus. Sed cum illi propterea, quod SETEGIO propinquâ Cognatione junctus esset, & secum una Necem Ducis moliri, pro suspecto haberetur, Accessio Civitatis denegaretur, ille se contra purgare, & non Necem, sed Honorem & Gloriam Alumno suo summopere cupere, nihilque sibi commune cum Setegio fore differens, iniquis Auribus, Odio Setegi cæcutientibus auditus.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V: in

Vla-

ANNO 1098.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

Vladislao, de Boleslao & Sbigneo: *WRATISLAVIAM in primis in Poteſtatem ſuam redigunt, propterea, quod VOISLAUM Præfectum ejus Urbis cum SECECHO ſentire credebant. Ibi, dum cætera comparant, venientem forte VOISLAUM, Rerum omnium ignarum, Urbis Aditu prohibent. Miranti & Cauſam ſciſcitanti, Proditio & Inſidiæ objiciuntur. Purgare Crimen cupiens, non auditur.*

XLIV. Poſt hæc BOLESLAUS & SBIGNEUS, Exercitu inſtructi, VLADISLAUM, in Maſovia hærentem, Rationibus ſpecioſis & continuis Precibus per Legatos ſolicitare non prius deſinebant, quam SECECHUM, ab omni Magiſtratuum Genere dimotum, omni Poteſtate publicâ, privaret. Eum in Arcem ſuam Secechoviam bene munitam digreſſum perſequi tum demum ceſſabant, cum Exſulem, Conſenſu Patris, feciſſent, in Ruſſiam progreſſum. Cujus Aulici, quem Aſtutia potentem, Potentia ſuperbum, ſuperbia injurium, Injuria miſerum reddiderat, Fatum, præter alios, deſcribunt Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1098. & Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. in Vladislao I.

ANNO 1099.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.
SILESIORUM Caſtrum CAMENCIUM
à BOHEMIS redditum.

XLV. VLADISLAUS Dux CAMENCIAM, recentem SILESIORUM Arcem, ad NISSAM Fluvium, intra MONSTERBERGENSEM Ducatum, à Bohemis Anno 1094 conditam: Anno 1096 munitam [ut §. XX. & XXXIV. indicavimus] hactenus retentam, Anno 1099 accipiebat: quam BOLESLAO Filio, multis Ætatem ſuperantibus Indolis generoſæ Documentis jam celebri, ad ſe in Bohemiam vocato, Avunculus BRETISLAUS Bohemorum Dux, in Amoris Teſſeram donaverat. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1099: *Avunculus* illius [Boleslai] *Germanus Bohemorum Dux BRETISLAUS, ſpectata*

ANNO 1099.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

ta Adoleſcentis Virtute, coram ſe ſæpius recitatâ delectatus, miſſis Nunciis eum ad ſe venire invitavit, chariſſimoque Affectu honoratum remiſit: Arcemque KAMINIEC prope Flumen MOISZA ſitam ei reſtituit.

XLVI. Quo in Loco non eſt, ut per KAMINIEC ad Flumen MOISZA nobile PODOLIORUM Caſtrum CAMINIECIUM, non autem SILESIORUM Arcem CAMENCIAM ad NISSAM intelligi putes. Nam Podoliorum Caſtrum CAMINIECIUM ad Flumen non MOISZAM, ſed SMOTRICAM ſitum eſt: ut Alexander Guagninus in Sarmatia Europæa indicat. Præterea id ab Olgerdi, Lithuanorum Ducis, ex Fratre Filiis, exſtructum eſt poſt Annum 1331: ut Albertus Kojalouicius in Hiſtoria Lithuana, Parte I. Lib. VIII. ad Annum 1331 commemorat. Quare pro *KAMINIEC prope Flumen MOISZA*, legendum, ut eodem Libro IV, ad Annum 1096, Dlugoſſius loçutus erat, *KAMINIEC prope Flumen NISSÆ.*

XLVII. Confirmat hoc Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. IV, in Vladislao I: *Celebris jam erat BOLESLAI Fama apud Exteros. Cujus Admiratione ductus PRÆDISLAUS Bohemorum Princeps, Avunculus ipſius, Conſpectum ejus expetebat. Fecit ille ſatis Deſiderio ejus, & à Santoco rectâ ad eum profectus eſt. Nec minuit Famam veniens: paucosque Dies apud Avunculum commoratus, majore Benevolentiâ & Charitate eum ſibi devinxit: & CAMENECIA Arce, quam ſupra NYSSAM Amnem à PRÆDISLAO munitam eſſe, ſuperius memoravimus, ab eo donatus, magnisque præterea Muneribus ornatus, quæ tamen ille pleraque omnia inter Milites diſtribuit, in Poloniam ad Patrem revertit.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, de Vladislao I: *Illam tamen* [Arcem Camenciam] *paucis Annis poſt Rex Bohemicus Nepoti ſuo ex Sorore BOLESLAO, Filio VLADISLAI, reſtituit.*

CAPUT X.
SILESIORUM RES.

ANNO 1102.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

SILESII Romano GERMANORUM Imperio subjecti.

I.

SILESIIS & Polonis post VLADISLAUM I. Anno 1102, Ætatis LIX, Die V. Iunii, exstinctum, Filius BOLESLAUS III, propter obliquum Os, Cognomine Polonico CRIVOUSTUS, Latino aut CURVUS, aut DISTORTUS, Dux ad Annum 1139: GERMANIS autem, post HENRICUM IV, Anno 1106 mortuum, Filius HENRICUS V. Imperator, ad Annum 1125 præfuit.

II. POLONIAM, certè SILESIAM, Scriptoribus priscis usitato POLONIÆ Vocabulo denotari solitam, Imperio HENRICI V. Germanico, quamdiu BOLESLAUS III. Silesiorum Polonorumque Dux vixit, hoc est, ab Anno 1102, ad 1139, subditam fuisse, nos dubitare non sinit par SILESIÆ sub antecedentibus Imperatoribus Conditio: quam mutatam nusquam reperimus. Accedit, quod HENRICUS V. ob Tributum POLONICUM, id est, ut interpretabimur, SILESIACUM, non exsolutum, BOLESLAO III. tanquam Rebelli, Bellum intulerit: de quo deinde commemorabimus ad Annum 1109, §. VI.

ANNO 1105.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

III. BOLESLAUS Bohemico & Moravico Bello defunctus, Pomeranicum & Cassubicum aggrediebatur. Per Rapinas, Stimulatore SBIGNEO, Fratre BOLESLAI notho, injurios in Poloniam Pomeranos, securos ex improviso invasurus, sq rursus Bohemos petiturum simulabat. Omnibus in SILESIA Copiis ad Urbem GLOGOVIAM, circa VIADRUM

ANNO 1105.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

DRUM Amnem congregatis, mox clandestinis per Silvas & Montes Itineribus, in Pomerania Colbergam occupaturus, discedebat. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1105: *Secretam & cautelosam Expeditionem paucis conscüs in Pomeranos, Terminos Principatuum suorum lacessentes, ZBIGNEO eos ad id crebris, clandestinis tamen Avisamentis & Promissionibus incitante, BOLESLAUS Dux Polonorum acturus, Copias equestres tantummodo in GLOGOW, Speciem Expeditionis in Bohemiam, quò & ZBIGNEUM & Pomeranos falleret, jussit convenire. Omnibus tandem, quæ illi Expeditioni rebantur sufficere, comparatis, Exercitum per quinque integros Dies, per Silvarum opaca, & Colles invios, ne Propositum suum prodi possit, versus Goltberg* [legendum Colberg] *Civitatem eâ Tempestate famosam, duxit.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V: *Cassubios & Pomeranos è Polonia Prædas agentes coërcere & insigniter ulcisci cupiens, Æstate sequenti in Boemos Expeditionem simulat. Ad GLOGOVIAM convenire Milites jubet. Inde converso Itinere per densas Silvas septimis Castris ad Colbergam, frequens & opulentum eâ Tempestate Oppidum maritimum pervenit.*

ANNO 1107.
GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

IV. Interea, dum BOLESLAUS in Pomerania versatur, Arce munitum Oppidum intra SILESIAM, prope Viadrum, COSLA, quod jam in OPPOLIENSIUM Ducatu Locum habet, Bohemorum & Moravorum Incursionibus coercendis opportunum, devastatur Incendiò: dubitatur, utrum per Incuriam Præfecti, an à Bohemis, Polonorum Hostibus, excitatò. Ut postea neque Bohemis, neque Moravis, ad SILESIOS invadendos servire posset, si occupatum instauraretur: BOLESLAUS Pomeranico Bello intentus, ad id reparandum, Opem Fratris SBIGNEI expetebat. SBIGNEUS autem, partim felicium in Bellis successuum, semper BOLESLAI Famam extendentium Invidiâ correptus, partim Epistolæ Stylo irritatus, Vim aut inferebat, aut minabatur Legatis

ANNO 1107.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

aſperrimus: adeo neque Nuntiis, neque Literis BOLESLAI parebat. Hinc BOLESLAUS ê Pomerania in SILESIAM cum paucis reverſus, COSLAM ipſe muniebat & integrabat, priusquam rediret in Pomeraniam. Vincentius Kadlubko in Polonica Hiſtoria, Lib.II. Epiſtola XXIX: *Eſt autem Oppidum KOIZLE Finibus conterminum Bohemiæ, quod non ab Hoſte, ſed Præſidum in Curia* [in MSto Vratislavienſi legitur, *Præſidum*, id eſt, ut ibi Scholiaſtes addit, *Capitaneorum Incuriâ*] *Igne neglecto concrematur. Veretur BOLESLAUS, ne ab Hoſtibus muniendum occupetur. Illo itaque ocius accelerat, Fratris Ope ſubſidiari poſtulat.* Ibidem, poſt Literas, quibus Boleslaus Sbigneum irritaverat: *Ad hæc ille* [Sbigneus] *ſiniſtimus Interpres ſtomachatur, conſternatur, Legatos Vinculis convincit.* Antiquus Autor [cujus Mentionem fecimus Cap.III. §. I.] in Poloniæ Chronico MSto, Cap. XIX: *Interim autem Caſtrum COZLE in Ducatu OPPOLIENSI, Moraviæ Finibus vicinum, per Diſſidiam Præſidis proprio Incendio fuit exuſtum. Inde Rex BOLESLAUS, ne per Moravos occupatum muniretur, feſtinus ad reædificandum accelerat, Fratrique SBIGNEO, non quod ſui egeret Auxilio, ſed ut Fiduciam & Sponſionem illam utrimque habitam experiri poſſit, ſupplicat, ut ipſum in reædificando Caſtro juvare feſtinet.* Ibidem poſt quædam: *SBIGNEUS vero non ſolum Fratri Subſidia præbere contemnit, ſed Legatos capi faciens, in Vincula retrudit.* Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib.IV. ad Annum 1107: *KOZLE Caſtrum verſus Moravica Confinia, Loco magis, quam Arte munitum. ODRA enim Fluvius facit illud ſuo Fluore & Stagnis robuſtum, dum fortuito conflagraſſet, Nunciô Conflagrationis Polonorum Dux BOLESLAUS acceptô, Doloſitate Bohemicâ credens Incendium proveniſſe, & Arcem in Bohemorum Ditionem ex hoc redigi debere, paucis Militibus ſe ſequi juſſis, illuc accurrit, Arcemque à Fundamento reficere adorſus, nulli Labori aut Fatigæ ſe ſubtraxit. Veritus autem, ne Bohemorum Incurſione in Loco aduſto & minus tuto opprimeretur, ad Fratrem SBIGNEUM Nuncios mittit, ut ſibi cum aliquot Militum Agminibus in Præſidium veniat.* Ibidem poſt pauca: *ZBIGNEUS verò tum Odii Flammas in BOLESLAUM, propter ejus ubique ſonoram Gloriam, & Suc-*

ANNO 1107.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

Succeſſuum Felicitatem vomens, arroganti dato Reſponſo, etiam Nuncios ipſos, Iuris Hoſpitii oblitus, minus honeſtè tractat, & Probris in Fratrem acerbius ſparſis, redeuntes prope violat. Hujus tamen Contumeliæ fraternæ Genus BOLESLAUS Patientiâ devincens, & Exuſtionem Caſtri KOZLE celeri ſuppoſito Ædificio in integrum reſtituit, & ſuam ſuorumque Nunciorum Injuriam Diſſimulationis Tolerantiâ abſolvit. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib.V: *COZLE Oppidum ſupra ODERAM ſitum, ad reprimendas Boemorum ſive Moravorum Incurſiones peropportunum conflagraverat. Suſpicabatur BOLESLAUS, Dolô Boemorum, Incendium id conflatum eſſe: eosque mox Locum denuo munituros, & Præſidio firmaturos, ni ipſe anteverteret: nec tamen eum, quem in Pomeraniam duxerat, Exercitum, longo Itinere & Labore Belli defatigatum, nondum confecto eo Bello, deducere & novo Labore conficere volebat. SBIGNEUM Fratrem Auxilia, cum quibus ad inſtaurandum COZLE iret, popoſcit. At ille non modo non fecit poſtulata, verum etiam Legatis Fratris ſuperbo & pleno Contumeliæ Reſponſo oneratis, vix Manus abſtinuit. Permoleſtè id tulit: itaque cum paucis voluntariis, ſummâ Celeritate confecto Itinere, reſtauratô Oppidô COZLE, ac mox receptô Ciarnivocô* [Pomeranorum Oppidô] *quod Hiems jam inſtabat, dimiſit Exercitum.*

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

SILESIORUM cum cæteris GERMANIS
Pro POLONIS Bellum.

V. BOLESLAUS III. Dux HENRICUM V. Cæſarem irritaverat, partim contra eum miſſis ad Calomannum Hungarorum Regem Auxiliis: partim Bohemos Imperio Germanico ſubditos, ne Imperatori ſuccurrerent, Irruptionibus cohibens. Ioannes Dlugoſſus in

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

Historia Polonica, Lib. IV, ad Annum 1109: *Omnem Culpam malè â se in Pannoniis gesti Belli HENRICUS Imperator in BOLESLAUM Poloniæ Ducem referens, quod & Colomanno Ungarorum Regi, Militum suorum præstitisset Auxilia, & Regem Pannoniorum enixius validiusque adjuvisset, & per seipsum Bohemiam gravi Vastitate afficisset.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1109: *Adjutos â Polonis Ungaros & vexatos retractosque â suis Castris Boemos ipse per se indignè ferens HENRICUS Cæsar, magis etiam â Boemis contra Polonos incitabatur.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus: *Irascebatur HENRICUS Cæsar BOLESLAO propter Auxilia missa ab eo Regi Hungarico, & propter devastatam Bohemiam.*

VI. His Belli Causis, quod HENRICUS Cæsar Ducem BOLESLAUM castigaturus, cum Polonis, maximè cum SILESIIS intra SILESIAM gessit, addendum, quod Imperio Germanico diu BOLESLAUS negaverat, residuum TRIBUTUM, seu pro SILESIA, quæ tum POLONIA vocabatur, seu pro reliqua etiam Polonia solvendum. Vincentius Kadlubko in Historia Polonica, Lib. III. Epist. XIX: ubi Boleslaus cum Henrico Prælium initurus: *TRIBUTUM*, inquit, *exigis: exigebat enim* [Henricus]: *cruentum in crastino TRIBUTUM præstolare. Nam quid â quo exigere debeas, meo cras Munere condisces.* Conradus Urspergensis in Chronico ad Annum 1109: de Henrico V. Imperatore: *Post hæc ad Poloniam, Gentem longinquam, movit Exercitum, multoque ibi ac diutino Labore, diu negatum â Terra illa TRIBUTI exegit debitum.* Henricus Mutius in Germaniæ Chronico, ad Annum 1108: *Sequenti Anno iterum Francofordiæ conveniunt Principes & Imperator, deliberantque de Bello suscipiendo contra Polonos, qui TRIBUTUM Imperatori debitum dare recusabant: Regemque sibi* [aliquoties antehac] *elegerant, ipsique Coronam imposuerant: qui tum Imperatoris erat summus Contemtus. Quare conscripto Exercitu in eos proficiscitur.* Ioannes Nauclerus in Chronographia, Volum. II. Generat. XXXVII. ad Annum 1109: de Henrico V. Imperatore: *Post hæc ad Poloniam movit, multoque ibi desudans Labore diu negatum â Terra illa exegit*

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

TRIBUTUM debitum. Eandem Belli Causam indicat Cyriacus Spangenbergius in Saxoniæ Chronico, Cap. CCXI.

VII. Fuit autem hæc non ultima, sed præcipua Belli Causa. De qua Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus: *Existimare igitur possumus, concurrisse Causas Belli plures: inter quas tamen hæc fuit præcipua, quod Poloni Pensionem constitutam sub OTTONE, & renovatam sub CASIMIRO Monacho negarent.*

VIII. Cæsar igitur HENRICUS omissum nec TRIBUTUM, nec OBSEQUIUM in Polonis ferendum censebat: quem SBIGNEUS, Frater BOLESLAI Ducis nothus, Parte Provinciarum suâ, per VLADISLAUM Patrem assignatâ, non contentus, ideoque BOLESLAO, quantas poterat, Insidias struens, ad se Polonos sub adventum primum certatim defecturos asserens, Poloniam Negotio facillimo subigendi Spe totum repleverat. Eâ fretus HENRICUS, magno ex Saxonibus, Bavaris, Suevis, Thuringis, Francis, Misnensibus, Bohemis [quorum Dux Suatoplucus erat] aliisque collecto Exercitu intrabat SILESIAM. Cosmas Pragensis in Bomiæ Chronico Lib. III. ad Annum 1109: de Imperatore Henrico V, quem, omisso Henrico I. Aucupe, Quartum nominat: *Iter agens per Saxoniam, duxit secum Bavarios simul & Alamannos* [Suevos] *atque Francos Orientales, & eos, qui sunt circa Rhenum, infra Agrippinam Coloniam, usque ad Occidentales sui Imperii Terminos. Nec defuerunt Saxones Saxis rigidiores cum longis Hastis, quibus & Boemis adjunctis, Mense Septembri intrat Poloniam:* id est, SILESIAM. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1109: *Polonico Regno gravi Odio infensus* [Henricus V. Imperator] *in Ultionem tantarum Injuriarum, Expeditionem Saxonibus, Bavaris, Suevis, Turingis, Franconibus, Misnensibus & aliarum Nationum Gentibus indicit: Suantopelkone Duce Bohemiæ & SBIGNEO Fratre naturali BOLESLAI Polonorum Ducis, qui in Odium suum â Suantopelkone fovebatur, sua Sponte exulceratum Cæsaris Animum amplioribus Suggestionibus inflammantibus: adjiciente SBIGNEO, quod plures ex Polonis ad ipsum, velut legitimum Hæredem, essent defecturi, & Castra ac Munitiones absque Negotio tradituri. Itaque primo Æstatis Tempore, HENRICUS Imperator*

cum

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

cum validiſſimo Exercitu, Suantopelkone Bohemiæ Duce, & in Favorem Cæſaris, & in Odium BOLESLAI Ducis, tam pedeſtri, quam equeſtri Milite, in magna Frequentia Cæſaris Exercitum augente, Poloniam invadit, & eam Oram Poloniæ, quæ nunc SILESIA & Saxonia [Marchia Brandenburgenſis] *dicitur, Incendiis, Prædis & Depopulatione contorquet.* Ioannes Dubravius in Hiſtoria Bohemica, Lib. X. ad Annum 1109: *Suatoplucus Polonos ſtatuit petere, adverſus quos Cæſar, promiſſi memor, ſuum quoque Exercitum ex Germania ſuperiore inferioreque conflatum, in SLESIAM adduxit: quippe SLESIA tunc Polono adhuc parebat.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V: cum Sbignei Bellum Henrico ſuadentis, facilemque Victoriam pollicentis, Mentionem feciſſet: de Henrico Imperatore: *Igitur Initiò Æſtatis, quæ Ungaricum Bellum conſecuta eſt, cum maximis Copiis atque Viribus totius Germaniæ & Boemiæ, Poloniam, qua Saxonibus atque Turingis conſinis eſt, & nunc Marchiæ Brandenburgenſis ac SILESIÆ Nomen habet, ingreditur.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus: *SBIGNEUS Exſul aſſiduis Precibus Opem à Cæſare implorabat. HENRICUS collecto Exercitu, quem ſequebatur Suantopulcus Bohemorum Princeps cum ſuis Copiis, & SBIGNEUS cum Exſulibus, SILESIAM, quæ tunc Poloniæ parebat, ingreditur.*

IX. Poſt LEUBUSIUM, Marchiæ Brandenburgenſis ad Oderam Oppidum, eò Tempore munitiſſimum, Polonisque ſubditum, feliciter captum, HENRICUS Imperator Fines SILESIÆ transgreſſus, non pari Succeſſu BETHANIAM Oppidum [quod BYTHONIA non nullis, aliis BEUTHENA dicitur] in GLOGOVIENSI Ducatu ſitum, cui tum Arx celſa fuit, occupare poterat. Hinc ab eo, quod fortiſſimo Præſidio defendebatur, difficulter expugnabili, ſeu quod Tempori, ſeu quod Militi potioribus impendendo, parcere mallet, recedebat. Vincentius Kadlubko in Hiſtoria Polonica, Lib. III. Epiſt. XIX: *Imperator HENRICUS ſuſcepta non immemor Injuriæ, BYTHOMIENSE Municipium multis*

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

tis Conatibus attentaverat: quod quoniam & Viris tutum, & Situ vidit pene inacceſſibile, circa Urbem GLOGOW Copias explicat. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1109: de Henrico Cæſare: *In Poloniæ* [Sileſiæ] *ulteriora proceſſit, & continuo Gradu ad Territorium BITOMIENSE pervenit. Ubi Oppidum BITOMIENSE plus Arte, quam Situ difficile, contemplans ad expugnandum, illud per Deditionem conquirere tentabat. Sed Militibus, qui in Præſidio erant, continuas Excurſiones & Duella adeo, ut etiam Cæſari Admirationem injicerent, contra ſuum Exercitum facientibus, torvo Oculo SBIGNEUM intuens Cæſar: Sicciné, inquit, verificari video Promiſſa tua, quibus Urbes, Gentes & Caſtra, tui Contemplatione, in meam Ditionem ventura promittebas: infeſta quippe nobis & adverſa omnia video, & ſingulos Polonorum erga BOLESLAUM Fratrem tuum unius Fidei, uniusque Tenoris experior.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. IX. de Henrico Cæſare: *Proceſſit ad interiora SLESIÆ, usque ad BITHOM: &, cum aliquot Excurſiones ex BITHOM Milites Polonorum in Exercitum Imperatoris feciſſent, ſine Expugnatione diſceſſit.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1109: *BYTHOMIAM deinde in illo ipſo Tractu ſitam, aliam ab ea, quæ media eſt inter Cracoviam & Oppoliam, tentat: Sed à Polonis audacter ex Oppido erumpentibus, Spei ſuæ & SBIGNEI pollicitis non reſpondere Eventum iniquius tulit, & omiſſa atque in aliud Tempus reſervata BYTHOMIA, ad interiora contendit.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, de Henrico V: *Deinde accedens ad Viadrum, adoritur BYTHONIAM, quæ habebat Arcem tunc munitam, hodie vero illa diruta eſt, & Oppidum in alium Locum translatum: ea verò à Præſidio Polonico fortiter defenſa eſt ita, ut Imperator non ſine Clade Caſtra inde moverit.*

X. Per SUATOPLUCUM Bohemorum Ducem, quos ſuis Copiis adjunxerat, HENRICUS Arcem GURAM [quam & GORAM, & GERAM priſcis nominatam reperimus] in GLOGOVIENSIUM Ducatu ſitam, expugnabat,

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

& ob gravem Militum ſtrenuorum Jacturam, Solo æquabat. Ioannes Dubravius in Hiſtoria Bohemica, Lib. X. ad Annum 1109: *Expugnat & SUATOPLUCUS, quâ ibat Viâ, Arcem GERAM: amiſſo ad eam Milite Manu ſtrenuo, cujus Morte commotus, Arcem ſolo adæquat.*

XI. HENRICUS ipſe cum SILESIORUM Oppida quædam cepiſſet, & RECENUM Caſtrum [cujus hodie nihil, præter Nomen, ſupereſt] deſtruxiſſet, GLOGOVIAM Urbem ad Viadrum, per quem Vadô Milites trajecerat, Die XXIV. Sextilis, obſidendam aggrediebatur: quam BOLESLAUS, Tranſitum HENRICO per Oderam prohibiturus, validiſſimo Sileſiorum & Polonorum Præſidio inſtruxerat. Coſmas Pragenſis in Bohemiæ Chronico, Lib. III. ad Annum 1109: de Imperatore Henrico V: quem, omiſſo Henrico I. Aucupe, Quartum vocat: *Menſe Septembri intrat Poloniam* [Sileſiam] *& circa primum ejus Oppidum GLOGOU diſpoſita Obſidione, devaſtat eam ex utraque Parte Fluminis ODRÆ, à prædicto Oppido usque ad Caſtrum RECEN, & iterum cum magna Præda reverſus eſt ad Caſtra.* Vincentius Kadlubko in Hiſtoria Polonica, Lib. III. Epiſt. XIX: de Henrico: *Circa Urbem GLOGOW Copias explicat, Cives improviſos Obſidionibus cingit, & quaſi quibusdam Torcularibus includit.* Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1109: *Magnâ Parte SILESIÆ peragratâ vaſtatâque, non nullisque Munitionibus ignobilioribus captis, Caſtrô etiam RZEGENSI expugnatô & per Ignem demolitô, HENRICUS Cæſar ad Urbem GLOGOW, quam ODRA unus ex principalibus Poloniæ* [Sileſiæ] *Fluviis præterfluit, cum Copiis ſuis in Die S. Bartholomæi pervenit. Et quamvis BOLESLAUS Polonorum Dux poſitis Militibus Vada ODRÆ & ejus Ripas ubique communiſſet, obſtruxiſſetque Tranſitum Cæſari omni Niſu prohibiturus, Cæſar tamen prope GLOGOVIENSIS Civitatis Mœnia Vadum, nunquam etiam antea Indigenis cognitum reperiens, Fluvium ODRA ſuperavit, multam Pecorum Hominumque Prædam, ſed & nonnullos BOLESLAI Milites, qui paſſim vagabantur, inopinatè detinuit.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. IX. de Henrico: *Ad GLOGOVIAM ſingula obvia vaſtando, in Die S. Bartholomæi pervenit, eam Machinis & Expugnatione afficiens.* Ioannes Dubravius in Hiſtoria Bohemica, Lib. X. ad Annum 1109: de Suatopulco Bohemorum Duce: *ſe cum ipſo Cæſare ad oppugnandam GLOGOVIAM Mœnibus, Arce, Flumine ODERA munitam convertit. Inerat præterea validiſſimum ex Polonis & SLESITIS Præſidium, tum etiam Commeatu copioſo abundabat.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1109: de Imperatore Henrico: *RECENUM recepit: inde ad GLOGOVIAM duxit. Iam eò BOLESLAUS Partem Copiarum præmiſerat, quæ Hoſtem Tranſitu ODRÆ Fluvii prohiberent, dum ipſe Ruſſorum & Ungarorum Auxilia exſpectat. Verum Cæſar inventô Vadô haud ita procul à GLOGOVIA traducit Exercitum ad nonum Calend. Septembris, neque noſtros ultra ODRAM ſtativa habentes oppreſſit: paucos quidem Milites vagantes & magnam agreſtium Pecudumque Prædam cepit. Reliqua Militum Manus partim in Oppidum ſe recepit, partim Fugâ diſſipata eſt.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus: *Deinde* [Imperator Henricus V.] *adortus eſt GLOGOVIAM. Fuit autem ipſi difficile ſuperare Flumen ODERÆ, cum Ripam adverſam ad Urbem BOLESLAI Copiæ tuerentur. Cæſar tamen, novô Vado invento, non procul ab Urbe, Die S. Bartholomæi ante Meridiem, dum Populus adſtat Miſſæ theatricæ, Exercitum in alteram Ripam traduxit, & multos ex Agmine BOLESLAI incautos oppreſſit, magna tamen Copiarum Pars in Urbem evaſit.*

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

XII. GLOGOVIENSES multiplicem Oppugnationem Clademque diu paſſi, tandem Viribus ſuis diffidentes, ab Hoſte valido ſimul & irato metuebant extrema. Honeſtô igitur Modô Exitium à ſuis declinaturi, ab HENRICO expetebant & impetrabant quinque Dierum Inducias: niſi BOLESLAUM intra eas Liberatorem conſequerentur, HENRICO facturi Deditionem. In cujus Fidem, Primores intra Civitatem Filios ſuos, natu majores, HENRICO dabant Obſides: interea Muros concuſſos reficiebant. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1109: *Eam* [Glogoviam Henricus] *cum Obſidione cinxiſſet, & multorum Dierum Intervallo, Projectione Bombardarum, Civitatem humiles Muros & debiles Turres atque Propugnacula tunc habentem conquaſſaſſet: veriti Cives, ne in Poteſtatem Cæſaris vivi capta Urbe venirent, & Excidium ſuum,*

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

& suorum experirentur, de Urbe dedenda sub cæteris Conditionibus, si videlicet Dux BOLESLAUS intra quinque Dierum Spatium obsessis non succurrat, missis Nunciis cum Imperatore paciscuntur. Imperator non quinque solum Dies, sed & plures se illis concessurum respondet, certus, BOLESLAUM Poloniæ Ducem secum decernere nullatenus ausurum: dum modò in Spem futuræ Deditionis Filios eorum Civium, qui natu majores in Civitate haberentur, pro Obsidibus & in Pignus futuræ Deditionis sibi consignent. Necessitate urgente, GLOGOVIENSES Filios Cæsari pro Obsidibus tradunt, & Cæsar certus, eos Pacta servaturos, ab Oppugnatione Urbis Milites cessare jussit. Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. IX: *Postularunt GLOGOVIENSES sub Pacto Inducias quinque Dierum: in quibus si Dux BOLESLAUS, Dominus ipsorum, non præstaret eis Auxilium, cederent sub Iugum & Potestatem Imperatoris: quod ille annuit, dummodo Primores Civitatis GLOGOVIENSIS darent Filios suos natu majores in Obsides: quod & fecerunt.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1109: *Magna Vi oppugnatur Oppidum* [Glogovia] *frequens quidem eâ Tempestate, sed non munitissimum. Oppidani veriti, ne captô per Vim Oppidô extrema quæque ab irato Hoste paterentur, quinque Dierum Inducias petunt: quibus, nisi succursum sibi esset, Deditionem promittunt: Obsides dant primorum Civium Liberos.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus: *Oppidani petierunt à Cæsare Inducias quinque Dierum, ut Principi possent significare de sua Conditione, & promiserunt, si ipsis intra illud Tempus præsto non esset, se se dedituros Urbem: & Cæsare hoc postulante, præcipuorum Civium & Nobilium Filios miserunt in Castra pro Obsidibus. Interea ipsi reficiunt Muros.*

XIII. BOLESLAUS, cui suum obsessi Statum indicaverant, GLOGOVIENSIBUS Auxilium pollicitus, quamvis, ob Hungaros & Russos advocatos nondum præsentes, ante finitas Inducias non afferret, tamen promissam Deditionem prohibebat, ulterioremque Defensionem præcipiebat, non obtemperaturis Exitium jurabat omnibus: omnino salutarius esse, Liberos amittere, quam universos perire, monitis. Vincentius Kad-

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

Kadlubko in Historia Polonica, Lib. III. Epist. XIX: de Glogovienſibus: *Suas interim BOLESLAO & exponunt, & deplangunt Angustias. Obsides præstitos, non tam dedendi Animô, sed differendi Remediô. Quibus rescribit BOLESLAUS: Imo* [in Vratislavienſi MSto legitur, *Fuco*] *nihil ignavius, nihil mitius vermiculoso Favigena: uterque tamen, iste ab Alveo, ille à Fucinio arcet Vespadios. Potius itaque Obsidibus, quam Libertate carendum. Tutius enim est, paucorum Saluti non parcere, quam Pusillanimitatis Ignaviâ plurimos in Discrimen adducere.* Ioannes Dlugoſſus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1109: *Mittunt interim GLOGOVIENSES ad Ducem & Dominum suum BOLESLAUM, Poloniæ Regni Monarcham, &, in quanto versentur Periculo, nisi saniori Consilio Pactis usi fuissent, denunciant, supplicantque, ut aut illos ab Oppugnatione Obsessioneque hostili liberet, aut Pacta rata habens, impleri ea permitteret.* Ibidem post pauca: *Collaudatis itaque GLOGOVIENSIBUS Nunciis & Civibus, quod prudenti usi Consilio, Civitatem maturè perituram, in eam Diem servassent: discretissimè prohibet, ne quicquam de his, quæ cum Imperatore pacti erant, observent, malintque Filiis, quam se & Patriam Libertate orbari: se in Tempore adfuturum, & obsessis Opem laturum, respondet. Et, quò constantiores essent, si Prohibitionem suam in dedenda Urbe Imperatori transgrederentur, jurat, se illos & cum Filiis, Imperatore discedente, exterminaturos.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. IX: *BOLESLAUS verò Dominus GLOGOVIENSES, auditâ eorum Legatione, laudavit Fidelitatem ad Constantiam eorum: ne quoque subjicerent se quovis Modo Imperatori, sub Interminatione prohibuit, asserens, plus valere Bonum Reipublicæ, quam Filios primævorum GLOGOVIÆ: juravitque Dux BOLESLAUS, nisi GLOGOVIENSES in Fide manerent, omnes crudeliter, post Discessum Imperatoris, exterminare velle.* Martinus Cromerus eodem commemorat de Polonorum Rebus Lib. V. ad Annum 1109. Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus: *BOLESLAUS nunciavit GLOGOVIENSIBUS, fortiter agerent in Defensione Patriæ: se ipsis adfuturum in Tempore. Si tamen, quod adhuc exspectaret Auxilia Hungarica & Ruthenica, intra quintum Diem non veniret,*

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

niret, ne propterea Cæsarem reciperent: sed potius Liberorum Obsidum Necem Excidio Patriæ anteferrent: si secus facerent, se ipsos, finito Bello, cum suis Regno ejecturum.

XII. Tantas sub Angustias redacti GLOGOVIENSES in ambiguo hærebant. Utrumque videbant sibi suisque Filiis dubio Eventu periculosum: seu BOLESLAI Ducis mandatum, si non iniquum, certè nimis durum, obsequiosi facerent: seu contra Fidem HENRICO Imperatori datam obstinati agerent. Utrum eligerent, se Damnis obnoxios: præterea, si majoris & Libertatis, & Commoditatis, & Dignitatis Spe, Imperium Germanorum reciperent, Polonis: & si repudiarent, Germanis futuros magnis expositos Opprobriis. His, si non accessit, accedere potuit: Conscientiæ Curam non esse posthabendam: quæ doceat, SILESIOS non suo Duci tantum, verum etiam Imperatori suo, cui Dux ad Tributum, Subjectionem, Fidemque sit obligatus, quamvis esse nolit, debere justum Obsequium. Sed fortassis GLOGOVIENSES, aut, quoniam Dux BOLESLAUS Imperatori HENRICO se aut tributarium, aut subditum negabat, ab eo quidem Vinculo se liberos crediderunt: aut Fidem bellicam civili non in omnibus parem esse judicantes, Deditionem tacitâ, licet non expressâ Conditione, si BOLESLAUS ei Consensum, quem præsumebant, indulgeret, promiserunt.

XV. Certè Rationibus magis Polonos, quam Germanos respicientibus adducti, BOLESLAO Duci, quam HENRICO Imperatori parere malebant. Quamobrem notabili Exemplo, Filiis Obsidibus posthabitis, quamvis summo Periculo subjectis, Constantiâ mirâ, Nervis omnibus se diu contra incredibilem Vim Hostium, quibus potissimum elusa Deditionis Spes, violataque Pacti Conditio Iram in Furorem converterat, defendebant. Nec Impetum Adversariorum indeclinabilem ad extremum nimis defatigati sustinuissent, nisi BOLESLAUS frequentissimis, etsi levioribus Præliis, HENRICO per Dies Noctesque Damnum intulisset: atque primarium Auxiliatorem SUATOPLUCUM, Bohemorum Ducem, Manu Percussoris subornati peremtum [Die XXI Septembris] abstu-

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

stuliſſet. Vincentius Kadlubko in Hiſtoria Polonica, Lib. III. Epiſt. IX: *Hujus* [Boleslai] *Mandati GLOGOVIENSES informantur Fiduciâ, Vires colligunt, Urbem hi muniunt, Ruinas illi reſarciunt. Sed Cæſaris Caſtra, inde Cives, illinc BOLESLAUS continuis ſolicitant Incurſibus.* Ibidem poſt pauca: *Cæſar fragoſo Urbem Turbine involvit, Molibus Tormentorum circumtonat, Nimbis Telorum obruere contendit, Saxea Tempeſtate grandinat, Fulminibus Ignium coruſcat: quæ illi aut Induſtriæ Studio declinant, aut in Cæſaris Damna retorquent. O verè viriles, ô ferreos Animos, ô transmirâ Viros Conſtantiæ: quos nec Auri ſplendor demulcet, nec Imperatoriæ Numen inclinat Majeſtatis, non Hoſtium terret illos Impetus: non Laborum frangit Aſperitas, non ipſa Parvulorum Pietas emollit. Quia enim Patres obliti Filiorum acerrimè rebellant, nunc Machinis eorum Parvuli exponuntur, nunc omni Tormentorum Genere, paterno ſub Aſpectu, territantur: ſed incaſſum. Stat enim inconcuſſo fixa Robore Patrum Sententia: tutius eſſe, Patres Prole defungi, quam Patria Cives exui, & honeſtius Libertati, quam Liberis conſulitur.*

XVI. Hanc GLOGOVIENSIUM admirandam Fortitudinem Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1109, prolixius quidem, diſtinctius tamen exponit: *Mandato*, inquiens, *BOLESLAI Ducis Poloniæ per Nuncios ad GLOGOVIENSES relato, dum univerſa Civitas grandi Mœrore conſternata eſſet:* [*nam hinc Metus, hinc Pietas, hinc Charitas Pignorum objecta, quid agerent, Conſilii inopes collidebantur*] *publicam tamen Pietatem ſingulis approbantibus magis, quam privatam, BOLESLAO Duci ſe parituros, & Mortem potius ſubituros, quam Deditionem pactam ſervaturos devovent. Non Hoſtium illos terret Impetus, non Laboris frangit Aſperitas, nec Filiorum avertit Pietas: omnibus in commune unus eſt Animus, Patriam & Urbem Sanguine tutari. Quapropter ab univerſis in commune ad Ruinas inſtaurandas tantâ Curâ, tantâ Diligentiâ concurſum eſt, tantaque Sedulitas in Reſtauratione collapſorum monſtrata, ut intra Biduum, quo Induciæ à Cæſare datæ nondum exſpiraverant, omnis neceſſaria Inſtauratio abſoluta fuerit. Cæſar cum Die quinta Urbem ſibi juxta Pa-*

Ea

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

Ita dedi requisitvisset, existimavit, se, Civibus ultro Portas aperientibus, Civitatem ingressurum. Cum verò offenderet contra, atque ipse ratus, resisti, Adversarios infestos GLOGOVIENSES habiturus, quos jam deditos crediderat, More Ingenii humani, Pacta in Spem meliorum Successuum variantes, à Civibus contrarium Responsum accepisset, in Indignationem non mediocrem versus, quia Pacta non reservassent, ad expugnandam Urbem armari universum Exercitum jubet, & ab omni Parte Expugnationem disponit, credens, & Civitatem se facile capturum, & Transgressoribus Pœnas dignas illaturum. Magna itaque Vi ab Almanis [Germanis] *& Bohemis Civitatem undique Imperatore spectante & adhortante Militibus impugnantibus, non minori Vi ab Oppidanis resistebatur. Credens autem Imperator Pietate Filiorum nullatenus Cives in sua Pignora Telis aut Operibus sævituros, sed Charitate Obsidum obsessos magis, quam Armis expugnari posse, Filios GLOGOVIENSES in Propugnaculis de Asseribus ordinatis, quò Milites ad Oppugnationem transituri appetebantur, distendi jussit. Sed tum ne sic GLOGOVIENSES molliri posse videt, sed in eos Filios, qui distenti erant, Sudes & Iacula emittere, & egregie in quoslibet Tela contorquere: propter quod Cæsareani temere ad Mœnia subeuntes de superioribus Locis percussi cadebant. Imperator vero innocenti Ætati misertus, illo Genere Expugnationis, velut crudeli & infami, omisso, Milites Muros Civitatis & Turres subire, & Expugnationi totâ Die vacare jussit. Maximo Conatu atque Labore utrinque certatum est: Cæsareos Milites Indignatio ex Violatione Pactorum orta, & frequens Militum continuè ad Pugnam profligatis recedentibus, & sanis ac integris pro sauciis succedentium Numerus, Oppidanos extrema Desperatio animabat. Tantus autem utrisque, his quidem conquirendi Urbem, illis defendendi Ardor injectus erat, ut nullum Genus, utrinque aut Hostes expugnandi, aut Cives repellendi omiserint. Et cum Almani & Bohemi audacius Civitatis Mœnia subeuntes, Projectione Lapidum supernè obruerentur, Aqua tamen & Pice fervente plures Læsuram incurrerant: multi, qui Scalis appositis Muros conscenderant, Civium Robore exinde præcipitati Animas, inspectante Cæsare, exhalabant.* Ibidem post quædam: *GLOGOVIENSIUM obsidione durante, nulla Dies absumta*

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

sumta est, sub quâ BOLESLAUS, Polonorum Dux, nunc à Dextra, nunc à Sinistrâ, nocturnis pariter atque diurnis Horis, gravi Molestiâ, continua Aggressione, Imperatoris Castra non afficeret. Propter quod Imperator nunquam cum universo Exercitu ad Urbem expugnandam potuit intendere, sed majorem Partem Militum in campestri Statione, ad pugnam ordinatam, ne BOLESLAUS à Tergo Castra invaderet, opponebat. Certus enim erat, nisi hæc providisset, se à BOLESLAO Discrimen incursurum. Ibidem, cum narravisset, quemadmodum Boleslaus sustinendis Germanorum Viribus tandem minimè par, præcipuo eorum Auxiliatori Suatopluco, Bohemorum Duci, multas ob Causas, ideo etiam, quia Cæsari Germano Slavus Bohemus adversus Slavos Polonos Opem adeo magnam ferre nihil veritus erat, iratus paraverit funestas Insidias, per Ioannem Cistem, Bohemum Equitem, trucidando: *Cum autem, Die XXI. Septembris, SUANTOPELK Dux Bohemiæ in Papilione* [id est, Tentorio] *Cæsaris consisteret, Ioannes præfatus in Ducem ipsum stantem ante Cæsarem Lanceâ acutissima tam fortiter impegit, ut ejus utrumque Latus proscinderet, & SUANTOPELKUS Dux in Terram illico palpitans, nec una Voce quidem emissa, exspiravit.*

XVII. Eadem Chronographus Saxo in Chronico ad Annum 1110. Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. IX. Ioannes Dubravius in Historia Bohemica, Lib. X. ad Annum 1109. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1109. commemorant. Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus: *Obtemperarunt Cives* [Glogovienses Boleslao] *suo Principi. Cæsar iratus terribilem instituit Oppugnationem: & tandem, ut obsessos acerrimè se se defendentes flecteret, Obsides Senatorum & Nobilium Liberos Machinis alligatos Telis suorum objecit. Non pepercerunt his Cives, sed extrema quæque subeuntes, Hostem rejiciunt.* Ibidem post quædam: *Interea BOLESLAUS auctus Accessione novorum Auxiliorum ex diversis Partibus se se Cæsari ostendit, & subitis Incursionibus ita eum retinuit, ut nunquam universum Exercitum Mœnibus Urbis posset admovere. Cogitavit etiam, quomodo Cæsari detraheret Auxilia Bohemica, quæ sciebat esse Robur in Exercitu. SUANTOPULTO igitur subornat Percus-*

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V. SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

sorem, qui sub Specie Transfugæ Principem in Castris, & quidem in Tentorio Cæsaris, Hastâ transfixum occidit, Die Septembris XXI.

XVIII. HENRICUS, Bohemis post SUATOPLUCUM eorum Ducem occisum in Patriam reversis, crebrisque Polonorum Incursionibus ultra duos Menses intra SILESIAM debilitatus, ad solvendam Urbis GLOGOVIENSIS Obsidionem pronior videbatur. BOLESLAUS igitur HENRICUM ad Pacem majore Fiduciâ per Legatos solicitabat. His promittebat HENRICUS, sed duas in Leges, se Pacem initurum: Si BOLESLAUS non modo cum POLONIS [certè SILESIIS, si non & aliis Polonico Regimini addictis] Germanico Imperio subjectus, debitum Tributum soluturus, verum etiam SBIGNEO Fratri notho [quem in Castris Henricus Clientem habebat] Hæreditatem paternam restituturus esset. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1109: *SUANTOPELKONE Bohemiæ Duce totaliter, ut præmisimus, occiso, & Exercitu Bohemico in Bohemiam remeante, HENRICUS Imperator Consilio advocato, an in Obsidione Urbis GLOGOVIENSIS persistendum esset, vel in Almaniam* [Germaniam] *redeundum, deliberat. Sed, cum singuli probassent, Obsidionem Cladibus & Funeribus magis, quam Victoriis insignem, omittendam esse, neque in Bello malè auspicato diutius commorandum: Nuncii Polonorum Ducis BOLESLAI* [*misit quippe illos BOLESLAUS, sperans SUANTOPELKONE Duce Bohemiæ interfecto, facile Animum Cæsareum ad Pacem inclinaturum*] *adveniunt, petentes, ut Romanorum Rex, & Obsidionem GLOGOVIENSEM tollat, & ab Agro Polonico* [Silesiaco] *Exercitum abducat.* Ibidem post quædam: *His à Cæsare responsum est: si Polonorum Dux BOLESLAUS & Poloni IMPERIO & TRIBUTIS subjecti esse vellent, SBIGNEUMque ad Portionem suam restituere: Petitionem eorum facile esset admissurus.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1109: cum & Suatopluci occisi. & Bohemorum dimissorum Mentionem fecisset: *BOLESLAUS ratus, Cæsarem non satis auspicati Belli jam pertæsum, simul quod Hiems instabat, faciliorem placidioremque fore, Legatos ad eum de Pace misit. Edit ille Pacis Conditiones, ut SBIGNEUS in Principatum suum restituatur, & ut Poloni TRIBUTARII sint Romano Imperatori.* Ioachimus Cu-

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V. SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

Curæus in Silesiorum Annalibus: *In Castra* [Cæsaris Henrici] *venerunt Legati Polonorum, petentes Pacem. Cæsar, Re deliberata, illis respondet, daturum se Pacem BOLESLAO, si velit exsolvere Pensionem, quam deberet Imperio, & SBIGNEO suum Patrimonium reddere.*

XIX. At BOLESLAUS, semper Libertatis studiosissimus, neque Romano Imperatori subjectus solvere Tributum, neque SBIGNEO Fratri reddere Patrimonium volebat: intentus Armis, quibus HENRICO Pacem extorqueret. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1109: *Nuncii Ducem suum BOLESLAUM & Polonos nullo Pacto DITIONI suæ SERVITUROS & TRIBUTA pensuros, sed neque SBIGNEUM, velut Hostem infensissimum Patriæ, in Gremium suum, certam Perniciem iterum illi allaturum, assumturos respondebant.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1109: *Reversi ad BOLESLAUM Legati Mandata Cæsaris referunt. Mirari ille Confidentiam Cæsaris, & Iniquitatem Conditionum: quasi Victor victis Leges imponeret: ac non dubia adhuc esset Martis Alea. Itaque, quam non impetrabat, Pacem, Vi & Armis extorquere pergit, ac majoribus, quam prius, Damnis & Incommodis Hostem afficit, minus aptum per se, abductis Boemorum Auxiliis, ad nostrorum Insultus diurnos atque nocturnos reprimendos: nec ullum ei dat lignandi, pabulandi, Commeatus petendi atque adeo è Castris prodeundi Facultatem.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus: *Illi* [Legati, quos Boleslaus ad Henricum miserant] *respondent, nunquam Polonos ignobilem toleraturos SERVITUTEM, nec SBIGNEO, Homini infido, amplius habituros Fidem.*

XX. Tandem GLOGOVIENSES, Urbem suam ultra tres Menses adversus Imperatorem defendere nihil veriti, à SILESIIS cæteris, maximè Polonis adjuti, cogebant HENRICUM, non tam Silesiorum Polonorumque parvis Præliis, quam simul & Famis, & Pestis majoribus Malis fractum, Obsidioni, quam indecorum deserere, noxium continuare putabat, subtrahere Copias. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1109: *Paucis post hæc Diebus, dum BOLESLAI Polonorum Ducis Legatos Pacem petentes dimisisset, Obsidione GLOGOVIENSI Cæsar moratus,*

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

tus, Obsidionem [*vicinus suorum Prece & Consilio*] *dissolvit.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. IX: *Infecta Legatione Imperator remisit Legatos, & ipse, suadentibus suis Præfectis, discessit, non expugnata GLOGOVIA: sub quâ tot Pericula, tum in Militibus, tum in Swatopolkonis Ducis Nece acceperat.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1109: *His Malis fatigati Germani, majoraque metuentes, aliò transferre Bellum statuunt, ut Loci Mutatione & Aura meliore & Pabulatione Commeatuque laxiore uterentur.* Alexander Guagninus in Chronicorum Polonicorum Compendio, de Boleslao III: *GLOGOVIAM Urbem, Glogovienſis Ducatus Sedem, acerrimè, frustra tamen oppugnavit: magna & crudeli Strage in Militibus acceptâ.*

XXI. Tamen Imperator HENRICUS à SILESIIS, Polonos defendentibus, porro debellandis, non abstinebat. Cognitò, SILESIOS à Provinciæ suæ Finibus, quos reliquerant nudos, ad BOLESLAUM in tantò melius Præsidium digressos, HENRICUS in faciliorem majoremque Successum Fiduciâ erectus, ad interiora SILESIÆ progressus, VRATISLAVIAM, si posset, oppugnaturus, ab eâ, per Milliaris unius Distantiam, in Planicie magna, Locum Castris & Prælio aptum occupabat. BOLESLAUS ibi, assumtis ad Polonos in Subsidium SILESIIS, acerrimum ab Horis matutinis ad pomeridianas, imo vespertinas, cum HENRICO Prælium committebat: in quò SILESII Polonis jam in Fugam propensis, ad Constantiam, in Magnanimitatis Exemplum, prævii, confertam Hostium Aciem fortissimò Virium Impetu perfregerunt & dissolverunt. Vincentius Kadlubko in Historia Polonica, Lib. III. Epist. XIX: *Frustratis igitur* [HENRICI ad Obsidionem Glogovienſem] *Viribus, Arte nimis indigna in* [pro quibus, in MSto Vratislavienſi legitur, *Minis, in divinam*] *SILEUCII* [Silesii] *Provinciam Signa surgunt bellica, sed Omine infaustissimo & aliter fausto* [in MSto exstat, *finistimo*, id est, *finisterrimo*, maximè *sinistro*]. *Illa enim SILEUCIANA* [Silesiaca] *Strenuitas, quæ clarissimis ubique Triumphis enituit, quod magno quondam Alexandro Tributum non solvit, eadem* [ibidem exstat, *idem*] *& Lemanno:* id est, Alemanno, Germano]. *Qui* [Scholiastes addit, SLEZITÆ] *ægrè ferentes tantum Hostem suæ incumbere Provinciæ, orant*

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

rant BOLESLAUM, ne Prælium differat, quia Mora trahit in se Periculum, & satius esse semel cadere, quam semper pendere. Ibidem post quædam: *Ut ergo primum Dies illuxit, præcurrunt hinc inde Velites, ut Numero, sic Animo sitate dispares: ex adverso Acies consistunt: &, quantum Lemmanos auget Numerositas, tanto Polonos animosior acuit Audacia. Interea SILEUCIORUM* [Silesiorum] *non pauca Manus à Tergo prosilit: non paucos ex Hostibus in se convertunt, Fugam ex Industriâ simulant, à Terminis* [in MSto, à *Turmis*,] *illos* [Scholiastes addit, Lemmanos] *eliciunt longius provocant, in provocatos reflectuntur, & obliquato Cuspidum Vibramine, præporrectas illorum Lanceas simul repellunt & feriunt. Quibus prostratis advolant alii Subsidio & occiduntur: rursus alii item, itemque alii, donec omnes pene extremorum Exercitus convertuntur. Unde non tam mediæ, quam primæ turbantur Acies: quæ, cum Tumultus Causam ignorant, suos fugere, non persequi autumant* [Poloni]: *quos hinc Pudor, inde BOLESLAUS consistere impellit. Ut ergo erant primæ Pragitarum* [Pragensium, Bohemorum *Phalanges*] *primo Congressu succumbunt. Deinde illæ Gigantæa Lemmanorum Regiones, hæ à BOLESLAO, illæ à SILEUCIIS prosternuntur.* Anonymus in Polonorum Chronico MSto, quod in Vratislavienſium Bibliotheca publica Rehdigeriana reperitur, Cap. XXV: *Intelligens autem Bohemorum* [residuorum in Cæsareanis Castris] *Dux, SLESIANOS à suis Finibus egressos in Subsidium BOLESLAI advenisse, Imperatori suggerit, ut Partem sui Exercitus ad capiendam Urbem WRATISLAVIENSEM transmittat.* Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1109: de Imperatore Henrico: *Versus WRATISLAVIAM processit, Expugnationem WRATISLAVIÆ, si forte illic sibi melior provenire Fortuna, tentaturus. Sed, dum ad unius Milliaris Spatium à WRASISLAVIA Stativa posuisset: BOLESLAUS Polonorum Dux omnibus Potentiis Dominiorum suorum quanta potuit Celeritate, ordinatis, magna insuper agrestium* [*ut Speciem validi Exercitus Hostibus objiceret*] *auctus Turbâ, Agmen Exercitus sui Cursus magis, quam Itineris Modò, persequendo Imperatorem ducit, adeo, ut nec nocturnâ quidem Quiete, à diurnis reficerentur Laboribus. HENRICUM Romanorum Regem persequi, & cum illo decernere statuit. Quem cum in di-*

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

His Stativis uno tantummodo Milliari à WRATISLAVIA distantibus consecutus fuisset, ordinatis Aciebus, paucis Milites adhortatus: quatenus sua Nobilitatis & Originis memores, quam fortissimè pro Patria ac Libertate dimicarent, perpetuam Gloriam, si Orbis Terrarum Imperatorem, veterem eis Libertatem adimere, & TRIBUTIS eos subjicere conantem sternerent. Ibidem post pauca: *Concurrunt validissimo Impetu & Clamore utraque Acies, & utraque pro Victoria adnitente, durissimo Marte, dum mane Pugna cœpisset, usque ad Vesperam certatum est. Cadentibus ex utraque Parte pluribus Mortalibus sæpenumero Cæsareani Milites, cum Numero superiores essent, etiam in Pugna prævalebant. Nutabat Polonica Acies, plerique ex Pugnatoribus POLONIS spectabant ad Fugam, ni solicitè BOLESLAUS qualibet Loca circumiens & novos fessis substituens, suorum in Locis aliquot labentem Pugnam restituisset: & confirmatis suis, pulsis Adversariis, erectis Militum Animis, Prælium ex integro reparasset. In ipso autem Fervore Pugnæ, SILESIANORUM Militum Acies, quam in Subsidiis BOLESLAUS locaverat, ejus Iussu erumpens, in Latus Exercitus Imperialis, quam fortissimè potuit, impegit, & Ordines Almanorum* [Germanorum] *disrumpens, cæteris Militibus Pugnatoribusque Viam ad irrumpendum in Hostes & ad comprehendendum Victoriæ Bravium* [Brabeum] *aperuit.*

XXII. Hæc antiquiores ita commemorant: quorum Testimoniis recentiores contrarii non sunt. Id ê potioribus patebit, quorum Narrationes de hoc famosissimo intra Silesiam Prælio in medium afferemus. Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. IX: *In Furore autem Pugnæ, Dux BOLESLAUS Aciem SLESITANORUM, quam usque ad illud Tempus in Subsidiis reservaverat, in Latus Cæsareanorum quam fortissimè induxit, & Ordinem Cæsareanorum dirupit: tum Exercitus BOLESLAI esse melior, & Cæsaris fugere cœpit.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1109: de Henrico: *Soluta igitur GLOGOVIÆ Obsidione, ad interiora Poloniæ* [Silesiæ] *WRATISLAVIAM Urbem instructa Acie contendunt. Invadit a Tergo carpitque extremos Hostium BOLESLAUS, turbat Ordines, impedit Iter.* Ibidem post quædam: *Cæsar magno cum Labore & Cæde suorum ægrè in Conspectum WRATISLAVLÆ venit. Est*

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

Est circa WRATISLAVIAM latè patens Planicies. HENRICO Locus visus est peropportunus ad Dimicationem Prælii, & nostris propter levem Armaturam & Pernicitatem Equorum, Equitumque Multitudinem, quam Hostibus commodior. Iterum post quædam: *Prælium fermè ex Oriente Sole initum, duravit usque ad Meridiem. Et inclinabat quidem ad Hostes Victoria: reprimebantur nostri Equites gravi illorum Armatura, nec densas Peditum Phalanges perrumpere poterant, sed quasi in Murum incurrebant, majore suo, quam Hostium Detrimento: jamque audacius illi vicissim Signa inferebant: nutabant POLONI.* Iterum post quædam: *Ad extremum* [Boleslaus] *Cohortes aliquot SILESIORUM, facto Cuneo ab aperto Latere Curriculo in hostiles Acies invehi jussit. Quod ubi factum est, celeriter invadentibus nostris in adversos & inopinantes, perturbari cœpere Hostium Ordines. Nostri alacriores, mutuâ Significatione & Clamore se se cohortati, instare utrinque trepidantibus, nec Spatium colligendi se se dare. Acrius tamen adhuc à Fronte nostrorum Impetum sustinebant Hostes.* Alexander Guagninus in Poloniæ Chronicorum Compendio, de Boleslao III: *HENRICUS tamen Imperator magna Damna Polonis in SILESIA exercuit: quem cum BOLESLAUS ad Amicitiam justis Conditionibus perducere non posset, armato Polonorum Milite accinctus, in Aurora Impetum in Cæsareanos fecit, Distantia unius Milliaris à WRATISLAVIA Urbe SILESIÆ: sicque ad Vesperam usque acriter decertabant.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus: *Cæsar discedens GLOGOVIA, deflexit VRATISLAVIAM versus, eam etiam tentaturus. In Itinere BOLESLAUS confirmatis Auxiliis Sociorum subinde carpebat extremum Agmen Cæsaris, nec Die, nec Nocte Requiem illis concedens. Tandem, cum Exercitum Cæsaris multis parvis Præliis, Discessione Bohemorum & ex Contagiis esse factum imbecilliorem, cum eo justa Acie non procul à VRATISLAVIA conflixit. Fuit acerrima Pugna & dubio cum Eventu. Sed SILESII ex Insidiis adorti mediam Aciem Cæsaris, Ordines turbarunt, & fecerunt Inclinationem Prælii.*

XXIII. Ejusdem Prælii non ab omnibus æqualem in Modum narratur Eventus. Quidam nec HENRICO, nec BOLESLAO Palmam tribuunt. Inter quos ex antiquioribus est Albertus Stadensis in Chronico

ad

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

ad Annum 1109: *HENRICUS Rex* [Imperator] *Poloniam* [Silesiam] *cum Exercitu ingreditur, eaque vastata, revertitur.* Chronographus Saxo in Chronico ad Annum 1110: *HENRICUS Rex Poloniam cum Exercitu ingreditur, eamque Præda & Incendio depopulatus revertitur.*

XXIV. Alii BOLESLAUM victum, HENRICUM Victorem in Terras suas reversum commemorant. Inter hos est Huldericus Mutius in Germaniæ Chronico ad Annum 1109: de Bello inter Henricum & Boleslaum: *Pugnatur aliquoties multò utrorumque Sanguine: ad extremum verò vicit Imperator, Milite Germano fretus & Potentia sua.* Imo quidam scribunt, ab HENRICO Imperatore non tantum POLONOS victos, sed eorum quoque Ducem BOLESLAUM captum. De quo videantur, quæ proferemus §. XXVII.

XXV. Plerique Victoriam SILESIIS & POLONIS adscribunt: quam non nulli satis, imò nimis extollunt. Vincentius Kadlubko in Historia Polonica, Lib. III. Epist. XIX: *Exiles tamen & confractas eorum* [Cæsareanorum] *Reliquias mœsta recollegit Lemmania* [Germania]: *qui Vitam Cæsaris pro Munere, & Fugam coluere pro Triumpho.* Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1109: *Cæsar suorum Aciem inclinatam perpendens, illico suorum Monitu, in Fugam se* [*Insignibus Imperii, ne fugientem proderent, abjectis*] *convertit.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. IX: cum Cæsareanorum, ipsiusque Cæsaris Fugam describissiet: *In hunc Modum BOLESLAUS gloriosam Victoriam de HENRICO Imperatore strenuè reportavit, & tanquam Hannibal post Cannensem Pugnam est celebratus.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1109: *Ubi suos* [Cæsareani] *a Tergo cedere nostris urgentibus respexere, in Fugam sese omnes conjiciunt: in primisque Cæsar ipse, nequicquam revocare fugientes conatus.* Alexander Guagninus in Poloniæ Chronicorum Compendio: *BOLESLAUS autem cum fortiore Agmine POLONORUM & SILESIANORUM in Acies Cæsareanas a Latere irruit, totumque Exercitum dispersit, fugavit, & ad Internecionem prostravit, ut ipse Imperator Fuga sibi consulens, uno duntaxat Servo comitatus vix evaserit. Poloni verò Spoliis Exuviisque occisorum ditati, Victoria Pal-*

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS IV.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

Palmam obtinuerunt. Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus: *SILESII ex Insidiis adorti Cæsaris Aciem, Ordines turbarunt, & fecerunt Inclinationem Prælii, ita ut Cæsareani effusa Fuga dilaberentur. Ipse enim Cæsar abjectis Ornamentis ægrè evasit.* Ibidem post pauca: *Hæc referuntur in Chronicis Polonicis.*

XXVI. Locus, in quo Prælium hoc peractum fuit, Urbi VRATISLAVIÆ propinquus, à Multitudine Canum, quos occisorum non POLONORUM, sed GERMANORUM Hostium insepulta Corpora eò invitaverint, CANINUS CAMPUS dicitur appellatus: quibus Vocabulis etiam denotatur ibidem conditum Oppidum: quod Polonis PSIEPOLE, *Canum Planities*, HUNDESFELDA Germanis vocatur. Vincentius Kadlubko in Historia Polonica, Lib. III. Epist. XIX: *Superest Argumento Loci Appellatio, ad quem tanta Canum confluxerat Numerositas, qui tanto Cadaverum Esu in quandam Feritatem prorupere limphaticam, ut nullis illò pateret Commeatus. Ideoque CANINUM CAMPESTRE Locus ille nuncupatur.* Commentator vetus ad hunc Locum: *Quod quidem Prælium commissum est prope VRATISLAVIAM in Campo, qui modo CAMPUS CANINUS appellatur: Anno Domini M.C.X.* Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1109: *Tanta autem fuit in Certaminis Loco Cadaverum Copia, ut ex omni propinqua Regione Multitudo Canum illuc ad vorandas humanas Carnes concurrens, periculosum aliquanto Tempore omnibus parvo Comitatu illac proficiscentibus Iter efficeret. Unde & Locus ipse in hodiernum usque Diem CANINUS CAMPUS Vocabulum sortitus, Argumentum relatæ tunc per BOLESLAUM de Cæsare tam famosæ Victoriæ sua Nuncupatione renovat & conservat.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. IX: *Ad Locum autem Certaminis tanta confluxit ad Cadavera Canum Copia, ut Iter agentibus suo Morsu diu noceret. Idcirco usque in hodiernam Diem Vicus ille PSIEPOLE, quod sonat CAMPUS CANUM, nominatus est.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1109: *Campus, ubi pugnatum erat, plenus Cadaverum, acerbum & miserabile Spectaculum exhibebat. Ac nostri quidem conquisiti & sepulti sunt: Germani verò insepulti Canibus & Volucribus*

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.

SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

Esca jacuere. Inde cum eò tanta Vis Canum convenisset, ut difficilem Transitum præberet Iter facientibus, CANINUS CAMPUS à Polonis atque Germanis Locus ille dictus est: & in hodiernum usque Diem utràque Linguâ Nomen hoc is, qui ibi est, Vicus retinet. Abest autem uno à WRATISLAVIA Milliario. Alexander Guagninus in Poloniæ Chronicorum Compendio: *Adhuc Locus, in quo Conflictus erat, Polonicè PSIEPOLE, id est, CANINUS CAMPUS appellatur. Nam illic Multitudo Canum ad Cadavera humana confluxerat, ut multo Tempore vix prætereuntes transire possent.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus: *Partâ Victoriâ, Polonorum Cadavera sepulta sunt, sed Germanorum Bestiis discerpenda relicta sunt. Post paucos igitur Dies, cum numerosi Greges Canum eò undique accurrerent, & tanta eorum esset Rabies, ut Viatores tuto Locum illum prætergredi non possent: multi enim à Canibus lacerabantur: in utraque Lingua CAMPUS ille CANINUS dicitur, HUNDSFELD.* Hæc referuntur in Chronicis Polonicis. Nicolaus Henelius in Silesiographia, Cap. IV: *HUNDSFELDA, Hundsfeld, CAMPUS CANINUS, Oppidulum uno à VRATISLAVIA Milliario, eo in Loco situm, ubi HENRICUS V. Imperator, cum GLOGOVIAM diu, sed frustra obsedisset, à BOLESLAO Polono victus & fugatus, Anno M. C. IX.* Eadem Nicolaus Polius in Hemerologio Silesiaco ad Diem Augusti XXIV: & in Historia Incendiorum ad Annum 1109, Num. VII. commemorat.

XXVII. Est tamen, cur ab omnibus, quorum Testimonia protulimus, dissentire possis: si Chronicis MStis potius, quam editis habeas Fidem. Nam illa his contraria referunt: CAMPO CANINO, non ob Canum rabidorum Abundantiam, sed ob Germanorum fortissimorum Sævitiam, à Polonis, magnam ibi Cladem passis, Ducem BOLESLAUM Imperatori HENRICO captum dolentibus, Hostesque CANES vocantibus, inditum esse Nomen. Iohannes [cujus supra fecimus Mentionem Cap. III. §. XVIII.] in Poloniæ Chronico MSto: *Deinde* [Imperator Henricus V.] *in Campestribus WRATISLAVIÆ BOLESLAUM capit: Inducias dandis Pecuniis* [ad redimendum Boleslaum] *in Loco, qui dicitur PSIEPOLE, id est, CAMPUS CANUM: Tentoria Castrorum figit. Ubi dum per Dece-*

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.

SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

Deceptionem [Boleslaus] *captus fuisset, & multi suorum corruissent, POLONI ob Odium occisorum ibi, & Castrorum Loco Nomen præmissum indiderunt, THEUTONICOS CANES appellantes.* Franciscus Faber, ille Sabothi clarissimus Scriptor, in Silesiæ Chronico, quod Senatu Civitatis Vratislaviensis [cujus Notarius fuit] jubente consignavit, MSto: *Aber eine alte Schlesische Chronica sezt, das der Keyser HEINRICH BOLESLAUM, der sein Lager umb den HUNDSFELD gehabt, gefangen, die Polacken weidlich aufs Maul geschlagen: darumb solten die Polacken aus Zorn und Has, das es ihnen alda so ubel ergangen, den Flecken das HUNDSFELD genennet haben.*

XXVIII. Præterea, tum ob magnam in SILESIA subsistentium Convenarum ex Germanis Saxonibus, Bavaris, Suevis, Thuringis, Francis, Misnensibus, Bohemis & aliis [de quibus egimus §. VIII.] Copiam, SILESIOS, antea POLONOS appellatos, primum SLEZACOS, id est, ê multorum Confluxu ortum Populum, Linguâ Polonicâ dictos: unde postea SILESIORUM Nomen provenerit, non nulli commemorant. Horum Opinioni, cujus Autor videtur, subscribit Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI. ad Annum 1163: *SILESIÆ vero Nomen*, inquiens, *à Confluxu multorum Populorum inditum esse videtur: sive tunc, sive aliquantò prius, nempe postquam Sbigneus nothus Vladislai primi Principis Filius cum Boëmis & Saxonibus eam Oram invasit, ita ut SILESII sive SLEZACI quasi Convenæ dicantur Linguâ Polonicâ.*

XXIX. Nos eam SILESIORUM Nominis, multò vetustioris, Originem fictam ostendimus in Antiquitatibus de Silesiorum Nominibus, Cap. VI. Cæterum, quemadmodum SILESIIS certos clarosque Natales, non tantum in Antiquitatibus de Silesiorum Majoribus, potissimum Cap. XXI: verum etiam supra in hoc Libro, Cap. I. §. XXXVIII, & subsequentibus, contra dissentientium vanam Sententiam demonstravimus: ita minimè par esse statuimus, attribuere SILESIIS hodiernis, per obliquam Nominis Originem, dubios obscurosque Progenitores.

XXX. SILESIIS, maximè GLOGOVIENSIBUS hoc Bello multum POLONI debuerunt. Nam si Polonos Silesii periculosissimo Rerum

ANNO 1109.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

Statu, quem in antecedentibus delineavimus, deſerere maluiſſent, ad Germanorum, tanquam & vicini, & cognati Populi, cum quô multis Sæculis, ante Slavorum in Teutonicas Regiones Adventum, cohæſerant, tranſituri Partes: omnino, quantum ê Circumſtantiis colligi poteſt, Polonicô abjectô, Germanicum Imperium ſolum, & faciliter, & feliciter ſubire potuiſſent. Æquum proinde fuit, ut POLONIS, ob tam memorabilem Conſtantiam, & tam opportunum Auxilium, eô gratior eſſet, tum SILESIORUM Populus, tum GLOGOVIENSIUM Civitas. De quo Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1109: *GLOGOVIENSES ſiquidem erga BOLESLAUM Principem ſuum tam fervido Cordis ferebantur Affectu, & tam firmam Conſtantiam Fidemque monſtrarunt ſinceram, ut maluerint & Perſonas & chariſſima Pignora graviſſimis ſubjicere Periculis, quam ad hoſtilem Deditionem detorqueri. Unde non immerito eorum Fides & ſincera Devotio, etiam in hanc Diem apud Polonos honorifico ſidere fulgent.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus: *Civitas GLOGOVIENSIS propter hanc Fidem & Conſtantiam erga Polonos multis Sæculis poſt ſemper Genti illi fuit cara.*

ANNO 1110.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

XXXI. Poſt illud in Canino ad VRATISLAVIAM Campo inter Imperatorem HENRICUM & Ducem BOLESLAUM notabile Prælium, Pax diverſô impetrata Modô narratur. Nam, primô ſunt, qui Pacis hujus Autorem BOLESLAUM ſtatuunt. HENRICUS in Germaniam ſuam reverſus, convocatis undique Copiis parabat novam Expeditionem, quâ Polonos, jam Bello fractos, valentiore Manu oppugnandos ſubigeret: acceptam illatâ porro ulturus Cladem. Quem in Finem miſſis Nunciis Germanos ê nobilioribus captos, citra Pretium, à Polonis reddendos exigebat. BOLESLAUS igitur, fidô Amicorum Conſiliô admonitus, propenſum ad Concordiam Animum, ne Diſcordiâ ſibi majus attraheret Malum, Literis HENRICO patefaciebat: ſe priores, Imperatoribus Romanis, & Polonis Ducibus placitas, Conditiones [per quas illis ad Obſequium & Tributum hi obligabantur] amplexurum. Cyriacus Spangenbergius in Saxoniæ Chronico, Cap. CCXII: ad Annum 1110: *Als Herzog BOLESLAF ſo einen blutigen Sieg, mit groſſer Verluſt der Seinen, erobert hatte, und erfahren muſte, es mœchte der Keyſer ſich in Teutſchland ſtercken, und mit groſſer Macht, denn zuvor, ihn uberziehn, den emphangenen Schimpf und Schaden zu rechen: ſonderlich, weil ihm auch gewiſſe Zeitung von neuer Ruſtung und Beſtallung aus Teutſchland zukommen: und der Keyſer darzu an ihn geſandt hette und begeret, die gefangenen Teutſchen Adelsperſonen und andere Kriegsleute, ohne Entgeltnus, ihm wieder los zu geben: hat er, auf guter Leute Rath und Anregen, an den Keyſer geſchrieben, und ſich erbotten, mit ihm Bundnus und Friedſtand [wie der zuvor zwiſchen den Rœmiſchen Keyſern und den Kœnigen und Herzogen zu Polen geweſen] aufzurichten und zu erhalten.*

XXXII. Deinde ſunt, qui Pacis ejusdem Autorem HENRICUM indicant. Ex horum Mente, Circumſtantiis non nihil mutatis, HENRICUS ad Ultionem quidem à Polonis capiendam, ſimul tamen ad Italicum Iter ſuſcipiendum propenſiſſimus, Militiæ Primores nuperrimè captos, adhuc in Polonia detentos, ſuo & illorum, tam Dedecori delendo, quam obtinendo Commodo, repetebat. Eadem Occaſione ſatis opportunâ, Germanicas, Poloniæ vicinas, Provincias ſuas, dum abeſſet, Polonis devaſtandas non relicturus, BOLESLAO per ſubornatos Deſiderium Pacis, quam petenti non denegaturus eſſet, aperiebat. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1110: *Cladem apud WRATISLAVIAM in PSIEPOLE, Vico ignobili, HENRICUS Rex, Romanorum Imperator, acceptam, etſi moleſtiſſimè ferret, alteram quoque in Poloniam meditaretur Expeditionem, Ignominiam ſuorum deterſurus, Negotiis tamen Imperii & Itinere, quod pro ſuſcipienda Imperiali Corona Anno futuro Romæ faciendum erat, avertebatur: ſimul, quod BOLESLAI Ducis Polonorum Animum expertus probè noverat, aut ſecum congreſſurum, aut, ſi congredi propter Imbecillitatem metueret, Exercitum ſuum gravibus Diſpendiis & Incommodis clandeſtinis, & ſubitis Incurſionibus laceſſiturum. Vere-*

ANNO 1110.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

batur insuper, ne se absente BOLESLAUS Polonorum Dux suas & Imperii Terras naturales, Regno Poloniæ vicinas, in Ultionem Belli à se contra Poloniam gesti, invadens vastaret atque exueret. Multorum etiam sui Imperii nobilium Militum, qui superiori Bello per BOLESLAUM Ducem Polonorum captivitati erant, ipsum vexabat Detentio: quos, antequam Romam iret, solvere magnopere, ne eorum Captivitas in majorem suam ignominiam recideret, satagebat. His Curis maximè vellicatus atque distentus, secundiorem compendiosioremque Partem assumens, Pacem à BOLESLAO Polonorum Duce, superiori Anno petitam, & à se negatam, dare eidem suadentibus id Consiliariis, disposuit. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V: *Cum HENRICUS Cæsar acceptam à Polonis apud Caninum Campum Cladem ulciscì in sequenti Æstate pararet, minus alacres Militum Animos ad eam Expeditionem habuit: & Res Italicæ præterea eum ab illa Cogitatione avertebant. Verebatur autem, ne se in Italiam profecto, Poloni Vicinam sibi Germaniam infestis Armis invaderent. Adhæc sciebat, multos nobiles & egregios Tribunos Militum, Centuriones, Turmarum & Alarum Præfectos, quorum præclara Opera in illa Italica Expeditione uti posset, captivos à Polonis detineri. Et Pacem quidem cum BOLESLAO facere cupiebat: sed offerre eam ultro, quam dudum à se petitam negarat, turpe ducebat. Tandem communes Amicos subornavit, qui BOLESLAO persuaderent, ut ipse eam à Cæsare peteret, ac de Voluntate ipsius illi prolixè pollicerentur.*

XXXIII. BOLESLAUS seu propriò & spontaneò, seu alieno & commendato adductus Consilio, ad HENRICUM, Bambergam, Orientalium Francorum Urbem, longissimo, plus minus octoginta Milliarium Germanicorum, Itinere contendebat, expeturus Pacem. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1110: de Henrico: *Quod* [ineundæ Pacis Negotium] *ut honestius proveniret, per communes egit Amicos, ut BOLESLAUS Polonorum Dux mutatum Animum Cæsaris intelligeret, & ad se in Bamberg personaliter veniret, neque Pacem, neque Amicitiam, neque quicquam aliud se dignum sibi negaturum. Diu ad Cæsarem ire BOLESLAUS Dux Polonorum deliberans, multis tamen suis & Domini sui Utilitatibus, quæ ex Profectione sua secuturæ erant, pensatis, in Apparatu suo pulcherrimo ad HENRICUM Romanorum Regem in Bamberg venit, & Verbis honestis atque ad persuadendum compositis, eam Pacem petiit, quæ sibi & Genti suæ non in Infamiam, sed in Gloriam & Decus verteretur.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. V: *Vicit Animum suum BOLESLAUS, ut ipse ad Cæsarem Babenbergam, quæ Urbs est Franconiæ, splendido Apparatu & Comitatu proficisceretur. Adveniens comiter & honorifice acceptus est à Cæsare.*

ANNO 1110.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

XXXIV. Obtenta Pacis Conditio præcipua fuit Renovatio Pacti, quod Imperator OTTO III. cum BOLESLAO I. Polonorum Duce quondam confecerat. Ad cujus Pacti Leges BOLESLAUS III. Polonorum Dux ab HENRICO V. Imperatore in Gratiam receptus, Imperii Romani Amicus habebatur. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1110: *Orabat deinde BOLESLAUS Cæsarem, ut illum Amicum Imperii sui, quam Hostem habere malit. HENRICUS Rex BOLESLAO benignè appellato, & omnem Indignationem ab Invidia, contra illum apud se concitatam, se illi offert, liberaliter remissurum, & cum inter Principes Catholicos justo Honore, velut suum & Imperii Amicum habiturum, & quæcunque honesta petere vellet, largiturum.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V: *Ibi* [Henricus & Boleslaus] *multis inter se Sermonibus habitis, & Causis Offensarum & Inimicitiarum discussis atque sublatis, Pacem inter se fecerunt æquis Conditionibus. Renovantur vetera Primi BOLESLAI cum OTTONE Tertio Imperatore Fœdera.*

XXXV. Illud Pactum, quod Imperator OTTO III. cum BOLESLAO I. Polonorum Duce fecerat, ab HENRICO V. Imperatore cum BOLESLAO III, Polonorum Duce non totum, sed eâ solum Parte fuit renovatum, quâ, sicut BOLESLAUS I. ab OTTONE III: ita BOLESLAUS III. ab HENRICO V. fuit AMICUS IMPERII ROMANI habitus; non secundum cæteras Conditiones, quatenus BOLESLAUS I. Polonorum Dux ab Imperatore OTTONE III. simul & Polonorum REX, & in posterum tam ab OBSEQUIO, quam TRIBUTO, ad quod Imperio Romano præstandum antea tenebatur, solutus declarabatur. Sanè universum hoc Pactum, non OTTONIS III, sed BOLESLAI I. Culpâ mox destructum pro nullo habebatur:

ANNO 1110.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

tur: quemadmodum Cap. VIII. §. XXI. indicavimus. Hinc BOLESLAUS I. ab Imperatore HENRICO II. quem OTTO III. Successorem habuit, sub priorem Conditionem redactus, Romano Germanorum Imperio subesse cogebatur. Ex quo Tempore nullus Polonorum Dux ad BOLESLAUM III. vel à Tributo, vel ab Obsequio Germanis præstando, seu unicè, seu maximè propter SILESIAM, Germaniæ quondam ereptam Provinciam, prorsus fuit exemtus: ut ex antecedentibus constat.

XXXVI. Quare subleſta Fides Scriptoribus iis est, qui GERMANIS unquam POLONOS seu ad Obsequium, seu ad Tributum obligatos fuisse, nimis, ut generaliter, sic audacter negant: speciosis, quibus Assertionem suam exornant, confidentes Coloribus. In Exemplum ex antiquioribus adducemus Ioannem Dlugossum, qui BOLESLAUM III. Polonorum Ducem ad HENRICUM V. Imperatorem dixisse narrat in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1110: *Se de Sanguine Regum Poloniæ satum, omnia communia cum Regibus, præter Nomen, retinuisse. Scire se & Poloniam, & ejus Reges atque Principes nunquam Tributis servivisse, sed plena semper Libertate usos in eam Diem fuisse: pro qua tenenda servandaque, & Arma Necessitate impulsum sumsisse, & contra Cæsarem dimicasse: prius quoque omnia se, & Gentem suam extrema passurum, quam Regnum suum & Gentem Tributis dediturum.* Eadem Matthias Michovius in Poloniæ Chronico tradit, Lib. III. Cap. X.

XXXVII. At omnino [ut aliis nunc abstineamus Argumentis] BOLESLAUM III. Polonorum Ducem ab Imperatore HENRICO V. in Pacis Legibus ad priscam & Tributi, & Obsequii Conditionem, si non ob alias etiam, Polonis addictas Provincias, certè ob SILESIAM, revocatum fuisse, docet Imperatoris HENRICI V. Successor LOTHARIUS Saxo. Nam in Bambergensibus Comitiis BOLESLAUM III. ad se vocatum [à quo Tributi, quod ad Annum 1122 solverat, residuam Partem ad Annum 1134, & poscebat, & accipiebat] Romano Germanorum Imperio ad perpetuam Subjectionem Fide juratâ obligabat. De quo videantur, quæ proferemus, ad Annum 1135, §. LIII.

XXXVIII. Cæterum, in Pacis Stabilimentum, omnes, ut BOLES-

ANNO 1110.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

LESLAUS HENRICO retentos captivos, sic HENRICUS BOLESLAO Terras subactas restituebat. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1110: de Boleslao: *Omnes captivos Almanorum* [Germanorum] *in Prælio & Guerra* [Bello] *captos HENRICO Regi Romanorum remisit: magnaque extunc & deinceps Pacis Charitatisque Amœnitas inter Dominia Imperii & Polonorum Terras, eorumque subditos viguit: & HENRICUS Romanorum Rex Castris & Terris in Polonia conquisitis, & signanter Castro Lubusz, quod ab eo in Dominationem perpetuam Maideburgensis Archiepiscopus acceperat, expresse renunciavit.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V: de Boleslao: *Captivos Cæsari liberaliter remisit, & ab eo vicissim Oppida capta superiore Bello recepit.*

XXXIX. Ex Franconia in Silesiam reversus BOLESLAUS Glogoviam, cujus invictâ Constantiâ mirum in Modum oblectabatur, Præsentiâ suâ recreatam, singulari Providentiâ reparabat. Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus: *BOLESLAUM reversum à Cæsare, reperio aliquandiu commoratum esse GLOGOVIÆ: quam Urbem quassatam priori Bello restituit & ornavit.*

ANNO 1112.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

SILESIORUM per SBIGNEI Poloni
Bohemicos Milites Oppugnatio.

XL. Dum BOLESLAUS Pomeranos & Borussos per Mazoviam Prædis & Incendiis grassantes, Ope Magni Comitis, olim Silesiorum, tum Mazoviorum Præfecti, coercet: SBIGNEUS, Boleslai Frater nothus, Exsul in Bohemia, per Milites in Rapinam missos SILESIAM devastat. Eos, in justam erecti Ultionem Silesii aut Vitâ privant, aut Carceri tradunt. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1112: de Pomeranis & Borussis subactis locutus: *Eadem Fortunæ Facies apud SILESIENSES affulsit: qui Zbignei Milites & Satellites, Prædas & Spolia apud eos agentes & Incendia, singulari Certamine superatos aut exstinxerunt, aut in Captivitatem*

ANNO 1112.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

vitatem diram conjecerunt. Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib.III. Cap. XI: *Similis Victoria eodem Anno obtigit SLESITANIS: qui Satellites Sbignei Fratris naturalis Boleslai, SLESIAM deprædantes conflixerunt, & in Vincula dira conjecerunt.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ad Annum 1111: de Boleslao III: *Ad quod* [Bellum Prutenicum] *cum Anno sequenti esset profectus, interea Agmen quoddam prædabundum â Sbigneo emissum SILESIAM afflixit: quod tamen Virtute Incolarum deletum est.* Ejusdem Irruptionis meminit etiam Nicolaus Polius in Historia Incendiorum ad Annum 1112.

ANNO 1114.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

SILESIÆ Glacensem Regionem, BOHEMIS subjectam,
BOLESLAUS oppugnat & devastat.

XLI. Sobieslaum, Uladislai Bohemorum Ducis ejectum Fratrem, in Bohemiam reducturus, BOLESLAUS oppugnabat Uladislaum: â quô Sbigneus, Boleslai Frater nothus; ê Polonia pulsus, defendebatur. Tum SILESIÆ Glacensem, & Urbem, & Terram [quam Silesiis, Boleslaum I. Ducem habentibus, Anno 1007, à Boleslao III. Bohemorum Duce raptam, ad eundem Annum, Cap. VIII. §. XXX. indicavimus] Bohemis subditam, BOLESLAUS Polonis exurendam depopulandamque concedebat. Ioannes Dlugossius in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1114: *Oppido KLOCKO* [Glacio] *& Villis Vicisque in Circuitu Igne consumtis, rectiori Via in Poloniam itum est, Depopulatioque Agrorum & Villarum non intermissa, Militum speciali Catervâ eos, qui ad populandum Agros urendumque recta decurrerent, providè tutante.* Ioannes Dubravius in Historia Bohemica, Lib.XI: *Ne tamen à Maleficio intactam Poloni, vel post Fugam, relinquerent Bœmiam, GLACIUM prætereuntes, Ædificiis, quæ circum Mœnia erant, Ignem subdunt: unde mox totum arsit.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. V: *Eum* [Sbigneum, respondit Uladislaus] *si BOLESLAUS in Par-*

ANNO 1114.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

Partem Principatus â Patre attributam restituat: neque se recusaturum de Sobeslao. BOLESLAUS, cum nihil impetraret, Boëmiam cum infesto Exercitu ingreditur: obvia quæque vastat, CLOSCIUM Oppidum exurit, & in Prædam dat Militibus: nequicquam, ne id faceret, orante Sobeslao.

ANNO 1115.

GERMANORM Romanus Imperator HENRICUS V.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

BOLESLAI cum Uladislao Bohemorum Duce
Pax intra SILESIAM composita.

XLII. Post hæc, inter BOLESLAUM Polonorum & Uladislaum Bohemorum Duces, ob Sobieslaum Uladislai Fratrem, â Terris Bohemicis omnibus in Patrimonium postulatis excluſum, intra Poloniam Exsulem, quem Boleslaus defendebat, alterum parabatur Bellum. Huic Uladislaus impar, Conditiones Pacis æquas Boleslao per Legatos offerebat. Ea, præsentibus Boleslao, Uladislao & Sobieslao, ad Fluvium NISSAM intra SILESIAM componebatur. Cosmas Pragensis Decanus in Bohemiæ Chronico, Lib. III. ad Annum 1115: *Ejusdem Anni Mense Iulio, Dux Wladislaus & Frater ejus Otto & Sobeslaus, juxta Fluenta Amnis NIZZAM cum Duce Poloniorum Boleslao in dictum conveniunt ad Placitum, atque inter se datis & acceptis Sacramentis confirmant Fœdera Pacis.* Ioannes Dlugossius in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1115: *Ad inferendum alterum Bohemiæ Duci Wladislao Bellum, Boleslaus Polonorum Rex Expeditionem Militibus indixerat, non prius quieturus, donec Sobieslaus alter Dux Bohemiæ apud eum in Polonia exsulans, in Ducatus Bohemiæ Sortem æquo Iure admissus esset. Quod cum Wladislaus Bohemiæ Dux agnovisset, neque enim eum pluribus Bohemis in Polonia pro Exsulibus manentibus futuri Belli Bohemiæ inferendi latere poterat Apparatus: mittit ad Boleslaum Polonorum Ducem Nuncios, offerens Pacis æquas Conditiones, & pollicens sub illis, Sobieslaum Fratrem suum ad certam Sortem Ducatus Bohemici admissurum.* Ibidem post quædam: *Cum de Die & Loco inter Wladislaum Bohemiæ Ducem & Nuncios Boleslai Polonorum Ducis convenisset, pro Die S. Procopii ad Flumen NISSA, tam Wla-*

ANNO 1115.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.

SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

dislaus Bohemiæ Dux, quam Sobieslaus cum Boleslao Polonorum Duce conveniunt, Pacemque ſtatuunt, firmant, & corporali interpoſito Sacramento roborant. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib.V: ad Annum 1115: *Cum parari rurſus in ſe à Polonis Expeditionem Wladislaus Bohemus accepiſſet, fractus Animô, de Pace Legationem ad Boleslaum mittit, Sobeslao Fratri Partem Principatus & Oblivionem ſuperiorum Offenſarum promittit: conſtitutoque Loco ac Tempore conveniunt Principes apud NISSAM Fluvium. Ibi Pax inter Fratres & Ottonem Marchionem Moraviæ Patruelem, quem Wladislaus paulo ante è Carcere dimiſerat, Autore Polono, certis Conditionibus atque Iurejurando utrinque dato, redintegrata eſt.*

ANNO 1120.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.

SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

SILESIORUM Epiſcopus XI. VRATISLAVIENSIS,

IMISLAUS LESCITA, Polonus.

XLIII. ZYROSLAUS primus, Vratislavienſis per XXVIII Annos Epiſcopus, Vratislaviæ mortuus, ibidem intra S. Iohannis Inſulam in Cathedrali Templo ſepeliebatur. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1120: *ZIROSLAUS Wratislavienſis Epiſcopus ſolvens Naturæ debitum Wratislaviæ moritur, & in Eccleſia Wratislavienſi ſepelitur, cum Annis octo & viginti Eccleſiam Wratislavienſem providè & modeſtè rexiſſet.*

XLIV. Eodem Anno, Calendis Novembris, præcipuô Ducis BOLESLAI Suffragio, ſimùl per Legatos & Literas expoſitô, Vratislavienſibus Canonicis conſentientibus, deſignabatur ZYROSLAO Succeſſor IMISLAUS, aliis YMISLAUS, etiam vel HAIMO, vel HEIMO, vel HEYMO dictus, Natione Polonus, Genere Nobilis, è Familia LESCITARUM, quibus, ob Acervum in Inſignibus, Cognomen ACERVORUM erat impoſitum. Ioannes Dlugoſſus in Epiſcopis Vratislavienſibus MStis, Num. XI: *Prima Die Menſis Novembris pro Electione inſtituta, Vratislavienſes Capitula-*

ANNO 1120.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V.

SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

lares IMISLAUM, alias HAYMO nuncupatum, per Viam Scrutinii à majori Parte deſignatum, electum pronunciant. Genere hic Polonus erat, nobilem Stirpem ex Domo & Familia LESCITARUM, Acervum pro Inſigni deferentem, ducens. Et in Hiſtoria Polonica Lib. IV. ad Annum 1120: *In ejus* [Zyroslai] *Locum per Calixtum ſecundum HEYMO, alias IMISLAUS, Natione Polonus, de Domo LESCITARUM, alias ACERVORUM ſucceſſit: Duce Polonorum BOLESLAO ejus Perſonam per Nuncios & Literas, velut unico Patrono, promovente.*

XLV. Solenniter, intra Poloniæ majoris Oppidum Znenam, per Iacobum primum, Gneſnenſem Archiepiſcopum, cujus Ditioni Znena ſuberat, conſecrabatur. Ioannes Dlugoſſus in Epiſcopis Vratislavienſibus MStis, Num. XI. de Imislao: *Fuit autem in Eccleſia ſua per Iacobum primum, Gneſnenſem Archiepiſcopum, annuente BOLESLAO, totius Regni Poloniæ Principe & Monarcha, licet difficulter, apud Znynam confirmatus, & ipſe IMISLAUS ibidem in Vratislavienſem Epiſcopum conſecratus & ordinatus eſt.*

XLVI. Pro Sæculi ſui Genio eruditus, ad Caſtitatem Viris Eccleſiaſticis prævius, in Levamentum egenis ſuggerendum promtus, ad Votum liberali Manu liberalibus Animis reſpondebat. Idem Dlugoſſus ibidem: *Vir Literaturæ ſimplicioris, ſed Vitæ pudicæ & virtuoſæ, Oſor Avaritiæ, liberalis erga pauperes, munificus, Eccleſiæ Proventus ad Utilitatem & pauperum Neceſſitatem convertens.* Ibidem poſt quædam: *Caſtam Vitam ducentium Eccleſiaſticorum benignus Fautor & Amator.*

SILESIORUM Collegii GLOGOVIENSIS

Canonicorum Origo.

XLVII. In quoddam ſingularis & Fortitudinis & Conſtantiæ, quâ GLOGOVIENSES Anno 1109 [ut §. XI. & XV. indicavimus] Obſidionem Imperatoris HENRICI V. ſuſtinuerant, Præmium, BOLESLAUS Dux poſtea GLOGOVIAM, quam ad alteram Viadri fœcundiorem jucundioremque Ripam collocabat, & ornatiorem, & ampliorem reddebat. Ibi, cum Annus 1120 ageretur, ut in Eruditionis Pietatisque conſpectius inter

ANNO 1120.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V. SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

SILESIOS Augmentum, novam Canonicorum Societatem constitueret, quam Collegio Canonicorum VRATISLAVIENSI, tanquam Corpori Partem, connectebat, Consilio & Impulsu IMISLAI Episcopi Vratislaviensis adducebatur. Ioannes Dlugossus in Episcopis Vratislaviensibus MStis, Num. XI: quod Duci BOLESLAO adscribendum erat, Episcopo IMISLAO adscribens: *GLOGOVIÆ majoris Collegium primo fundavit: cui Duces postea ibidem quasdam Præbendas addiderunt.* Rectius Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ubi de Glogoviensium Rebus speciatim agit: ad Annum 1110: *Tunc igitur* [Boleslaus] *Urbem ex illa Loci Angustia, quæ Frequentiam Civium non bene capiebat, & ex illo Sabulo transtulit in hanc Ripam uberiorem & amœniorem. Descripsit Formam Urbis ampliorem, eamque ut ornaret, & Cœtibus Religiosorum augeret, assentiente & juvante HATMO Episcopo Vratislaviense, instituit Collegium Sacerdotum ad Doctrinam & Exercitia Pietatis: illudque cum Vratislaviensi, tanquam cum suo Corpore, conjunxit.* His consentientia memorant, Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. III. Cap. II. Num. XI. & Gotfridus Ferdinandus Buckisius in Ecclesiasticæ Silesiorum Historiæ Prolegomenis, Cap. I. §. XX.

ANNO 1123.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V. SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

VOISLAI, GLOGOVIENSIUM Præfecti, Auxilium Adversus Latrones Peregrinatoribus præstitum.

XLVIII. Sobieslaus, Vladislai Bohemorum Ducis Frater, in Exsilium depulsus, ad BOLESLAUM in Poloniam mittebat Stephanum Comitem, omnium Consiliorum suorum participem. Hic, cum per Silvam inter Lusatiam & Poloniam, hoc est, intra Silesiam Iter faceret, in Latrones armatos quinquaginta incidebat. Ipse Propugnatoribus non nisi quatuor præditus, memorabili cum Hostibus Certamine, quorum alios trucidaverant, alios vulnaverant, Vitam sibi suisque conservabat. Ex quibus Presbyter profugus à GLOGOVIENSIUM in Silesia Præfecto ad Viadrum VOISLAO Auxilium Stephano impetrabat. Stephanus, ex mediis

Bo-

ANNO 1123.

GERMANORUM Romanus Imperator HENRICUS V. SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

Boberi Aquis, in quas projectus ab Adversariis erat, ad Frutices hærens, ab Interitu quidem liberabatur, sed jam Morti præparatus, GLOGOVIAM, velut ex Naufragio in Portum, cum semivivis Sociis transferebatur: ubi supremum Fatum obibat Die Maji XXX. Cosmas Pragensis in Bohemiæ Chronico, Lib. III. ad Annum 1123: de Sobieslao: *Et exinde misit ad Poloniæ Principem, Stephanum Comitem: per hunc enim sua omnia disponebat Consilia. Qui cum transiret Silvam, quæ est inter Saxoniam & Poloniam* [id est, ut Res ipsa docet, Lusatiam & Poloniam, in Silesia] *incidit in armatas Latronum Manus. Qui à longe stantes inquiunt ad eos: Parcimus & miserescimus vobis, atque concedimus Vitam: ite vestram cum Pace Viam. Equos autem & omnia, quæ portatis, linquite nobis. Neque enim pauci multis resistere aut fugere quitis. Quibus Stephanus imperterritus, Parvum, inquit, date Spatium inire Consilium.* Ibidem, cum Stephanum & Socios Fidei Barbarorum diffidentes, maluisse potius extrema subire, quam se tam dubiæ Sorti committere, narravisset: *Quos ut viderunt pagani magis ad Pugnam, quam in Fugam aptare Arma, repente irruunt super eos. Fit monstruosa Pugna inter quinque Ancilia & inter quinquaginta fortium Scuta. Presbyter autem ex iis, cui Animas suas commendaverant, habens Arcum & Pharetram, fugit. Quem unus ex Latronibus videns Virum inermem, insequitur fugientem. At ille non valens evadere, misit retro Sagittam, & percussit Equum in mediam Frontem, ceciditque Equus & Ascensor ejus retro. Sicque solus Presbyter evasit, & nunciavit in Urbe* GLOGOII, *quæ facta fuerant. Præfectus autem illius Urbis, Nomine VOYZLAI, cum multis accelerans illuc armatis, invenit Stephanum semivivum in media Aqua Boler* [legendum, Bober] *super Frutices hærentem. Nam barbari, ut viderunt multos de suis interfectos, & alios vulneratos, irati valdè præcipitarunt eum in prædictum Fluvium. Quem præfatus Præfectus suscipiens, & ejus Socios adhuc semivivos, tulit in Castrum suum: ibique Stephanus tertia Calendas Iunii, Dominica Die, moritur.*

ANNO 1125.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

SILESII Romano GERMANORUM Imperio ſubjecti.

XLIX. GERMANIS poſt Henricum V. LOTHARIUS II. Cognomento SAXO, ab Anno 1125 ad 1137 Imperator: SILESIIS Poloniſque porro Dux BOLESLAUS III, Cognomine DISTORTUS ad Annum 1139 præerat. Tum etiam, id eſt, Imperatori Lothario SILESIOS fuiſſe tributarios, imò ſubjectos, indicabunt, quæ poſtea proferemus de Lothario II. & Boleslao III, ad Annum

ANNO 1126.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

SILESIORUM Epiſcopus XII. VRATISLAVIENSIS
RUPERTUS KORABITA, Polonus.

L. IMISLAUS, aliis HEIMO, Sileſiorum Epiſcopatu Vratislavienſi per Annos ſex ad 1126, fungebatur: quò Vratislaviæ ſuum obibat Diem. Exſtincti Provinciam ſuſcipiebat RUPERTUS, aliis ROBERTUS, Stemmate KORABITA, Gente Polonus, nobili Ortu progenitus, inter Canonicos hactenus Vratislavienſis Eccleſiæ Cuſtos. Dignitatem ſuam Epiſcopalem debebat non tantum Canonicis, Die XIV. Auguſti electus: verum etiam BOLESLAO Duci, cujus Favor Eccleſiaſticis Calculis politicum addebat Pondus. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1126: *In cujus* [Heimonis] *Locum, BOLESLAO Polonorum Principe fævente & conſentiente, ROBERTUS, aliàs ROPETIUUS, Cuſtos Wratislavienſis, per Electionem Capitularem, Viâ Scrutinii celebratam, ſuccedit.* Ibidem poſt quædam: *Polonus Genere, ex Familia KORABITARUM ortus.* Et in Epiſcopis Vratislavienſibus MStis, Num. XII: *Prælati & Canonici Vratislavienſes in Locum defuncti IMISLAI Epiſcopi ROBERTUM, Cuſtodem Vratislavienſem, Scrutinio ſervato, Die decima quarta Menſis Auguſti, unanimiter eligunt.* Ibidem poſt quædam: *Natione Polonus, de Domo & Familia Militum* [Equitum] *Poloniæ, qui Galeam ſive Navem magnam marinam pro Inſigni deferunt, ducens Ortum.*

LI.

ANNO 1126.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

LI. Eum Iacobus primus, Gneſnenſium Archiepiſcopus, in Poloniæ majoris Urbe Caliſſio, uſitatis Cerimoniis Ornamentisque ſolenniter conſecrabat. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1126: *A Iacobo primo, Gneſnenſi Archiepiſcopo, BOLESLAO Duce Poloniæ & Monarcha in Electionem ſuam conſentiente, in Opatow confirmatus, & in Caliſienſi Eccleſia conſecratus.* Et in Epiſcopis Vratislavienſibus MStis, Num. XII: de Ruperto: *Cujus Electionem Iacobus primus, Archiepiſcopus Gneſnenſis, de Voluntate BOLESLAI, Principis & Monarchæ totius Regni Poloniæ, qui victorioſus & Krzywousky, id eſt, curvatum Os habens, appellatus eſt propter Curvitatem Oris, in Oppido Willagio exſiſtens ſive continens, faciliter confirmat. Munus deinde Conſecrationis in Eccleſia Caliſchenſi ſuſcepit.* Videantur, quæ dicemus ad Annum 1141, Cap. XI. §. XI.

ANNO 1132.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

SILESIÆ Regionem VRATISLAVIENSEM Sobieslaus
Bohemorum Dux oppugnat & devaſtat.

LII. Hungari mortuo Stephano Regi Belam dederant Succeſſorem, poſthabitis Filiis relictis. His, patriò Regnò defraudatis, ſuis ex Sorore Nepotibus, BOLESLAUS in Auxilium venturus, debellabat Hungaros. Hungaris autem Suppetias laturus Sobieslaus, olim Exſul, tum Bohemorum Dux, à Polonis per Triennium & ſuſtentatus, & defenſus, adverſus eos ingratiſſimus, in SILESIAM irrumpebat, Terramque VRATISLAVIENSEM hoſtili Devaſtatione graviter affligebat: denique, priusquam BOLESLAUS, id ulturus, ex Hungariâ in Poloniam rediret, cum Spoliis repetebat Bohemiam. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1132: *Ad Budam ergo BOLESLAUS Rex Polonorum Exercitum ſuum ducturus, jam penè medium Iter exegerat, cum Sobieslaus, Bohemiæ Dux, Iuris Hoſpitii, Iuris quoque Affinitatis, quâ BOLESLAUM Poloniæ Ducem contingebat, oblitus, Fœdere cum Bela Hungariæ Rege icto, ſatisfacturus,*

ANNO 1131.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.

SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

Poloniæ Regnum ingressus, illud in WRATISLAVIENSI Regione pervastat, depopulatur & exurit. Quod novum ad BOLESLAUM in Hungariam perlatum, diu, quid ageret, quove Exercitum verteret, deliberantem in ambiguo tenuit. Vicit tandem vicinior & utilior Causa, Polonis quoque omnibus satius propria, quam aliena tueri conclamantibus, ex Hungaria reditum est, non sine Filiorum Stephani Regis, qui & ipsi in Castris jam tunc cum eo militabant, magna Tristitia & Mœrore. Ac contra Sobieslaum Bohemiæ Ducem directiori Viâ, Hungariâ relictâ, eundum erat. Sed Agmen grave, longum etiam Terrarum Spatium emensum tardius progressum, Sobieslao Bohemiæ Duci Spatium dedit, ut se cum suis & Prædâ in Bohemiam reciperet. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1132: *Duxit deinde ad Budam Metropolin BOLESLAUS: sed in Itinere certior fit: Sobeslaum Boëmum, in Gratiam Ungarorum, Excursionem in Poloniam* [Silesiam] *fecisse, & WRATISLAVIENSEM Tractum Ferro & Igni vastare. Advocato castrensi Consilio, consulitur in medium, quid facto opus sit, vicitque ea Sententia, quæ propria defendenda potius, quam aliena vindicanda esse censebat. Itaque intermisso in præsens Ungarico Bello, BOLESLAUS magnis Itineribus adversus Boëmum, sua invadentem, rectâ per Moraviam contendit. Verum Boëmus, cognito BOLESLAI Adventu, Domum se cum Prædâ raptim recepit: nec Anni Tempus Spatium nostris dabat, ingratum & perfidum Hostem ulciscendi.*

ANNO 1133.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.

SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

LIII. BOLESLAUS Sobieslaum intra Moraviam, Bohemis subditam, oppugnaturus, ut potius Clientibus suis Hungaris succurreret, persuadebatur. Interim, quantum poterat, Præsidium in Defensionem contra Hostes VRATISLAVIENSIBUS relinquebat. Sobieslaus hoc non satis validum majoribus Copiis aggressus vincebat: SILESIAM circa Viadrum longè lateque vastabat: ne sacris Ædibus quidem Monasteriisque parcens, Ruinam Vicis & Villis plusquam trecentis per Ignes afferebat: ex qui-

ANNO 1133.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.

SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

quibus magnam Prædam in Bohemiam reportabat. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1133: *In Bohemiæ Bellum inferendum, BOLESLAUM Polonorum Ducem magno Comitatu, magnâque & justâ Ira intentum, Filii Stephani Hungariæ Regis, & non nulli Barones & Nobiles, qui Belâ Rege deserto ad Filios Stephani Hungariæ Regis se contulerant, magnis Precibus expugnatum pervincunt, ut cum his Gentibus, quas contra Bohemiam paraverat, in Hungariam potius trajiceret. Provinciæ itaque WRATISLAVIENSI Militibus, ad opponendum Resistentiam Bohemis, relictis, ipse in Hungariam cum Copiis ire pergit.* Ibidem post pauca: *Sobieslaus interim cum omnibus Bohemiæ & Moraviæ Copiis in Poloniam* [Silesiam] *ingreditur, & WRATISLAVIENSES Milites Impetum ejus sustinere non posse rati, in Castra ê Campo delabuntur. Sobieslaus autem Bohemiæ Dux Beneficia BOLESLAI Polonorum Ducis, quibus illum olim Exsulem & calamitosum, Fratris sui Wladislai Bohemiæ Ducis fugientem Conspectum obligaverat, uberius repensurus, Monasteriis plerisque & Ecclesiis ac trecentis & amplius Villis, in SILESIA & WRATISLAVIENSI Regione, una cum Ædibus sacris Incendio conflagratis, Prædâ etiam Pecorum magnâ & Spoliorum abductâ in Bohemiam rediit.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1133: de Boleslao: *Æstate, quæ consecuta est, parantem eum in Boëmos Arma magnis precibus expugnant Exsules Ungari, qui ad Stephani Liberorum Partes multi indies perfugiebant, ut cœptam potius in Ungariam Expeditionem persequeretur. Itaque WRATISLAVIENSI Conventu & Comitatu omni Præsidio ad tutandos Fines suos adversus Vim Boëmorum relicto, cum reliquis Copiis & auxiliaribus Russis Ungariam ingreditur.* Ibidem post pauca: *Interim cognoscit, Boemos majore Vi SILESIAM rursus, recedentibus suis, qui relicti erant in Præsidio, nec sustinere Vim Hostium valentibus, crudeliter divexare. Itaque omissis iterum Ungaris, transmissisque celeriter Montibus atque Sylvis, quæ Moraviam ab Ungaria disterminant, magnam Moraviæ Partem, ut par pari referret, depopulatus est, vastatisque Agris abactâ ingenti Prædâ in Poloniam revertit. Nec deinceps Reductionem Nepotum & Ungarorum Exsulum tentavit, ne majorem, quam pro Viribus, Belli Molem in se attraheret.* Ioachimus Curæus in

ANNO 1133.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

Sileſiorum Annalibus, ad Annum 1133: de Boleslao III: *Proficiſcitur ad Bellum Hungaricum, ut reduceret in Regnum Nepotes ſuos ex Sorore, & cum metueret Bellum Bohemicum, munivit VRATISLAVIAM Præſidio: ſed Bohemi irrumpentes in SILESIAM, plures quam trecentos Vicos & Pagos exuſſerunt, abductâ ingenti Prædâ.* Eadem Nicolaus Polius in Hiſtoria Incendiorum ad Annum 1133, commemorat.

LIV. Tantam Sobieslao per Bohemos & Moravos in SILESIOS exercendam Sævitiam ſuſcitaverat, ut quidam referunt, BOLESLAUS, non tantum retento ex Sileſia Tributo, quod Germanico Imperio debitum Romanus Imperator Duci Bohemorum conceſſerat: verum etiam Reſponſo acuto, quod Legatis Tributa poſtulantibus dederat: Veniſſe miſſos, ut pro illatis Damnis, non præſtarent, ſed exigerent Satisfactionem: quos Impendia pro Sobieslai Exſulis, intra Poloniam, ultra Triennium, Victu apportaturos eſſe putaverat. Ioannes Dubravius in Hiſtoria Bohemica, Lib. XI. ad Annum 1133: *Nec interim Sobieslaus Ferias agere, ſed ferox infeſtusque VRATISLAVIENSEM in SILESIA Regionem perſultare, quod ei jam â Triennio per BOLESLAUM non ſolveretur Tributum ex VRATISLAVIA debitum. Subdebat Stimulos ludicrum Reſponſum, Legatis hanc Cauſam apud BOLESLAUM agentibus redditum, BOLESLAO per Ludibrium ita reſpondente: ſe exiſtimaſſe, Legatos idcirco ad ſe miſſos eſſe, ut Pretium referrent Alimoniæ, quâ plus Triennium Exſul Sobieslaus in Polonia ſuſtentatus fuerit: non autem, ut quicquam auferrent: cum anteà è Gneſna atque aliis ſacris profanisque Locis tantum abſtulerint Boiemi, ut in hunc Diem illata Damna reſarciri nequeant. Cæterum, mox cognito, quæ in SILESIA, tum adhuc POLONIA cognominata, deſignaverit Sobieslaus, colligit & ipſe* [Boleslaus] *tumultuarium Militem, eumque in Moraviam mittit, ut totidem Plagis affligeret Moravos. Ergo multò, quam prius, infeſtior Sobieslaus SLESIAM repetit duobus Exercitibus, duobusque Itineribus, altero Boiemi, altero Moravi ibant, pro ſe utrique Itinere ſuo Maleficia, quanta poterant, facientes. Et poſtquam conjuncti ſunt, totum illum Tractum, qua ODERA ambit, in tantam Vaſtitatem adducentes, ut ex trecentis Pagis & Vicis ne unus quidem ſuperfuerit integer reliquus. Tan-*

ANNO 1133.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

ti BOLESLAUM conſtitit Cavillus, quò facetus videri adverſus Sobieslaum volebat. Eadem Martinus Boregkius in Bohemiæ Chronico, Parte I, ad Annum 1132, narrat.

ANNO 1134.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

LV. Nec SILESIÆ Calamitatibus his contentus erat Sobieslaus. Nam pluribus & Bohemis & Moravis iterum collectis, cum BOLESLAUS in Bohemia Villas, Vicos, Oppida perderet, Sobieslaus in SILESIA rurſus Viadrinas Oras depopulari gaudebat. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1134: *Magnâ igitur Parte Bohemiæ depopulatâ & exuſtâ, dum neque vaſtandis Agris, neque urendis Tectis, cum non Villæ ſolum, ſed frequentes quoque Vici Incendiis fumarent, BOLESLAUS Polonorum Dux Bohemos ad Pugnam elicere poſſet, cum Prædâ & Captivis in Poloniam feliciter remeavit. Graviter eam Ignominiam & Exuſtionem Sobieslaus Dux Bohemiæ ferens, Bohemis & Moravis, in quanto majori Numero poterat, contractis, Polonico Exercitu in diverſa Loca abeunte & diſperſo, in Poloniam* [Sileſiam] *Agmine citato & torrenti, non nullos Vicos & Villas Bohemicali Oræ viciniores & verſus Fluvium ODRAM porrectos, tumultuario magis, quam juſto Bello* [*BOLESLAI enim Reditum verebatur*] *vaſtavit. Nec BOLESLAUS Vaſtationem tam repentinam prohibere potuit, & ſua data Licentia dilapſis, & Anno jam in Hiemem porrecto.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1134: cum Boleslai Expeditionem in Bohemiam deſcripſiſſet: *Noſter* [Boleslaus] *Agris, Vicis, & Oppidis hoſtilibus fœdè vaſtatis, cum ad Pugnam elicere Hoſtem non poſſet, ingenti Prædâ onuſtum Exercitum reduxit atque dimiſit. Nec multò poſt Bœmus* [Sobieslaus] *citato Agmine eam POLONIÆ ſive SILESIÆ Oram, quæ ad ODRAM eſt, aliquantisper depopulatus, raptim ſe inde Domum recepit, veritus ne BOLESLAUS revocato, quem dimiſerat Exercitu, Reditum ſuum impediret.* Eadem Wenceslaus Hagecius & Martinus Boregkius in Bohemiæ Chronicis ad Annum 1134 narrant.

ANNO 1135.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

LVI. Toties iteratis Polonorum & Bohemorum non tam Bellis, quam Irruptionibus, Provincias Imperio Germanico subjectas, potissimum SILESIAM devastantibus, ad Ultionem suscitatus LOTHARIUS Imperator, Dissidium inter BOLESLAUM Polonorum & Sobieslaum Bohemorum Duces, æquis Legibus tandem compositurus, utrumque Bambergam, Franconiæ Civitatem, ubi Comitia indixerat, evocabat: quò advenie-bant. Ioannes Dubravius in Historia Bohemica, Lib. XI. de Boleslao & Sobieslao: *Cum inter discordes sibique invicem implacabiles, nullus mutui Belli Finis exspectaretur, & Cæsar Lotharius Auxilio utriusque, ad sedandos Italiæ varios & graves Motus, opus haberet, utrumque Bambergam vocat, ut dissidentes in veterem Amicitiam restituat.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, cum Sobieslaum contra Boleslaum à Cæsare Lothario Auxilium petiisse dixisset: *BOLESLAUS jam senex, ideoque minus animosus, & cum peteretur Bello Moscovitico, ad Imperatorem profectus est Bambergam Anno 1135.*

LVII. Quò Cæsar Lotharius Tituló Duces Boleslaum & Sobieslaum, an utrumque, tanquam Romano Imperio ad Obsequia devinctum, Bambergam convocaverit: Germani Poloniique dissentiunt.

LVIII. Poloni, qui Duces suos Imperatoribus Germanicis unquam vel subjectos, vel tributarios fuisse, nunquam non negant, confidentius, incertum, an securius asserunt: Boleslaum & Sobieslaum Ratione dispari Bambergam venire jussos ab Imperatore Lothario, ut Sobieslai supremo Iudice quidem, Boleslai autem voluntario Arbitro, tam suis, quam certantium Commodis, à quorum utroque Subsidium adversus Italos intenderit, studiosissimo. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1135: *Majoribus Copiis, majoreque Instructione & Apparatu in Bellum Bohemicum BOLESLAO Polonorum Duci ultum suas Injurias profecturo, Literæ & Nuncii à Lotargio* [Lothario] *Romanorum Rege afferuntur: quibus BOLESLAUS ipse benignè petebatur, quatenus Bello Bohemico omisso ad se venire personaliter non contemnat, offerens se inter eum & Ducem æquis Conditionibus Pacem compositurum. Lotargio autem Romanorum Regi prædicto, in Italiam ad Res Ecclesiæ turbatas ordinandas, &*

ANNO 1135.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

& pro Adoptione Imperialis Coronæ ituro, à Sobieslao Bohemiæ Duce suggestum fuit, ut Dissidium horrendi prius Belli inter se & Polonos tolleret: neque enim Modum se reperturum, quò Lotargium in Italiam proficiscentem debito è suis Gentibus Subsidio juvare posset, Bello vicino implicatus. BOLESLAUS autem Polonorum Dux Lotargio Regi Romanorum suaque favorabili Invitationi, cum id frequens Consilium Polonorum probaret, gesturus Morem, in Comitiva insigni & notabili ad Lotargium Romanorum Regem in Almaniam in Bamberg transiit. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1135: de Boleslao: *Majore Apparatu ad Bohemicum Bellum se se accingebat. Hoc agentem, Legati Lotharii Cæsaris Romani conveniunt: postulant, ut Iudicio sive Arbitrio Cæsaris potius, quam Armis cum Boëmo de Injuriis disceptet: illum Cæsaris esse Clientem ac Tributarium: à Cæsare ad æqua omnia coactum iri, si Legatos ad Cæsarem cum summa Potestate mitteret: aut, si ipse eo proficisci dignaretur, quòd quidem futurum esset Cæsari gratissimum. Hoc eò faciebat Lotharius, quod in Italiam festinabat, nec volebat Boemum Polonico Bello distineri, quò minus Auxilia ex Fœdere sibi mitteret. Proficiscitur BOLESLAUS ipse Bambergam ad Cæsarem perquam splendido Comitatu. Venerat eodem & Boëmus.*

LIX. His Scriptores Polonici addunt: Imperatori Lothario, cum HOMAGIUM ob Pomeraniam & Rugiam, tum etiam TRIBUTUM, si non etiam ob has Terras, certè ob SILESIAM, Germanicas Provincias, exigenti, BOLESLAUM & Homagium & Tributum denegavisse: quam Lotharius Animo quieto Repulsam tulerit. De quò in vetustioribus Ioannes Dlugossus in Polonica Historia, Lib. IV. ad Annum 1136: de Imperatore Lothario: *Quem BOLESLAUS Polonorum Dux apud Bamberg offendens, plurimis illum & insignibus excepit honoravitque Muneribus: quibus ab eo acceptis Lotargius Imperator petebat, ut de Pomeranorum & Rugianorum Terris, quæ BOLESLAO Polonorum Duci parebant, sibi faceret Homagium: & redderet Tributum. Sed BOLESLAO Polonorum Duce, Pomeraniæ & Rugiæ Terras suas & Polonorum nativas esse, monstrante, Cæsaris quievit Impetitio.*

LX.

ANNO 1135.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

LX. Ita verò Hiſtorici Polonici, quæ Romanis Cæſaribus in Polonicas Terras, fortaſſis non univerſas, omnino SILESIACAS, ſummam Poteſtatem aſſerunt, aut voluntario Silentio tranſeunt, aut in alienum Senſum deflectunt, defendendis Polonicæ Libertatis Honoribus obnixè ſtudentes. E Contrario planè diverſas Circumſtantias recenſent Scriptores Germanici, partim Antiquitate, partim Sinceritate potiores: ſecundum quos, etiam in BOLESLAUM, non in Sobieslaum ſolum, Lotharius Poteſtatem ſummam & habebat, & exercebat. Quamobrem, in Bellum contra Polonos, ſi non etiam ob Pomeraniam & Rugiam, certè ob SILESIAM, Germanicas Provincias, & Tributum, & Obſequium Germanico Imperio denegantes, jam præparatus, Occaſione commodiſſimâ Ius ſuum obtenturus, BOLESLAUM præſentem non admittebat, niſi reſiduô duodecim Annorum TRIBUTO [quod ad Annum 1122 ſolverat: ſed ad Annum 1134 debebat] exhibitô: & præſtitô in PERPETUAM Romanis Cæſaribus declarandam SUBIECTIONEM Iuramentô. Otto Friſingenſis in Chronico, Lib. VII. Cap. XIX: de Lothario ex Italia in Germaniam reverſo: *Inde in Saxoniam divertens, Poloporum Ducem cum multis Muneribus obvium habuit; quem tamen non ante dignatus eſt ſuo Conſpectui præſentari, quam Tributum duodecim Annorum, hoc eſt, quingentas Libras ad ſingulos Annos perſolveret: & de Pomeranis & Rugis* [quos Boleslaus ſubegerat] *HOMAGIUM ſibi faceret, SUBIECTIONEMque PERPETUAM Sacramentô confirmaret.* Eadem, propemodum iisdem Verbis Theodorus Engelhuſius, & Albericus trium Fontium Monachus in Chronica ſua retulerunt: niſi quod Engelhuſius *quinquaginta Libras*, pro *Libris quingentis:* Albericus *Marcas quinquaginta*, pro *quingentis Libris*, perſolutas ſcribunt. Huldericus Mutius de Germanorum Rebus, Lib. XVII: de Lothario: *Per Germaniam Pace florente, nullis palam diſcordantibus, parat Expeditionem in Polonos, qui REBELLANT, & TRIBUTUM deinde dare recuſabant. Poloni verò, Bellum timentes, Imperatori obviam mittunt Ducem ſuum cum magnis Muneribus: quem occurrentem in Saxonia ad ſe admittere noluit, niſi TRIBUTUM prius perſolveret, quod duodecim Annis non ſolvebant: debebant autem ſingulis Annis quingentas Libras: præterea jurarent, ſe OBTEMPERATUROS IMPERIO IN PERPETUUM. Hæc omnia Dux fecit, & præterea Dona dedit magna: atque in hunc Modum Pacem fecit cum Polonis.*

ANNO 1135.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

LXI. Quamobrem his, quæ narravimus, non repugnat: Ducem BOLESLAUM Lothario Imperatori, poſt dictum Sacramentum, aulicum præſtitiſſe MILITIS, hoc eſt, EQUITIS ARMIGERI Officium: quale Boleslaus I. Sileſiorum Polonorumque Dux olim Henrico II. Imperatori præſtiterat: de quô diximus ad Annum 1013, Cap. VIII. §. XLIV. Chronographus Saxo ad Annum 1135: cum Lotharium Bambergâ Quedlinburgum, Magdeburgum, tandem Martisburgum diſceſſiſſe commemoraviſſet: *Illuc confluebant cum primariis Regni BOLIZLAUS atque Othelricus Duces, & Legati Græcorum Imperatoris, honorifica ſecum Munera ferentes, Pacem ab Imperatore & Amicitiam ac Auxilia contra Rukerum* [Ruthenum] *Tyrannum poſcentes: qui Partem Romani Imperii & etiam Terram Græcorum nimis vexaverat. Quibus decenter remuneratis cum ſuis Legatis Havelbergenſi Anſelmo & cæteris eis remiſit in propria. BOLIZLAUS verò, poſt SACRAMENTA in Die ſancto Manibus applicatis MILES ejus efficitur, & Cæſari ad Eccleſiam proceſſuro GLADIUM illius ante ipſum PORTAVIT.*

LXII. Cæterum in Bambergenſibus Comitiis inter Imperii Romani Duces quidem tam Boleslaus Polonus, quam Sobieslaus Bohemus ſedebant: Boleslaus autem â cœteris ſeparato Loco, quem faſtidiebat: ſi non errat Ioannes Dubravius in Bohemica Hiſtoria, Lib. XI: *Sed mirum in Modum Boleslaus abalienato Animo erat â Sobieslao: illudque multum præterea illi doluit, quod Cæſar juſſo ſibi aſſidere Sobieslao in Ordine aliorum Principum, ei ſeorſim è Regione Subſellium appoſuerit. Id namque ille in deteriorem vertit Partem.*

LXIII. Præterea ibidem Lotharius, ad Italicum Iter, quod differre nolebat, Ære Boleslai, Sobieslai Milite juvari cupidus [quô utroque potitus eſt] diſſidentium Boleslai & Sobieslai obſtinatis Animis, quoniam repudiabatur Pax, interea, dum reverteretur, Inducias ad Triennium ſeu perſuadebat, ſeu præcipiebat. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1135: *Quò* [Bambergam] *cum una & Sobieslaus*

ANNO 1135.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

laus Bohemiæ Dux advenisset, pluribus Diebus de Pace, inter Boleslaum Polonorum & Sobieslaum Bohemorum Duces reformanda, Lotargio Rege mediante, cassò Labore certatum est, neque Pax æquis Conditionibus, utroque Duce plus justò suas æstimante Injurias, componi poterat. Ne tamen Negotio infecto, & plus Animis his, quæ utrinque jactata fuerant, Probris irritatis, quam pacatis, Discessio Ducum fieret, ipse quoque Lotargius, ne Bohemicali Subsidio frustraretur, prudenti Consilio usus, Boleslaum Polonorum Ducem Instantiùs & Precibus multifariis pervicit, ut Bellum triennali Treugæ [Pace] *quoad ipse ex Italia rediret, suspenderet. In hanc itaque Conditionem Boleslaus Polonorum Dux Romanorum Regis Lotargii Desideriis pertractus, Sufferentias Triennales, Autoritate Lotargii firmatas, accepta.* Ioannes Dubravius in Historia Bohemica, Lib. XI. de Boleslao & Sobieslao: *Quando igitur Pax inter illos conciliari non potuit, Induciæ in Triennium utrinque pactæ sunt, Polonusque Ære, Boiemus autem Milite Cæsaris Expeditionem fecere expeditiorem.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V: *Tentatur Pax inter dissidentes Principes* [Boleslaum & Sobieslaum]: *quæ cum coire non posset, tamen, ne magis irritatis Animis ii discederent, trium Annorum Inducias, instante maximè & orante Cæsare, inter se paciscuntur.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Boleslao: *Ad Imperatorem profectus est Bambergam, Anno 1135. Eum datis Muneribus placavit: cum Bohemo pactus est Inducias trium Annorum.*

ANNO 1137.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

Inter BOLESLAUM Polonorum & SOBIESLAUM Bohemorum Duces Pax intra SILESIAM.

LXIV. Nondum transierat Induciarum Triennium, cum inter BOLESLAUM Polonorum, & SOBIESLAUM Bohemorum Duces, Proceribus ex utroque Populo præsentibus, intra SILESIAM, in Urbe, quam Germani GLACIUM, Poloni CLOSCUM aliterque vocant, Pax compo-

ANNO 1137.

GERMANORUM Romanus Imperator LOTHARIUS II.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS III.

ponebatur. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1137: *Priusquam Triennales Treugæ* [Induciæ] *cum Sobieslao Bohemiæ Duce, per Lotargium* [Lotharium] *Romanorum Imperatorem confectæ exspirarent, communibus Baronibus, tam Poloniæ, quam Bohemiæ agentibus, de Pace perpetua inter Regna & Duces firmanda, Tractatus haberi cœpti sunt. Post quos utraque Parte in Pacem conspirante expedire visum est, ut Principes personalem agerent Conventionem: cui KLOCZKO Oppidum consignatum fuit, utroque Duce illuc adveniente. BOLESLAUS Polonorum Dux coram communibus Baronibus plurima se indigna à Sobieslao Bohemiæ Duce, pro multifariis in eum præstitis Beneficiis, passum deduxit: Sobieslao vero Bohemiæ Duce objecta purgante, in BOLESLAUM Poloniæ Ducem suas quoque Injurias jactante, Interpositione communium Baronum omnes veteres Inimicitiæ, Contentiones, Querelæ, Injuriæ & Æmulationes, Damna quoque hinc inde secuta, inter illos sedantur, complanantur & compensantur: & Pax perpetua inter eos eorumque Regna & Dominia stabilitur.* Ibidem post pauca: *In hanc Pacem BOLESLAUM Poloniæ Ducem ideo tam facile constabat consensisse, ut Ora SLESITITICA pacata, &, Bello Bohemico exstincto, cumulatius contra Rutenos Bellum gerere posset.* Ioannes Dubravius in Historia Bohemica, Lib. XI: *Sed ea mox BOLESLAI Animum subiit Pœnitentia rejectæ Pacificationis, ut nec tertium Mensem* [Annum] *à Reditu in Poloniam transire passus fuerit, quin ultro per Legatos suos Sobieslaum occuparet, atque eum ad Pacem perpetuo confirmandam invitaret. Pollicitus hujus Rei Gratiâ, se venturum ê VRATISLAVIA ad Oppidum Sobieslai GLATIUM, ibique ex bona Fide omnes Offensiones coram depositurum.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. extremo: cum narravisset Boleslai Cladem à Russis acceptam, quâ stimulatus, Pacem cum Bohemis ineundam statuerat: *cum Sobeslao Boëmorum Principe CLOSCI Conventum egit, Pacemque fecit, Arbitris utrinsque Populi Proceribus.*

CAPUT XI.
SILESIORUM RES.

ANNO 1139.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
Poſt diviſas POLONIÆ Provincias,
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.
Romano GERMANORUM Imperio ſubjectus.

I.

HÆc Provinciarum ad POLONIAM ſpectantium Diviſio maximè notabilis, ex quâ novus Regiminis Modus provenit, POLONIS plures, SILESIIS peculiares attulit DUCES. Quare Laboris præſentis, quod reſtat, Penſum majore Cura peragendum ſtatuimus, ut hinc evidentius perfectiusque Principia Mutationis pateant, quam deinde SILESIA ſuum in Commodum Ornamentumque convertit: quò longius à POLONIÆ tum Moribus, tum Iuribus recedens, eò propius ad GERMANIÆ tam Conſuetudines, quam Leges revertens.

II. GERMANIS poſt LOTHARIUM II. SAXONEM, Anno 1137 mortuum, CONRADUS III. ab Anno 1138 ad 1152 Imperator: SILESIIS poſt BOLESLAUM III. Anno 1139, Ætatis LV. exſtinctum, VLADISLAUS II. Cognomento SPUTATOR, Filius, inter Fratres Poloniæ Tetrarchas primarius, ad Annum 1146 Dux præerat. Per eum SILESIOS fuiſſe CONRADO III. Imperatori ſubjectos, cum aliunde colligi poteſt, tum etiam Vladiſlai II. Succeſſor BOLESLAUS IV, Sileſiorum Dux, qui ſe cum duobus Fratribus eidem Cæſari ſubditos demonſtravit, docet. De quo videantur, quæ proferemus ad Annum 1146 & ſequentes.

III. BOLESLAUS III, Dux, imminente Fato ſupremo, quinque Filiis, VLADISLAO, BOLESLAO, MIESLAO, HENRICO, & CASIMIRO, ne Diſſidiorum Materiam relinqueret, præſentibus Proceribus, dividebat Provincias ſuas. Ex his attribuebat in patriam Hæreditatem Proprietatemque VLADISLAO, qui natu maximus erat, SILESIACAM, Cra-

ANNO 1139.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

Cracovienſem, Siradienſem, Lancicienſem: cui addebat in cæteros Fratres Imperium: BOLESLAO Maſovienſem, Dobrinenſem, Cujavienſem, Culmenſem: MIESLAO Gneſnenſem, Poſnanienſem, Caliſſienſem, Pomeranicam: HENRICO Sandomirienſem & Lublinenſem. CASIMIRO, tenerrimo Puero, quem Vladislao educandum commiſerat, nihil aſſignatum mirantibus, Cauſam exponebat: Currus, inquiens, non niſi quatuor habet Rotas. Hæ ſuperimpoſitum gerentes inſidenti commodum præbent Locum. Eo fruetur quintus Filius.

IV. Paucis hæc tangit ê Germanis Chronographus Saxo ad Annum 1138: *Eodem Anno obiit BOLIZLAUS Dux Polanorum, relinquens quinque Filios ſuperſtites, quibus & diviſit Hæreditatem ſuam coram Epiſcopis & Principibus illius Terræ.* Plenius ea commemorat ê Polonis Vincentius Kadlubko in Hiſtoria Polonica, Lib. III. Epiſt. XXVII: de Boleslao III: *Qui dum fatale Munus jam à ſe exigi ſentiret, teſtamentales mandat conſcribi Codicillos: in quibus & avitarum Vices Virtutum, & Regni Succeſſionem quatuor Filiis legat: certos Tetrarchiarum Limites diſterminans, eatenus, ut penes majorem natu & Cracovienſis Provinciæ Principatus, & Autoritas reſideret principandi. De quò ſi quid humanitus obtigiſſet, ſemper Ætatis Majoribus & Primogenituræ Ratio Litem Succeſſionis decideret. Suggeritur ei de quinto Filio adhuc Infantulo, cur illius non meminit: cur nullâ illum Legatorum Portione ſubſcripſerit. Quibus ille: Imo, inquit, longius præmemini & legam:* [in Vratislavienſi MSto legitur, legavi.] *Stupentibus illis, quænam quintæ eſſe poſſit Portio inter quartas* [quatuor]? *Quidam* [legendum videtur, Tum idem: quoniam Reſponſio, quæ ſubjungitur, ab aliis Boleslao Ipſi adſcribitur] *neſcio joculariter, an ſerio, ſubintulit: Non cernitis quatuor Tetrarchis Quadrigam Tetrarchiæ fabricatam. Sic iſti Parvulo quintæ in Quadriga Rotæ legatur Succeſſio.*

V. Eadem, quò diffuſius, eò clarius deſcribit Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1139: de Boleslao III. jam morituro: *Ne inter Filios pro Regno, ſe abſumtò, Bella, Odia aut Contentiones contingant, Poloniæ Regnum, cujus ipſe in eam Diem unus fuit Princeps & Monarcha, inter Filios dividit. Et primogenito quidem WLADISLAO, ex Ru-*

ANNO 1139.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

tena susceptо, Cracovienſem, Siradienſem, Lancitienſem, SILESIAMque & Pomeraniam Terras legat: decernens, ut circa eum Primogenitуræ Iure Superioritas & principandi major & prima Autoritas conſiſtat, omnibus aliis Fratribus ſibi parere & intendere juſſis: aſſerens, in Polonorum Regno unus fuerit, ad quem totius Summæ Cura reſonaret, univerſa in Ruinam ſolutum iri. BOLESLAO verò CRISPO Maſovienſem, Dobrzinenſem, Cujavienſem & Culmenſem: MIECSLAO SENI Gneſnenſem, Poſnanienſem & Caliſſenſem. HENRICO Primo Sandomirienſem & Lublinenſem Terras, Diſtrictus & Regiones pro Sortibus conſignat. Reſtabat quintus Filius CAZIMIRUS, Anno ſuperiori genitus, Infantulus, & Cunas adhuc obſervans: qui, cum omnibus Terris & Provinciis in quatuor Filios diſtributis, nullam Sortem reliquiſſet, Oblivione hoc illum aut Morbo neglectum feciſſe, omnibus, qui Ordinationi ejus aderant, autumantibus, Nomen & Memoriæ quinti Filii CAZIMIRI Infantuli ſuggeſta eſt, monitusque, ut & illi, velut teneriori, aquam inter Fratres Portionem relinqueret: reſpondet: Iam dudum illi Sortem ſuam delegavi. Admirantibus cunctis, & quænam quinta Sors eſſet, ſcrupuloſè inter ſe ſciſcitantibus: Non advertitis, inquit, inter quatuor Rotas Sedem quintam, quæ in Polonico Waſag appellatur, conſiſtere, & in medio poſitam eſſe Partem nobiliorem, & à Natura Partium Appellationem derivatam uſurpaſſe. Sic & huic Infanti, inter quatuor Tetrarchas Fratres, delegatur Succeſſio, plus Venerationis & Amplitudinis, quam aliqua earum habitura.

VI. In cæteris conſimilia, ſed paulò aliter Provinciarum Diviſionem Martinus Cromerus indicat: ex iis Pomeranicam, VLADISLAO ademtam, MIESLAO attribuens: & Lublinenſem HENRICO aſſignatam omittens: in Polonorum Rebus, Lib. V. de Boleslao III: *Ubi Mortem appropinquare ſibi ſenſit, convocatis Proceribus, qui Officii Cauſa undique convenerant, & quatuor Filiis adſtantibus, de Concordia apud eos Verba fecit: partitusque omnia, quæ tunc erant Polonicæ Ditionis, inter quatuor Filios, Principatum & Summam Rerum penes VLADISLAUM, natu maximum conſtituit, cæteros ejus Autoritatem ſequi juſſit. In Partitione quintum Filium, qui ſuperiore Anno natus erat, præterierat. Id eum Proceres Oblivione*

ANNO 1139.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

vione feciſſe exiſtimabant. Itaque admonent, ut ne illum exſortem Patrimonii relinquat. Reſpondit Princeps: Iam illi quoque Portionem ſuam eſſe deſignatam. Admirantibus cunctis: Non advertitis, inquit, in Curru inter quatuor Rotas quintam eam eſſe Partem Currus, cui Homines inſident, & Onera imponunt: quæ quidem à Rotis ſuſtentatur atque portatur? Eum igitur Locum inter quatuor Fratres quintus obtinebit, illisque ſuo Tempore ſuccedet. Ibidem Lib. VI: *Partitione Regni, ſecundum Deſcriptionem Patris factâ, VLADISLAO quidem natu maximo Cracovienſis, Siradienſis & Lencicienſis Tractus, itemque SILESIA obtigere: BOLESLAO, qui CRISPUS appellatus eſt, Maſovia & Cujavia, Culmenſisque ac Dobrinenſis Tractus: MIECISLAO Gneſnenſis, Poſnanienſis, Caliſienſis & Pomerania: HENRICO Sendomirienſis. CAZIMIRUS vero Infans exſors, quemadmodum Pater voluerat, à VLADISLAO curandus atque educandus ſuſceptus eſt.*

VII. Præterea Diviſionis hujus Mentionem è Sileſiis facit Ioachimus Curæus in eorum Annalibus, de Boleslao III: *Reliquit ſuperſtites Filios quinque: VLADISLAUM, cui attribuit Ditionem Cracovienſem & SILESIAM cum ſumma Autoritate, ut eſſet Ethnarcha. BOLESLAO CRISPO aſſignavit Maſoviam & vicinas Oras: MIESLAO Poloniam majorem: HENRICO Puero Oram Lublinenſem. Præteriit autem Filium Infantem CASIMIRUM, natum paucis Menſibus ante ſuum Exceſſum. Rogatus Cauſam, reſpondit: Currum geſtari à quatuor Rotis, ſed ſuum CASIMIRUM in Medio Currus ſeſſurum, & tandem ad iſtum Summam Rerum perventuram.*

ANNO 1140.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

VIII. Hi quatuor Fratres, VLADISLAUS II. Sputator, BOLESLAUS IV. Criſpus, MIESLAUS Senex, & HENRICUS Primus, deſignati Polonicarum Provinciarum Duces, ob earum ex Patris Sententiâ Diſpoſitionem, in Comitiis Cracovienſibus erant inter Initia quidem diſcordes,

ANNO 1140.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

uni ſummum Regimen in univerſa nequaquam conceſſuri: ſed tamen ad ultimum in certas Leges conſentiebant, ſecundum quas Provinciis ſuis præeſſent. VLADISLAO, tanquam Primogenito, permanebat in cæteros Fratres Imperium: committebaturque CASIMIRUS II, Cognomento Iuſtus, educandus. Quod cum Eccleſiaſtici, tum Politici Proceres omnes approbabant. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1140: *Poſtquam deinde Rerum publicarum Vacillatio, Principibus diverſa ſentientibus, diverſaque jubentibus, oriri cœpit, & Principes quatuor Filii Boleslai juxta paternam Ordinationem ad Ducatus & Terras eis deſignatas ſe admitti flagitarent: fit apud Cracoviam omnium Terrarum generalis Conventus. Ubi poſt varios Tractatus & Deliberationes, WLADISLAUS Primogenitus & natu major Boleslai Patri in Monarcham, omnium Prælatorum & Baronum Aſſenſu & Ordinatione, ſucceſſurus decernitur: utque circa ipſum Primævitas & Superioritas remaneat, ſtatuunt. Ipſe quoque cæteris Fratribus, videlicet BOLESLAO, MIECZLAO & HENRICO parentibus imperitet. Bella conformiter & ex æquo gerant, ſed aſſumendi ea circa WLADISLAUM Autoritas conſiſtat: cæteris non inferendi, ſed repellendi Poteſtas permiſſa. His taliter ordinatis, tribus Principibus in ſuas Sortes, BOLESLAO CRISPO in Maſoviam, MIECZLAO SENE in Poſnaniam, HENRICO PRIMO in Sendomiriam ſecedentibus, WLADISLAUS Dux & Monarcha in Cracovia relictus eſt: & illic ſtando alios ſuos Principatus & Dominia, Remque publicam diſponebat. Apud illum quoque CASIMIRUS Infans & quintus Dux relictus eſt, ſibique illius Cura, tam à cæteris Fratribus Ducibus, quam à cæteris Poloniæ Satrapis & Conſiliariis mandata. In hunc Modum Corpus Poloniæ in plures Partes ſciſſum eſt.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VI: *Tum demum Conventu apud Cracoviam inſtituto, cum Flagitatio Fratrum Studiaque & Factiones comparatæ, ad unum deferri univerſam Rerum Summam non paterentur, nec reſtius quicquam in Mentem cuiquam veniret: neceſſario Boleslai Conſtitutio approbatur, ut Iuvenes certis ac definitis à Patre Finibus dominarentur: Principatus verò & ſumma Belli Pacisque Autoritas penes natu maximum eſſet.* Ibidem, cum diviſarum Polonicarum Mentionem feciſſet: *Ita ad ſuas quisque*

ANNO 1140.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

que Ditiones, & quaſi Satrapias, diſceſſere, ut Wladislaum tamen Principem agnoſcerent, ejusque Majeſtatem comiter conſervarent: qui jam ſextum ac trigeſimum agebat Annum. Nam hæc Anno Chriſti 1140 acta ſunt.

IX. Itaque, cum Reipublicæ Polonicæ Corpus diſſolveretur, inter BOLESLAI III. quatuor Filios Hæredes, Primogenitus VLADILAUS II. jam XXXVI Ætatis Annum ingreſſus, in cæteros Fratres Imperium, non Patris ſolum Teſtamento, verum etiam Procerum omnium, ex diverſis Populis, quos repræſentabant, ad Comitia miſſorum, ipſorumque Fratrum Conſenſu Pactoque nactus, SILESIIS Dux contigit.

X. Cæterum VLADISLAUS, quanquam inter Fratres Principatum, in eosque magnam Poteſtatem nactus: attamen, ſi non etiam, quatenus SIRADIENSIUM & LANCICIENSIUM, certè quatenus CRACOVIENSIUM & SILESIORUM Dux, Romano GERMANORUM Imperio ſubjectus erat: quemadmodum poſtea demonſtrabimus. Quô Pactô SILESIORUM CRACOVIENSIUMque Populus veterem ſubiit Statum. Etenim jam olim, ante Slavorum POLONORUM ad Germanos SILESIOS Acceſſum, Imperio Germanico tam in CRACOVIENSIUM, quam in SILESIORUM Terras, GERMANIÆ Finibus comprehenſas, Ius idque ſummum erat: quarum utraque, ſub QUADIS & LYGIIS, fuit Germaniæ Pars Occidentalis. Poſt illa, mutatis paſſim & Regionibus, & Nominibus, antiqua SILESIA, quæ Viſtulam pro Limite ſuo ad Occidentem habebat, in duas Provincias diſtinguebatur: quarum altera quidem CRACOVIENSIS, altera vero, quamvis omnino SILESIA, ideo, quia Poloniæ connexa Gubernatores ſuſpiciebat Polonos, plerisque POLONIA vocabatur. Earum, tanquam diverſarum, Mentio jam Sæculo XI facta reperitur. Ademarus Chabannenſis [Anno 1030 ſuperſtes] in Chronico, quod Philippus Labbeus in MStorum Librorum Bibliotheca, Tomo II edidit, ad Annum 983: quô Cæſar Otto II. mortuus eſt: *Adalbertus convertit ad Fidem Chriſti quatuor iſtas Provincias, quæ antiquo Paganorum Errore detinebantur: ſcilicet POLLIANAM* [Poloniam, id eſt, Sileſiam] *Sclavaniam, Waredoniam, CRACOVIAM.* Hinc & SILESIAM, & CRACOVI-

ANNO 1140.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS I.

AM, tanquam veteris Sileſiæ Plagam, Terris Germanicis adſcriptas invenimus: quamvis hodiernæ Poloniæ minoris Portio Cracovia cenſeatur. Gobelinus Perſona in Coſmodromio, Ætate I. Cap. V: *Ab Oriente incipiendo verſus Meridiem Provinciæ GERMANIÆ ſunt: CRACOVIA, POLONIA* [id eſt, SILESIA] *Bohemia, Sclavonia: quæ Provinciæ omnes utuntur Lingua Gothica* [Germanica] *vel Sclavonica.*

SILESIORUM per SOBIESLAUM Bohemorum Ducem Oppugnatio.

XI. Poſt Ducis BOLESLAI III. Exceſſum, diviſis Poloniæ Provinciis, mutatâque Gubernaculi Formâ, primus in Exteris SOBIESLAUS, Bohemorum Dux, implacabilis Polonorum Hoſtis, poſthabito Pacis Fœdere, SILESIAM peragrando vaſtabat: eamque totam ſibi, vel ut propriam, vel ut tributariam, ſubjicere conabatur. In eâ fixam Bohemis Sedem, unde SILESIOS aggredi & ſubigere poſſent, daturus, ad COSCENUM Vicum, inter Paludes, opportunum conditurus erat Oppidum, Munimentô Præſidiôque firmandum. At Propoſito Succeſſum ſperatum intercipiebat Mors, ulteriorem SOBIESLAO denegans Vitam. Ioannes Dlugoſſius in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1140: *SOBIESLAUS Bohemiæ Dux audiens BOLESLAUM Polonorum Ducem obiiſſe, & Polonorum Regnum quadrifariam ſciſſum eſſe, Pactum & Fœdus, quod cum BOLESLAO Polonorum Duce Iurisjurandi Obſtrictione pepigerat, prævaricatus, Regnum Poloniæ & SILESITICAM Oram invadit, depopulatur & vaſtat. Sed neque Vaſtatione hoſtili contentus, cum WLADISLAUS Poloniæ Dux, cui ea Ora obvenerat, Injuriæ opportunus videretur, in Animum inducit, ut Oram SILESITICAM ſibi faciat aut tributariam, aut proprietariam. Quapropter in Vico KOSCIAN vocato, undique Paludibus & Lacubus ſepto, & naturali Situ plurimum munito, Oppidum & Munitionem conſtruere, & illi ſuum Præſidium imponere ſatagens, plures Dies in Opere moliendo conſumit. Verum Ultio divina, quæ quoslibet Fœderum Transgreſſores ferire ſolita eſt, illico illum percuſſit. Nam Febribus correptus, cœpto abſcedere compulſus, & à ſuis Ambitionem ſuam carpentibus Pragam reductus, invaleſcente Febre, XVI. Calendas Martii, mortuus.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XVIII: ad Annum 1140: *Eodem Anno SOBIESLAUS Dux Bohemiæ ſciens, BOLESLAUM Krzyousti Vitâ functum, SLESIAM vaſtavit, Principibus Poloniæ quadrifariam diviſis, nequicquam tamen repugnantibus: & eam ſibi totam appropriare cupiens, Vicum KOSCZAN, undique Paludibus ſeptum, inſtanter munire cœpit: Præſidium eidem imponere volens, ſed acutis correptus Febribus, in Pragamque delatus, Diem obiit.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI. ad Annum 1140: *Exſtincto Victore ac Terrore Gentium BOLESLAO Criouſto, mutatâque, uti diximus, Formâ Reipublicæ, non diu vicinorum Arma quievere. Primus omnium SOBESLAUS, Boëmorum Dux, immemor Fœderum, quæ cum eo Principe & univerſa Polonia, Iurisjurandi Religione interpoſitâ, dudum icerat, nondum exactô à Morte BOLESLAI Anno, SILESIAM infeſto Exercitu longè lateque populatus eſt. Nec eâ Prædâ, quamvis magnâ contentus, ad ſubigendam omnem eam Oram Animum adjecit. Et, quô facilius id faciat, Locum opportunum apud Vicum COSCENIUM inter Lacus & Paludes Munitione & Præſidio firmare adoritur. Sed hoc molientem Vindicta Divina, juſtâ violati Fœderis & Iurisjurandi Ultione, perculit. Nam validâ Febre correptus, incœpto deſiſtere coactus eſt; relatusque Pragam, non multô poſt invaleſcente Morbo exſtinctus eſt.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, de Vladislao II: *Initio ſtatim Bohemi vaſtarunt SILESIAM.* Ibidem poſt pauca: *Bellum tamen hoc tunc cito deſiit, Principe Bohemorum mortuo.* Præterea Irruptionis hujus meminerunt, Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XVIII. & Nicolaus Polius in Hiſtoria Incendiorum, ad Annum 1140.

ANNO 1140.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

ANNO 1141.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

SILESIORUM Episcopus XIII. VRATISLAVIENSIS,
MAGNUS ZAREMBA, Polonus.

XII. RUPERTUS KORABITA, Episcopus Vratislaviensis in XV Annum, Rebus Silesiorum Ecclesiasticis laudabiliter præfuerat. De quô Ioannes Dlugossus in Episcopis Vratislaviensibus MStis, Num. XII: *Non solum Spiritualia religiosè administrans, verum etiam Temporalia animosè defendens, & in omnibus providus fuit Præsul.*

XIII. Cum Gaudentius, qui Radostus aliis vocatur, Polonorum Cracoviensis Episcopus Anno 1141, Die Ianuarii XIX, vivis exemtus esset: clarus Meritis RUPERTUS noster, de VLADISLAI, tam Cracoviensium, quam SILESIORUM Ducis Sententiâ, Cracoviensibus dabatur Episcopus. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1141: *Cracoviensis Antistes Radostus, XIX. Ianuarii, cum Annis XXV Cracoviensem Ecclesiam rexisset, tum demortuus est, & in Ecclesia Cracoviensi sepultus. Huic ROBERTUS seu RUPERTUS, Episcopus WRATISLAVIENSIS in Sedem Cracoviensis ab Innocentio Papa Secundo translatus, per Ordinationem Ducis WLADISLAI, qui & Cracoviensem, & Wratislaviensem regebat Principatus, successit.* Et in Episcopis Vratislaviensibus MStis, Num. XII: *Post Mortem Radostî, sive secundum alios, Gaudentii, apud Kalisch Oppidum, Anno Domini 1141, decima nona Mensis Ianuarii, defuncti, ordinante VLADISLAO Duce Regni Poloniæ & Monarcha: in cujus Principatu Vratislaviensis & Cracoviensis consistebant Civitates, per Innocentium Papam II, eodem Anno, Capitulo Cracoviensi illum per Postulationem deposcente, ex Vratislaviensi in Cracoviensem translatus est Ecclesiam.*

XIV. Tum Canonici VRATISLAVIENSES, ad quos cæteroquin Episcopum eligendi Ius spectabat, Legum Ecclesiasticarum observantes, eligendum ab Innocentio II, Pontifice Romano exspectabant Episcopum. Ioannes Dlugossus in Episcopis Vratislaviensibus MStis, Num. XIII: *Post Translationem itaque RUPERTI, Vratislaviensis Episcopi, visum est omnibus ab Electione & Postulatione quælibet abstinere, cum Ecclesia tunc non ex Morte sui Pontificis vacaret, sed in Cracoviensem Ecclesiam Translatione RUPERTI factâ, in solius summi Pontificis Provisionem Ecclesia VRATISLAVIENSIS recideret.*

ANNO 1141.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

XV. VLADISLAO Silesiorum Duci tum Cancellarius erat MAGNUS, Natione Polonus, intra Calissiensium Provinciam nobili Familiâ progenitus, quæ ZAREMBARUM, aliis ZARAMBIORUM, aut ZAROMBARUM dicitur: de quâ Simon Okolskius in Orbe Polono, de Sarmatarum Gentilitiis Armis, Tomo III, prolixè agit. Erat verò simul Canonicus Gnesnensis, Cracoviensis, Vratislaviensis, Ecclesiæ Custos. Huic VLADISLAI Ducis Autoritas, cui facilis Canonicorum Vratislaviensium Consensus accedebat, per Innocentium II. Romanum Pontificem, conciliabat Episcopatum. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1141: *Ad Ecclesiam verò WRATISLAVIENSEM, per hujusce modi Translationem vacantem, MAGNUS in Episcopum Custos Gnesnensis, Wratislaviensis & Cracoviensis Canonicus, Ducalis Cancellarius, Genere nobilis, de Domo ZAREMBA, per Innocentium Secundum est promotus.* Et in Episcop. Vratisl. MStis, Num. XIII: *Romanus itaque Pontifex Innocentius II. Literis & Pactionibus VLADISLAI Ducis Poloniæ & Capituli Vratislaviensis permotus, RUPERTO in Cracoviensem Ecclesiam translato, & MAGNO Vratislaviensi & Cracoviensi Canonico, & Gnesnensis Ecclesiæ Custodi, atque ejusdem VLADISLAI Ducis Ducatus Cancellario, Anno Domini 1141, de Vratislaviensi providit Ecclesia.* Ibidem post quædam: *Hic Natione Polonus, ex Terra Calischiensi Ortum ducens, nobilis de Domo & Familia, quæ se appellat ZAROMBA.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Vratislaviensibus Episcopis: *Natus fuit ex Stirpe nobili ZARAMBIORUM, collocatus in Ecclesiam ex Aula. Fuit enim Principis Cancellarius.*

XVI. Non in Vratislaviensium, sed ad præcedentium Episcoporum nondum mutatum Exemplum, in extero Gnesnensium Templo, per Iacobum I. Gnesnensem Archiepiscopum, consueta Solennitate consecrabatur. Ioannes Dlugossus in Episcop. Vratisl. MStis, Num. XIII: de Magno: *Iacobus I. Gnesnensis Archiepiscopus, de summi Pontificis Consensu, illum in Ecclesia Gnesnensi consecrat.*

XVII. Vir eruditus, in suos liberalis, ad Honores proclivis, ab Ira

ANNO 1141.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

non alienus erat. Ioannes Dlugoſſus ibidem: *Vir in Literis Divinis & humanis eruditus, ad Iram proclivis, in Cognatos & Nepotes liberalior, quorum aliquos parum dignos in Honores & Dignitates Eccleſiæ promoverat.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, de Vratisl. Epiſcopis: *Ut Vir politicus, quæſivit Dignitates, locupletavit ſuos Cognatos, Commendabat eum Eruditio,*

VLADISLAI II. SILESIORUM Ducis
cum Fratribus Diſſidium.

XVIII. VLADISLAUS II, non SILESIORUM tantum, ſed POLONORUM etiam Dux, in Provinciis ſuis Germanicam, eamque Romano GERMANORUM Imperio ſubjectam SILESIAM, velut Beneficium, quod Cæſari CONRADO III. debebat, conſecutus, non eâ, non cæteris, quas intra Poloniam obtinuerat, Terris contentus, Fratres aſſignatis occupatiſque Provinciis orbare cupiebat, ex Aſſe futurus Patris Hæres. Chronographus Saxo ad Annum 1146: *CUNRADUS Rex dum Cumæ Curiam haberet, WLODISCLAZO* [Vladislaus] *qui erat Senior inter Fratres, & qui Sororem* [Cognatam] *Regis habebat in Conjugio, Regem adiit, ac ſuſcepta Patria, ut ſolus Ducatum obtineret, exhæredare conatus eſt.* Aliquantô clarius hæc profert Anonymus Autor [Anno 1225 ſuperſtes] in Montis Sereni, hoc eſt, Lauterbergenſis intra Diœceſin Magdeburgicam Monaſterii Chronico, quod Ioachimus Johannes Maderus primum edidit, ad Annum 1146: *CONRADUS Rex cum Conventum haberet, WLADISLAUS Gener* [Affinis] *ejus ipſum adiit, & recepto ab eo POLONIÆ* [SILESIÆ] *Ducatu, Fratres ſuos exhæredare conatus eſt.* Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica Lib. V. ad Annum 1141: *Regni Poloniæ quadrifaria, quam demonſtravimus, Sciſſura, haud multo Tempore æquis Animis poterat perferri: ſed pene in ipſo ſui Initio inteſtinorum Bellorum excivit Stridores. WLADISLAUS ſiquidem Polonorum Dux primogenitus & natu major, etſi inter Fratres potiorem & magis inſignem Portionem, Cracovienſem videlicet Ducatum accepiſſet, & tam Patris, dum viveret, quam Prælatorum, Baronum & Procerum Poloniæ Deſignatione, Fra-*

ANNO 1141.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

Fratrum inſuper Conſenſu Superioritas & Monarchia Regni circa eum conſiſteret: omnes tamen eos Principatus & Dominia, quæ in Fratrum Sortem ceſſerant, detracta & erepta ſibi ratus, multifariis Angoribus Anxietatibusque Spiritum geſtabat turbulentum & afflictum, frequentesque Amicis hujus ſuæ Ignominiæ & Spolii repetebat Querelas.

XIX. Iſtius Culpæ, quam VLADISLAUS II. omnes Fratribus Provincias erepturus incurrit, Partem maximam Poloni transferunt in Uxorem, cujus ille paruerit Conſiliis. Hujus verum & Nomen, & Stemma plurimos latet. Utrumque diu occultum, ut ex Umbris tandem in Lucem prodeat, majore Cura perquiremus & proferemus: maximè, quoniam VLADISLAUS noſter II, BOLESLAI III, Cognomine Diſtorti, ex SUISLAVA, SUATOPOLCI Ducis Kiovienſis Filia, Uxore primâ, Filius, trium Filiorum, quos SILESIA primos in propriis & hæreditariis habuit DUCES, Progenitor eſt.

XX. Nonnulli VLADISLAO Uxorem GERTRUDEM conjungunt, LEOPOLDI Marchionis Auſtriaci Filiam: cui Mater Agnes, Cæſarum HENRICI III. Filia, HENRICI V. Soror, FRIDERICI I. Cognata fuit. Inter hos Autores primarius eſt Radevicus Friſingenſis, de Imperatoris Friderici I. Rebus geſtis, Lib. I. Cap. II. Eum ſequitur Guntherus in Ligurino, id eſt, Poemate, quod de Imperatoris ejusdem Vita compoſuit, Lib. V. Verſu 59: de Vladislao noſtro:

Dux erat, & Nuptam cognatam Regis habebat,
Nomine GERTRUDEM, LEOPOLDO Patre creatam.

Quibus Aſſenſum præbet Ioannes Piſtorius, & in Poloniæ Principum, & in Sileſiæ Ducum Genealogia.

XXI. Cæteri, quos in hac Re conſuluimus, omnes VLADISLAO aſſignant Conjugem Nomine CHRISTINAM, Cæſarum HENRICI V. Filiam, HENRICI IV. Neptem. In quâ Sententiâ ſunt, præter Ioannem Dlugoſſum, Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. X.

ANNO 1141.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

X. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. V. Iohannes Herburtus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. Cap. V. & IX. Alexander Guagninus in Poloniæ Chronicorum Compendio, de Boleslao III. Stanislaus Sarnicius in Polonorum Annalibus, Lib. VI. ad Annum 1140. Salomon Neugebauerus in Hiſtoria Polonica, Lib. III. in Boleslao III. ad Annum 1110: & in Vladislao II. ad Annum 1140. Ioannes Dubravius in Hiſtoria Bohemica, Lib. XI. ad Annum 1152. Cyriacus Spangenbergius in Saxoniæ Chronico, Cap. CCXVII. Hieronymus Henninges in Genealogia Poloniæ Ducum, Boleslao III. Curvo: & Sileſiæ Ducum, Boleslao Procero. Chriſtianus Matthias in Theatro Hiſtorico, Imp. Henrico V. Cap. II. Ioannes Iſacius Pontanus Lib. V. Rerum Danicarum, in Canuto Rege LXXV. poſt Annum 1157. Philippus Iacobus Spenerus in Sylloge Genealogico-Hiſtorica, Familia Piaſteo-Polonica, Boleslao III. Diſtorto: & Familia Piaſteo-Sileſiaca, Vladislao II. Bohuslaus Balbinus in Miſcellaneis, Decade II. Lib. II. Parte I. Tabula Sileſiæ Ducum Genealogica. Georgius Crugerius in Pulveribus ſacris, Menſe Februario, ad Diem XVII. Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 1140. Iohannes Schrammius in Sileſiæ Ducum Genealogia. Elias Reuſnerus in Opere Genealogico, Parte V. in Piaſtea Stirpe, Boleslao III. & Vladislao II. Iohannes Mollerus in Ducum Lignicenſium Hiſtoria, Lib. I. Cap. XI. Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XVIII. Daniel Zepko in Gynæceo Sileſiaco. Gotfridus Ferdinandus Buckiſius in Eccleſiaſticæ Sileſiorum Hiſtoriæ Prolegomenis, Cap. I. §. XXI. Fridericus Lucæ in Sileſiæ Memorabilibus, Parte I. Cap. III. Num. XII. Gothofredus Rhonius de quibusdam ineditis Hiſtoriæ Sileſiacæ Scriptoribus, Epiſtola III.

XXII. His ad Errorem, quantum perſpicere poſſumus, Viam præivit Ioannes Dlugoſſius, omnibus, quos citavimus, antiquior. Quem ſi audimus: poſt Bellum [cujus Mentionem ſupra fecimus] inter HENRICUM V. Cæſarem, & BOLESLAUM III. Sileſiorum Ducem, Anno 1109 geſtum: Anno 1110, in Pacis Stabilimentum, intra Germaniæ Bambergenſia Comitia, progemino Vinculo nectebatur geminum Matrimonium: quod

ANNO 1141.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

quod BOLESLAUS quidem cum Cæſarum, HENRICI IV. Filia, HENRICI V. Sorore, ADELHEIDE, Viduus mox ibidem iniit: VLADISLAUS autem ſex Annorum Puer [Anno 1104 natus, ut idem Dlugoſſius ad hunc Annum refert] cum CHRISTINA, Imperatoris HENRICI V. Filia, quondam ineundum promiſit: quam BOLESLAUS ideo Bambergâ ſecum traductam, in Polonia educari curavit. Ea commemorat in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1110: *BOLESLAUS*, inquiens, *Polonorum Dux, Sororem Regis* [Imperatoris HENRICI V.] *ſibi in Sponſam, Filio vero ſuo WLADISLAO ex Rutena genito, Filiam Regis HENRICI CRISTINAM Nomine, Virginem Formâ venuſtam, cœpit petere in Uxorem. Quæ omnia HENRICUS REX ſine Cunctatione conceſſit, & celebratis in Bamberg Nuptiis cum Sorore Cæſaris tam novam Nuptam ſibi, quam Filio WLADISLAO Virginem CRISTINAM Iuvenculam cum Dote duplici, comitatus Militibus Cæſareis, in Poloniam deduxit.*

XXIII. Certè VLADISLAI noſtri Conjux, nec Imperatoris HENRICI V. Filia, nec CHRISTINÆ Vocabulo nuncupata fuit.

XXIV. Nam primum, an Cæſar HENRICUS V. ex Mathilde, Henrici Primi, Anglorum Regis Filia, quam ſolam Tori Conſortem habuit, Prolem ullam ſuſceperit, controverſum eſt. Sunt, quibus non quidem nullos Liberos, nullum tamen Filium reliquiſſe ſtatuitur. Ioannes Dlugoſſius in Hiſtoria Polonica, Lib IV. ad Annum 1126: de Imperatoris Henrici V. Obitu locutus: *Nullum Filium poſt ſe reliquit Hæredem. Quæ illi Orbitas ideo juſtâ Divinâ Ultione æſtimata eſt accidiſſe, qui Patrem ſuum Henricum Imperatorem, quem Præcepto Dominico honorare debuerat, captivans & in Carcerem recludens, eum in Carcere mori fecit. In hoc HENRICO Imperatore QUINTO Henricorum Progenies à Saxonibus deſcendentium in totum exſtincta eſt.* Huic Sententiæ ſubſcribit Daniel Zepko in Gynæceo Sileſiaco. Contra, nullam omnino Subolem Cæſari HENRICO V. fuiſſe tradunt in recentioribus Iacobus Spiegelius in Scholiis ad Guntheri Ligurinum, Lib. VI. Verſum 60. Martinus Cruſius in Annalibus Suevicis, Parte II. Lib. IX. Cap. XI. Henricus Meibomius in Michaelis Sachſii Chronico, Parte III. de Henrico V. Cæſare, Cap. III. Horum Aſſertionem [quam Teſte nullo ſtabiliunt] in vetuſtiſſimis confirmat Gaufredus Prior Voſienſis [Anno

ANNO 1141.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

1183 ſuperſtes] in Chronico [quod Philippus Labbeus in nova Bibliotheca MStorum Librorum, Tomo II. publicavit] Cap. XLIII: *Imperator HENRICUS accepit Mathildem, Filiam primi Henrici Regis Anglorum, quam ei genuerat nobilis Filia Regis Scotorum, qui dictus eſt David.* Ibidem poſt pauca: *Ipſa ex Imperatore nullam ſuſcepit Prolem.*

XX. Deinde VLADISLAUS, ſeptendecim Annorum Iuvenis, jam nubilem CHRISTINAM, Imperatoris HENRICI V. Filiam, Anno 1121, in Thalamum ſolenniter recepit. Quod, præter alios, Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1121 narrat: *Annos nubiles CRISTINA Filia HENRICI Imperatoris QUINTI dum impleviſſet: quam BOLESLAUS Polonorum Dux Filio ſuo, natu majori, primi Matrimonii, WLADISLAO deſponſaverat: quamque in Polonia ex Almania devectam, Decennio jam exacto nutrierat, eô Tempore BOLESLAUS Poloniæ Dux Diem deſignans Nuptiarum, Stephanum Ungariæ Regem, Generum ſuum, cum Baronibus Ungariæ ac Primoribus, Iaroslaum Ducem Wladimirienſem, Socerum ſuum, item aſios Principes Ruſſiæ, ſuique Regni Poloniæ Prælatos, Barones & Proceres ad hujusmodi Nuptiarum Solennitatem, Nunciis & Literis invitat.* At verò Cæſar HENRICUS V. ipſe Nuptias Anno 1114 celebravit. Quod, inter antiquiſſimos, Dodechinus in Appendice ad Mariani Scoti Chronicon: Robertus Montenſis in Appendice ad Sigeberti Gemblacenſis Chronicon: Conradus Urſpergenſis in Chronico ad Annum 1114 indicant. Quomodo igitur VLADISLAUS noſter CHRISTINAM, Imperatoris HENRICI V. Filiam, ante Patris Nuptias, accipere potuit Anno 1110 quidem Sponſam: Anno autem 1121 Uxorem, ſex Annorum Puellam?

XXVI. Ut igitur verum & Nomen, & Patrem Uxoris, quæ VLADISLAUM III, Sileſiorum Ducem, trium Filiorum, BOLESLAI, MIESLAI, CONRADI, Genitorem fecit, in medium afferamus: ea quidem non CHRISTINA, ſed ADELHEIDA fuit appellata: niſi forte ſuſpiceris, ADELHEIDAM CHRISTINAM prius dictam, poſtea Vocabulô aliis priore, aliis poſteriore abjecto, ſuis ADELHEIDAM, Polonis CHRISTINAM eſſe vocatam. Quæ tamen Conjectura, ſicuti nullum, cui acquieſcat, Fundamentum habet: ita Probabilitatis excedit Fidem. Præterea fuit ab Im-

ANNO 1141.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

peratore quidem HENRICO, non autem QUINTO, ſed QUARTO, progenita.

XXVII. Utrumque nos ipſe VLADISLAI Filius natu maximus, BOLESLAUS Cognomine PROCERUS, aliis ALTUS, Sileſiorum Dux, qui Matrem ſuam ignorare non potuit, omnium certiſſimus Teſtis, luculenter docet in diverſis Privilegiis, quæ Locis Sacris intra Sileſiam contulit. Unum allegabimus, quod Leubuſino Monaſterio, cum Annus 1179 ageretur, Lignicii dedit: nobis [ut arbitramur, nondum editum] integrum per Amici Manum, ex Archivo deſcriptum videre contigit. Ibi reperias hæc ſub Initium: *In Nomine ſanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego BOLESLAUS Dux ZLESIÆ, Filius primogenitus illuſtris quondam Principis WLADISLAI, maximi Ducis ZLESIÆ, inclytæque Dominæ ADELHEIDIS, Filiæ Imperatoris HENRICI QUARTI, univerſis Chriſti Fidelibus, tam futuris, quam præſentibus, Salutem & Proſperitatem Vitæ præſentis pariter & futuræ.* Sub finem: *Acta ſunt hæc publicè & data in Legenitz, Anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXVIII.*

XXVIII. ADELHEIDA proinde fuit Originis GERMANICÆ, quam Prærogativæ ſingulares ornaverunt, Auguſta Princeps: cui Proavus Imperator CONRADUS II. Salicus: Avus Imperator HENRICUS III: Pater Imperator HENRICUS IV: Mater ADELHEIDA, Dux Ruſſica: Patris Uxor poſterior. Prior erat BERTHA, Ottonis Marchionis Italici Filia, Imperatoris HENRICI V. Mater: cujus Germana Soror AGNES, Friderici Suevorum Ducis, Hohenſtuffiorum Comitis Uxor, non tantum Imperatoris CONRADI III. verum etiam Friderici Luſci, Suevicorum Ducum Mater, Imperatoris FRIDERICI I. Ænobarbi Avia fuit.

XXIX. Hanc VLADISLAI noſtri Conjugem ADELHEIDAM, non CHRISTINAM, Imperatoris HENRICI QUARTI, non QUINTI, Filiam, Poloni Cauſam potiorem ingentis Calamitatis, quam SILESIA, potiſſimum POLONIA, Bellis agitata civilibus diu ſenſit, donec SILESII à POLONIS, non in ſolidæ quidem Seceſſionis Complementum, ſed in magnæ tamen Libertatis Augmentum, ſe monſtraverunt ſeparabiles, tandem

ANNO 1141.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

adepti, Genitore VLADISLAO II procreatos, tres & proprios, & hæreditarios, nullisque, nisi naturalibus, Legibus obstrictæ Potestatis Duces. Summa, dubites, Convitiorum potius, an Vitiorum, quibus Poloni suam CHRISTINAM, [non à Christo CHRISTINAM, sed à Crista CRISTINAM nominare soliti] nostram ADELHEIDAM notant, hæc est: Fuisse quidem callidissimam Fœminam, POLONOS autem fastidientem, GERMANOS evehentem, Cæsareo Familiæ Spiritu celsiora semper intendentem, Monarchæ, non Tetrarchæ futuro nuptam, Mariti reverà Dominam. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1141: *Animum autem WLADISLAI Ducis suâpte hujusmodi Ambitionis & Livoris Peste flagrantem & infectum, superbum & immitem, Consortis suæ Duciſſæ CRISTINÆ, Sororis Imperatoris Henrici, Sermones Contumeliis & Improperiis* [Convitiis] *referti, ad hauriendam ampliorem in Facinus Bilem inflammabat. Non in hanc, inquit, tam truncatam & tenuem, quæ tibi relicta est, Portionem, sed in totius Poloniæ Regni Spem, unius Filia Cæsaris exsistens, & alterius Soror, Sponsa Ætate viridis tibi trahebar: potentiori & ditiori, nisi hæc Spes Genitorem Cæsarem fefellisset, desponsanda.* Ibidem post quædam: *Ex eo siquidem Regno, in quo demorituri Patris Voluntas, & major Sanguis, splendidumque, quod ex me nactus es, Conjugium, Hæredem & Monarcham efficiunt, in quartam tantummodo Partem es detrusus, laceratoque tuo Principatu, & in tres alios Fratres, quos magis tibi servire, & tuo parere Imperio, quam ex æquo principari, translato, non nisi Semiprinceps mereris vocari, tribus Filiis in Spem Regni Poloniæ genitis, exiguam Sortem, & obscuriores Fasces atque Titulos relicturus. Eligibilius mihi fuisset, Fatis absumi, quam in tam ignobile Connubium, Generis mei Splendorem obfuscaturum, prolapsam esse. Expergiscere itaque, & tam fœdam Conditionem, tibi & Proli tuæ perpetuum Dedecus dissolve, omnesque Principatus à Fratribus occupatos, iterum & repete, & tam tuæ, quam meæ præsenti & futuræ Ignominiæ, si Virum te censes, non Fœminam, dum licet, consule.* His respondentia commemorat Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI: de Vladislao II: *Ægrum sua Sponte ejus Animum Uxor CHRISTINA superba, avara & ambitiosa Mulier, & qua POLONOS omnes in Porcorum Loco habebat, nec eos ad Mi-*

ANNO 1141.
GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

Ministerium, ac vix ad Conspectum suum admittebat, GERMANIS suis impendio delectata, magis etiam inflammavit: quod eum præter Mores Iuraque Gentium ad quartam modo Partem Principatus detrusum esse dictitaret, qui in universum Principatum Patri, utpote natu maximus, succedere debuisset. Se Cæsaris Filiam, Cæsaris Neptem, ex inclyta Familia, cum amplissima Dote, in Spem universi Principatus ipsi nupsisse: nunc vero ad exiguam Sortem cum Liberis communibus redigi: qui quidem, post Patris Mortem ad Egestatem, indignam suo Genere & ipsorum Ordine redituri essent. Quod si ille Vir esse pergeret, nec à Moribus & Virtute paterna degeneraret, brevi se visuram esse domi totum Regnum.

XXX. Speciatim ADELHEIDÆ, quam CHRISTINAM nominat, Mores à Polonicis, quibus Germanicos prætulit, prorsus abhorrentes exponit Ioannes Dubravius in Historia Bohemica, Lib. XI. ad Annum 1152: *Nec in Conventu transigi Negotium potuit, non tam VLADISLAO, quam CHRISTINA Uxore, apud POLONOS implacabili Odio Laborante, propter Fastidium ejus Gentis, quam sic fastidiose despiciebat, ut ne quidem Ministerio ullo in Aula sua GERMANIS referta, dignos duceret, sed abigendos eos ab illa curaret, quasi agrestes inconcinnosque, & Haris potius ob Sordes, uti dicebat, quam Aulis aptiores.* Similia de Christina profert Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XVII.

XXXI. Contra, Miseriæ, quam VLADISLAUS Imperium Polonicum solus affectare gavisus, tandem subiit, Causam non postremam GERMANI, potissimum SILESII, quemadmodum eorum MSta Chronica docent, adscribunt POLONIS: partim VLADISLAI Credulitatem Patientiamque nimiam in enormem Licentiæ Superbiam, Germanis noxiam, convertentibus: partim vero ADELHEIDÆ, cui Nomen CHRISTINÆ solet imponi, talia, [quibus in humaniores delicatioresque Mores composita irritabatur] detestantis irritantisque Stirpem, ipsiusque Potestatem Cæsaris contemnentibus. De quibus Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Fratrum Polonicorum Dissidio:

ANNO 1141.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

Culpam hujus Rei Poloni transferunt in CHRISTINAM Uxorem, VLADISLAI, Filiam Henrici Quinti, cui tribuunt Fastum intolerabilem, Ambitionem, Avaritiam, & in primis Contemtum Gentis Polonicæ. Fuit quidem Fœmina nobilissima, cujus Proavus, Avus, Pater imperaverant, & ipse CONRADUS Cæsar, qui fuit natus ex Sorore Henrici Quinti, propinquo Gradu Cognationis eam attingebat. Hæc tanta Claritas fortassis muliebri Animo auxit Spiritus: sed fuit certè Superbia & Contumacia Nobilitatis Polonicæ flagitiosa, quæ & ipsam, & Cæsarem quoque fastidiebat, & VLADISLAI Patientiâ & Credulitate abutebatur. Eadem Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. XVIII. refert.

XXXII. Ideo Scriptores Polonici reperiuntur, qui Odiis Frena plus æquô laxantes, tantum non omnia, quæ VLADISLAUS & ADELHEIDA gesserunt, Opprobriis excipiunt: &, partim quæ dubia sunt, quamvis meliorem in Sententiam verti possint, non ex Animo, sed in Speciem suscepta judicant: partim, quæ fuerunt quidem injusta, sed tamen, pro Circumstantiarum Habitu, Censuram leniorem promerentur, asperrimis durissimisque Vocabulis notant. Proinde non mireris Testimonia quædam, non tam ex Vero, quam ex Affectu profecta, quibus VLADISLAI Acta confirmabimus.

ANNO 1142.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

XXXIII. Certè VLADISLAUS, seu propriô, seu Uxoris Consiliô, partim Modestiæ, partim etiam Prudentiæ Documentum edebat, cum Monarchiam Terris Polonicis redditurus, advocatis Cracoviam Proceribus, præsente Conjuge monstrabat, peractam Provinciarum Divisionem Polonico Imperio allaturam Periculum, imò Exitium. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1142: *Ad occupandum Germanorum suorum, BOLESLAI, MIECSLAI & HENRICI Sortes & Principatus, WLADISLAUS Poloniæ Dux Animum dietim intendendum jam muliebribus subjectionibus inescatus, ad Exsecutionem Propositi procedere decrevisset, frequenti*

ANNO 1142.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

ti Numero Prælatorum & Baronum in Cracoviam advocat, an cogitata per eum prosequenda sint, cum illis deliberat. Adhibita est ad id Consilium, quô in Votum Ducale Consiliariorum Mentes & Sententiæ facilius irent, Ducissa CHRISTINA [ADELHEIDA] *pleraque & colorandum Ambitionis Fervorem callido Ingenio proposita, inter quæ, id unum præcipuum erat, expedire Reipublicæ Polonorum, unum esse Principem, unum Rectorem, unum Monarcham, Divisionemque Principatuum inter Fratres celebratam, pro Salute totius Corporis, rescindendam: & Fratres, non Provinciis, non Principatibus, sed aliquibus Oppidis & Villagiis donandos, eosque non pares, sed subjectos & obsequentes WLADISLAO, velut Monarchæ, à Patre & universo Consilio Polonorum designato, fieri oportere. Secus Re actâ, & Corpore Regni Poloniæ in plures Sortes scisso, & Poloniam perditum eversumque iri, & in Prædam vicinis Regionibus opportunè, Virtute debilitatâ, concludebat exponi.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI. de Vladislao: *Ut sub honesto Prætextu lateret Scelus, & quô facilius vel adjuvante, vel non adversante Multitudine Suorum, cogitata perficeret, Senatum convocat. Quæritur, perniciosam & exitialem esse Reipublicæ Partitionem Principatus à Patre suo institutam, propterea, quod Multitudo Principum cum Hostes ad invadendum audaciores, tum Cives ad resistendum infirmiores redderet.* Ibidem post quædam: *Neque verò diu quietam esse posse ab intestinis Discordiis atque civilibus Bellis eam Rempublicam, quæ à pluribus exæquato Dominatu, non certis Legibus, sed Arbitrio cujusque gubernetur. Nec diu Majestatem unius cujuspiam ab iis conservari solere, qui non modo Genere, sed Viribus etiam & Potentiâ uni illi pares se esse sentirent.* Iterum post quædam: *Quocirca vellent, juberent, ut penes unum se, quem Primogeniti Prærogativa cæteris Fratribus prætulisset, verè esset Regnum. Attributurum se esse Fratribus, aut definitos è Fisco suo Reditus, aut verò Agros nonnullos & Territoria: in quibus illi Vitam honestè sustentare queant, nec tamen calcitrandi Materiam aut Occasionem habeant. Multô esse præstabilius, paucos quosdam Incommodo ac Detrimento affici, quam universos perire.* Postea, quid pro Exemplo Adelheida, quam Christinam vocat, Mariti confirmatura Sententiam, subjecerit, commemorat. His addit: *CHRISTINA* [*aderat enim in Senatu,*

ANNO 1142.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

tu, quô minus liberè, ejus Intuitu, Sententiæ dicerentur] *cum alia, quæ videbantur, tum, sic in ſua Germania, ſic apud alias Gentes, quæ Cultu Vitæ, Ingeniis & Sapientia præcellerent, Moribus atque Legibus receptum eſſe, ut maximus natu in Bona paterna ſuccedat, cæteris Fratribus paululum aliquid præ Manibus det, unde vivant.*

XXXIV. Poterant hæc, ut ſalutaria, ſub commodam Exſecutionis Formam redigenda, tum VLADISLAI Fratribus, tum Poloniæ Proceribus admitti: quæ tamen pluribus diſplicebant: multis naturali Genio ductis, â quô ſæpe Licentia, quamvis noxia, ſpecioſum Libertatis Nomen accipit: ſub plurium, quam unius Regimine, ſolutiores Cives ſtatuentibus: maximè, quos nec inanis, & inveterata Suſpicio tenebat, VLADISLAUM non tam ſuô Polonicô, quam Uxoris Germanicô Ingeniô regi ſolitum, Mores alios, aliam Vitam ſubjectis, Exemplô prævium, Imperio prævalidum, quod Præſidio Fratrum effugere non poſſent, præſcripturum. Neque commovebat eos diviſa Potentia, qui malebant adverſus communes Hoſtes conjungendis, quam conjunctis gaudere Viribus. Adhæc, Fratres ipſos aut immemores, aut incurioſos, minimè ſolicitos habebat Irreverentia ſimul & Contumacia prior, quam nondum in VLADISLAI Animo deleverat Oblivio, cum Provincias diviſuri, ſe patrio Teſtamento minus addictos patefacerent, Primogenito Fratri deſtinatum in juniores Imperium ægrè concedentes: de quo diximus §. VII. Unde VLADISLAUS, quoniam in Fratrum Conſtantia firmum ponere Momentum non potuit, magis fuit excuſabilis, cum veterem Imperii Polonici Formam, quam ſibi, quam cæteris omnibus aptiorem felicioremque judicavit, ſolennibus in Comitiis, non per Minas importunas, ſed per ſapientes Rationes intendit.

XXXV. At enim, melior Cauſa Proceribus iis commendabat Diſſenſum, qui, pro Temporis præſentis Statu, VLADISLAI Fratribus, ad Genitoris Mentem, jam obtentas Provincias repugnaturis nonniſi per inteſtinum Bellum extorqueri poſſe videbant. Hinc easdem, quas Voluntati Patris adhærentibus Conſilio ſubtrahendas deſperabant, Vi eripiendas utique prudenter VLADISLAO diſſuadebant. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1142: *Requiſitis deinde Conſiliariorum Sententiis, Primores omnes fere Propoſitum Ducale deteſtabantur, impium adſtruebant & crudele, & ab Humanitate alienum, Fratres de ſuis Sedibus atque Sortibus exturbari, Iuraque Gentium & Inſtituta tam divinarum, quam humanarum Legum peſſundari & confundi: ni! ſancti, nil penſi, nil juſti inter Homines hoc Exemplo relinqui. Nec eam Rem impune ceſſuram, ſed Divinitatem Parti læſæ contra Ius Fasque patrocinaturam.* Ibidem poſt quædam: *Orabant deinde WLADISLAUM Ducem, quatenus a tam exitiali Crimine, ſibi & ſuis nocituro, Animum averteret, & Germanitatis Memoriam ſubire in Pectus pateretur.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VI: *Sententias rogati Senatores, cum ſtupefacti Rei Novitate, aliquandiu Silentium tenuiſſent, tandem omnes, paucis a CRISTINA* [Adelheida] *ſubornatis exceptis, impium & crudele Principis Conſilium deteſtari, orare, monere, ne Patris ultimam Voluntatem irritam faciat: ne univerſæ Poloniæ Conſenſum aſpernetur: ne Leges Naturæ labefaciat.* Ibidem poſt quædam: *Magis autem conſultum eſſe Reipublicæ, ſi plurium ea Conſiliis & Armis conjunctis defendatur, quam ſi ex unius Iudicio & Propugnatione dependeat.*

ANNO 1142.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

XXXVI. Victus his Argumentis VLADISLAUS, nihil Rerum novarum moliturus plerisque videbatur, ſed videbatur. Mox enim [ut Partium Polonicarum Sectatores affirmant] tum ab Uxore, tum ab aliis per Rationes contrarias in Scopum ſemel præfixum directus, tanquam ex ipſo Patris Teſtamento, cui parere par eenſebat, & Primatum, & Imperium in Fratres nactus, horum Patientiam Obedientiamque judicabat tentandam, cum ab iis eorumque Provinciis pecuniarium Subſidium poſceret; ſeu, ut Reverentiam experiretur, qua recedere juberetur â Propoſito, ſeu, ut Cauſam conſequeretur, ob quam perſeveraret, tum in præſcriptæ Subjectionis, tum in Securitatis plenæ Diffidentia, contumacibusque tantô juſtius inferret Bellum. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1142: *In hanc* [de Patrimonio Fratribus relinquendo] *Sententiam cum pene omnes Conſiliarii pedibus iiſſent, Dux etiam WLADISLAUS illam ſecuturus ſperabatur, Naturæ tamen Impotentia, & Uxoris Amor, & paucorum Conſiliariorum Re-*

ANNO 1142.
GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

Respectus, qui assentando magis, quam consulendo in Rem ibant, modestum ejus Propositum & labefactavit & pervicit. Itaque tam Uxoris Consiliis, quam Precibus & Improperiis [Convitiis] *expugnatus, in Facinus dudum cogitatum consentiens, primum quidem, ne Tyrannis sua ab omnibus notaretur, Subjectionem & Tributum ab omnibus Principatibus, qui in Fratrum suorum Sortem cesserant, jubet sibi, tanquam Polonorum Monarchæ, persolvi.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VI: *His & aliis Dictis propemodum ad Sanitatem revocata erat Mens Principis, nisi violentior Uxoris Amor, nocturnæque ejus Persuasiones & Blanditiæ, quæ plurimum apud uxorios Viros valent, tantôque pestilentiores sunt, quantô plus potestis, quem superant, præcipitem egissent. Deliberato Scelere, Tributum sive Subsidium pecuniarium Fratribus & fraternis Ditionibus primum imperat, ut eorum tentaret Patientiam: &, si renuerent, justum haberet Belli ipsis inferendi Prætextum.*

XXXVII. Num hac Occasione Fratres, postulatam Nummorum Summam, seu recusantes, seu conferentes, quoddam Subjectionis Specimen VLADISLAO ediderint: an potius, vel importunâ Repugnantiâ, vel immodicâ Rixâ, Bilem tantô magis commoverint, non habemus cognitum. Certè posthabitis mandatis, graviorem in Modum irritatus videtur VLADISLAUS, quoniam deinde violenter à Fratribus eorumque Populis exegit & Obsequium, & Tributum. Imperata recusantes, aut Verberibus, aut Vinculis, aut Mulctis terruit: tandem Possessionibus paternis tantum non omnibus, quas pro fiduciariis habebat, spoliare Fratres aggressus. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1142: de Vladislao: *Mox deinde jubet sibi & nulli alteri per singulas Regiones parere, rebelles & contumaces aut Verbere, aut Carcere, aut Bonorum Ademtione percelli. Et quoniam Polonorum Proceres Nobilesque ad id facinus tutò perpetrandum, rebatur sibi parum fidos: ex Rutenis, cum & ipse Matre Rutena genitus sit, quosdam auxiliares accersit, eorumque Ministerio Occupationem Bonorum fraternorum peregit: eò quoque processit Injuriæ, ut ex omnibus Possessionibus Fratres deturbaret.* Eadem Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VI. aliique commemorant.

ANNO

ANNO 1143.
GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

XXXVIII. Tum demum Fratres videntes VLADISLAO se non pares, ab Armis ad Preces confugiebant: quibus nihil ab ADELHEIDA [Polonis CHRISTINA dicta] VLADISLAI Conjuge simul & Rectrice poterant impetrare, nisi Monitum, quô parere VLADISLAO, tanquam Monarchæ, jubebantur, & in suam, & in publicam Salutem. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1143: *Gliscente indies WLADISLAI Polonorum Ducis in Fratres suos BOLESLAUM, MIECZLAUM & HENRICUM Duces sævâ Tyrannide, cumque jam Fratres ii pluribus Castris, Civitatibus, Oppidis, Munitionibus & Possessionibus à præfato WLADISLAO Duce, quem suæ pupillaris Conditionis Protectorem speraverant, exuti forent, quid agant, quò se vertant, cujus Opem implorent, resistantne Fratri Duci WLADISLAO, an suos Principatus occupari sinant, prorsus ignorant. In publicum quidem venire cum Fratre Certamen, & Ætas infirmior, & Fratris WLADISLAI Potentia, illorum Viribus longè superior, eos, qui ab illorum Partibus erant, prohibebat.* Ibidem post quædam: *In Misericordia itaque & Precibus omnem Spem reponendam censebant, & orandum WLADISLAUM Ducem, ut sua Sorte contentus, Fratrem se gereret, non Hostem. Primum tamen Consortem illius Ducissam CHRISTINAM* [Adelheidam] *omnium eorum, quæ tum agebantur, Commentricem, adire suadebant. Eâ enim placatâ, & Virum Pietate flecti posse: muliebri verò Irâ non expugnatâ, & Maritum inexorabilem fore.* Quibus ibidem, cum lamentabiles Fratrum Preces in medium attulisset, ADELHEIDÆ, quam CHRISTINAM vocat, cui plus, quam virilem Animi Duritiem fuisse commemorat, Responsum annectit: *Non*, inquiens, *movit trucem Fœminam, neque jacentium ad Pedes suos Ducum & Levirorum Fratrum etiam suorum Respectus, non Preces, non Lachrimæ, non Ejulatus, obstinato ad hæc omnia Pectore Preces Pupillorum repudians: WLADISLAUM, Virum suum, respondit, justam & necessariam Rem egisse: neque ob id carpendum fore, cum Status Reipublicæ Polonorum, nisi Regno reunito, servari & prosperari non possit. Scissionem ejus, si & ipsi sapere possent, cunctis exitialem esse. Salutarius eos atque magis sensatè acturos, si se & sua Arbitrio & Voluntati Ducis WLADISLAI, velut natu majoris, permitterent, Rebellionem quamlibet & Resistentiam in Capita eorum, quique*

ANNO 1143.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

quique illis adhærerent, reciſuram. His conſimilia profert Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VI. ut alios Silentiô prætereamus.

ANNO 1145.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

XXXIX. VLADISLAUS, ad quem multi Proceres Poloni, ſeu Fortunâ, ſeu Cauſâ ducti, â preſſis Fratribus defecerant, BOLESLAUM & HENRICUM Terris ſuis orbaverat. Supererat MIESLAUS pari Conditione ſubigendus, ad quem in majorem Poloniam BOLESLAUS & HENRICUS confugiebant. Ibi munitam Urbis Poſnanienſis Arcem Militibus inſtruebant, ſe contra VLADISLAUM Nervis omnibus defenſuri. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. cum Boleslaum & Henricum è Dominiis ſuis expulſos narraviſſet: *Unus tantummodo MIECSLAUS Senex vocatus reſtabat, Gneſnenſis, Poſnanienſis & majoris Poloniæ Dux: ad quem hi duo Fratres, BOLESLAUS Criſpus Maſoviæ, & HENRICUS Sendomirienſis Duces Sedibus ſuis pulſi diffugerant, Arcemque Poſnanienſem omnes tres adeuntes etiam Viris Armisque eam munierant, Reſiſtentiam Duci WLADISLAO, ſi illic quoque impeterentur, oppoſituri.*

XL. Quare VLADISLAUS Fratres Poſnaniæ conjunctos celerrimo Adventu capturus, quos in Deditionem non experiebatur faciles, obſidebat. Illi veriti, ne ſub Poteſtatem redactos inhumanius tractaret, miſſis ad eum Legatis, non violentis, ut Hoſtes, Armis oppugnari, ſed conceſſis, ut Fratres, Patrimoniis recreari cupiebant. Non impetrantes Pacem, ad ſui Tutelam, ipſâ Deſperatione ſtimulati, fortius incitabantur. Idem Dlugoſſus ibidem: *Quod ubi Dux WLADISLAUS agnovit, ocius illic ire pergit, celeriori quoque, quô poteſt, Curſu, Exercitum admovit, & Poſnanienſe Caſtrum fortiſſima Obſidione vallavit, univerſos Fratres uno Loco, unaque Obſidione debellaturus & comprehenſurus.* Ibidem poſt quædam: *Principes autem, BOLESLAUS, MIECSLAUS & HENRICUS, videntes, ſe per Obſidionem illam plurimum coarctatos, ne vivi in Manus hoſtiles venirent, ne quoque in captos quicquam gravius ſtatui contingeret, mittunt nuncios ad WLA-*

DIS-

ANNO 1145.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

DISLAUM Poloniæ Ducem, rogantes, ut Nubilô ſuæ Indignationis mitigatô, illos hoſtiliter impetere, & Principatus eorum occupare deſineret, ſolveretque Obſidionem, & Fratrem ſe atque Defenſorem, non Hoſtem gereret, Sorteque ſua contentos eſſe, neque in Exterminium eorum, qui eodem Patre eſſent geniti, & æquale in Poloniæ Regno Ius cum eo haberent, adſpiraret, memor humanarum Rerum, & ſuam Fortunam modeſtè regeret, & aliena ne urgeret. Iterum poſt quædam, cum Vladislaum his Argumentis ab Obſidione non revocatum dixiſſet: *Dux WLADISLAUS non aliter exiſtimabatur quieturus, donec cum Fratrum Exterminio plenum illi Regimen Regni Poloniæ proveniret, perſeverare in Obſidione, eamque tolerare & omnia extrema pati deſiniunt.* His plura, quæ contigerunt, dum Obſidio duravit, ſubjungunt, Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XVII. & Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI.

XLI. Dum obſeſſi Fratres ab Excurſionibus, quibus VLADISLAO nocuerant, ob Præſidii Tenuitatem abſtinent. In Caſtris VLADISLAUS Inſidiatores Proditoresque multos habet: ſecuriores Poloni, maximè Ruſſi, Prædis, Ludis, Conviviis, Somnis potius, quam Excubiis vacantes, ab Oppidanis, tam ſupinæ militaris Negligentiæ conſciis, ex improviſo invadunt ur, accenſis Tabernaculis in Terrorem acti opprimuntur, inque Fugam diſpelluntur. Paucis hæc tangit vetus Autor in Montis Sereni Chronico, ad Annum 1146: de Vladislao II: *Fratres ſuos exhæredare conatus eſt. Denique cum* [â Cæſare Conrado III] *reverſus Civitatem Poſnam cum Exercitu obſideret, Fratres ejus collectis paucis ex improviſo ei irruentes multos de Exercitu ejus proſtraverunt.* Pleniorem in Modum deſcribit eadem Ioannes Dlugoſſus, in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1145: cum Velitationum inter obſeſſos & obſidentes meminiſſet: *Pluribus deinde Diebus ab obſeſſis nil movebatur, Principesque obſeſſi omnes ſuos intra Arcem continebant, cum lacceſſendi magis, quam ſuſtinendi Hoſtes levibus Certaminibus Experientiam accepiſſent, nulla Parte Viribus Hoſtium pares. Dilapſi Hoſtes ex Stationibus Cuſtodiâque Operum, ac cæteri WLADISLAI Milites, poſtquam ab obſeſſis Copia Pugnæ non fieret, Corpora curabant, aut Luxui Ebrietatique operam dabant, omniaque in Caſtris WLADISLAI, quaſi victi & expugnati Ho-*

ſtes,

ANNO 1145.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

ſtes, ſolutiora forent: fractos quoque & ultima Deſperatione fatigatos Principes, BOLESLAUM, MIECYSLAUM & HENRICUM, eosque, qui ſecum unà obſidebantur, ratus, lætus & gloriabundus Deditionem eorum WLADISLAUS Dux operiebatur. Contemtus deinde Hoſtium, Negligentia in Exercitu WLADISLAI, velut Re proſperè ſuccedente & ſucceſſura haberi cœptus eſt. Paucis ad Stationes & Opera relictis, cæteri ſe in varia Loca ſparſerant, plerique in Laſciviam explendam abierant, Pars aut Ludo, aut Comeſſationi vacabat: quidam heſternam eructantes Crapulam Somno ſtrati jacebant, inermes, inordinati, ut quibus velut pro comperto erat, obſeſſos de cætero nil hoſtile moturos. Ibidem poſt quædam, cum Eruptionem Oppidanorum repentinam & ingentem Hoſtium Conſternationem narraviſſet: *Pauci itaque inermes Equis utcunque correptis, dum ordinatis & armatis occurrerent, facile trucidantur ſparſi, & ferè omnes opprimuntur.* Iterum poſt quædam: *In caſtra hoſtilia Igne ingeſto, Incendium latè diffundi cœpit.* Porro interpoſitis paucis: *Et dum in omnes Partes capeſſunt Fugam, Equites fugientes perſecuti, magnam Cædem in fugientibus, Rutenis præſertim, ediderunt.* Eadem non multò aliter commemorant, Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XVII. & Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI. Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus: *Obſedit VLADISLAUS Fratres in Urbe Poſnanienſi, Anno 1145.* Ibidem poſt quædam: *Tandem cum ſui negligenter cuſtodirent Caſtra, & omnia circa ipſum plena eſſent Proditionum & Inſidiarum, obſeſſi eruperunt, & Exercitum Internecione deleverunt.*

XLII. Ipſe VLADISLAUS, à ſuis Partem maximam profugis deſertus, in Poloniam minorem ſecedebat; ubi Cracoviam Securitati ſuæ commodam credebat Sedem. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1145: *WLADISLAUS Polonorum Dux cum Rutenorum Ducibus & paucis quibusdam effugiens, verſus Cracoviam à ſuis deſertus conceſſit, mœrensque & Calamitate plenus Equos mutando, Cracoviam ſine Militum Frequentia, perindè, atque privatus foret, advenit.* Eadem Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XVII. & Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VI. tradunt.

XLIII.

ANNO 1145.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

XLIII. Dum VLADISLAUS in Urbe Cracovia hæret, multis, ut fieri ſolet, eò ſe convertentibus, quò Fortuna propendet, à victo ad Victores transgreſſis, Fratres BOLESLAUS, MIESLAUS & HENRICUS majore Potentiâ conſpicui, Provincias ſuas recuperant. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1145: *Ex eôque Tempore Res eorum contra WLADISLAUM proſperatæ ſunt, & omnia, quæ illis abſtulerat, brevi ſunt recuperata.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI. ad Annum 1145: *Magna ſit ſtatim eâ* [Fratrum] *Victoriâ Rerum Commutatio. Deſluebant omnes paſſim à victo ad Victores, & augebant eorum Exercitum: Arces & Munitiones interceptæ, & in Fidem & Poteſtatem priſtinorum Dominorum ultro redibant.*

ANNO 1146.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

XLIV. Hinc ſubverſo Rerum Statu, BOLESLAUS, MIESLAUS, HENRICUS Fratres, Provinciis ſuis receptis, VLADISLAUM, quò intra Poloniam vivente, ſibi ſuisque nullam Securitatem promittebant, ex Urbe Cracovienſi depellere properabant. Otto Friſingenſis in Chronico, Lib. VII. Cap. XXIV. ad Annum 1146: *In Polonia etiam inter* III. [IIII.] *Fratres Terræ Principes miſerabilis auditur Tumultuatio.* Quæ ſuum in Chronicon transtulit Albericus trium Montium Monachus, ad Annum 1146. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1146: *Principatibus propriis BOLESLAUS, MIECZLAUS & HENRICUS, miro omnium Baronum & Nobilium Favore & Conſenſu recuperatis, cum præter inſitam Invidiam & Exſecrationem, quâ erga WLADISLAUM Ducem Occupatorem injuſtum Milites Poloniæ tenebantur, etiam in eam Partem verſi ſunt, quò ſe jam Fortuna inclinarat, collectis tam equeſtribus, quam pedeſtribus Copiis, ad Cracovienſem Urbem & Arcem, in quâ WLADISLAUS poſt Fugam deliteſcebat, procedunt, WLADISLAUM inde propulſaturi, & ſuas Injurias Damnaque, antequam ex Clade apud Poſnaniam accepta ſe reficeret, ulturi: rati,*

ANNO 1146.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

rati, eô Monarchiam Polonorum obtinente, novis Bellis cum Rutenorum Assistentiâ, se quandoque infestaturos. Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XVII: *Duces verò, utpote BOLESLAUS Crispus, HENRICUS & Senex MIECZLAUS, ex Manubiis utriusque Exercitus, tum Polonici, tum Ruthenici, ditati, plures ex forensibus Milites armaverunt, propriosque omnes asciverunt, & WLADISLAUM insequentes Cracoviam pervenerunt.*

XLV. VLADISLAUS, Posnaniensem Fortunam veritus, à plurimis desertus, non in Urbe, non in Arce Cracoviensi tutum se ratus, nec in Fratrum Clementia, quibus eam ex Diffidentiâ denegaverat, Fiduciam reponere sustinens, ibi ADELHEIDA Uxore, tribusque Filiis, BOLESLAO, MIESLAO, CONRADO relictis, Fugam, optimum Salutis Præsidium, arripiebat. SILESIAM, Provinciam suam ingressus, per ejus RATIBORENSEM Terram Exsul Auxilia quæsiturus, in Germaniam ulteriorem, ad Imperatorem CONRADUM III. Affinem suum contendebat. Ioannes Dlugossius in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1146: *WLADISLAUS autem Dux Clade Posnaniensi perculsus, & tam Militibus, quam Fortunis Armisque exutus cum & Homines omnes, omnia Loca, Animis ab eo alienatis, suspecta haberet, nec satis cuiquam fideret, de Cracoviâ in RATIBOR, & exinde in Almaniam* [Germaniam] *per SILESIÆ Oram ad CONRADUM Romanorum Regem Auxilia sua imploraturus, ne in iratorum & pro suo Merito sibi infestorum Fratrum Manus incideret, confugit: Uxore & tribus Liberis in Arce Cracoviensi relictis.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VI: *Quod* [Fratres Cracoviam tendere] *cum WLADISLAO nunciatum esset, diffisus Munitioni Arcis, suorum Studiis & Voluntatibus, & Fratrum desperatâ Misericordiâ, quippe quos ipse supplices nullâ Misericordiâ dignatus esset, relictâ Cracoviæ Uxore, ac tribus Filiis, per SILESIAM in Germaniam profugit: CONRADI III. Cæsaris, Uxoris suæ Sobrini, Opem imploraturus.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus: *Ipse VLADISLAUS desertus ab omnibus suis, profectus est in Germaniam ad CONRADUM, petiturus ab ipso Auxilia.*

XLVI. Cracoviensium prius Urbs, deinceps Arx, cum aliquandiu Obses-

ANNO 1146.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

sessoribus Fratribus restitissent, per Deditionem sub eorum Potestatem redigebatur. Victores hinc, tum ADELHEIDAM, tum Filios, BOLESLAUM, MIESLAUM, CONRADUM, non inhumaniter habitos, ad Maritum Patremque VLADISLAUM in Germaniam, permissâ Bonorum Supellectili, non citra Præsidium additum, discedere jubebant. Ioannes Dlugossius in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1146: *Cracovienses autem Cives, cum Ducibus BOLESLAO, MIECSLAO & HENRICO Urbem obsidentibus aliquantis Diebus obstitissent, tandem, dum nil Spei in WLADISLAO & Filiis ejus sibi viderent superesse, Portas aperiunt, timentes, ne quid hostile paterentur. Nec ita post multos Dies Arx cum Uxore & Filiis WLADISLAI dedita est.* Ibidem post quædam: *Neque animadversum quicquam, neque sævitum est: sed sine Injuria, sine Contumelia* [Uxor Vladislai] *habita est: & omnis illi Honos ab exacerbatis, justâque Irâ candentibus Victoribus Ducibus & Leviris servatus.* Ibidem post quædam: *In Almaniam* [Germaniam] *cum tribus Filiis suis ex WLADISLAO susceptis, BOLESLAO Alto, MIECZLAO & CONRADO Loripede ad Virum suum deducta est.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VI: *Cracovienses, cum primum advenientibus BOLESLAO, MIECISLAO, & HENRICO Portas clausissent, cognitâ Principis longiore Fuga, & Consensu totius Poloniæ* [videtur legendum, Populi] *aperuere: nec multò post Arx etiam deditur. In quâ recipiendâ summa Animorum Moderatione Iuvenes usi sunt. Liberos & Uxorem WLADISLAI, quamvis infestam sibi, & quæ Origo Malorum illorum fuerat, ab omni Injuria & Contumelia iratorum Militum atque Procerum defenderunt: & cum omni Supellectili in Germaniam, aut quò vellent, additis, Præsidii Causa, qui abeuntes deducerent, dimiserunt.* Paucioribus hæc tangit Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XIV. Parem in Modum Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus: *Poloni CHRISTINAM* [Adelheidam] *Conjugem VLADISLAI, Dominam ipsorum cum parvis Liberis, nullâ habitâ Ratione Sexus & Ætatis, ejecerunt.*

XLVII. Admiratione tantam excipias in Hostis VLADISLAI Fratribus erga deditos Uxorem & Filios Clementiam, quamvis & Victoribus, & Iuvenibus. At ea quidem Humanitas non habuit nativas singularis Virtutis Radices.

ANNO 1146.
GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

XLVIII. Nam primum, quibus Conditionibus Cracovienſis Arx Deditionem obſidentibus fecerit, non invenimus conſignatum. Credibile, VLADISLAI & Uxorem, & Filios liberum in Germaniam ex Pacto impetraviſſe Tranſitum. Quare VLADISLAI Fratres, cum ad Exſilium deſtinatos, & illæſos, & Præſidio in Tutelam inſtructos, ad Germanicas Terras progredi permiſerunt: Iuſtitiæ, non Miſericordiæ videntur meruiſſe Laudem.

XLIX. Deinde Victores, Commodis ſuis ſtudentes, tutius eſſe judicabant, dimittere, quam retinere VLADISLAI tum Filios, tum in primis Conjugem, ingenioſiſſimam Fœminam, novas Res Arte, quas Marte non poſſet, pernicioſioribus Conſiliis, quam Armis, facile ſuſcitaturam. Quod innuit Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1146: de Vladislai Uxore: *Liquebat, ea in Polonia manente, Poloniam ſatis pacificam eſſe non poſſe.*

L. Accedit illa quoque Cauſa, quod Victoribus in VLADISLAI Uxorem Filiosque pro Sævitia Lenitatem ſuadere potuerit Cæſaris CONRADI III. & Autoritas, & Potentia: quem ultra Modum irritare non ſuſtinuerint, VLADISLAO per Affinitatem, Uxori & Filiis per Conſanguinitatem annexum: maximè, quoniam eundem alio etiam Titulo verendum habebant Ulltorem. Nam in hujus manifeſtam Injuriam, VLADISLAUM, Romani Germanorum Imperii, ob SILESIAM, Germaniæ Provinciam, fortaſſis cœteras etiam Terras, in Polonia ſitas, Fiduciarium Ducem, nondum ab ordinario ſupremoque Iudicio vel auditum, adeo neque convictum, neque damnatum, & Fratrem, & Primogenitum, cui ſubeſſe, cui parere, non tantum ipſo Patris Teſtamento, verum etiam omnium Poloniæ Procerum Populorumque Conſenſu, ex confirmato ſub novi Regiminis Principium Pacto, jubebantur, à ſuis deſertum, per Vim, Arbitrio magis privato, quam publico, tandem univerſo Patrimonio Principatuque ſpoliabant: itaque Superiorem neminem, nullam Legem patientibus Armis ſuperato, & ſub extremam Periculi Neceſſitatem redacto miſerum Exſilii Iugum imponebant.

LI.

ANNO 1146.
GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux VLADISLAUS II.

LI. Quò reſpicere videtur Scriptor illius Temporis, quo VLADISLAUS in Exilium abiit, ſuperſtes, Radevicus, Friſingenſis Canonicus [de quo videatur §. LIII.] quid inter Vladislaum II. ejusque Fratres contigerit, narraturus, cum de Polonis grave Iudicium fert in Chronico, Lib. I. Cap. I: *Nec Principibus ſuis*, inquiens, *Fidem, nec Naturâ propinquis debitam inveniuntur Gratiam conſervare.*

LII. Præterea prorſus diverſum Rebus Polonicis, quas è Polonicis potiſſimum Antiquitatibus in medium hactenus attulimus, Habitum induit, cum in VLADISLAI, non Germanicam Uxorem, ſed iniquiſſimos Fratres Culpam civilis Belli, & quicquid ex eo provenit, transfert Guntherus in Ligurino, id eſt, Poematum Libris, quos de Friderici I. Cæſaris [ab Anno 1152 ad 1190 impetantis] Rebus ad ipſum Fridericum ſcripſit: ubi hæc Lib. VI. Verſu 54 & ſequentibus, de Polonia & in eâ geſtis refert:

Hæc ſiquidem Tellus communi Iure tenenda
Funiculi ſub Sorte, tribus [quatuor] *devenerat olim*
Fratribus egregii Generis: ſed Nomina noſtris
Barbara legitimè nequeunt accedere Libris.
Horum, qui reliquos Ortu præceſſerat, unus
Dux erat, & nuptam cognatam Regis habebat.
Cujus ob Invidiam Fratres Cervice rebelli
Abjecere Iugum, pulſumque è Sede paterna
Compulerunt totâ profugum diſcedere Terrâ.
Ille ſuâ pariter fugiens cum Conjuge, Regem
CHUNRADUM petiit: ſceleratæque Facta ſuorum,
Ærumnasque ſuas, ereptaque Iura Ducatus
Affini Regique ſuo deflebat. - - -

SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.
SILESII Romano GERMANORUM Imperio ſubjecti.

LIII. VLADISLAO II, in Exſilium depulſo, Frater natu proximus BO-

ANNO 1146.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.

SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

LESLAUS IV. ob Capillos Cognomento CRISPUS, consentientibus & Fratribus, & Proceribus, Primatum & Imperium in Fratres consecutus, retentis Masoviensium, Dobrinensium, Cujaviensium, Culmensium, quas in Patrimonium acceperat, Terris: omnes VLADISLAI Provincias, SILESIORUM, Cracovienſium, Siradensium, Lencicienſium acquirebat: eâ Lege tamen, ut CASIMIRUM natu minimum Fratrem, cui nullum à Genitore Patrimonium erat destinatum, suis Opibus educaret atque sustentaret. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1146: *Pulso WLADISLAO Duce ex Polonia, pulsa tandem Ducissa CRISTINA* [Adelheida] *Conjorte sua, pulsis Filiis, dum integra per omnes Regiones Poloniæ Quies affulsisset, BOLESLAUS CRISPUS Cognomine, inter Fratres secundi Matrimonii natu major, & Fratrum Prælatorumque, & omnium Baronum Militariumque Consensu, majorem Principatum & Monarchiam Polonorum obtinuit: & Sorte sua, videlicet Ducatu Masoviæ & Cujaviæ, & ejus Ditione integrè remanente, etiam Cracovienſis Principatus illi ita, ut Fratrem minimum natu CASIMIRUM, cui à Patre nulla Sors relicta erat, curaret, adjectus est.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI: *Exacto cum Uxore & Liberis WLADISLAO Principe, concordi Fratrum juxta ac Procerum Nobilitatisque Sententiâ, ad BOLESLAUM, qui WLADISLAO natu proximus erat, Principatus & Summa Rerum defertur, & quæcunque in Ditione WLADISLAI fuerant. CAZIMIRUS etiam, natu minimus Frater, ejus Curæ commendatus est.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Boleslao IV: *Creatus est Ethnarcha, pulso Fratre, Anno 1146. Fuit Princeps bonus & fortis, sed, ut apparet, Offensionum tenax & vafer.*

LIV. Tum SILESIOS, Ducem BOLESLAUM IV. nactos, etiam Germanico Imperio subjectos fuisse docet Otto, Frisingensis Episcopus, qui Chronicon suum Anno 1146 scripsit. Nam Lib. VII. Cap. XXXIV: *Mutabilium*, inquit, *Rerum ab Adam usque in præsentem Annum, qui ab Incarnatione Domini 1146, ab Urbe condita 1918, CONRADI nonagesimi quarti ab Augusto, nonus, Eugenii tertii, summi Pontificis, secundus est, Seriem qualitercunque percensui.* De Polonia vero narrat hæc, Lib. VI. Cap. XXVIII, ad Annum 1025: *Exhinc Provincia illa Regibus* [Imperatoribus] *nostris sub-*

ANNO 1146.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.

SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

sub TRIBUTO servire cognoscitur. Videantur, quæ proferemus ad Annum 1148. §. LXIX.

SILESIORUM Episcopus XIV. VRATISLAVIENSIS,

IOHANNES II. GRYPHUS, Polonus.

LV. MAGNUS ZAREMBA, per Annos quinque supremus SILESIORUM Præsul VRATISLAVIENSIS, Febre correptus, Anno 1146 edebat Spiritum: in Vratislaviensium Ecclesia sepulcrum nactus. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1146: *Moritur eo Anno MAGNUS Wratislaviensis Episcopus, cum paulo plus, quam Lustro uno Cathedræ Wratislaviensi præsedisset.* Et in Episcopis Vratislaviensibus MStis, Num. XIII: *Cum Annis quinque & Dimidio in Vratislaviensi Ecclesia sedisset, in Febrim quartanam incidit, & Anno Domini 1146 moritur, in Ecclesia Vratislaviensi sepultus.*

LVI. Ad BOLESLAI Ducis Mentem, Successor à concorde Canonicorum Vratislaviensium Collegio eligebatur, quibusdam IANICUS, aliis IANISLAUS, plerisque IOHANNES dictus, Familiâ GRYPHUS, Clementis & Annæ Filius, in Poloniæ minoris Provincia Sendomirienſi natus, Patria BRENIZANUS, Ortu nobilis, Officio Præpositus Vratislaviensis, Canonicus Cracovienſis & Gnesnensis. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1146: *IOANNES Secundus vocatus IANIK conciliter à Capitularibus electus, de Consensu & Favore BOLESLAI CRISPI, Polonorum Ducis & Monarchæ, succedens.* Ibidem post quædam: *Natione Polonus & Genere nobilis, de Domo GRIPHONUM.* Et in Episcopis Vratisl. MStis, Num. XIV: *MAGNO Vratislaviensi Episcopo absumto, Prælati & Canonici Capitulares, Scrutinii Viâ, tanquam modestiori, probatâ IOANNEM de BRZESNIZA, qui & IANICK, alias IANISLAUS vocabatur, Præpositum Vratislaviensem, & Canonicum Cracovienſem & Gnesnensem, ob Intercessionem BOLESLAI CRISPI Ducis & Monarchæ Poloniæ, conformiter eligunt in Successorem.* Ibidem post quædam: *Hic ex Terra Sandomirienſi & Brzesniza Ortum ducens, nobilis de Domo & Familia GRYPHORUM, Gryphem album in Campo rubeo pro Insigni deferentium, Clemente & Matre*

ANNO 1146.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

Anna genitus. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI. ad An. 1145: *IANICUS, qui poſtea Wratislavienſis Epiſcopus, ac deinde Archiepiſcopus Gneſnenſis fuit, IANISLAUSque dictus eſt.*

LVII. More ſolitò, per Archiepiſcopum Gneſnenſem, Iacobum Primum, obtinebat publicam novi Muneris ſui Declarationem. De qua Ioannes Dlugoſſus in Epiſcopis Vratislavienſibus MStis, Num. XIV: *Electionem conformem & Conſenſum Principis nactus, à Iacobo Gneſnenſi Archiepiſcopo facile Confirmationem ſuæ Electionis conſecutus eſt, & Ordinis Epiſcopalis Benedictionem.* De quo plura dicemus ad Annum 1148. §. LXIV.

ANNO 1147.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

LVIII. Imperator CONRADUS III, Exſulem VLADISLAUM II, Sileſiorum Polonorumque Ducem, cum ADELHEIDA, quæ Polonis CHRISTINA dicitur, Uxore, tribusque Eiliis, BOLESLAO, MIESLAO, CONRADO, receptos, à quibus ad ferendam Opem continuis Precibus ſolicitabatur, erigebat quidem in Reſtitutionis Spem, at eam implere ſtatim non poterat: tum potioribus Imperii Negotiis addictus, Expeditionemque pro Chriſtianis adverſus Barbaros in Palæſtinam ſuſcepturus. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1147: *Venientem ad ſe WLADISLAUM Polonorum Ducem CONRADUS Romanorum Imperator primo benignè comiterque excipiens, cum Adventus Cauſas intellexiſſet, Spe bona data, Animum bonum VVLADISLAO Polonorum Duci habere juſſit. Poſtquam verò VVLADISLAI Ducis Conſors Duciſſa CRISTINA cum tribus Filiis, à Leviris de Polonia expulſa, ſuos & Mariti Filiorumque Caſus & Ærumnas longo Sermone CONRADO Romanorum Regi narraviſſet, ut ſui & Filiorum ſuorum miſereri dignaretur, per Ius Sanguinis & per Officium Imperatorium, adjectis Lachrimis, precabatur. VVLADISLAUS autem Polonorum Dux & per ſeipſum, & per Aulicos Regis ſedulis Precibus CONRADUM Regem, ut ſuæ Calamitati præſtaret Auxilium, & ſe cum Uxore & Filiis in Exſilio conſene-*

ANNO 1147.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

ſeneſcere non ſineret, fatigabat. Ibidem poſt quædam: *CONRADUS autem Romanorum Rex, etſi Precibus WLADISLAI Polonorum Ducis & Conſortis ſuæ CRISTINÆ Duciſſæ motus, auxiliaturum ſe eorum Cauſæ, & reſtituturum in Regnum pollicitus frequentius fuiſſet, Rebus tamen Imperii & Calamitatibus, quæ Terræ ſanctæ & Chriſtianis in ea habitantibus inferebantur, pluribusque aliis, privatis & publicis Negotiis, ne, quam pollicitus fuerat, Fidem WLADISLAO præſtaret, avertebatur.* Horum Mentionem quoque facit Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI.

LIX. Sed tamen CONRADUS Imperator VLADISLAO Exſuli ne prorſus deeſſe videretur, inſtructo Militibus Germanis, duo intra SILESIAM Caſtra, NIMECIUM [quod etiam Nemicium, NEMCIUM, NIMPTSCHIUM dicitur] & GRODISIUM, [quod etiam GREDISIUM, GREDISBERGA, GROTHECIUM vocatur] intra Bregenſem Ducatum reparanda concedebat: unde VLADISLAUS in reliquas Sileſiæ Plagas, ipſamque Poloniam ſæpe faciebat Impetum. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1147: *Ne autem CONRADUS Romanorum Rex Cauſam WLADISLAI Polonorum Ducis prorſus deſeruiſſe & ex Animo remiſiſſe putaretur, primum quidem Gentes Almanorum* [Germanorum] *illi conceſſit, quorum Adjutorio Caſtra duo NIEMCE & GREDIS conſtruens, pluribus Excurſionibus Poloniam laceſſebat.*

LX. VLADISLAUS tamen, citra Dubium, inviſus ibidem Polonis plurimis, quanquam Sileſiis non nullis acceptus, his Caſtris non diu videtur gaviſus: quoniam in Aula Cæſaris eum poſtea commoratum fuiſſe conſtat. Videantur, quæ proferemus ad Annum 1152, §. LXX V.

LXI. Præterea CONRADUS Cæſar Legatis, ad BOLESLAUM Sileſiorum Polonorumque Ducem miſſis, Provincias VLADISLAO Fratri ereptas reſtituere conabatur. Id Sponte ſuâ non præſtituro BOLESLAO Bellum minabatur, VLADISLAUM, & Affinem, & calamitoſum, & ſupplicem non deſerturus. At BOLESLAUS Nomine ſuo & Fratrum, & Procerum reſpondebat: VLADISLAUM Fratribus injurioſum, Polonis noxium, neu-

ANNO 1147.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

neutris posse, nisi Perniciem indeclinabilem admissuris, recipi: ab omnibus ob inemendabilem Vitam, Sententiâ justâ semel damnatum & ejectum, nunquam recipiendum. Ita verò, quanquam SILESIÆ, quanquam Provinciarum aliarum Polonicarum supremus PRINCEPS, nihil à suis fiduciariis Ducibus, Imperator CONRADUS, aut Precibus, aut Præceptis, aut Minis obtinebat. Guntherus in Ligurino, Lib. VI. Versu 67: de Conrado III. Imperatore:

- - - - - - - - *At ille*
Imperiosa satis Regni Mandata Minasque
Misit, & ereptos [Vladislao] *reddi præcepit Honores.*
Intumuere truces, nec Regia Iussa, nec acres
Exaudire Minas, nec jam parere jubenti
Curabant. - - - - -

Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1147: *Deinde* [Conradus Imperator] *Nunciis & Literis apud BOLESLAUM CRISPUM Polonorum Ducem & Monarcham, Fratresque suos institit, quatenus Sors WLADISLAUM contingens sibi redderetur, sibi quoque adimeretur Necessitas, & Affinem, & oppressum adjuvandi. Huic Legationi à BOLESLAO CRISPO Polonorum Duce & Fratribus modestum Responsum editum est.* Hoc Responsum, ibi subjectum, Verbis Martini Cromeri, eadem Libro VI. commemorantis, referre malumus: *Ne tamen WLADISLAI Causam penitus deseruisse videretur Cæsar, misit Legationem ad BOLESLAUM cæterosque Fratres, ut WLADISLAO ereptum Patrimonium & Principatum sua Sponte redderent potius, quam Arma sua experirentur. Neque enim se rectè & Affini, & calamitoso ac supplici Principi deesse posse. Cui Legationi BOLESLAUS Princeps, de Sententia Fratrum & Procerum, ita respondit: Nulla à se Fratribusque suis Injuriâ affectum esse WLADISLAUM: se, nequicquam deprecantes, impio Bello ab eo petitos, & attributis à Patre & adversa Republica Possessionibus ac Dominationibus jam pene exutos, cum Pacem tamen nullis æquis Conditionibus impetrare possent, Vitam defendisse suam, illum-*

ANNO 1147.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

illumque omnis divini & humani Iuris Violatorem, Fratres insontes & obsequentissimos ejicientem, intolerabilemque in liberos Populos Dominatum usurpantem, non tam ipsorum Viribus, quam divinâ Ultione perculsum fugientemque, universo Poloniæ Consensu, sempiterno Exsilio damnatum esse. Recipere eum talem, tamque justè Consensu publico pulsum, neque sibi tutum esse, neque Polonis expedire. Ne ergo Cæsar id à se postularet, néve ab invitis extorquere pergeret, quod sine Periculo & sine magno Malo Reipublicæ facere non possent. Ioachimus Curæus hæc paucissimis tangit in Silesiorum Annalibus, de Boleslao IV. Crispo: *Magno Studio apud ipsum contendebat CONRADUS Suevus Cæsar, ut restitueret Fratrem cum Conjuge & Liberis, sed frustra.*

LXII. Post hæc CONRADUS Cæsar, in Asiam progressurus, cum ob breviorem tutioremque Viam, per SILESIAM & POLONIAM, ad Pontum Euxinum tenderet, ipse BOLESLAO ejusque Fratribus gravis Autor erat, ut VLADISLAUM in sua restitueret. Sed à contumacibus, &, recepto VLADISLAO, pessima seu timentibus, seu timenda prætendentibus, id obtinere non poterat: qui tum ad nobilius Opus Arma destinaverat. Ea nihilo secius metuentes, ut BOLESLAUS, ita MIESLAUS & HENRICUS, in Subjectionis Documentum, ex Asia reverso Imperatori OBSEQUIUM promittebant. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1147: cum Cæsaris Conradi Adventum in Poloniam descripsisset: *Egit tamen Romanorum Rex WLADISLAI Ducis Polonorum apud BOLESLAUM & Fratres suos, HENRICUM & MIECSLAUM, Causam, instareque, quamdiu in Polonia moratus est, non desiit, ut BOLESLAUS Polonorum Dux, & Fratres sui, præteritarum Injuriarum obliti, cum WLADISLAO in Amicitiam redirent. Nec Cæsar solum, sed & Wladislaus Bohemiæ Dux, cæterique Almaniæ* [Germaniæ] *Principes, ut cum Fratre WLADISLAO Duce in Gratiam redirent, BOLESLAUM & Fratres ejus crebris Obsecrationibus perurgebant. BOLESLAUS contra hæc, etsi multis Facinoribus, quibus à WLADISLAO Duce ipse & Fratres ejus afficiebantur, enarratis, omnem Reconciliationem, majores Actus, perniciosresque utrisque Simultates, Livores, Bellorumque Stridores suscitaturam respondisset: in CÆSARIS tamen POTESTATE, postquam Passagio* [Itinere] *prosperè acto rediret, se & Fratres suos futurum*

ANNO 1147.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

pollicebatur. Quæ poſtrema Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus clariorem in Modum exponit: *Anno 1147, CONRADUS Polonis minatus eſt Bellum: ſed cum Poloni, præſertim diſtracti in plures Dominos, urgerentur Bello Moſcovitico, promiſerunt ſe futuros in POTESTATE CÆSARIS & PARITUROS IURI.* Martinus autem Cromerus eadem Verba obſcuriorem in Senſum flectit, Lib. VI. Rerum Polonicarum, de Conrado Imperatore: *Cæterum*, inquiens, *de Reconciliatione nihil tunc aliud impetravit, niſi quo à pollicitus eſt BOLESLAUS cum Fratribus, ſe, cum revertiſſet ab illa Expeditione Cæſar, quæ is VELLET, facturum eſſe.*

LXIII. Tum in hoc Reſponſo acquieſcentem CONRADUM Cæſarem, ut ſecuriorem ſibique propenſiorem BOLESLAUS, MIESLAUS & HENRICUS facerent, quem ſatis reverenter exceperant venientem, præſentemque liberaliter tractaverant [quod, præter Ioannem Dlugoſſum, Martinus Cromerus indicat] per ſuas Terras ad Urbem Conſtantinopolitanam digreſſurum comitabantur. Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XIX: *Dumque CONRADUS Anno 1147, pro Subſidio Terræ ſanctæ ferendo iret per Poloniam, cum frequentiſſima ſuorum Principum & Militum Multitudine: & BOLESLAUS Criſpus cum Germanis MIECSLAO & HENRICO in Metis* [Finibus] *ei perſonaliter occurrentes cum magna Veneratione præfatum Romanorum Regem & ipſius Exercitum per Poloniam conducentes, omnes ſumtus & Expenſas liberaliter tribuerunt: Pontes & Paſſagia* [Vias] *refecerunt: ad extremumque Conſtantinopolin verſus deduxerunt.*

ANNO 1148.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

SILESIORUM Epiſcopus XV. VRATISLAVIENSIS,
WALTHERUS ZADORA, Polonus.

LXIV. In Polonia Gneſnenſes, Anno 1148, Archiepiſcopum ſuum Iacobum I. amiſerant. Hujus in Cathedram per BOLESLAUM Sileſiorum Ducem IOHANNES GRYPHUS, duobus Annis Epiſcopus Vratislavienſis, evehebatur. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1148: *Abſumtus eſt eo Anno Iacobus Gneſnenſis Archiepiſcopus, Vir optimus & grandævus, qui in Eccleſiæ Gneſnenſis Regimine multas de ſe Probitates & Virtutes Annis XXVIII vivens monſtraverat, in Eccleſia Gneſnenſi Pontificali Honore tumulatus. Succeſſit autem ei IOANNES, alias IANIK ſive IANISLAUS, Wratislavienſis Epiſcopus, de Eccleſia Wratislavienſi, ordinante BOLESLAO Criſpo Polonorum Duce, à Papa Eugenio III. translatus.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VI. ad Annum 1147: *Per hoc Tempus Iacobus Archiepiſcopus Gneſnenſis mortuus, IANICUM ſive IANISLAUM, cujus paulo ante Mentionem fecimus, è Wratislavienſi Epiſcopa evocatum, BOLESLAI Principis Studio adjutum, Succeſſorem accepit.*

ANNO 1148.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

LXV. De Ciſtercienſis Ordinis Andreovienſi Monaſterio, quod IOHANNES GRYPHUS, cum Fratre ſuo Clemente, intra Poloniæ minoris Cracovienſem Terram, in patrio Fundo BRESNICA, ſeu ante Vratislavienſem Epiſcopatum, Anno 1146: ſeu poſt Gneſnenſem Archiepiſcopatum Anno 1148 ſuſceptum, condidit, agunt Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1140 & 1146. Et in Epiſcopis Vratislavienſibus MStis, Num. XIV. Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XVIII. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI. in Vladislao II. Caſpar Iongelinus in Ordinis Ciſtercienſis Abbatiarum Notitia, Lib. IV. de Poloniæ Monaſteriis. Chryſoſtomus Henriquezius in Ciſtercienſi Menologio, ad Februarii II. & Iunii XIII Diem.

LXVI. In IOHANNIS GRYPHI Epiſcopatum Vratislavienſem BOLESLAUS CRISPUS, id eſt, Quartus, Sileſiorum Dux, [non, ut quidam ſcribunt, BOLESLAUS PROCERUS, aliis ALTUS: quem Sileſii demum Anno 1163 Ducem acceperunt] provehebat Cancellarium ſuum, WALTHERUM, aliis VALTHERUM dictum, Equeſtri ZADOREORUM Proſapiâ Polonum: Canonicum Vratislavienſem, Cracovienſemque Scholaſticum: quem Iohannes Gryphus, Archiepiſcopus Gneſnenſis conſecrabat. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1148: *WRATIS-*

ANNO 1148.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.

SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

LAVIENSI verò Eccleſiæ, ex Translatione hujusmodi vacanti, VALTHERIUS Polonus Genere, præfectus eſt, Scholaſticus Cracovienſis & Canonicus Wratislavienſis, à Gneſnenſi Archiepiſcopo Ioanne, juxta Electionem Canonicam, confirmatus & conſecratus, Nobilis de Domo ZADORA. Et in Epiſcopis Vratislavienſibus MStis, Num. XV: *Translato IOANNE Secundo, Vratislavienſi Epiſcopo ad Gneſnam, WALTHERUS, Vir laudatiſſimus, ex Equeſtri ZADOREORUM Familia, Scholaſticus Cracovienſis, Canonicus Vratislavienſis, & Ducis BOLESLAI ALTI* [legendum, Criſpi] *Cancellarius, per Eugenium Papam III, ad Petitionem & Interceſſionem præfati BOLESLAI ALTI, Ducis Poloniæ, ad Vratislavienſem Eccleſiam Anno Domini 1148 ſuffectus eſt, & à Gneſnenſi Archiepiſcopo Ioanne in Epiſcopum VRATISLAVIENSEM conſecratus.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 1148: *Electus eſt in Epiſcopum VRATISLAVIENSEM nobilis Polonus VALTHERIUS.* Ibidem in Vratislavienſibus Epiſcopis, de Walthero: *Etiam iſte fuit Cancellarius Principis BOLESLAI PROCERI.* Pro quo legendum, CRISPI.

LXVII. Res in Gallia, Studiis addictus, obſervatas in SILESIAM tum refloreſcentem introducendas cenſuit: cum peregrini Splendoris Amator, VRATISLAVIENSIUM Cathedrale Templum ex Ligneo Lapideum formavit, quale nunc Temporis conſpicitur, XXII Annorum Labore conſtructum: Eccleſiam pro Cerimoniis Poloniæ Cracovienſibus [quas Epiſcopus ZYROSLAUS I. inſtituerat] Lugdunenſibus Galliæ Ritibus condecoravit: Inſigniumque ſuorum Clypeo Lilia primus indidit. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1148: de Walthero: *Eccleſiam WRATISLAVIENSEM ad id Tempus ligneam Muro fabricavit, & Eccleſiæ Lugdunenſis ex Galliis Habitum & Cultum in eam introduxit.* Ibidem ad Annum 1170: *WRATISLAVIENSEM Eccleſiam ligneam reperiens, pulcherrimo Muro fabricavit, & Lugdunenſis Galliarum Eccleſiæ Ceremonias, Ordinem & Cantum introduxit.* Et in Epiſcopis Vratislavienſibus MStis, Num. XV: *Hic primo veterem deſtructam Eccleſiam VRATISLAVIENSEM novam ex quadrato & lateritio Lapide & ampliore Area, quæ nunc videtur, toto Pontificatus ſui Tempore, perceptis ad hoc compluribus Contributionibus, robuſto Opere,*

ANNO 1148.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.

SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

Opere, videlicet XXII Annis conſummavit, Obſervantias, Cantum, Ritum & Habitum Eccleſiæ Lugdunenſis, una cum VI. Liliorum Inſignibus ex Franciæ introduxit. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI. ad Annum 1147: de Iohanne Grypho: *Huic verò WALTHERUS, Equeſtri ZADOREORUM ortus Familia, ſucceſſit: qui Baſilicam WRATISLAVIENSEM ligneam ad id Tempus, Muro exædificavit, Ritusque Lugdunenſis Baſilicæ in eam induxit.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 1148: *Is, cum SILESIA eâ Ætate ſubinde excoleretur, etiam ſuum Collegium emendavit. Templum Cathedrale ex Lapide conſtruxit, & inſtituit Ritus in Ceremoniis & Veſtitu, quas attuliſſe dicitur Lugduno ex Gallia.* Ibidem de Vratislavienſibus Epiſcopis: *Induit aliam Formam Eccleſiæ ſuæ. Voluit imitari Splendorem Gallicum. Nam in illud Regnum tunc noſtri Homines proficiſcebantur ad Studia. Uſurpavit Inſignia Gallica Liliorum, & Lugduno acciſvit Ordinem Ceremoniarum Cantus & Veſtitus in ſua Collegia. Totos Annos XXII, quamdiu fuit in Gubernatione, conſumſit in Conſtructione Templi Cathedralis. Forma Ædificationis nunc etiam conſpicitur. Fecit graves ſumtus. Nam, ut Homo Aulicus, amabat Pompam: & SILESIA jam propemodum alienata à Polonia, voluit etiam Diſtinctionem in Ritibus ſervari.*

LXVIII. Diu in Eccleſiaſticis Rebus ad majorem Ornatum & Cultum evehendis omnes Vires impendere conatus, impar ſuperandis Colicæ Doloribus ſuccubuit, Die XXVII Ianuarii: Anno quidem 1170: ut Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1170: Anno autem 1176: ut Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XIX. at perperam uterque tradit. Waltherus enim noſter adhuc vivebat Anno 1178: quô, ad illius Preces, BOLESLAUS Procerus, Sileſiorum Dux, Monaſterio Leubuſino Privilegium donabat: cujus Mentionem fecimus ad Annum 1141, §. XXVII.

Imperatoris CONRADI III.

Pro VLADISLAO II. contra BOLESLAUM IV,

in SILESIAM Adventus.

LXIX. CONRADUS Imperator, ex Aſia reverſus, ab Exſule VLA-

ANNO 1148.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

DISLAO admonitus, tanquam ſummus Provinciarum Polonicarum, potiſſimum SILESIÆ Princeps, [ut ex antecedentibus patet] iterum exigebat per Nuncios, ut BOLELAUS Promiſſi memor, quô, in Obedientiæ quandam velut Teſſeram, ſuum Cæſareo Arbitrium ſubjecerat, VLADISLAO, jam ſatis Ærumnarum, in perperam commiſſorum Pœnam, perpeſſo, ereptas Provincias, inter quas SILESIA fuerat, obſequioſum in Modum redderet. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1148: *CONRADUM itaque Romanorum Regem ex Paſſagio* [Itinere] *prædicto reverſum, WLADISLAUS Polonorum Dux Exſilium in Almania* [Germania] *agens, accedit, & ut Rebus ſuis Filiorumque ſuorum conſulat, flagitare cœpit. CONRADUS verò, quia in ſua ad Terram ſanctam Profectione, ex BOLESLAI Polonorum Ducis Verbis, Spe certificatus erat, ſingula pro ARBITRIO ſuo BOLESLAUM Polonorum Ducem in ea Re OBEDIENTER facturum, WLADISLAUM Ducem & ipſe, quibus Verbis poteſt, eam Spem ſequi confirmat. Mittuntur itaque à CONRADO Romanorum Rege ad Polonorum Ducem BOLESLAUM Nuncii, qui BOLESLAO apud Cracoviam offenſô MANDATA edicunt: precanturque, ut Pollicitationi ſuæ præſtita Fide, WLADISLAUM Polonorum Ducem in Sortem ſuam, Cracovienſem videlicet & SILESITICUM Principatum reſtituat, Commiſerationemque Fratri tanto Tempore cum Uxore & Filiis exſulanti impendat, ſatis eum Pœnæ, pro Temeritate & Piaculo exſolviſſe.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XIX: *Reverſus tandem poſt medium Annum CONRADUS, per WLADISLAUMque ſolicitatus, per ſuos Oratores adhortatus eſt, ut BOLESLAUS ſuæ Promiſſionis memor, WLADISLAUM in Principatus ad eum ſpectantes recollectos reacceptaret.*

LXX. BOLESLAUS Polonus ſe non Germanâ Fide, quamvis Germanico Cæſari CONRADO, in Aſiam diſceſſuro, quem forſan hinc non rediturum crediderat, Reſtitutionem VLADISLAI promiſiſſe, patefaciebat, Legatis reſpondens: CONRADO quidem nec ſe, nec Fratres ſuos repugnaturos, at certos eſſe, Poloniam receptô VLADISLAO, Bellum inter Fratres cruentum ſenſuram: quod ipſi Damnum Cæſari procreaturum ſit. Radevicus Friſingenſis in Chronico, Lib. I. Cap. II: *Quô* [Vladislaô] *à Fratribus*

ANNO 1148.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

tribus per Vim, cum Regalis Sanguinis Uxore, projectô, & ad CONRADUM Romani Imperii tunc Principem, Perfuga profectô, & clementer receptô: miſſa ad prænominatos Tyrannos crebra Legatione, ut in priſtinum Statum Fratrem reciperent, Rex ſpretus eſt. Guntherus in Ligurino, Lib. VI. Verſu 71, & ſequentibus, de Conrado:

- - Nec jam parere jubenti
Curabant: miſſisque aliis, iterumque remiſſis
Spernebant tumidi, fraternaque Iura tenebant.

Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1148: *BOLESLAUS autem Polonorum Dux Legatis Cæſareis magnifico ſumtu, magnificisque Donariis tractatis, ambiguum dat Reſponſum. Reſtitutionem WLADISLAI Ducis Poloniæ in Regnum ſibi quidem & Fratribus ſuis MIECISLAO & HENRICO, ajens, non adverſam eſſe: pro Honoreque & Benevolentia Cæſaris, Deſiderio & Voluntati ſuæ & Fratres ſuos Morem geſturos: verum probè ſibi perſpectum ac notum eſſe, Reditum WLADISLAI Ducis Statum Regni Poloniæ hactenus pacificum turbaturum, Cladibusque & Sanguine civili fœdaturum. Proinde in Re tali, cum pari Sanguine omnes Fratres Cæſari jungantur, Cæſarem proſpicere æquum cenſebat: ne, dum ſuæ Inſtantiæ & Decreto paritum ſit, bellicus Furor inter Fratres altius ſerpens, mutuâ Colliſione Regnum Poloniæ, horrendâ Pernicie, ipſum Cæſarem miſerabiliter involvat.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XIX: *BOLESLAUS verò CONRADUM certiorem reddidit, Fratris WLADISLAI Reaſſumtionem non abnuere, dum modò Regni Sciſſio, novaque Bella exinde non orirentur: quod non evenire, haud eſſe veriſimile affirmabat.*

ANNO 1149.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

LXXI. Hac BOLESLAI & Fratrum Obſtinatione, contra Fidem, contra Obſequium, prorſus inflexibili, graviter irritatus CONRADUS, non am-

ANNO 1148.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

amplius Verbis, ſed tandem Armis BOLESLAUM ad Terras Clienti ſuo VLADISLAO ademtas, ſæpius repetitas, omnino reddendas, adigendum eſſe ſtatuebat. In quem Finem adductô ſecum VLADISLAO, cum Exercitu SILESIAM intrabat. Inde progreſſurus, circa VIADRUM, quem, ob Alvei Tumorem, tranſire prohibebatur, de novis Germaniæ Motibus acceptô Nunciô, an pergeret, dubius, geminâ Neceſſitate compulſus hærebat. BOLESLAUS ſe cum Fratribus impares tanto Adverſario videntes, Ingenium CONRADI & placidum, & ſimplex in ſuum ſuorumque Commodum vertebant. Ex iis BOLESLAUS, promiſſâ Fide publicâ tutus, ad Colloquium in Caſtris admiſſus, CONRADI partim Animum, partim Aulam, & Rationibus, & Rationes facientibus ponderoſiores Muneribus vincebat: Iram Polonis Bellum illaturam leniebat: efficiebatque ſolerter, ut Imperatori Proceres, jam in Germaniam reverſuro, Litem inter Fratres non Bellô, ſed Iudiciô dirimendam perſuaderent: potiſſimum renovatô Fallaciæ Conſiliô, cum ſe BOLESLAUS ejusque Fratres ad æquam Cæſaris Sententiam amplectendam proclives offerrent. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1149: *CONRADUS itaque Romanorum Rex non amplius differendum ratus, Expeditionem contra Poloniam indicit, ex Regionibusque Almaniæ* [Germaniæ] *Imperio ſubjectis, tam equeſtribus, quum pedeſtribus Copiis collectis, Poloniam invaſurus, & WLADISLAUM Ducem Exſulem ſecum præſentem reſtituturus procedit.* Ibidem poſt quædam: *Iam ad Metas* [id eſt, Fines] *perventum erat. ODRA quoque Fluvius tunc ſolitô plus Undis inflatus, & quidam Motus ex Almania nunciati, CONRADUM Regem & ſuum Exercitum, ne trajiceret, diſtinebant.* Iterum poſt quædam, de Boleslao: *Verum, antequam Res ad Ferrum & Arma veniret, Ingeniis Verbisque magis, quam Acie dimicaturus, & ſuper imminentem bellicam Molem, cui ſe nequaquam videbat parem, diſſoluturus: in Cæſarea Caſtra, petitâ & præſtitâ Securitate pervenit, in frequentique Concilio â Cæſare dato, fraternis Eacinoribus, Ducis videlicet WLADISLAI expoſitis, adeo de Iuſtitia ſua atque Æquitate diſſeruit, ut Cæſar & Principes Reſponſione WLADISLAI Ducis ſatis facile â concepto Furore lenteſcerent, & de Pace magis, quam de Bello agendum, componendasque fraternas Diſcordias putarent.* Iterum poſt pauca: *Verbis extemplo BOLESLAUS Polonorum Dux Res adjecit, & primum CONRADUM Regem, deinde Primores Principum & Baronum, eos præſertim, quorum Conſiliis & Monitis didicerat, Regem agi, ſumtuoſâ Largitione & Donatione pervicit, effecitque, ut Diſceſſionem Reverſionemque frequentes decernerent: nec in eo Bello, quod non ſolum inter Domeſticos, ſed etiam Germanos gerendum erat, BOLESLAO Polonorum Duce & Fratribus ejus, quicquid Cæſar æquum cenſeret, acceptare ſe offerentibus, immorandum.* Eadem Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XIX: & Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI. narrant. Alexander Guagninus in Poloniæ Chronicorum Compendio, ad Annum 1146: *BOLESLAUS Criſpus â Capillis contortis dictus, Fratre WLADISLAO ſeditioſo expulſo, Habenas Regni ſuſcepit. A CONRADO Imperatore frequenter ſolicitabatur, ut aliquam Regionem Fratri concederet: quod ille ſtrenuè repugnabat. Quâ de Cauſâ Imperator in SILESIAM Exercitum duxit.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 1149, de Boleslao: *CONRADUS Cæſar conatus eſt reducere VLADISLAUM Exſulem. BOLESLAUS, Vir callidus, Excurſionibus repentinis intercluſit Cæſari Commeatum, & tandem, cum ad VIADRUM, qui tunc valdè Aquâ intumuerat, Caſtra haberet, venit ad Cæſarem cum Fratribus: ubi cum denuo Cauſam ſe æquo Iudicio Cæſaris permiſſurum reſponderet, Cæſar, qui erat Ingenio non ſolum placido, verum etiam ſimplici, promiſit illi Pacem, & reduxit Exercitum: neque tamen â BOLESLAO Conditiones impletæ ſunt.*

ANNO 1149.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

LXXI. Hac Occaſione quidam Saxonum Duces, intra Poloniam Imperatori CONRADO adhærentes, cum BOLESLAO ejusque Fratribus Amicitiam in Poloniæ majoris Urbe Cruſuicia inibant. Chronographus Saxo ad Annum 1149: *Magdeburgi Archiepiſcopus Fridericus & quidam alii Principes Saxoniæ Polonicis Ducibus BOLIZLAVO & MISECONI in Epiphania Domini occurrentes in Cruſawice Fœdus Amicitiæ cum eis inierunt.*

ANNO 1150.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

LXXII. Ita ſæpius intentâ, nunc iterum vanâ Reſtitutionis Spe, Ludibrium à conjuratis Fratrum Odiis paſſus VLADISLAUS, in qualecunque Solatium, ab Imperatore CONRADO, per iteratam in Polonicas Terras Expeditionem, ad ferendum efficacius Auxilium, non Valetudine tantum Siniſtrâ, ſed gravioribus etiam Negotiis hactenus impedito, quasdam obtinebat intra Germaniam Poſſeſſiones, dum in meliorem transferretur Statum. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1150: *Non quievit tamen WLADISLAI Poloniæ Ducis Inſtantia: quin CONRADUM Romanorum Regem in novam Expeditionem Poloniæ inferendam accenderet. Conſecutusque WLADISLAUS Polonorum Dux ſuarum Molitionum Effectum fuiſſet, niſi interim CONRADUM Regem Valetudo adverſa oppreſſiſſet: cujus diuturnus Languor WLADISLAUM Ducem Inſtantiam ſuam remittere coegit. Non nullas tamen Poſſeſſiones & Reditus WLADISLAO Duci Cæſar largitus eſt: quò & æquanimius Reſtitutionem ſuam, Bellumque contra Poloniam inſtaurandum ferret, & Honeſtati atque Conditioni ſuæ congruum Statum ageret.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI: *WLADISLAUS Exſul, quamvis Deſiderio & Spe ſua fruſtratus iterum atque iterum, pergebat tamen moleſtius eſſe Cæſari de Reductione ſua: & commovebat quidem Cæſarem, cum aſſidua Flagitatione & Querimonia, tum Aſpectu ipſo miſerabili, ac tantâ Fortunæ Commutatione. Pudor etiam cum Indignatione mixtus Cæſarem ſtimulabat, quod contemni & poſtulata, & Minas ſuas, nec promiſſa præſtari à Polonis Principibus, Majeſtate ſua indignum judicaret. Sed tamen Exſulem reducere non potuit, partim adverſa Valetudine ac diuturno Morbo impeditus, partim etiam propriis & neceſſariis Negotiis, & non nulla Imperii Perturbatione diſtentus.*

ANNO 1152.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

LXXIII. Tandem ad majus Exſilii ſui adeo diuturni Lenimentum VLADISLAUS in ſuam, Uxoris & Filiorum, partim Defenſionem, partim Suſtentationem, ab Imperatore CONRADO accipiebat Germanicos Milites:

ANNO 1152.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

lites: quorum Ope duas intra SILESIAM cum Oppidis Arces, NEMICIUM & GREDISIUM antea munitas, ſed relictas occuparet atque firmaret. Ex quibus, ſicut antea, vicinam Civitatem Terramque VRATISLAVIENSEM, ipſamque Poloniam ſæpius affligebat. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1152: *Moram itaque tam longam atque continuatam WLADISLAUS non ferens, Militiam ſaltem ſibi à CONRADO Rege dari petiit. Quam cum Liberalitate Cæſaris impetraviſſet, in Poloniam* [Sileſiam] *venit, & duo Caſtra ſuperiori Tempore à ſe conſtructa, videlicet GREDISZ & NIEMCE ex Trabibus Roboribusque fortificat, Foſſisque & Vallis munivit, & Militum Præſidio utrique impoſito, WRATISLAVIENSEM Civitatem, quæ vicinior exſtabat, cæterasque Polonici Regni Oras affligere & infeſtare cœpit.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XIX: *VLADISLAUS Promiſſis BOLESLAI ludificatus, acceptis ab Imperatore Militum Subſidiis, & SLESIÆ applicans, nec Gratiam Fratrum reperiens, duo ædificavit Caſtra, NYMCZE & GREDIS: ex quibus Spolia & Incurſiones agere cœpit.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI: *Verum, quò levius interea WLADISLAUS ferret Exſilium, Poſſeſſiones quasdam ei dedit utendas fruendas, unde ſe & Uxorem Liberosque ſuſtentaret: adjunxitque exiguas Equitum Peditumque Copias, cum quibus ille crebris Excurſionibus WRATISLAVIENSEM Tractum & Viciniam illam omnem, exſtructis in Confinio duabus Arcibus NEMCIO & GROTHECIO, quò ſe tuto recipiebat, infeſtavit.*

LXXIV. At infelix ſemper VLADISLAUS eò duriorem poſtea ſentiebat BOLESLAUM Fratrem. Nam ille Suppetias SILESIIS ferens, conjunctis ſuis & Fratrum Copiis Arces illas obſidebat: easque, dum VLADISLAUS in Germaniam conquirendis Auxiliis ad CONRADUM Cæſarem digreſſus, Moras longiores facit, ab Obſeſſis Famem Morbumque patientibus, per Deditionem, nihil amplius hoſtile ſubituris, ſub Poteſtatem ſuam redigebat. Ita priſtinam Exſilii Conditionem VLADISLAUS obire cogebatur. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1152: *Non tulit eam BOLESLAUS Polonorum Monarcha Injuriam, ſed cum utroque Germano, MIECYSLAO videlicet & HENRICO, & Exerci-*

ANNO 1152.

GERMANORUM Romanus Imperator CONRADUS III.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

tu Dominiorum suorum consurgens, utrumque Castrum Obsidione vallavit, Populationemque Regni sui prohibuit. WLADISLAUS Dux super imminentem non ferens, sed strenuis Militibus in Castris relictis ad CONRADUM pro Auxilio Militum, quo Obsidione solvi posset, rediit. Et quamvis Milites WLADISLAI animosè Castra suæ Fidei credita tutati fuissent: longâ tamen Morâ Obsidionis fracti, dum ex Almania [Germania] *ferendum Subsidium Spes eorum fefellisset, & Fames primum, Morbi deinde in Corpora succrescerent, Castra BOLESLAO Crispo Duci & Monarchæ, pacti, ne quid hostile paterentur, tradunt.* Matthius Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XIX: *BOLESLAUS autem cum Fratribus & suis pro tunc habitis Militibus Castra occupavit. WLADISLAO verò pro Auxilio ad CONRADUM redeunte, quod antequam per eum adductum esset, obsessi Milites ex Pacto cum Principibus inito, ne quid hostile paterentur, in Germaniam abierunt.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI: *Non tulit hoc BOLESLAUS. Nam coacto Exercitu ad Prædatores illos persequendos & Arces evertendas profectus est. Id ubi cognovit VLADISLAUS, munitis Præsidio Militum Arcibus, in Germaniam se recepit, sive Metu sive Auxiliorum petendorum Gratiâ. Qui in Præsidiis relicti erant, Germani sive Boëmi, sustinuerunt aliquandiu Impetum & Obsidionem Polonorum, tandem deficiente Annona & Morbis invalescentibus ac desperatis Auxiliis Deditionem fecere.*

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

SILESII Romano GERMANORUM Imperio subjecti.

LXXV. GERMANIS, post CONRADUM III. Anno 1152 extinctum, FRIDERICUS I. Cognomento vel BARBAROSSA, vel ÆNOBARDUS, ad Annum 1190 Imperator: BOLESLAUS IV. Cognomento CRISPUS, postea Sortem mutatam expertus, SILESIIS ad Annum 1163: POLONIS ad Annum 1174 Dux præfuit. His etiam Temporibus SILESIOS Romano GERMANORUM Imperio subjectos atque tributarios fuisse luculenter indicat Helmoldus, Bosovienſis Presbyter, Friderici I Cæsaris Ætate superstes, Anno 1170 mortuus, in Slavorum Chronico, Lib.

ANNO 1152.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

Lib. I. Cap. I. §. IX: de Polonia, magna Slavorum Provincia: *Quondam habuit Regem, NUNC autem* [divisa] *DUCIBUS gubernatur. SERVIT & ipsa, sicut Boëmia, SUB TRIBUTO Imperatoriæ Majestati.* Confirmat hoc ipse Fridericus I. Cæsar: cujus Verba referemus ad Annum 1158. §. CXXX.

ANNO 1153.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.
PETRUS DANUS, Comes POLONORUM Scrinnensis,
SILESIORUM Præfectus VRATISLAVIENSIS,
Et mutus, & cæcus è vivis decedit.

LXXVI. PETRUS ille, cujus Vitam ex Annalibus tam Polonorum, quam Germanorum concinnabimus, variis denotatur Cognomentis, tum in Monumentis antiquis, tum in recentioribus Historiis. Reperitur enim dictus interdum PETRUS VLASTIUS, quod è Vlastiorum Familia fuerit progenitus: sæpe numero PETRUS DANUS. Id Cognomentum corrumpentibus aut PETRUS DUNINUS, aut PETRUS DURINUS, aut PETRUS DUVINUS: ex Vocabulo autem uno facientibus duo, aliis PETRUS DUNINUS DANUS, aliis PETRUS DURINUS DANUS, aliis PETRUS DUVINUS DANUS appellatur. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1124: *Florent adhuc in Polonia hujus ipsius PETRI Posteri, Cygno in Rubro Scuto Insigni utentes: indeque LABENCIORUM Nomen habet ea Familia. Non nulli etiam peculiariter DUNINI, hoc est, DANI vocantur.* De quorum Nominibus & Familiis agit Simon Okolskius in Orbis Poloni Tomo II, de Labenciis.

LXXVII. Patre GUILIELMO, in Daniæ Proceribus eminente, maximis Rebus præfecto, natus, singulari Exterorum Notitia ducebatur. Poloniam ingressus, non tam ob Danorum Regis commendatitias Literas, quam per Ingenii Solertiam, Morum Suavitatem, Officiorum & Promtitudinem, & Dexteritatem, ita se Polonorum Silesiorumque Duci approbabat,

ANNO 1153.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

ut ab eo magnas Poſſeſſiones, in iisque Comitatum minoris Poloniæ Scrinnenſem adeptus, denique MARIAM, VLODOMIRI Ruſſorum Ducis Filiam, Uxorem nactus, in Affinitatem admitteretur: totusque, potiſſimum ob feliciter acquiſitos, cum Linguæ, tum Indolis Polonicæ Characteres, videretur Polonus. De quô hæc commemorant, præter alios, Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IV. ad Annum 1124. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1124. Cæterum Petro quidem Mariam Uxorem, non autem Ruſſicam, ſed Germanicam, Francorum Ducis Filiam ditiſſimam, [nullo Vetuſtatis, unde hauſerint, Indicio] attribuunt ê junioribus, Ephraimus Ignatius Naſo in Suidnicenſis & Iaurovienſis Ducatuum Phœnice redivivo, de Zobteno & Furſtenberga Oppidis. Et Gotfridus Ferdinandus Buckiſius in Eccleſiaſticæ Sileſiorum Hiſtoriæ Prolegomenis, Cap. I. §. XVIII.

LXXVIII. Quando PETRUS in Poloniam venerit, maximè dubium eſt. Nam ex quibus probabiliter colligi poſſit Tempus, ea cæteris contraria ſunt Circumſtantiis. Petri Genitor GUILIELMUS, quem non prius Filio ex Dania in Poloniam diſceſſiſſe conſtat, jam Anno 1103 in Sileſiorum Monte Sabotho habebat Domicilium: quemadmodum Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XVII. & Lib. IV. Cap. XIII, refert. Sicut autem Ioannes Dlugoſſus & Martinus Cromerus [quos alii ſequuntur] ſtatuunt: PETRUS Rege Danorum HENRICO vixit: quem ABELUS Frater occiderit: contra quem BOLESLAO III, Polonorum Sileſiorumque Duci ſuaſerit Expeditionem in Danicas Terras, Anno 1124 ſuſceptam: quô Petri Pater ipſe migraverit in Poloniam.

LXXIX. At nullus unquam Rex Danis HENRICUS fuit, quibus ERICI plures fuerunt. Ex his ERICUS IV. Cognomento Emundus, legitimo Filio deſtitutus, violentâ quidem Morte fuit exſtinctus: eum verò non Anno 1124, ſed 1139: non ABELUS Frater, ſed PLOCUS Sicarius interemit. ERICUM VI. trucidavit quidem Frater ABELUS, ſed Anno 1250. De quibus conſentiunt, partim Chronologi, Iohannes Henricus Alſtedius in Chronologico Theſauro, Chronologia XXV. Ioannes Baptiſta Ricciolus in Chronologia Reformata, Tomo III. Catalogo XLII. Iohannes Suaningus in Chronologia Danica, ad Annum 1139. & 1250. Partim Danicarum Hiſtoriarum Scriptores, Ioannes Meurſius inter priores Lib. V. & inter poſteriores, Lib. I. in Erico IV. & VI. Iohannes Iſacius Pontanus Lib. V. ad Annum 1139. & Lib. VII. ad Annum 1250. Quare citati Polonicorum Annalium Conditores, Ericum VI. Danorum Regem intelligentes, manifeſtum, majoremque toto Sæculo Errorem committunt. Non tamen ideo PETRI Adventus in Poloniam ipſe dubius eſt, quoniam ejus incertum eſt Tempus.

ANNO 1153.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

LXXX. Nec eſt, cur raras PETRI Opes in Controverſiam vocemus: quas Effectus in Polonia Sileſiaque ſatis etiamnum conſpicuus omnino magnas loquitur. Harum Fontem, ſicut in Polonicis Chronicis deſcriptum invenimus, intuendum monſtrabimus. GUILIELMUS, PETRI Genitor, Regio Theſauro, cujus ipſe propemodum ſolus habebat Conſcientiam, præfectus, poſt Regis Cædem, turbatiſſimo Daniæ Statu, Conſilium Filio dabat, quemadmodum tanta Pecunia, Regicidæ ſubtrahenda, poſſet transferri clam in Poloniam. Id ſecutus PETRUS facile BOLESLAO III, Polonorum Sileſiorumque Duci perſuadebat, ut, quaſi Danis adverſus Regis Parricidam ultro in Auxilium venturus, Dantiſco cum Exercitu in Daniam profectus, relictis Arbitrio ſuo diſſidentibus Danis, ex eâ GUILIELMUM, Cognatos, ipſosque Nummos in Poloniam reportaret: quo Pacto inter Poloniæ Proceres omnium ditiſſimus evaſerit PETRUS. Hæc narrant, Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1124. Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 1124. Præterea Iohannes Iſacius Pontanus de Rebus Danicis, Lib. V. in Canuto Rege LXXV. poſt Annum 1157. & Lib. VII. in Abelo Rege LXXXIII. ad Annum 1251: ubi de narratis fert hoc Iudicium: *Cum iſta BOLESLAO III. cui Cruoviſto Cognomen fuit, quique Anno M.C.XXXIV.* [legendum, M.C.XXXIX.] *id eſt, integro plus Sæculo, antequam ad Regnum promoveretur, imo natus eſſet ABELUS, in Fata conceſſerat, attribuant: quomodo ad hos Annos M.CC.L. aut Res Abelis pertineant, non video: niſi Res & Tempora hic eſſe confuſa, ac veris falſa commixta dicamus. Danici Annales nihil ejusmodi vel iſto, aut alio etiam Tempore accidiſſe commemorant.*

LXXXI.

ANNO 1153.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

LXXXI. PETRI Genitor GUILIELMUS intra SILESIAM in Monte SABOTHO Sedem formabat sibi commodam: cujus meminit Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. XVII. Patris hoc Castrum Filio Petro attribuitur in vetusto MSto, quod ibidem Lib. IV. Cap. VIII. & in Nicolai Henelii Breslographia, Cap. III. editum reperitur, de Regularibus Silesiæ Canonicis: *Prius habitabant in Monte SILENTII, alias SABOTHKA, à Vratislaviensi Civitate distante per Milliaria quinque: ubi PETRUS Comes in Vertice ipsius Montis suum habebat Castrum: prout exstant adhuc Reliquiæ Castri ejusdem.*

LXXXII. Cæterum PETRUS illam, de quâ diximus, Solertiæ Vitiô partam Opulentiam, in laudabilem, sanè laudatam Virtutis Materiam convertebat. Romæ, pro Criminum suorum seu Copia, seu Magnitudine, jussus, in Satisfactionis Partem, Templa septem condere, condebat septuaginta septem. Id commemorant, Ioannes Dlugossius in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1124. & 1144, Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XVII. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1124. Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ad Annum 1140. Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. XVIII. Nicolaus Polius in Hemerologio Silesiaco, ad Aprilis Diem XXII. Gotfridus Ferdinandus Buckisius in Ecclesiasticæ Silesiorum Historiæ Prolegomenis, Cap. I. §. XIX.

LXXXIII. In tot Ædibus sacris, quarum plerisque Poloniam fecit conspectiorem, nos tantum intra SILESIAM excitatas recensebimus: quarum tres VRATISLAVIENSIBUS proprias esse voluit.

LXXXIV. Inter has primarium Templum, cui Monasterium addidit, ante Portam Urbis VRATISLAVIENSIS Arenariam, totum lapideum exstruxit, S. VINCENTIO dicavit, magnis Reditibus dotavit. Monachis hoc [ut ejus Antiquitates, quas MStas obtinuimus, indicant] BENEDICTINIS contulit: quorum primus Abbas, cum id per WALTHERUM Zadoram, Episcopum Vratislaviensem, præsente Matthia, Cracoviensium Episcopo, Anno 1149, consecraretur, Rudolphus erat: pro quibus BENEDICTINIS nigris candidos PRÆMONSTRATENSES Anno 1219 su-

ANNO 1153.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

1219 suscepit: Anno 1529, Turcis Viennam obsidentibus, in VRATISLAVIÆ tantô majorem Securitatem, destructum, intra ipsam Urbem, Locum magis tutum accepit. Quare statim ab ipso PETRO Præmonstratensibus traditum credentes falluntur. Ioannes Dlugossius in Historia Polonica, Lib. IV. ad Annum 1124: de Petro: *Aliud* [Monasterium] *S. VINCENTII extra Muros VRATISLAVIENSES, quadrato etiam Lapide, sumtuosè edificatum, de Ordine PRÆMONSTRATENSI, qui sub eo Tempore, velut novus, multum Venerationis habebat, Duce BOLESLAO Polonorum permittente, fundat & munificè dotat.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1124: de Petro: *Duo Monasteria* [exstruxit] *iis, qui se PRÆMONSTRATENSES vocant, qui tunc primum exstiterunt: alterum quidem Puellis in Vladislaviensi Diœcesi, in Chalino Pago, quod postea Strelnum transtulit: alterum verò Viris, in Suburbanis VRATISLAVIENSIBUS, Titulo S. VINCENTII.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ad Annum 1139: *Iste PETRUS condidit Monasterium S. VINCENTII, in quod collocavit Monachos PRÆMONSTRATENSES.* Ibidem post quædam: *Illud Metu Belli Turcici Senatus VRATISLAVIENSIS demolitus est. Monumenta Fundationis Monasterii Vincentini edita sunt Anno 1139.* Eadem refert Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. XVIII.

LXXXV. Alterum Templum PETRUS ad VRATISLAVIAM, intra Insulam, quæ Nomen ARENÆ sustinet, S. MARIÆ dicavit: cui postea Cœnobium per PETRI Uxorem MARIAM, Vlodomiri Russorum Ducis Filiam, ejusque Filium SUENTOSLAUM accessit, Regularium Ordinis Augustiniani Canonicorum Monachis concessum. In eo spectabile Monumentum, quod S. Mariam, Christi Matrem, sedentem repræsentat. Huic ad Dexteram Maria, Petri Uxor, Templum offert: ad Sinistram Filius Suentoslaus adstat supplex: additis Versibus:

Has, Mater Veniæ, Tibi do MARIA MARIÆ:
Has adfert Ædes SUENTOSLAUS mea Proles.

LXXXVI. Tertium Templum PETRUS ad VRATISLAVIAM,

ANNO 1153.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

ante Portam Arenariam, S. MICHAELI dedicavit: ut indicant, quos §. LXXXVII. citabimus. Illius verò Structuram Inscriptio vetus non ad PETRUM, sed ad IAXAM, Serborum Ducem, ejusque Conjugem, Petri Filiam, refert:

IAXA Principium Templi fuit hujus & Autor:
Post Obitum cujus Operi Finem dedit Uxor.
Presbyter ejusdem fuit OTTO primus: & idem
Est bis Ierusalem peregrè progressus ad Urbem.
IAXA Decus Morum, Recti Via, Forma Bonorum.
Asit Lux Christi tibi, Bustum cujus adisti.

LXXXVII. Quartum Templum PETRUS ad VRATISLAVIAM, intra S. Iohannis Insulam, S. MARTINO attribuit: quod deinceps OMNIBUS SANCTIS est adscriptum. Horum quatuor à Petro excitatorum Templorum Vratislaviensium Mentionem faciunt, Ioannes Dlugossus in Historia Polonica Lib. V. ad Annum 1144. Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XVII. Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ad Annum 1140. Nicolaus Henelius in Breslographia, Cap. III. Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. XVIII.

LXXXVIII. Præterea PETRO debuerunt SILESII & Templum, & Cœnobium in Monte SABOTHO conditum, Regularibus S. Augustini Canonicis donatum: ex quo, asperioris Aeris impatientes, in Vratislaviense Monasterium S. Mariæ, quod in Arena reperitur, migraverunt. Quæ nobis ex Antiquitatibus MStis de Monasteriis Vratislaviensibus innotuerunt. Cæterum de hoc Sabothi Cœnobio deserto nihil tandem Posteritati reliquit Temporum Injuria.

LXXXIX. PETRUS igitur supra omnes Largitionibus in Ecclesiam nobilis, in Aula Consiliis præpotens, Honoribus in Populo eminens, tot Prærogativis cum sibi, tum aliis videbatur satis beatus: sub Polonorum Silesiorumque Ducibus, BOLESLAO III quidem duarum in Polonia Provinciarum, Calissiensis & Crusuicensis Administrator: sub VLADISLAO II au-

ANNO 1153.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

II autem SILESIORUM Præfectus VRATISLAVIENSIS. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VI. ad Annum 1144: *Erat enim Vir ingenti Spiritu PETRUS, summâque Potentia præditus: quippe, qui præter privatas Opes & Facultates amplissimas, Calissiensem Crusuicensemque Tractum omnem, BOLESLAI Crivousti Nomine administrasset: tunc autem VRATISLAVIENSI præesset.* Ideo Petrum Capitaneis Silesiorum Vratislaviensibus annumerat Nicolaus Polius in Urbis Vratislaviensis Descriptione, quam Incendiorum Historiis addidit.

XC. Sed, quò plus Felicitatis possederat, eò plus Calamitatis subibat. Diu tam Duci VLADISLAO II, quam ipsius Uxori ADELHEIDÆ, quam Poloni solent CHRISTINAM vocare, charissimus: tandem utrique fiebat exosus. ADELHEIDÆ Favorem imminuerat, partim, cum tenaciorem, honoraria Subditorum Munera in necessaria Tributorum Onera mutantem, culparet: partim, cum severiorem, VLADISLAO in Fratres duriora sæpe suadentem mitioribus Monitis, ne, quos premebat, opprimeret, cohiberet. Accedebat, quod ADELHEIDA Iuvenem in Aula DOBESSUM, Germanum, Stirpis Equestris, præcellentis Formæ, cum quo familiarius agere consueverat, Polonis invisum, reddiderat suspectum. Inde mirus fatalisque provenit PETRO Casus.

XCI. VLADISLAUS in Consortium assumto PETRO, Feris persequendis per totum Diem in Silva defatigatus, sub Noctem vili Cœna Corpus reficiebat. Humum pro Lecto pressurus, liberiore loco PETRUM compellabat: *Molliorem*, inquiens, *Uxor tua cum ABBATE Scrinnensi capiet Quietem. Et tua fortassis*, respondebat PETRUS *cum DOBESSO.* Quæ par, sed ad disparem inverecundior Licentia cruciabat dissimulantem Dolores VLADISLAUM. Hinc ADELHEIDA, cui VLADISLAUS internum Pectoris Vulnus, post Tristitiæ Causam, Blanditiis placentibus investigatam, detexerat, in Ultionem Injuriæ capitalem accendebatur. Ad eam obtinendam, utebatur Operâ DOBESSI: quem & promissi Magniutdo Præmii fortiter movebat, & Scommatis hujus Infamia juveniliter [ut ADELHEIDAM muliebriter] mordebat.

XCII. PETRUS Filiæ, quam Serborum Dux IAXA Conjugem sibi dele-

ANNO 1153.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

delegerat, Nuptias in VRATISLAVIENSIUM Civitate solennes adornabat. Ibi DOBESSUS, Sodalibus in Auxilium instructus, PETRUM, à Ministris aliud peragentibus nudum conspicatus, nihil tale cogitantem arripiebat, & dispositis Equis celeriter impositum VLADISLAO adducebat. Is tanti & Amici, & Affinis, tum Merita publica, tum popularem Gratiam reveritus, quid ageret, aliquandiu hærebat dubius. Tandem Uxoris, quæ tam enorme Probrum impune pati non poterat, perpetuis Stimulis vinebatur: maximè, cum & Divortium minaretur, & Periculum ostenderet, quod subiturus esset: quoniam dimissus PETRUS, in posterum Hostis, ob suam prius Conjugem eâdem Adulterii Maculâ conspersam, graviter irritatus, audacemque locum loco simili aursus castigare, jam violenter captus, à Vindicta non temere futurus sit revocabilis. Sic VLADISLAO & ADELHEIDA consentientibus, Anno 1144, ad Pœnam Morte graviorem damnatus PETRUS, & Linguam, & Oculos amittebat: suôque partim sentiebat, partim docebat Exemplô, nunquam Humanæ, quamvis maximæ, Gratiæ nimis esse confidendum.

XCIII. Hæc, quæ summatim exposuimus, longè prolixius commemorant, præter alios, duo primarii Rerum Polonicarum Scriptores. Quorum Testimoniis posteriora solum, prioribus notabiliora, confirmabimus. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1144: *PETRUS, Skrzynensis Comes, Filiam suam IAXÆ Duci Serbiæ nuptum dat, Celebrationemque Nuptiarum in WRATISLAVIENSI Civitate, ut Receptaculum Hospitibus esset, & Hastarum Ludos Præmio proposito Victoribus indixerat. Illic DOBIESZ, Frequentiâ Satellitum fulsus, accedens, PETRUM, Comitem Skrzynensem, incautius se in Hospitis Morem gerentem, captivat, vinctumque ex WRATISLAVIA educit, & WLADISLAO præsentat, Nuptiarumque Solennitatem perturbans, Convivium fœdat. Diu in eum WLADISLAUS Dux quicquam gravius consulere cunctabatur: & Innocentia Viri, & Meritorum ejus in se & Patrem Patriamque Recordatione deterritus. Verita Ducissa CRISTINA, ne Misericordia Viri captivum PETRUM absolvisset, non Precibus solum & Consiliis, sed Minis, discessuram se ab eo, si violatam suam Honestatem à PETRO inultum iri sineret, contestans, perpulit Virum, ut Sup-*

ANNO 1153.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

Supplicium de optimo atque bene merito Milite sumeretur. Missi Carnifices, qui Linguam illi præcidant, & utroque Lumine PETRUM cœcant. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI. ad Annum 1144: *Subornat tandem DOBESSUM CRISTINA, partim Probri Infamiâ irritatum, partim Pollicitatione Bonorum PETRI illectum, ut eum quovis Modo vel caperet, vel interficeret. Non est tamen ausus DOBESSUS Hominem apertâ Vi aggredi: sed observabat Tempus, quo per Fraudem eum incautum opprimeret. Forte PETRUS Nuptias Filiæ, quam IAXÆ Serborum sive Vinidarum Duci in Matrimonium collocabat, WRATISLAVIÆ insigni Pompa atque Celebritate apparabat. Eò se DOBESSUS quoque magno Comitatu confert, securumque & nihil ejusmodi suspicantem PETRUM solum forte conspicatus, dum Ministri circa apparandas Nuptias & Hospites comiter accipiendos satagunt, correptum celeriter paratis & dispositis ad hoc Equis asportat, & ad Principem adducit. Diu, quid eo faceret, WLADISLAUS Animi dubius fuit. Reverebatur Hominis Dignitatem Gratiamque popularem: reminiscebatur, quo is Honore apud Patrem fuisset. Contra suggerebat CRISTINA, si incolumis PETRUS dimittatur, acerbiorem eum capitalemque Hostem fore Principi, Injuriâ illa exacerbatum. Ubi cunctari Virum videt, minatur, se ab eo discessuram, ubi impune Probro prostitutæ Pudicitiæ assideretur. Vicit tandem perfecitque, ut indicta Causa, Lingua PETRO præcideretur atque Oculi effoderentur.*

XCIV. Eadem VLADISLAI & PETRI Facta, quemadmodum Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus ad Annum 1144 commemorat, integra subjungemus: *Fuerat PETRUS comitatus Principem* [Vladislaum] *ad Venationes, Ubi, cum Nox eos in Sylvis oppressisset, in Cespite parcè cœnati sunt, & deinde super vile Stragulum se se projecerunt. Ibi Princeps per Iocum appellans PETRUM, inquit: Amice, tua Uxor hac Nocte cum ABBATE Scrinensi longè melius cubat. PETRUS, in quo fuit Fastus magnus, ut Principem rursus morderet, respondit: Fortassis, Domine, & tua cum DOBIESSO mollius quiescit. Erat autem DOBIESSUS nobilis Germanus, quem Poloni oderant, & vulgo spargebant, parum honestam illi cum Domina esse Familiaritatem. Hoc Scomma petulantius valde vulneravit Pectus Principis, ad*

ANNO 1153.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

quem prius Rumores hujus Rei erant delati. Tunc quidem tacuit, sed cum Conjugi Solicitudinem suam exposueret, illa, sicut par est, graves in PETRUM concepit Iras. Ex Occasione autem hujus Dissensionis, cum minus charus etiam esset Principi, Conjux Maritum Principem persuasit, ut eum ex Urbe VRATISLAVIENSI, ubi Filiæ suæ celebrabat Nuptias, rapi curaret: deinde Linguam & Oculos exsecuit. Accidit hoc Anno 1144.

XCV. Ita PETRUS simul & mutus, & cœcus, in quem Annum residuam Vitæ miserrimæ Partem protraxerit, non inter omnes convenit. Post Linguam & Oculos Anno 1144 ablatos Quinquennio superstitem, & quod inde colligas, Anno 1149 mortuum fuisse, plures tradunt. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. V. ad Annum 1144: *Vixit tamen, post eam Calamitatem, PETRUS quinque Annos.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ad Annum 1144: *Fuit post hanc Calamitatem superstes Quinquennium.* Iohannes Isacius Pontanus in Rerum Danicarum Historia, Lib. V. Rege LXXV. Canuto, ad Annum 1157: *Eumque in Modum mutilatus deformatusque integro adhuc Quinquennio superfuit, mortuus scilicet Anno M. C. XLIX, cum illud sub Initium Imperii Suenoniani, Annum circiter M. C. XLIV. contigisset.*

XCVI. Sed videtur hos in Errorem duxisse Ioannes Dlugossus, cum narrat, PETRUM, ob multa piæ Liberalitatis Documenta, post plenam cum videndi, tum etiam loquendi Facultatem, singulari quodam Miraculo, instauratis cum Linguâ Oculis, recuperatam: non autem post eam in Organis amissam: Quinquennio adhuc vivum, maximè Locis sacris à se conditis largas contulisse Donationes. Hunc enim omnino Sensum habere possunt, quæ scribit in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1144: *A Scriptoribus Polonorum tantum uni huic Viro tribuitur, ut pro insigni suæ Innocentiæ atque Virtutis Memoria referatur, Divina* [Dei] *Propitiatione & Miraculo, in quem tot Pietatis Facinora contulerat, & Oculos plenamque Potentiam Visionis, & integram Loquelam, Linguæ instauratâ, illum recuperasse, & Quinquennio, quo post vixit, Monasteriis, Ecclesiis & piis Locis, his præsertim, quæ ipse fabricaverat, & fundaverat, largas Donationes feciisse.*

XCVII. Nam, quod Antiquitates de Vratislaviensibus Monasteriis MSta

ANNO 1153.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

MSta confirmant, rectius PETRUM Anno 1153, Die XXII Aprilis mortuum commemorant, Nicolaus Polius in Hemerologio Silesiaco ad Aprilis Diem XXII. & Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. XVIII. Quos sequitur Fridericus Lucæ in Silesiorum Memorabilibus, Parte I. Cap. III. Num. XII.

XCVIII. Cœterum PETRUS, superstite GUILIELMO Patre, intra Silesiæ VRATISLAVIAM, si Mortem non subiit, tamen obtinuit Sepulcrum, in S. VINCENTII Monasterio, quod ipse condiderat: ibi honorificas Exsequias, & cum Uxore MARIA Monumentum consecutus marmoreum, cujus hæc Inscriptio:

Hic Situs est PETRUS, MARIA Conjuge fretus:
Marmore splendente, Patre WILHELMO peragente.

Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1144: *Celebrem decedens habuit in Monasterio S. VINCENTII extra Muros WRATISLAVIENSES Ordinis Præmonstratensis, quod ipse vivens fundaverat, in Chori Medio, Terræ mandatus Sepulturam, magna Polonorum* [Silesiorum] *Frequentiâ ejus honestante Exsequias, ipsisque Funebriis monstrante, quantum vivum amaverant: sed & in hanc Diem PETRI Comitis Skrynensis Nomen apud Polonos exstat sonorum ac celebre. Consors sua MARIA exposti Fatis intercepta, in eadem, qua PETRUS, Urna Mariti consocianda Cineribus condita est. Duo insuper Versus hujusmodi inscripti Sepulcro, utriusque attestante Sepulturam, qui tales sunt:*

Hic situs est PETRUS, MARIA Consorte [legendum, Conjuge] *fretus:*
Marmore splendente, Patre VILHELMO peragente.

Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI. ad Annum 1144: *Mortuus apud WRATISLAVIAM in S. VINCENTII, quod Templum & Monasterium ipse condiderat, honorificè sepultus est.* Narrant eadem Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XVII. & Ioachimus Curæus in Silesiæ Annalibus, ad Annum 1144.

FRI-

ANNO 1153.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.
FRIDERICI I. Cæsaris pro SILESIORUM Ducę VLADISLAO II.
In Provincias hæreditarias restituendo,
Adversus BOLESLAUM IV. ejusque Fratres,
In Silesia & Polonia Bellum.

XCIX. FRIDERICUS I. Imperator, ex Italia in Germaniam reversus, Herbipolensibus in Franconia Comitiis vacabat. Ab eo, cujus Opem nunquam defatigatus imploraverat, VLADISLAUS, Silesiorum & Polonorum Dux, in XII Annum Exsul, Restitutionem in patrias Poloniæ Provincias summo Studio expetebat. Ibi, revocatis ad Animum Injuriis, quas in CONRADUM III Cæsarem Fratres Poloni Duces commiserant, imperata miris Technis eludentes, ipse multo celsioris Ingenii, & acriore Spiritu, quam ut obstinatum contemtum perferre posset, consentientibus Imperii Germanici Proceribus, quos VLADISLAUS sibi Familiaritate longa propensos fecerat, FRIDERICUS statuebat, Polonorum Ducibus, BOLESLAO IV, MIESLAO & HENRICO, Fratribus, tanquam rebellibus, inferendum Bellum: partim ob neglectum FIDELITATIS Iuramentum, partim ob intermissam TRIBUTI Solutionem: singillatim, ob denegatam VLADISLAO Fratri Exsuli, quam dudum CONRADUS III. Cæsar imperaverat, ereptarum Terrarum, quò SILESIA pertinebat, Restitutionem. Radevicus Frisingensis de Friderici I. Gestis, Lib. I. Cap. I: *Anno itaque ab incarnatione Domini M.C. LVII. Mense Augusto, contra Polonos Procinctum movet.* Ibidem Cap. II. de Vladislai Fratribus, Polonorum Ducibus: *Divo autem Principe FRIDERICO Rerum Summam gubernante, pari Modo* [ut CONRADI Cæsaris de VLADISLAO in pristinum Statum reponendo] *Mandatum ejus Flocci pendere sibi impune arbitrabantur. Cessit verò his secus, ac rati sunt. Nam & altioris Spiritus, & acrioris Ingenii Principem, multiplicatæ Injuriæ ulterius dissimulare Facinus non sinebant. Accessit siquidem ad hæc, quod vel debitum FIDELITATIS Sacramentum offerre, vel solitum singulis Annis TRIBUTUM quingentarum Marcarum publico Ærario inferre jam desueverant: talibusque Indiciis apertè se ab Imperio descivisse, & non clanculam, sed evidentem REBELLIONEM moliri protestabantur.*

C. Ho-

ANNO 1157.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

C. Horum, sed omissis, quæ displicuerunt, Mentionem faciunt etiam Historiarum Polonicarum Scriptores. Inter hos Princeps, Ioannes Dlugossus Lib. V. ad Annum 1157: *Ex Italia & Galliis FRIDERICUS Imperator discedens, & in Almaniam* [Germaniam] *rediens, omnium Principum Almaniæ in Wiercburg, alias Herbipoli, pro Pentecostes Festo Die agit Conventum.* Ibidem post quædam: *Inter hæc & WLADISLAUS Polonorum Dux coram Cæsare & Principibus Causam suam agere cœpit. Duodecimus, inquit, Cæsar optime, labitur Annus, ex quo cum Conjuge & Liberis, per Fratrum Odium & Livorem Patriâ pulsus sum: in Terris tuis indignum Exsilium ago: nec Spei meæ Pollicitationique Cæsareæ aliquis Effectus respondit. Prædecessor quidem tuus, CONRADUS, dum crebris Legationibus Restitutionem mei efficere nequiret, Armis illam effecturus, Legiones in Poloniam duxerat, sed â Fratribus meis, Poloniæ Ducibus, falsis Promissis & Blanditiis victus, Campoque detractus est: neque post hæc Curis Imperii & Languore distentus, Arma in mei Restitutionem, licet id crebro polliceretur, resumsit.* Ibidem, interpositis aliis, ad Commiserationem & Restitutionem, quam Vladislaus expetebat, spectantibus: *Tres Filios jam Adolescentiam transgressos, pulcherrimæ & raræ Indolis Iuvenes, Pedibus Imperatoris, quò faciliùs eum in Miserationem flecteret, admovit. Extorrem se factum Habitationis patriæ subintulit. Terram, in quâ sit natus, negari sibi. BOLESLAUM, MIECYSLAUM, & HENRICUM incubare Principatibus suis, qui sibi & Filiis per Scelus erepti forent. Dux deinde Bohemiæ, Wladislaus, Livoris magis in Polonos, quam Pietatis in Exsulem Respectu, ne id Ludibrium ferat Cæsar, Pertinaciamque Poloniæ Principum suo Calcaneo adversantium domaret, admonuit. Universi deinde Principes Almaniæ, huic Petitioni assensi, ut Restitutionem WLADISLAI Polonorum Ducis efficeret, Cæsarem Consiliis Precibusque impellebant. WLADISLAUS enim Polonorum Dux, & ex continuo Contubernio, ex diutina Mora, ferè omnium sibi Almaniæ Principum & Familiaritates & Amicitias meruerat.*

CI. Eadem, sed in breviorem Formam redacta proferunt, Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI: *Reversum autem* [Fridericum Imperatorem] *in Germaniam, & Conventum totius*

ANNO 1153.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

Germaniæ agentem, Virceburgi sive Herbipoli, supplex adit WLADISLAUS, orat de Reductione sua: &, quò magis eum ad Misericordiam flecteret, tres Filios Iuvenes Pedibus propinqui Imperatoris admovit. Idem pro eo petiit Wladislaus Princeps Boëmorum, Fastum Polonorum & Contemtionem Cæsareæ Majestatis & Autoritatis exaggerans. Idem plerique Germanorum Principes atque Duces, quibus jam WLADISLAUS Exsul diuturna Consuetudine familiaris factus erat, quosque ea de Re prehensaverat. Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus: *Cum autem* [Fridericus Cæsar] *reversus esset in Germaniam, & Conventum Principum convocasset Herbipolin: VLADISLAUS Exsul, quem tunc alebant Reditus aliqui donati ipsi à CONRADO, cum tribus Filiis Adolescentulis, supplex factus est Imperatori, & petivit Opem contra Injurias Polonorum. FRIDERICUM suâ Sponte, sicut fuit in eo Animus excelsus, incensum hortabantur Principes Germani, ne Imperii & Propinquorum suorum Miserias negligeret.* Eadem Cyriacus Spangenbergius in Chronico Saxonico, Cap. CCXXV. commemorat.

CII. Quare FRIDERICUS, quamvis ad Bellum Mediolanensibus inferendum proclivis, tot Precibus Monitisque victus, VLADISLAO statim succurrendum censebat. Prius Verbis, quam Armis Polonos ad Obsequium instigaturus, è Comitiis Herbipolensibus BOLESLAUM, MIESLAUM & HENRICUM Fratres, Polonorum Duces, urgebat per Nuncios, Cracoviam missos, ut Imperatori HOMAGIUM præstarent, & TRIBUTUM solverent: VLADISLAO Fratri Patrimonium redderent. BOLESLAUS cum Fratribus Cracoviam in Deliberationem convocatis respondebat: se nec turbulentum Fratrem VLADISLAUM recepturos, nec præscriptum HOMAGIUM præstituros, neque postulatum TRIBUTUM soluturos.

CIII. Horum, quæ diximus, nec omnium, & paucis meminit Guntherus in Ligurino, de Imperatoris Friderici I. Rebus gestis, Lib. VI. Versu 76 & subsequentibus: in præcedentibus de Conrado III. Cæsare, cujus Imperio Fidem Tributumque Poloni denegaverant, locutus:

Ast

ANNO 1153.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

Ast ubi felici FRIDERICUS Regia gessit
Sceptra Manu, Patruique Loco suscepit agendum,
Quicquid inexpletum dubiumvé reliquerat ille.
Sæpius admoniti, nec tunc quoque rapta jubentem
Reddere Germano, timuerunt spernere Regem:
Nec jurare FIDEM, nec prisco More TRIBUTA
Annua, quingentas curabant pendere Marcas.

CIV. Eadem verò secundum Circumstantias plures, at contra Germaniæ Ius priscum, in Poloniæ novum Decus applicata commemorat Ioannes Dlugossus, in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1157: *FRIDERICUS autem Cæsar, cum & suapte ad ferendum Exsuli Subsidium moveretur, frequentibus tamen Principum Consiliis, Sententiis & Precibus adeo pervictus accensusque est, ut prius in Polonos, quam in Mediolanenses, Expeditionem indiceret, & Exsulis Causam citius agi, quam propriam mallet. Verum, quia Æstate illa Expeditio ipsa minimè propter Temporis Defectum proventura videbatur, quo justior Belli Causa esset, mitti primum ad Duces Poloniæ, qui Nomine Cæsaris Restitutionem Exsulis admonerent, Belloque inferendo terrerent, placuit Legatos. Hi cum ex eodem Conventu in Wieczburg habito missi essent, BOLESLAUM quoque Ducem & Monarcham Cracoviæ offendissent, Imperialia Mandata, ut erant instructi & jussi, coram eo & duobus reliquis Fratribus, MIECYSLAO & HENRICO, quos Gratiæ audiendæ Legationis præfatæ, BOLESLAUS Cracoviam acciverat, edicunt.* Ibidem post quædam, cum postulatæ solius Restitutionis meminisset: *BOLESLAUS autem Polonorum Dux & Monarcha, Fratrum & Consiliariorum Deliberatione Legationem Cæsaream expendens, respondit: Nullius se & Fratres suos in WLADISLAUM Ducem admissi Facinoris conscios, neque se Fratri Bellum intulisse, sed illatum propulsasse.* Quibusdam iterum interjectis: *Se quidem non tam impios esse, ut non velint Fratri, tanto Tempore Exsuli, misereri, sed vereri, ne restitutus ad Exterminium eorum ardentius, dum ambitioso Animo exulceratus accesserit, intendat. Rogarent proinde Cæsarem, ut erga illos Indigna-*

ANNO 1157.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

tionem non moveret: Restitutionem Fratris civile Bellum, Cædemque & Exterminium multorum effecturam. Quibus post pauca, quid Polonorum Duces Imperatori de Iuramento requisito & Tributo exacto responderint, [Historicorum Germanicorum Assertioni, More Polonorum, contrarius] addit: *Imperatori autem Sacramentum FIDELITATIS præstare, & TRIBUTUM quingentarum Marcarum Argenti, Annis singulis, publico Ærario Imperii offerre, ab eis exigenti negabant: satius ducentes mori, quam Poloniæ Regnum subjici Tributis, apertisque & evidentibus Responsis, nunquam se sub Imperio aut Tributis fuisse, & non clanculariam, sed manifestam Oppositionem se pro Libertate facturos moliebantur.*

CV. Ioannis Dlugossi Vestigiis Matthias Michovius non omnibus insistens, Restitutionis & Tributi meminit, Iuramentum autem Silentio transit in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XIX: *Advenere*, inquiens, *Legati Imperatoris FRIDERICI Barbarussæ ex Herbipoli, requirentes prædictos Duces Poloniæ, ut WLADISLAO apud Imperatorem exsulanti redderent Hereditatem: & ut quingentas Marcas Argenti singulis Annis ad Ærarium Cæsaris inferrent. Respondit Dux BOLESLAUS cum suis Germanis: ex Restitutione Fratris Bellum civile, & Exterminium Patriæ futurum esse. Sub Imperatore verò & Tributis nunquam fuisse Regnum Poloniæ. Rogarent proinde Cæsarem Nuncii, ut contra Duces Indignatione non moveretur.*

CVI. Eadem aggressus narrare Martinus Cromerus, & Iuramentum omittit, neque Tributum, nisi quod FRIDERICO VLADISLAUS Exsul fortasse promiserit, postulatum [certè, pro Sagacitate, quâ pollet, minus congruenter] adjicit: de Polonorum Rebus Lib. VI: *Quanquam autem*, inquiens, *rebellarant Imperatori Mediolanenses cum Sociis suis, tamen exoratus FRIDERICUS, priorem in Polonos Expeditionem, de amplissimi Senatus Sententiâ, decernit. Ac Legatos quidem statim ex illis Comitiis ad BOLESLAUM Principem & Fratres ejus misit, qui ipsis, nisi reciperent WLADISLAUM, aut nisi ipsi TRIBUTUM, quod fortasse pollicebatur WLADISLAUS, Imperatori Romano penderent, Bellum denuncient: ipse vero Hiemem illam in Apparatu Belli consumsit. Reversi Cracovia Legati, non dissimile ejus, quod CONRADO datum erat, Responsum retulerunt: cujus ea Vis erat, ut quid-*

ANNO 1157.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

quidvis potius passuri Poloni Principes [qui ea de Re Cracoviam ad BOLESLAUM convenerant] quam aut tam immanem ac turbulentum Fratrem accepturi, aut TRIBUTUM cuiquam pensuri viderentur.

CVII. Alium in Modum, etiam Tributi, non Restitutionis tantum, Mentionem facit Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Friderico I: *Etsi igitur stulti Motus Mediolanensium eum vocabant: tamen prius Bellum in Poloniam decrevit. Missis verò Legatis in Poloniam, jubebat, ut aut VLADISLAUM cum Filiis restituerent, Imperiò solverent TRIBUTUM, aut exspectarent Bellum. Ipse, cum Poloni in Sententia persisterent, Hiemem in Apparatu Belli consumsit.*

CVIII. Triplicem Legationis Causam [quam Radevicus Frisingensis, ut §. XCVIII. diximus, delineat] simul & HOMAGII Præstationem, & TRIBUTI Solutionem, & VLADISLAI Restitutionem postulandas, indicat Cyriacus Spangenbergius in Chronico Saxonico, Cap. CCXXV: *Solches* [dem Vladislao zu seinem væterlichen Erbe zu verhelfen] *hat im der Keyser zugesagt, und eine Legation an die andern Bruder abgefertigt, und inen ernstlich auferlegt und befohlen, iren Bruder Herzog LASLEN und seinen Kindern, ir ERBTHEIL one weitern Aufzug einzuræumen: die LEHEN bey dem Reich zu suchen, und gebuhrliche Huldung zu thun, und die 500 Marck jæhrlichs TRIBUTS zu erlegen: oder eines andern Ernstes zu erwarten. Aber dieses ward von den Polnischen Fursten alles verachtet und in Wind geschlagen.*

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

CIX. His tantò magis ad Vindictam contra Polonos excitatus Imperator FRIDERICUS, collecto ex Suevis, Lotharingis, Rhenensibus, Francis, Bavaris, Bohemis, Moravis, Misnensibus, Saxonibus Exercitu, SILESIAM ingressus, VIADRUM, Die XXII Sextilis, nemine prohibente, trajiciebat: per SILESIORUM VRATISLAVIENSES, & POLONORUM POSNANIENSES Agros impune grassabatur. Ra-

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

devicus Frisingensis Lib. I. de Friderici Cæsaris Rebus gestis, Cap. III: *Imperator ergo cum magnis Copiis Poloniam, quamvis Arte & Natura admodum munita sit, ita, ut priores Reges seu Imperatores vix magna Difficultate ad Fluvium ODERAM pervenissent: fretus Ope Divinâ, quæ visibiliter Exercitum præcessit, Clausuras illorum, quas in angustis Locis, præcisa Densitate Sylvarum, fecerant, & magna Mole ingeniosè obstruxerant, penetravit: & XI. Kalendas Septembris, prænominatum Amnem, qui ex illa Parte totam Poloniam, quasi Murus, ambit, & Profunditate sui Gurgitis omnes excludit Aditus, præter Opinionem Incolarum, cum magno Exercitu transvadavit. Tantum enim omnes tenebat transeundi Desiderium, ut alii natandi, alii quodlibet Instrumentum Fors obtulisset, eò pro Navicula utendo transirent.* Quæ sic exprimit Guntherus in Ligurino, Lib. VI. Versu 83 & sequentibus, de Friderico I. Cæsare:

– – Nam, postquam sæpe Repulsâ
Infremuit justâ Patientia nobilis Irâ,
Agmina confestim rapiens per iniqua Viarum,
Difficilesque Locos, & quos præstruxerat Hostis,
Obicibus vastis Aditus, pervenit ad usque
ODERA Germanos quâ separat atque Polonos.
Hanc neque CHUNRADUS, neque Regum Tempore prisco
Distantem Ripis, tumidamque rapacibus Undis
Armatâ transire Manu tentaverat ullus.
At Rex invictum, quod suscepisset agendum,
Nil patiens, ipsam, quæ cunctis imperat, acri
Ingenio fervens, Naturam vincere tentat.
Protinus innumeras Sociis contexere Puppes
Imperat, ut rapidum toto simul Agmine Flumen
Exsuperet, pariterque Viros transmittat Equosque.

CX. His antiquissimis subjungemus recentiora Testimonia, plures Circumstantias indicantia. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1158: *BOLESLAI Monarchæ Ducisque Polonorum & Fratrum suorum, MIECSLAI & HENRICI Responsione FRIDERICUS Romanorum Imperator irritatus magnas concepit Iras, & suo in Herbipoli condito Decreto satisfacturus, Expeditionem in Poloniam movet, maximumque tam ex equestribus, quam ex pedestribus Copiis, Mense Augusto, per Saxoniam traducens, illam ingreditur, cum in Saxoniæ Finibus, Wladislaus Bohemiæ Dux cum Bohemis Moravisque se conjungit, & Exercitum Imperatoris per se magnum efficit ampliorem. Omnes enim Imperii Vires, & omnem Almanicam Nationem, Francos, Suevos, Rinenses, Bavaros, Saxones, Lotharingos, Misnenses, quod magnæ Exsecrationis poterat videri, ipsos etiam Moravos & Bohemos unius pene Nationis cum Polonis & Linguæ, contra Polonos vidisses infesta Arma induisse. Imperator itaque FRIDERICUS contra Polonos Exercitum movens, cum maximis Copiis ad Fluvium ODRAM, cum magna Difficultate penetravit, & undecimo Kalendas Septembris ODRAM cum Exercitu præter Opinionem transnatavit.* Eadem Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XIX. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VI. Cyriacus Spangenbergius in Chronico Saxonico, Cap. CCXXV. narrant. Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ad Annum 1158: *FRIDERICUS Viadrum XXII. Augusti, nemine prohibente, transiit: vagatur impune in Agris Posnanensibus & VRATISLAVIENSIBUS.*

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

CXI. Tot depellendis Germanorum Copiis tres Polonorum Duces, licet amplissimis Russorum, Tartarorum, Prussorum & Pomeranorum Auxiliis ad hoc Bellum convocatis gavisi, tamen sibi suisque Provinciis Exitium metuentes, neque Robur suum audentes opponere, Salutem in Fuga sola quærebant. Hostibus, & Pabulum, & Sedem ablaturi, ut nocerent, nocebant suis, cum Poloniæ, tum etiam SILESIÆ Partem magnam devastantes: in qua duas Urbes, GLOGOVIAM & BEUTHENAM Viadro adsitas subjectis Flammis delebant. Radevicus Frisingensis de Friderici I. Cæsaris Rebus gestis, Lib. I. Cap. III: *Poloni de tam improviso Malo perculsi & vehementer exterriti, cum jam nihil, præter Exitium sui, & Destructionem Terræ, superesse viderent, quamvis Auxiliæ vicinarum Gentium, Ruthenorum vide-*

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLELAUS IV.

videlicet, Parthorum [id est, Tartarorum] *Pruſchorum & Pomeranorum maximum collegiſſent Exercitum, in ſola Fuga Spem Vitæ conſtituunt: adeo Deſperatione correpti, ut proprium Solum, propriam Patriam, ſuis Manibus incendendo devaſtarent, inſuper & Arces ac Munitiones deſtruerent. Inter quas munitiſſima Caſtra, GLOGOVIA videlicet & BITOM, quæ prius ab Hoſte capta non fuerant, ne à noſtris ibidem Præſidia ponerentur, cremaverunt.* Guntherus in Ligurino, Lib. VI. Verſu 98 & ſequentibus, de Polonis:

Obſtupuere Rei, poſtquam ſua Rura tenere,
Et Ripam cunctis intactam Regibus ante
Conſpexere Virum, Vexillaque Regia Campis
Irradiare ſuis: pavidique fugacia turpi
Terga dedere Fugæ: quamvis ea Caſtra Polonos,
Pomerios, Bruſcos, Parthos ſimul atque Rutenos,
Atque truces Populos Scythia totius haberent:
Nève ſecuturis optata Cibaria Tellus
Præſidiumvé ferat, Villas atque Oppida tuta,
Caſtraque per longos vix expugnanda Labores
Exurunt Flammis, ſpoliataque Rura relinquunt.

CXII. Ab his non diſſentientia commemorant, è Scriptoribus Polonicis, Ioannes Dlugoſſus, Lib. V. ad Annum 1158: *BOLESLAUS itaque, MIECSLAUS & HENRICUS Polonorum Duces, quamvis & ipſi cum ſuorum Militum exercitatiſſimo Robore Imperatori FRIDERICO occurriſſent: Vires tamen ſuas metiendo, dum illas conſtaret hoſtilibus multo inferiores & diſpares, Hoſtem ex Inſidiis & paludinoſis, & iniquis Locis laceſſentes, in Diſcrimen notorium univerſæ Dimicationis veniunt. Turmis quoque Militum, & Belli Muneribus inter ſe partitis, in Loca diverſa abeunt: atque ex illis Hoſtes incautius prædatum aut pabulatum progreſſos, aut ea-*

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

capiunt, aut interimunt. Omnia inſuper Loca, per quæ Imperatoris Exercitus tranſiturus erat, ab eis viciniora, interque Caſtra & Oppida munita, videlicet GLOGOW & BITOM Igne injecto conſumunt: quæ Res in magnas Difficultates, Commeatu & Pabulo deficiente, Imperatorium Exercitum induxit. Martinus Cromerus Lib. VI. ad Annum 1158: cum Fridericum Cæſarem, ſuperato Viadro, per Sileſiam in Poloniam penetraviſſe dixiſſet: *Poloni Principes, etſi non contemnendam & ipſi Manum habebant: nusquam tamen auſi ſunt apertè eam tanto ac tam valido Exercitui opponere: ſed Munera inter ſe Copiasque partiti, quod Equitatu abundarent, & levi Armatura uterentur, partim in Prædatores & Pabulatores ex Inſidiis Vim faciebant: partim Villas & Oppida ſua, quà iter facturum eſſe Imperatorem ſuſpicabantur, ipſi comburebant: partim etiam Munitiones dejiciebant, ita ut neque progredi rectè Imperator, propter Pabuli & Commeatus Inopiam, neque Veſtigium ponere firmo aliquo & munito Loco poſſet. Eo noſtrorum Incendio tunc BYTHOMIA, cujus etiam ſuperius Mentio facta eſt, atque GLOGOVIA, non obſcura Oppida, conflagraverunt.*

CXIII. Ex Scriptoribus Germanicis recentioribus, Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 1158: *BOLESLAUS etiam in illo diuturno Metu Belli Germanici magnas contraxerat Copias, & habebat Auxilia vicinarum Gentium valida: tamen ratus, ſe ſe imparem futurum Robori Germanico, SILESIAM ultra VIADRUM miſerabiliter exuſſit: ut ita Hoſti Copiam Commeatuum præcideret. Conflagrarunt tunc BYTHONIA, GLOGOVIA & alia bona Oppida, incenſa à ſuis.* Eadem Cyriacus Spangenbergius in Chronico Saxonico, Cap. CCXXV. Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XIX. & Nicolaus Polius in Incendiorum Hiſtoria, Num. XII. ad Annum 1158. recenſent.

CXIV. Germani Polonos, ne ſuis quidem parcentes, velut imitaturi, paſſim eorum Terras, in SILESIA VRATISLAVIENSES, in Polonia Poſnanienſes, potiſſimum Epiſcopatui utrique proprias, Spoliis & Incendiis devaſtabant. Radevicus Friſingenſis Lib. I.

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

Cap. III: de Friderico I: *Imperator fugientes* [Polonos] *insecutus, & Territorium Episcopii, quod vocatur VRATISLAVIA, transcurrens, in Episcopatum Posnaniensem, totamque Terram etiam ipse Igne & Gladio depopulatus est: indignum æstimans, eis parcere, qui in seipsos tam crudeles Hostes inventi essent.* Guntherus in Ligurino, Lib. VI. Versu 109, & sequentibus, de Friderico I:

Nec minus à Tergo quæcunque illæsa manebant,
Vastabat Princeps: his, qui sibi Mente feroci
Parcere noluerant, indignum parcere ducens.

Æneas Sylvius in Friderici III. Cæsaris Rerum Historia, quam Ioannes Henricus Bœclerus edendam curavit, Ioannes Georgius Kulpisius primum edidit: de Friderico I. Imperatore: *Quiescentibus Germaniæ Rebus, Albim atque ODERAM & Viscellam* [Vistulam] *Fluvios prætergressus, in Agro Sarmatarum, Polonos, Pomeranos, Ruthenosque solo Adventus sui Nomine Fugam arripere compulit: Regionem usque Posnaniam longè lateque populatus.* Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1158: de Friderico I: *Quid tamen ageret, aut quem Fructum ex Bello hujusmodi sperare possit, cum Poloni in Aciem non prodirent, assidua angebatur Perplexitate. Sed nec Expugnationi Castrorum aut Urbium intendere poterat: quippe Urbes raræ & Castra apud Polonos eâ Tempestate habebantur: sed & plerasque Poloni, sub Adventu Cæsaris, proprio Igne deleverant, ad paludinosaque & invia Loca nonnullis desertis diverterant. Sola itaque Agrorum Populatione tam validus & numerosus Exercitus contentus, Tectis innocuis Ignem injiciebat. Territoria quoque & Districtus WRATISLAVIENSEM & Posnaniensem Incendio & Spolio devastabant.* Horum meminit etiam Cyriacus Spangenbergius in Chronico Saxonico, Cap. XXV.

CXV. Hujus Belli Eventus plane disparem in Modum consignatus reperitur. Secundum Polonicos Scriptores: FRIDERICUS, Militibus Famem Morbumque patientibus, infelicem Sarmaticam Expeditionem detestantibus, summâ Necessitate compulsus, ut nec invitos, si persisteret, Italicis Mediolanensium Plagis oppugnandis promtiores à Bello magis necessario

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

sario retraheret: neque digressus, Germanicas Provincias Incursionibus Polonicis obnoxias redderet: id per subornatos, in primis per Vladislaum Bohemorum Ducem, agebat, ut BOLESLAO ubique non ad Pugnam, sed ad Fugam propensos innotescceret: Pacem, quam Dignitatis observantissimus offerre nolebat, ne, aut videretur victus, aut haberetur contemtus, petituro se non denegaturum. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1158: cum Indigentiam Miseriamque Militum Cæsareanorum describsisset: *Inter hæc solertissimus Imperator, & Expeditionem illam, cujus illum sæpe pœnitebat, & Discessionem suam, quam Fames & Morborum Pernicies, Militumque Clamor & Vociferatio exigebat, honestaturus, per Wladislaum Bohemiæ Ducem, velut communem Partium Amicum, egit, ut Polonorum Duces BOLESLAUS, MIECSLAUS & HENRICUS Pacem à Cæsare expeterent, Certitudine facta, eos Pacem consecuturos.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI. ad Annum 1158: *Erat in magna Difficultate Res Germanorum: quippe quibus neque Frumentum, neque Pecudes ad vescendum, neque Vinum aut Cerevisia ad bibendum suppeteret, omnia Itinera nostris obsidentibus. Itaque Intestinorum Dolore laborari vulgo cœptum, quo Morbo multi Mortales absumti sunt. Iamque non mussitabant Milites, sed apertis Convitiis & Maledictis Imperatorem incessebant, quod ab eo inauspicatum Bellum ob Rem alienam educti essent. Quibus Rebus permotus FRIDERICUS, simul quod Res Italicæ Discessu ejus turbatæ, eum ad se revocabant, de reducendo Exercitu cogitare cœpit. Verum metuebat, si nulla Pace facta retrocederet, ut satis tuto id facere posset: quod non dubitabat, nostros Tergà revertentium pressuros, & aliquam Germaniæ Oram, dimisso à se Exercitu, vicissim invasuros ac devastaturos esse. Sin Pacis Mentionem prior feciisset, pro victo se habitum atque contemtum iri: utrumque autem non ex Dignitate Imperatoria fore.* Ibidem post pauca: *Eum* [de Pace Polonis danda] *Sensum Imperatoris, cum probe calleret Boëmorum Princeps, sive jussus, sive pertæsus & ipse Belli, agit cum Polonis, ut de Pace ad Imperatorem mittant, aut ipsi veniant: sperare se ac recipere, æquis Conditionibus eam iri compositum. Placabiliorem enim ipsis FRIDERICUM se reddidisse.*

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

CXVI. Contra, secundum Germanicos, eosque multo antiquiores Scriptores, FRIDERICUS, etsi variis presso Malis Exercitu, se tamen à Polonis opprimendis averti Heroico Spiritu non patiebatur. BOLESLAUS verò à Germanis tandem summas in Angustias redactus, cum extremum sibi suoque Populo Periculum imminere videret, Obstinationis Pœnitentiâ ductus, Sponte sua, Precibus & Donis præcipuos Aulicos, maximè Principes quosdam Germanicos, & Vladislaum Bohemorum Ducem solicitabat, ut per eos Cæsari commendatus in Gratiam reciperetur, futurus posthac subjectus. Sic BOLESLAO Deditionem facturo FRIDERICUS se propitium pollicebatur. Radevicus Frisingensis Lib. I. Cap. IV: *BOLESLAUS Dux Rebus suis ultimum Fatum cernens imminere, cum totam Terram Populumque suum periclitari, & prope esse ad Interitum cerneret: Barones & Principes nostros, tum per Nuncios, tum in propria Persona sua conveniens, multis Precibus, multis Lachrimis, multis quoque Promissionibus, ut sub Imperium Romanæ Ditionis & Gratiam Principis recipi mereretur, postulavit. Salutare secutus Consilium, ante intolerabilem Calamitatem, REBELLIONIS mutare Sententiam: debere autem dedignari Dominos humiliores, non eum, cujus in Potestate sit Romanum Imperium. Imperator jam dudum edoctus hanc Nobilitatem,*

Parcere prostratis, & debellare superbos,

præmaturam, subitam & à Deo datam nolens cruentare Victoriam, Ducem ad Deditionem recipiendum decrevit. Guntherus in Ligurino, Lib. VI. Versu 112, & sequentibus: de Boleslao Polonorum Duce:

Tum demum tumidis è Fratribus alter, iniquâ
Qui profugi Fratris Sedem Ditione tenebat,
Ut videt Interitum tandem certumque gravemque
Adveniſſe ſuis, irato Principe, Rebus,
Clamque palamque ſuos mittens, iterumque remittens,
Sæpius accitos Affatu ſupplice cœpit

Com-

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

Compellare Patres, & Deditionis aperta
Principis Arbitrio Legem Veniamque pacisci.

Otto de S. Blasio in Appendice, quam ad Ottonis Frisingensis de Friderici I. Cæsaris Rebus gestis Chronicon composuit [Anno 1210 superstes] Cap. VI: *FRIDERICUS Rex contra Ducem Polonorum Procinctum movens, Regionem ipsius armata Manu ingressus est: transitôque præter Spem quodam Fluvio cum Exercitu, Regione devastatâ, ipsum ad Deditionem coegit.*

CXVII. Eadem proinde, non citra Vetustatis evidentissimum, idque multiplex Testimonium recentiores scribunt. Anonymus Autor in Montis Sereni Chronico, quod Ioachimus Iohannes Maderus edidit, de Friderico I. ad Annum 1157: *Imperator cum Saxonibus Poloniam hostiliter ingressus, ad Deditionem eos* [Polonos] *compulit.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ad Annum 1158: de Friderico I: *Exercitum quidem Cæsaris, ex malu Victu & Inopia Rerum necessariarum, invasit Morbus contagiosus, præsertim Dysentericus: ipse tamen, ut Vir Heroicus, nihil de Ardore suo remittebat.* Cyriacus Spangenbergius in Chronico Saxonico, Cap. CCXXV: *Wiewol die rote Ruhre unter das Keyserliche Kriegsvolck kam: lies er doch nit ab von seinem furgenommenen Ernst, die Polen entweder zu Gehorsam zubringen, oder das Land gar zu verterben. Als nun die Herzogen solchen Ernst vermerckten: haben sie durch den Herzogen zu Behem, und etliche Deutsche Fursten, mit bitten und flehen, Gaben und Geschencken, so viel erhalten, das sie der Keyser fur sich kommen lassen.*

CXVIII. Hinc, cum maximè circa Res sub Imperatore FRIDERICO I. gestas Poloni à Germanis planè dissentiant: nos Germanis, extra justam Suspicionem positis, præsertim antiquioribus quam Polonorum quisquam Historiis Populi sui consignandis Manum admovit, non immerito Calculum addendum esse judicamus. Sanè, quas porro sagacioribus Veritatis Æstimatoribus intuendas proponemus Germanorum Narrationes Polonicis contrarias, per se magis, ut credibiles, sic probabiles, confirmabunt ea, quæ mox in medium afferemus.

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

CXIX. Tum FRIDERICUS Cæsar intra Poloniæ majoris Posnaniensem Provinciam commorabatur. Ad eum tres Polonorum Duces Fratres, BOLESLAUS, MIESLAUS & HENRICUS, obtenturi Pacem in Castra veniebant. Ioannes Dlugossus Lib. V. ad Annum 1158: de tribus Polonorum Ducibus jam indicatis: *Sub Securitatis Conductu, in Cæsarea Castra apud Villam Kriszogove Stativa habenti perveniunt, & in Tabernaculum Imperiale, ubi frequens Consiliariorum Numerus convenerat, deducti, per Organum BOLESLAI, Verba faciunt. Si scrupulosius, inquit, Cæsar optime, & nostram, & Fratris nostri WLADISLAI, in cujus Restitutionem & Favorem, Bellum nobis infers, Causam examinasses, nequaquam contra nos hostilem Animum induisses. Eâ enim Iustitiâ Causam nostram conspiceres esse præditam, ut magis illi Defensio, quam Vexatio debeatur.* Ibidem post quædam: *Et quamvis plurimis Damnis Patriam nostram sine Demerito afflixeris, in Castra tua venimus, singulis Causis & Querelis, quibus nos injuste coram Cæsarea tua Majestate oneravit, in Faciem præsentes responsuri. His dictis FRIDERICUS Romanorum Imperator Ducibus Poloniæ sereno Vultu exceptis benignè respondens, ait: Fratris vestri WLADISLAI Calamitate, cui nullam Miserationem à nobis & Prædecessore nostro CONRADO rogati, præstare voluistis, moti in præsens Bellum descendimus.* Iterum post quædam: *Interponuntur post hæc de Pace & Reconciliatione Tractatus inter Imperatorem FRIDERICUM & Duces Polonorum.*

CXX. Hæc innuere videntur, Pacem inter Polonos & Germanos haud difficulter initam, Polonorum potius, quam Germanorum Æquitati adscribendam: quoniam illos vel nulla, vel longè minor, quam hos impulerit ad Bellum componendum Necessitas. At verò, nec Autoritatis, nec Fiduciæ tantum, quantum habuisse dicuntur, habebant tres Polonorum Duces BOLESLAUS, MIESLAUS & HENRICUS: si credimus Germanorum Antiquitatibus: quorum Fidem Circumstantiæ stabiliunt. Nam hæ vix, ac ne vix quidem admittunt, ut idoneis Iudicibus persuadeatur: Polonorum Duces, antehac Imperatori CONRADO, quem minus timebant, obstinatissimos, jam Hostium Robur, aut Insidiis, aut Defectibus enervatum, jam FRIDERICO Ruinam ex Morbis, & Dissensionibus Militum præsentissimam

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

mam imminere videntes, in Pacem adeo fuisse proclives: nisi ad eam stimulavisset suorum aut miser Status, aut celer Metus Oppressionis: cæteroquin Exemplum notabile statuturos, ne porro Germani, frustra Viribus suis confisi, suam incurrerent, dum intenderent Polonis Perniciem: qui semper maluerunt fieri Solertiâ, cum non valuerunt esse Potentiâ, Victores.

CXXI. Certè, sicut & Germanorum & aliorum Annales commemorant: sæpius indicati Polonorum Duces, quò majus sibi suisque Provinciis Malum appropinquare conspiciebant: eò Pacis appetentiores, eòque Submissionis observantiores FRIDERICO Deditionem faciebant: à quò humaniter quidem, sed præscriptis adstricti Conditionibus in Gratiam suscipiebantur. Radevicus Frisingensis Lib. I. Cap. V: *Itaque in prædicto Territorio Episcopatus Posnaniensis, circa Partes Crisgovæ, præfatus* [Boleslaus, Polonorum] *Dux Pedibus Imperatoris provolutus, Interventu Principum, hoc Tenore* [quem deinceps indicat] *receptus est.* Autor Anonymus [ante 1209 Annum superstes] in Chronico Stederburgensi, quod Henricus Meibomius in Rerum Germanicarum Scriptoribus, Tomo I, edidit: ad Annum 1157: *FRIDERICUS Imperator in Poloniam profectus Provinciam cum Duce suo in Deditionem honorifice suscepit.* Æneas Sylvius in Historia de Friderici III. Cæsaris Rebus, cum ab Imperatore Friderico I. Boleslaum ejusque Fratres victos indicavisset: *Supplices & ad Genua sua prostratos petere Pacem compulit.* Cyriacus Spangenbergius in Chronico Saxonico Cap. CCXXV: cum Polonorum Duces ad Cæsarem Fridericum admissos narravisset: *Deme sie einen Fusfall gethan, Gnade begeret, und sich aller Unterthænigkeit erbotten.*

CXXII. Eadem igitur Silesiorum Historiæ non citra Fundamentum indicant. Ioachimus Curæus in Silesiæ Annalibus ad Annum 1158: *Ipsi Principes Fratres, metuentes suis Provinciis, impetrat à Potestate adeundi Cæsarem per Bohemum, profecti sunt in Castra Cæsaris, & supplices ad Genua ipsius prostrati, Veniam & Pacem petierunt.* His subscribit Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. XIX.

CXXIII. Quibus Legibus Imperator FRIDERICUS, Bellum compositu-

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

ſiturus, tres Polonorum Duces, BOLESLAUM, MIESLAUM & HENRICUM, Fratres, in Gratiam receptos, Pace donaverit, Hiſtorici Germani Polonique non in omnibus conſentiunt. Nos eas Leges ſingulas Ordine proferemus, Teſtimoniisque confirmabimus.

CXXIV. Prima Lex erat, ut BOLESLAUS, MIESLAUS & HENRICUS Fratres Iurejurando teſtarentur, â ſe VLADISLAUM Fratrem, Sileſiorum Polonorumque Ducem, non in Romani Germanorum Imperii [cujus erat fiduciarius, Cæſari ſubjectus & tributarius Princeps] Contumeliam, è Provinciis patriis ejectum. Eô defungebantur in Cæſareanis Caſtris Officio. Radevicus Friſingenſis Lib. I. Cap. V: *Primo* [Boleslaus] *juravit pro ſe & pro omnibus Polonis, quod Frater ſuus Exſul ad Ignominiam Romani Imperii non fuerit expulſus.* Guntherus in Ligurino, Lib. VI. Verſu 129 & 130: ubi refert, Boleslaum inter alia juſſum, ut

Nec ſe de Solio Fratrem pepulisse paterno
Dedecus ob Regni jurando lure probaret.

Ioannes Dlugoſſius in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1158: *Purgavit etiam tunc ſe BOLESLAUS Poloniæ Dux cum Fratribus Iurejurando, quod Fratrem ſuum WLADISLAUM non ad Ignominiam Imperii expuliſſet.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 1158: *FRIDERICUS, ut conſuleret Honori Imperii, coegit BOLESLAUM, primum Iuramentô ſe purgare, quod non ad Contumeliam Imperii, ſed aliis de Cauſis Fratrem ejeciſſet.* Conditionis hujus meminit etiam Cyriacus Spangenbergius in Chronico Saxonico, Cap. CCXXV. & Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XIX.

CXXV. Secunda Lex obligabat BOLESLAUM, ut circa proximum Feſtum Chriſto nato ſacrum, [tanquam Romano Imperio ſubjectus] Germanico Magdeburgenſium Iudicio præſens, ob expulſum VLADISLAUM, redderet Rationem, & ſecundum Sententiam â Polonis & Bohemis pronunciatam, præſtaret Obſequium. Id pariter juratus promittebat. Radevicus Friſingenſis Lib. I. Cap. V: *Deinde* [Boleslaus] *juravit, ut in proxima Nativitate Domini, ad Curiam Magdeburg celebrandam venire deberet, juxta Iudi-*

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

Iudicium & Sententiam Polonorum & Boëmorum, ſuper Querimonia Fratris expulſi plenariè reſponſurus. Guntherus in Ligurino, Lib. VI. Verſu 130 & 131: ubi narrat, Boleslaum adactum, ut

Denique Virgineam ſe præſentaret in Urbem,
Staturus Fratri, ſummo ſub Iudice Regni.

Ioannes Dlugoſſius in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1158: *Pollicitus* [Friderico Boleslaus] *pro Die Nativitatis Chriſti, ad Curiam in Maideburg perſonaliter venire, & juxta Iudicium & Sententiam Polonorum & Bohemorum ſuper Expulſione Fratris ſui WLADISLAI reſpondere & parere.* Conditionis hujus meminit etiam Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 1158. Cyriacus Spangenbergius in Chronico Saxonico, Cap. CCXXV. Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XIX.

CXXVI. At his Promiſſis [ut aliis, de quibus poſtea dicemus] etſi Iurejurando firmatis, BOLESLAUS non ſatisfaciebat: citra Dubium veritus, partim, ne Subjectionem ſuam, toti Germaniæ conſpicuam, Populis exteris patefaceret: partim, ne VLADISLAO Victore, caderet Cauſa, Pœnamque commiſſorum pateretur. Radevicus Friſingenſis Lib. I. Cap. V: de Boleslao: *Nec ad Curiam venit, nec ſufficientes pro ſe Procuratores miſit.* Quibus adeo conveniunt, ut ex Radevico hauſta videantur, quæ Ioannes Dlugoſſius in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1158, de Boleslao ſcribit: *Omnibus tamen, quæ promiſerat, neglectis, nec ad Curiam Cæſaris pro Die conſtituto venit, nec ſufficientes pro ſe Procuratores miſit.*

CXXVII. Tertia Lex imperabat BOLESLAO, MIESLAO & HENRICO, ut VLADISLAO Exſuli reſtituerent Patrimonium. Hoc integrum [ſicut indicavimus §. III.] non tantum in Germania Sileſiam, verum etiam in Polonia minore Cracovienſem, majore Siradienſem & Lancicienſem Provinciam complectebatur. Ioannes Dlugoſſius Loco dicto: *Pax* [inter Fridericum Cæſarem, & Boleslaum, Mieslaum, Henricum, Polonorum Duces] *componitur, ut videlicet Fratrem WLADISLAUM ſuis Ducatibus Polonorum reſtituant.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XIX: *Turpe ratus Cæſar, absque Fructu diſcedere, per Medium Wladis-*

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

Iai Ducis Bohemiæ, circa Villam Crisgowe, inter Wratislaviam & Posnaniam consistentem, in hunc Modum cum Principibus Polonorum convenit, ut Fratrem eorum WLADISLAUM Exsulem in suos Ducatus restituerent. Conditionis hujus etiam meminit Cyriacus Spangenbergius in Chronico Saxonico, Cap. CCXXV. & Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. XIX.

CXXVIII. His Autoribus contrarius est Martinus Cromerus, Imperatorem FRIDERICUM Exsuli VLADISLAO tantum SILESIAM, non simul Cracovienſem, Siradienſem, Lancicienſem Provinciam, [quibus totum Patrimonium constabat] restituendam in Pacis Conditionibus obtinuisse scribens, de Polonorum Rebus, Lib. VI: *Multis ultro citroque habitis* [inter Fridericum Cæsarem, & Boleslaum ejusque Fratres] *Sermonibus, Pax tandem his Legibus constituitur: ut WLADISLAUS ad SILESIÆ Dominatum modo restituatur, cæteris se abstineat.* Cromerum sequuntur [ut in plerisque solent] Historiographi Polonici Ioannes Herburtus Lib. I. Cap. VI. & Salomon Neugebauerus Lib. III. in Boleslao IV. ad Annum 1158.

CXXIX. Quarta Lex BOLESLAO, cum in Censum per aliquot Annos residuum, tum etiam in Pœnam, ob neglectam Cæsaream Curiam, quò, tanquam Dux Romano Imperio subjectus, ad præstandum Fidei Sacramentum, venire posthabuerat, præscribebat ponderosas Pecuniarum Summas, partim Cæsari, partim Augustæ, partim Aulicis, partim militantibus Proceribus solvendas. Radevicus Frisingensis Lib. I. Cap. V. de Boleslao: *Deinde pollicitus est dare duo Millia Marcarum Imperatori, & Principibus Mille, Imperatrici Viginti Marcas Auri, Curiæ Ducentas Marcas Argenti, ob eam Negligentiam, quod ad Curiam non venerat, nec de Terra debitam fecerat Fidelitatem.* Guntherus in Ligurino, Lib. V. Versu 120, & sequentibus, de Boleslao:

Quam miser hoc Pacto tandem tulit, ut duo Regi
Millia Marcarum, bis centum verò Ministris
Penderet Argenti Marcas, bis mille probati:
Mille alias Proceres Studiorum Præmia ferrent,
Bis centum sacræ daret Officialibus Aulæ.
At tibi, quæ rutilo fulgebas digna Metallo,

Cor-

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

Corporis ad Cultum, generosi Germinis, Aurum
Viginti magnas daret, Uxor Regia, Marcas.

Otto de S. Blasio in Appendice ad Ottonis Frisingensis de Friderici I. Cæsaris Rebus Chronicon, Cap. VII: *Ipsum* [Boleslaum Fridericus] *ad Deditionem coegit, ac Censum jam per aliquot Annos neglectum, reddere compellens.* Huldericus Mutius in Germaniæ Chronico, Lib. XVIII, de Boleslao: *Polonorum Dux, Fœdus & Fidem Imperatori non servans, vincitur & sub Iugum mittitur, cogiturque Tributum dare majus, quam antea unquam.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ad Annum 1158: de Pacis inter Fridericum & Boleslaum Conditionibus: *Imperatori, Multæ Nomine, solvat bis Mille Libras Argenti: Principibus, qui Cæsari militarunt, Libras mille: Aulicis ipsius Ducentas: Conjugi vero Cæsaris Viginti Libras Auri.* Conditionis hujus etiam meminit Cyriacus Spangenbergius in Chronico Saxonico, Cap. CCXXV. & Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib I. Cap. XIX.

CXXX. Quinta Lex jubebat BOLESLAUM ejusque duos Fratres [ad Principum aliorum, Romano Imperio subditorum, Exemplum] Cæsari FRIDERICO in Bellum Italicum, contra Mediolanenses, mittere pro Auxilio Impendiis suis trecentos Equites hastatos. Radevicus Frisingensis Lib. I. Cap. V: de Boleslao: *Iuravit quoque* [Friderico] *Italicam Expeditionem.* Hoc Guntherus in Ligurino, Lib. VI. Versu 133. & 134, ita explicat:

Signaque trans Alpes devotus regia Miles
Prævaricatricem Ligurum sequeretur ad Urbem.

Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1158: *Pax componitur, ut videlicet Fratrem WLADISLAUM suis Ducatibus Duces Polonorum restituant, & trecentas Lanceas Cæsari mittant.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI. ad Annum 1158: cum dixisset, Pax componitur inter Fridericum & Boleslaum: *Ut BOLESLAUS una cum Fratribus trecentos hastatos Equites FRIDERICO in Auxilium ad Mediolanense sive Longobardicum Bellum mittat.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ad Annum 1158: de Pacis inter Fridericum & Boleslaum Conditionibus: *Postremo* [Boleslaus] *Imperatori proficiscenti ad Bellum Italicum, suo Sumtu*

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

mittat in Auxilium trecentos Equites. Conditionis hujus etiam meminit Cyriacus Spangenbergius in Chronico Saxonico, Cap. CCXXV. & Iacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. XIX.

CXXXI. Huic Legi BOLESLAUM satisfeciſſe, Dlugoſſus affirmat, cum cœteras neglexiſſe dixiſſet: *Italicam tamen Expeditionem adimplevit, magnificè & animosè.* Radevicus autem id negat: *Italicam quoque Expeditionem, violatô Sacramentô, mentitus est.* Fortaſſis hæ duæ contrariæ Sententiæ ſic conciliabiles ſunt: BOLESLAUM miſiſſe quidem promiſſos Milites, non autem ipſum eorum Ducem adfuiſſe FRIDERICO.

CXXXII. Sexta Lex ad ultimum poſcebat, ut BOLESLAUS Sileſiorum Polonorumque Dux [ſuo certè, ſi non & Fratrum Nomine] FIDEM SUBIECTIONEMque Romano Germanorum Imperio præſtandam juraret: quam etiam ſe præſtiturum jurabat. In has Leges Pacem inter FRIDERICUM Cæſarem & BOLESLAUM, MIESLAUM, HENRICUM Duces, initam Obſides, in primis CASIMIRUS, natu minimus Frater, FRIDERICO traditus, confirmabant. Radevicus Friſingenſis Lib. I. Cap. V: *IURATA Principi* [Cæſari Friderico à Boleslao] *FIDELITATE, ſicut mos eſt, & de ſupra dictis omnibus fideliter adimplendis, acceptis Obſidibus, CAZIMIRO videlicet, Fratre Ducis, & aliis Nobilibus, glorioſam adeptus Victoriam, Deo Duce, feliciter Auguſtus revertitur.* Guntherus in Ligurino, Lib. V. Verſu 128: inter Pacis Conditiones Boleslaum eò impulſum indicat, ut

Iuraretque FIDEM Regi [Cæſari] *dignumque Favorem.*

Otto de S. Blaſio in Appendice ad Ottonis Friſingenſis Chronicon, Cap. VII: de Friderico: *Expeditionem Italicam ipſi* [Boleslao] *indicens, OMNIMODAM SUBIECTIONEM Sacramento ſibi firmari fecit.* Æneas Sylvius in Hiſtoria de Imperatoris Friderici III. Rebus: ubi de Polonorum tribus Ducibus, à Cæſare Friderico I. victis agit: *De Lite fraterna Iudicium ſibi retinuit: IURAMENTA FIDELITATIS: & ad eas Res juſtos accepit Obſides: inter quos juniorem Fratrem CASIMIRUM.*

CXXXIII. Hanc Polonis Pacem, utique difficillimum in Modum obtentam, duo Marchiones, Albertus Brandenburgicus & Conradus Miſnenſis conciliabant. Anonymus Autor in Lauterbergico, id eſt, Montis Sereni

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

reni Chronico, ſicut editum reperitur, ad Annum 1146: de Conradi III. Cæſaris Rebus: quibus autem Res ſub Imperatore Friderico I. geſtas ſubjungit: cum de Polonorum Ducibus, etſi Fratribus, tamen maximè diſcordibus quædam retuliſſet: *Tandem Conſilio Adelberti & Conradi Marchionis, Obſidibus viciſſim datis, Regem* [Imperatorem Fridericum] *adeunt, & promiſſâ Pecuniâ, Patriam* [Poloniam] *ab ipſo ſuſcipiunt, juniore Fratre* [Caſimiro] *Obſide dato.*

CXXXIV. Hæc ex eodem Chronico, tum nondum edito, aliisque Monumentis antiquis, evidentius, quanquam non citra Errores, forſan Librario imputandos, Georgius Fabricius in Saxonicis Originibus, Lib. V. ad Annum 1146, profert: cum Expeditionis, quam Conradus III. Imperator adverſus Polonos ſuſcepit, meminiſſet: *Eandem Expeditionem poſtea renovat FRIDERICUS Barbaroſſa: in quâ, illâ Cauſâ ſæpius agitatâ, tandem Marchionum Alberti Brandenburgii & Conradi Miſnenſis componitur Prudentiâ, & BOLESLAI, qui Regnum* [Imperium VLADISLAO II. ereptum] *fraternum tenebat, Humanitate & Liberalitate. Fratres alteri duo Boleslaus & Mizeslaus* [legendum, Mizeslaus & Henricus] *Imperatori ſupplices efficiunt, ut Poſſeſſio paterna eis confirmetur: qui Henricum* [legendum, Caſimirum] *Fratrem natu minimum ad Tempus dant Obſidem.*

CXXXV. At BOLESLAUS, MIESLAUS & HENRICUS, Polonorum Duces, nihilhorum, quæ promiſerant, præſtabant vel in Cæſarem FRIDERICUM, vel in Fratrem VLADISLAUM ſincerâ Fide: quam, digreſſo ad Burgundos FRIDERICO, quamvis juratam, poſthabebant: Magdeburgum, ad implenda, quæ ſpoponderant, venire ſuperſedentes. Radevicus Friſingenſis Lib. I. Cap. V: *Ipſe tamen Dux* [Boleslaus] *plenus Dotis, & acerbam Dominationis Cupidinem Mente gerens, jam jam ſuis Promiſſionibus* [*ut poſtmodum patuit*] *moliebatur Inſidias.* Ibidem, Cap. XII. de Friderico: *In Saxoniam Iter* [è Burgundia] *flectit: Dieſque Nativitatis Domini in Civitate Magdeburg celebravit, Experimentum accipiens de Polonis, qui* [*ut præfati ſumus*] *ſuis Negotiis tunc Finem facere debuerant, quod ipſi Avaritiâ pariter & Ambitione cæcati, de Promiſſis Fidem & Sacramenta vile quid judicarent.* Guntherus in Ligurino, Lib. VI. Verſu 135, & ſequentibus: de Boleslao:

ANNO 1158.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

Hæc ubi jurando firmavit, & Obside multo,
Rursus ad obscœnos Mores Vitiumque recurrens,
Rupit, & Æoliis dedit irrita ferre Procellis.

Ibidem, Versu 396, & sequentibus, de Friderico:

Iamque tuos Cæsar peragrans, Germania, Campos
Saxoniæ Fines, claramque intraverat Urbem,
Quam prius infidis indixerat ille Polonis:
Quos ubi velle Dolum, juratque pendere parvi
Indefensa Fidem cunctis Absentia fecit,
Signa Ratisbonam sua fert. —

Otto de S. Blasio in Appendice ad Ottonis Frisingensis Chronicon, Cap. VII: de Boleslao: *Post Regressum Regis* [Imperatoris Friderici] *perjurus effectus, nec Expeditioni interfuit, nec cætera, quæ Sacramentis firmaverat, custodiens, Iram denuo Regis promeruit.*

CXXXVI. Tam enormen in BOLESLAO Defectum Fidei non dissitetur ê Polonis Ioannes Dlugossius in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1158: de Boleslao: *Omnibus tamen, quæ promiserat, neglectis, nec ad Curiam Cæsaris pro Die constituto venit, nec sufficientes pro se Procuratores misit.* Ubi tamen solam Expeditionem Italicam, cui Boleslaus satisfecerit, excipit: de quâ diximus §. CXXX. Quare nihil à verô alienum Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ad Annum 1158, narrat: *His Conditionibus, quamvis durissimis, transegit* [cum Friderico] *BOLESLAUS, adductus Metu extremorum Malorum: Fidem tamen deinde in eo fuisse desideratam, multi scribunt.*

ANNO 1159.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

CXXXVII. Ideo FRIDERICUS Cæsar BOLESLAO Duci, ob Fidem adeo irreverenter violatam, iratus, TRIBUTUM [fortassis unicè, si non maximè, propter SILESIAM, Germanicam Provinciam] Imperio Germanico debitum, quod Imperatores aliquoties Bohemorum Ducibus donaverant, in Comitiis Ratisbonensibus, Anno 1159 celebratis, VLADISLAO, Bohemorum Duci, quem creabat Regem, in Auxilii contra Polonos præstiti quoddam Præmium, Die XVIII Ianuarii, concedebat. Radevicus Frisingensis Lib. I. Cap. XIII: *In eâdem* [Ratisbonensium] *Curia Dux Boëmorum LABEZLAUS* [Vladislaus] *Vir Ingenio validus, Viribus præpollens, Consilio, Manu, Audaciâque magnus, cujus antehac Industriæ, Obsequii multa præcesserant Experimenta, maximeque nuper in Expeditione Polonica, magna Virtus claruerat, adeo, ut ob Merita sua omnibus charus esset, ab Imperatore ac Imperii Primis, ex Duce Rex creatur, Anno ab Incarnatione Domini M. C. LIIX:* pro quo legendum, LIX. Ipse Fridericus I. Cæsar in Privilegio, quod Bohemorum Duci, VLADISLAO, præter Dignitatem Regiam, Tributum Polonicum, XV. Calendas Februarii, Anno M. C. LIX. in Ratisbonensium Civitate, contulit: Melchior Goldastus, in Appendice Commentariorum de Bohemia, Documentum XCII esse voluit:] *Ad hæc prædicto Duci Bohemiæ & Successoribus ejus addimus & concedimus CENSUM de Terra POLONIÆ, quem Antecessores ejus Duces Bohemiæ à POLONIS, retroactis Temporibus accipere solebant.* Quibus Verbis Bohuslaus Balbinus in Bohemiæ Miscellaneis Decade I. Libro VIII. Volumine I. ad Marginem addit: *POLONIÆ Nomine, hoc Loco, SILESIA, ut putamus, accipienda est.*

VLADISLAI II. Silesiorum Ducis Exsulis
ultimum Fatum.

CXXXVIII. VLADISLAUS II. Boleslai III, Cognomento Polonico Crivousti, hoc est, Distorti, Filius primogenitus, ad Testamenti patrii Legem, divisis Poloniæ Provinciis, summum in Fratres Imperium nactus, SILESIORUM, Cracovienſium, Siradienſium, Lancicienſium Dux, amissis omnibus Terris, nunquam recuperatis, per tredecim Annos Exsul, Anno 1159, Ætais LV, Die IV. Iulii, claudebat Vitam: incertum, quo Loco.

CXXXIX. Plerique narrant, jam Itineri ad recipiendas Provincias suas

ANNO 1159.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLELAUS IV.

ſuas præparatum, in Holſatia mortuum, Oldenburgi ſepultum: cujus etiam deinceps ibidem Uxor ADELHEIDA, quæ Polonis vocatur CHRISTINA, vivis exceſſerit. Ioannes Dlugoſius in Hiſtoriâ Polonica, Lib. V. ad Annum 1159: *Ad Patriam & Principatus ſuos ex diuturno calamitoſoque Exſilio, quod in Almaniæ* [Germaniæ] *Oris, Annis XIII. cum Conjuge & Liberis, Stipe alienâ & precario vivens WLADISLAUS Polonorum Dux pertulerat: quos ſibi Fratrum Benignitas, juxta Fœdus cum FRIDERICO Cæſare ictum, reſtituendos ſpoponderant, reverſurus, Arma, Equos, Quadrigasque & Subvectiones cæteras, quibus Sarcinæ deferri poſſent, & Reverſionis in Patriam, & Rehabitationis Dominiorum cupidus, expediebat, cum interim Languor graviſſimus illum occupat: à quô Hebdomadis aliquot cruciatus, quarto Nonas Iulii, tandem Animam exhalat, & in Aldemburg accepit Sepulturam. Quem quidem Locum Conſors ſua CRISTINA usquequo Fatis intercepta eſt, incoluit.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XIX: *Poſt Fœdus & hujusmodi Promiſſa, de reſtituendo WLADISLAO facta, WLADISLAUS de calamitoſo Exſilio redire volens, parabat neceſſaria Commeatui, ſed graviſſimo correptus Morbo, quarto Nonas Iunii, Anno Chriſti 1159, Animam exhalavit, & in Aldemburg Sepulturam percepit: ubi & ſua Conſors CHRISTINA commorans, poſtea Fato ex humanis rapta, Marito eſt appoſita.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VI: *Apparabat jam WLADISLAUS Reditum in Patriam, Operâ & Beneficio FRIDERICI Imperatoris impetratum, poſt tredecim Annorum Exſilium. Verum in ipſo Apparatu exſtinctus, & Aldenburgi in Holſatia, quæ Urbs à Slavis condita, Starigardum olim dicta fuit, ſepultus eſt.* Ibidem poſt quædam: *Vixit autem WLADISLAUS LV, præfuit Polonis non totos VI. Annos.* Iterum poſt quædam: *CRISTINA verò WLADISLAI Uxor, Aldenburgi in Exſilio conſenuit, & Vitam cum Morte commutavit.*

CXL. Quidam verò tradunt, VLADISLAUM in SILESIAM reverſum, tres ibidem Arces, WOLAVIENSEM, GREDESIENSEM, NIMICENSEM, Impendiis Cæſareis munitas, poſſidentem, in Maſoviæ Plocenſem Urbem à ſuis Fratribus, quibus Bellum intulerit, Spe Pacis

ANNO 1159.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

cis evocatum, Veneno peremtum, ibique conditum. Ioannes Dlugoſius in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1159: *Eſto, quod nulli aſſerant, WLADISLAUM præfatum Ducem in Poloniam* [Sileſiam] *cum Pignoribus & Supellectili tunc reverſum, tria Caſtra, Imperatoris Sumtibus & Suffragio, videlicet WELEN, GROTECZ, & NIEMCZE ædificaſſe, Bellumque Fratribus intuliſſe: pro quo reſcindendo, dum ad Colloquium Plocko cum Fratribus veniſſet, Veneno exſtinctum fuiſſe.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XIX: *Refert alia Polonorum Hiſtoria, WLADISLAUM in Fines Poloniæ veniſſe, & innovatis Caſtris, GROTECZ, VELEN, NIEMCZE, Poloniam continuis Invaſionibus perturbaſſe, evocatusque per Fratres ad Colloquium in Ploczko, Veneno ſumto occubuiſſe, & in eodem Ploczko Sepulturam habuiſſe.* Alexander Guagninus in Polonicorum Chronicorum Compendio, de Boleslao IV: *Eadem de Cauſa cum FRIDERICO Barbaroſſa Imperatore BOLESLAUS Bella geſſit: Inimicitiisque utrinque compoſitis, WLADISLAUM Fratrem ex Germania revocatum, in Gratiam accepit: qui, poſtquam advenit, in Ploczko Civitate, non ſine Veneni Suſpicione, Spiritum exhalavit.*

CXLI. His partim conſentit, partim diſſentit Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 1159: *VLADISLAUS poſt Exſilium tredecim Annorum, Reditum in Patriam paravit: ſeu Morbo, ſeu Veneno à Fratribus dato, ut aliqui ſcribunt, exſtinguitur. Sepultus eſt Aldenburgi: ubi etiam CHRISTINA* [Adelheida] *Uxor conſenuit: quæ nunquam amplius Poloniam appetivit.*

VLADISLAI II. Sileſiorum Ducis Exſulis
Relictorum trium Filiorum
BOLESLAI, MIESLAI, CONRADI
Status.

CXLII. Quemadmodum, ubi VLADISLAUS exſpiraverit, ſic ubi tum ipſius tres Filii, BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS vixerint, dubium eſt. Quantum perſpicere poſſumus, extra SILESIAM ſubſiſtentes, Cæſare FRIDERICO adhuc intra Italiam bellicis Actionibus diſtricto,

ANNO 1159.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

Patruis suis BOLESLAO, MIESLAO, HENRICO, factam cum Imperatore Pactionem, quasi VLADISLAUS Morte sua dissolvisset, tantò minus attendentibus diffidentes, ad ereptum recipiendumque Patrimonium in Patriam redire nondum audebant. Ioannes Dlugossius in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1159: *Post cujus* [Vladislai] *è Vita Excessum, tres Filii, videlicet BOLESLAUS, MIECYSLAUS & CONRADUS Loripes, Principes ab eo relicti, Poloniam redire cunctabantur, veriti, ne pro paterno Facinore à Patruis grave aliquid in eos statui contigisset, ut non in Patrem solum, sed etiam in Filios diffunderetur sceleris Animadversio.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ad Annum 1159: *Mortuo Patre* [Vladislao, Fratres] *Principes Poloni, Nepotes Orphanos etiam contra Pacta non recepérunt.*

ANNO 1161.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

BOLESLAUS, Vladislai II. Filius, Cognomine PROCERUS, Mediolanensium Gigantis Victor.

CXLIII. Interea, dum Eventum præstolabatur, BOLESLAUS Cognomento aliis PROCERUS, aliis ALTUS, inter Fratres simul Ætate, simul Virtute maximus, inertem Desidiæ Mollitiem, cujus impatientior erat, strenuo Armorum Usu permutaturus, ADELHEIDÆ Matri Fratribus MIESLAO & CONRADO in Curam soli permissis, ad FRIDERICUM Cæsarem in Italia Mediolanenses oppugnantem, transibat. Ioannes Dlugossius in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1161: *FRIDERICUS ipse novâ Expeditione indictâ, Mediolanum fortissimâ Militiâ obsidere cœpit, tantôque, contra Mediolanenses Gratia & Misericordia suâ abusos, Fervore incanduit, ut juraſſet, se ab Obsidione, non nisi victa Mediolano, discessurum. BOLESLAUS itaque ALTUS Polonorum Dux, WLADISLAI Ducis & Exsulis primogenitus, ne Otio & Desidia torperet, cum in Patriam & Principatus suos, duobus Germanis, MIECSLAO & CONRADO, sub Cura Genitricis suæ CRISTINÆ* [Adelheidæ] *in Almania* [Germania] *relictis, in Italiam se contulit, & in*

ANNO 1161.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

in Castra Imperatoris, Mediolanum obsidentis, pervenit, Militiam suam & Animositatem, ubi facto opus foret, monstraturus.

CXLIV. Tum quidam Eques, inusitatâ Corporis Proceritate conspicuus, Mediolano egressus, Fiducia Virium nimiâ sæpius ad singularem Pugnam Germanos ignominiosis Vocibus provocare gaudebat. Radevicus Frisingensis Lib. I. Cap. XXXVII: *Illud etiam non ab Re est memorare, quod quidam ex Oppidanis Vir in Oculis suis sibi placitus, progressus versus Castra Imperatoris, velut Imperitiam equitandi nostris exprobrans, quædam superba prolocutus est: & quemlibet fortissimum ac equitandi peritissimum ad singulare Certamen provocavit: cœpitque vertibilem Equum modò Impetu vehementi dimittere, modò strictis Habenis in Gyrum, ut huic Negotio Mos est, revocare: moxque varios perplexosque per Anfractus discurrere.* Guntherus in Ligurino, Lib. VII. Versu 666 & sequentibus:

Non mihi cujusdam Liguris reticenda videtur
Improbitas, stultæque ferox Vesania Mentis,
Qui rapido fremendus Equo, fulgentibus Armis
Conspicuus longè, nostris illudere Castris,
Militiæque rudes, equitandi Lege carentes
Dicere Teutonicos, probrosaque multa pudendis
Gaudebat jactare Sonis, vanamque superbus
Ostentans Artem, rapido modo Turbine vectus
Quadrupedantis Equi, nunc certa Lege reductis
In Gyrum Frænis sinuosa Volumina torquens:
Unum de multis, potiusvè ex omnibus unum
Electum, dignumque sibi concurrere, crebro
Poscebat, captosque Metu ridebat inani.

Ioannes Dlugossius in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1161: *Sub ipso an-*

ANNO 1161.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

autem obſidionis Tempore, Miles quidam Mediolanenſis, & Roboris & Staturæ ſingularis, & qui ad Cyclopum Staturam accedebat, Eques ex Mediolano prodibat, provocans Cæſareanos Milites, de Viribus Corporis fretus ad ſingulare Certamen. Cumque pluribus Diebus Provocationem ipſam repeteret, & omnes evidens Periculum declinarent: Miles ipſe Improperiis [Convitiis] *erga Cæſareanos uſus, Timiditatem illis & Mollitiem Pectoris exprobrabat.*

CXLV. Hunc Equitem, tanquam Goliathum Mediolanenſem, quisnam ex Cæſareanis, quaſi Davides, ſeu vicerit, ſeu etiam occiderit, non inter Autores convenit. Sunt, quibus ab Alberto, Tirolinenſi Comite proſtratus, ſed [quoniam eâ Victor Gloriâ contentus fuerit] non interfectus ſcribitur. Radevicus Friſingenſis Loco dicto: *Cum autem diu nemo procederet, multaque ille noſtrorum Timiditati illuderet, nobilis Comes Albertus de Tyrol, ad omnem Virtutis Commendationem idoneus, inermis & Palefrido ſedens, ſolo Clypeo accepto & Haſta, præfato Liguri obviam venit, eumque tripudiantem & vana jactantem dejecit, cadentemque dedignatur occidere, contentus ad tandem, quia viſus eſt potuiſſe.* Guntherus etiam Loco dicto:

Non tulit elatæ Comes Oſtentamina Mentis
[Albertus Tyrolenſis erat] vanamque ſuperbi
Stultitiam Liguris digna compeſcere Pœna,
Teutonicæque parat Gentis removere Pudorem.
Non tamen aut Galea muniri Tempora curat,
Aut Gladio Lumbos, aut Ferro Pectora texit,
Aut Curſoris Equi, quo Prælia ſemper agebat,
Officio fungi: Clypeo contentus & Haſta
Terga minora premens, vibratâ Cuſpide, ſegnem
Impulit, armatumque Solo dejecit inermis.
Sed neque degeneri dignatus tingere Ferrum
Sanguine, non Spoliis nullo Diſcrimine partis
Victrices ornare Manus, Tellure jacentem

Li-

ANNO 1161.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

Liquit: & hoc aliis magni reputantibus, ipſe
Negligit, & modico factum metitur Honore.

Cum quibus conſentit Carolus Sigonius de Italiæ Regno, Lib. XII. ad Annum 1159.

CXLVI. An idem Gigas, licet victus Opprobriumque factus, majore tamen Audacia Provocationem iterare ſuſtinuerit, non reperimus apud Scriptores, neque citatos, nec alios: quo cum diſſentientibus conciliari poſſent.

CXLVII. Nam contra ſunt, quibus non ALBERTUS Comes Tirolinenſis, ſed BOLESLAUS, Vladislai II. Sileſiorum Ducis Filius, Cognomentò Staturâque PROCERUS, Roboris raro, rarioris Fortitudinis Specimine, dicitur Gigantem illum Mediolanenſem, tam ſuperaviſſe, quam occidiſſe: cujus opima Spolia reportaverit, ſingularem in toto Germanorum Exercitu Gloriam, toto Cæſaris Palatio Gratiam promeritus Victor. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1161: cum Mediolanenſis Equitis Iactantiam deſcripſiſſet: *Quæ Res ad demonſtrandam Heroici Animi Virtutem BOLESLAO Poloniæ Duci, Audaciam cum Fortunæ Ingenio ſubminiſtravit. Ipſe ſiquidem BOLESLAUS Polonorum Dux, Gloriæ Famæque avidus, cum & de Corporis Virtute ſatis fideret, & nulla Re alia, quam in hujusmodi ſingulari Certamine Audaciam & Virtutem ſuam æquè explicari, atque apud Imperatorem, Nomen & Gratiam mereri poſſe videret: Imperatore etiam FRIDERICO inconſulto & Injuſſu ejus, in Certamen ſingulare cum Milite Gigante iturus, Equum & ipſe conſcendit, magnumque Spectaculum utrique Exercitui præbuit, cum & Imperatorii Milites ex Caſtris effuſi, & Mediolanenſes ex Turribus & Mœniis Eventum futuri Certaminis cum Silentio & magna omnium Admiratione ſpectaturi convenissent. Subibat autem Cæſareanos Milites vehemens Indignatio atque Cura, cur tam periculoſum, difficile & diſpar Certamen BOLESLAUS Polonorum Dux, Injuſſu Imperatoris & ſuorum Præfectorum ſuſcepiſſet, & ſe aperto injeciſſet Periculo, magnum Dedecus non tam ſibi, quam Imperatori & univerſo Exercitui, ſi eum vinci contigerit, incuſſurus. Diſſimulante tamen magis, quam*

ANNO 1161.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

probante Imperiali Exercitu, singulare inter utrumque Certamen initur, & rapacissimo Equorum Cursu, infestisque Lanceis primum concurrunt, & Mediolanensi Milite, frustra sine Ictu currente, BOLESLAUS Polonorum Dux, adeo illum Lancea accepit, vibravitque, ut lethali Vulnere Gigas excepto, moribundus ex Equo in Terram cecidisset. At BOLESLAUS nil cunctatus, cum Virtute Agilitatis esset, ex Equo & ipse in Terram desiliit, & jacentem Gigantem obtruncat, Armisque spoliatum, Cadaver examine in Palæstræ Medio relinquit. Ibidem post quædam: *Cui & tum, & deinceps, & à Cæsare, & à Principibus suis atque universo Exercitu maximus prò devicto Hoste Honos habitus est, in altumque Gradum sua crescere & ascendere cœpit Æstimatio.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI: *Præclarum Virtutis suæ Specimen in Exercitu ipsius* [Cæsaris Friderici] *apud Mediolanum ediderat. Nam cum Eques quispiam vasto Corpore & gigantea Statura Mediolano prodiens, identidem Cæsareanos contumeliosis Verbis ad singulare Certamen provocaret, nec prodiret quispiam: prodiit hic BOLESLAUS, inconsulto Imperatore, & insciis omnibus, non ferens universi Exercitus Ignominiam. Cumque infestis Hastis concurrissent, effuso ad Spectaculum omni Exercitu, obsessis quoque de Mœnibus prospectantibus, & utrisque Eventum Pugnæ exspectantibus: primo Impetu dejecit noster Hostem, humique prostratum celeriter de Equo desiliens confecit, & cum opimis Spoliis Victor in Castra reversus est, acclamante & applaudente universo Exercitu, & BOLESLAI Virtutem ad Sidera efferente.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, de Vladislai relictis Filiis, Patrimonium non consecutis: *BOLESLAUS, qui erat Iuvenis egregius, secutus est Cæsarem ad Bellum Italicum, & in Obsidione Mediolanensi ex Provocatione dimicavit cum Equite Longobardo, Staturæ & Roboris validissimi, quem superatum occidit.* Iohannes Schrammius in Silesiæ Ducum Lignicensium Genealogia, Cap. XIII: *Quanta BOLESLAI Virtus fuerit, vel inde liquet. Cum apud FRIDERICUM Imperatorem, qui Mediolanum obsederat, in Castris esset adhuc Iuvenis: & quidam Militum Mediolanensium, vasto & immani Corpore, tanquam Goliath, è Cæsaris Exercitu Antagonistam provocaret, atque ad Monomachiam deposceret: BOLESLAUS impavido Animo, cum eo congressus fortiterque confligens, victum interfecit.*

ANNO 1161.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV.

cit. Elias Reusnerus in Opere Genealogico, Parte V. Piastea Stirpe, Stemmate II: *BOLESLAUS ALTUS sive PROCERUS apud FRIDERICUM I. Imperatorem, in Expeditione Mediolanensi, Stipendia merens: præclarum istic Virtutis suæ Specimen edidit, occiso Equite giganteæ Staturæ, Verbis contumeliosis Cæsareanos ad Monomachiam provocante.* Iohannes Mollerus in Ducum Lignicensium Historia Lib. II. Cap. II: de Boleslao Procero:

Acer hic ad Palmæ summos cursurus Honores,
Cæsarem in Italiam sponte secutus erat.

Ibidem post quædam:

Quotidie Insubrium hîc erumpens Urbe, Duellum
Ad grave Germanos sollicitabat Eques:
Barba cui Nomen dedit olim longa, vel ipsos
Herculis exæquans Mole minace Toros.
Hunc alacri, congressus Equo, Mavorte peremit
Dux tener, & Victor læta Trophea tulit.

CAPUT XII.

SILESIORUM RES.

ANNO 1163.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
Post divisas POLONIÆ Provincias,
Peculiares SILESIORUM Duces,
BOLESLAUS Procerus, MIESLAUS,
CONRADUS Loripes.

I.

Superest, ut proferamus, quos denique SILESIA, Terris POLONIÆ divisis, post VLADISLAUM II, in Germania quidem SILESIORUM, in

ANNO 1163.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

in Polonia vero ſimùl Cracovienſium, Siradienſium, Lancicienſium Ducem Exſulem, Anno 1159 mortuum, peculiares, cum Polonis adhuc connexos, non tamen ex Polonorum Arbitrio pendentem, ſed abſolutam Poteſtatem habentes, acceperit Duces. Reliquerat ille VLADISLAUS ex ADELHEIDA, [non CHRISTINA, quemadmodum Polonis vocatur] Cæſarum HENRICI IV. Filia, HENRICI III. Nepte, CONRADI II. Pronepte, Filios tres: BOLESLAUM, ob Staturam Cognomento vel PROCERUM, vel ALTUM: [de quo diximus ad Annum 1161. Cap. XL §. CXLII. & CXLVI:] MIESLAUM & CONRADUM ob Crura Cognomento aut LORIPEDEM, aut LASCONOGUM. Ad eos, ſicut Capite præcedente commemoravimus, Patrimonium ſpectabat integrum: quod ipſi Patri VLADISLAO reddendum FRIDERICUS Cæſar BOLESLAO IV. Criſpo, MIESLAO Seni, & HENRICO Primo, Fratribus, Polonorum Ducibus, tanquam injuſtis Poſſeſſoribus, præceperat quidem: hactenus tamen, perpetuo in Fratrem Odio ducti, qualibet in Moram Occaſione ſtimulati, reddere diſtulerant.

II. Tandem igitur FRIDERICUS Imperator, capto funditusque ſubverſo Mediolano, ex Italia in Germaniam reverſus, BOLESLAO Criſpo, MIESLAO Seni & HENRICO Primo, Fratribus, Polonorum Ducibus, ad Obſtinationem, contra Fidem, Subjectionem, Obedientiamque juratam, per Quinquennium prorſus induratis, Autor erat per Literas & Nuncios, ut VLADISLAI Fratris Exſulis defunctisque tribus Filiis, BOLESLAO, [quem Cæſar ſecum ex Italia in Germaniam reduxerat] MIESLAO & CONRADO hæreditarias Provincias omnes, adeoque totum Patrimonium, ex Pacto nuper inito, reſtituerent. Monitis addebat Minas: niſi parerent, non Clementiâ, ſed Potentiâ ſe contumacibus Obſequia perſuaſurum. Quæ partim jam ſupra in medium allatis reſpondent: partim in MStis Sileſiorum Chronicis clarum in Modum expoſita reperiuntur.

III. Tamen, More ſuo, quibusdam vel omiſſis, vel inflexis eadem Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1163, tradit: cum Bel-

ANNO 1163.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

Bellum Mediolanenſe finitum attigiſſet: *Imperatorque* [Fridericus] *Victoriâ potitus, Principes & Gentes auxiliares, pro majori Parte in Domos remiſit: inter quos & BOLESLAUS Polonorum Dux Spolia victi â ſe Gigantis, Imperatorisque Dona referens, remeabat. Scripſit autem FRIDERICUS Imperator BOLESLAO Criſpo Polonorum Duci & Monarchæ, ſcripſit & MIECSLAO, HENRICOque Ducibus Polonorum, Patruis ejus Germanis, in Favorem BOLESLAI Alti Literas, Virtutem ejus magnopere commendans, petens, & Vigore Pactorum ſecum initorum requirens, ut præfatum BOLESLAUM, & Fratres ſuos MIECSLAUM & CONRADUM ad ſuos PRINCIPATUS & DOMINIA reſtituerent: præſertim cum Pater eorum WLADISLAUS, non Exſilio tantum diuturno, ſed & Morte Scelus in eos admiſſum expiaſſet. Nec Literis ſolum contentus, etiam Nuncios, qui hoc ingeminarent, & ſi Preces & Adhortationes parum proficerent, terrerent, ad Polonorum Duces transmittit.*

IV. Sincerius hæc narrat Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 1163: FRIDERICUS igitur capto & tandem deleto Mediolano reverſus in Germaniam, Anno 1163, Principibus Poloniæ SERIO MANDAVIT, ut, ſecundum Pacta, Nepotibus Patrimonium redderent. Iohannes Mollerus in Ducum Lignicenſium Hiſtoria, Lib. II. Cap. I:

Ergo REBELLANDO rurſum Fas omne reſignat,
Exſulibus CRISPUS Regna negando ſua:
Donec ab Italico Cæſar Mavorte reverſus
[Quâ Genus Inſubrium moverat Arma ferox]
Bella reſiſtenti Mortemque minando, paterna
Cogeret hunc Natis reſtituiſſe Bona.

Quibus conſentanea ſcribit Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XIX.

V. Tum VLADISLAI II. tres Fratres, BOLESLAUS Criſpus, Mieslaus

ANNO 1163.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

laus Senex, HENRICUS Primus in ambiguis hærebant Consiliis: quorum Momenta, si non fuerunt, certè potuerunt, imò debuerunt esse potissimum ea, quæ paucis delineabimus.

VI. Primum, Anno 1139, BOLESLAUS III. Distortus, Pater, omnium ad Poloniam Ætate suâ pertinentium Provinciarum Dux, eas divisurus, consentientibus Proceribus, earundem Populos repræsentantibus, Testamentum condiderat: per quod primogenito Filio VLADISLAO II. in Germania quidem SILESIORUM, in Polonia verò CRACOVIENSIUM, SIRADIENSIUM & LANCICIENSIUM Terram, cum Imperio in cæteros Fratres [citra Dubium, si Germanicum, cui BOLESLAUS ipse Distortus, tanquam fiduciarius Princeps, subjectus erat, excipias] summo, destinaverat: ut ostendimus ad Annum 1138: Cap. XI. §. III.

VII. Secundò, iidem Fratres hanc Genitoris ultimam Voluntatem, cum, secundum eam, Provincias, Anno 1140, & dividerent, & occuparent, comprobabant: ut ibidem ostendimus ad Annum 1140, §. VII. Sic Testamentum BOLESLAI Distorti reddebatur Regiminis intra Polonicam Rempublicam inposterum retinendi Fundamentum.

VIII. Tertiò, id quidem, Anno 1141, Primogenitus VLADISLAUS II. subvertere conabatur: sed non satis constat, utrum maximè suâ, Imperium nimis extendere cupientis, an potius Fratrum debitam Reverentiam exuentium, Obedientiamque justam recusantium, Culpâ: quoniam Historiæ Pars ea, secundum Circumstantias singulares, propemodum é Scriptoribus Polonicis solis [crebro, quæ displicent, aut omittentibus, aut mutantibus, ut ex antecedentibus liquet] haurienda, multas, ut Suspiciones, sic Dubitationes admittit. Quare Ius in VLADISLAUM, à Proposito suo retrahendum, Fratres inter Initia consequebantur ex solo Patris Testamento: contra quod vel agebat, vel agere judicabatur.

IX. Quartò, hinc videbantur quidem novum obtinere Ius, quod violenter opprimendis Lex naturalis in Defensionem sui necessariam concedit: at eò gaudere propterea non poterant, quoniam & certaturi, & certantes supra se communem habebant Iudicem, CONRADUM III. Imperatorem. Ad hunc enim Ius spectabat supremum in Poloniæ Provincias, si non universas, certè quas VLADISLAUS acceperat hæreditarias, Ortu Germanicas, potissimum SILESIAM, à Romano Germanorum Imperio in Beneficium hactenus Poloniæ Ducibus concessas. De quo egimus ad Annum 1141, Cap. XI. §. XVII, & sequentibus.

ANNO 1163.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

X. Quintò, cum VLADISLAUS Bellum excitavisset intestinum, Exsul quidem Iacturam faciebat omnium suarum Provinciarum, sed à solis Fratribus, Autoritate propriâ, per Vim ereptarum: citra Consensum Cæsaris CONRADI III: cui, tanquam summo Principi, [ne quid jam de Provinciis cæteris addam] SILESIAM subjectam fuisse constat. Quamobrem VLADISLAO, in Exsilium depulso, Frater natu proximus BOLESLAUS IV. Crispus, omnium Fratris ejecti Provinciarum, à solis Fratribus MIESLAO & HENRICO declaratus, Anno 1145, Dominus, magis Usurpator, quam Possessor erat: cui obstinatissimo sæpe CONRADUS III. Cæsar imperabat Restitutionem: ut indicavimus ad Annum 1147, Cap. XI. §. LX, & sequentibus.

XI. Sexto: BOLESLAUS IV. Crispus, ab Imperatoris CONRADI III. Successore FRIDERICO I. Ænobarbo, in Comitiis Herbipolensibus Anno 1157 celebratis, ad reddendam de Provinciis VLADISLAO Fratri ablatis Rationem, in Curiam Magdeburgicam evocatus, non veniebat: tantum aberat, ut iterum præceptam Restitutionem præstaret: propterea Romano Germanorum Imperio Rebellis habitus. Tum igitur, cum adhuc esset sub Iudice, non Provinciarum jam imperata Restitutio, sed earum præpostera Ereptio: per eam commissa Germanici Iuris, in publicum Cæsaris Dedecus, Violatio: & ob utramque Satisfactio: VLADISLAUS Exsul in amissas Provincias Ius suum nondum perdiderat. Videantur, quæ diximus ad Annum 1152. Cap. XI. §. XCVIII. & CI.

XII. Septimò: idem BOLESLAUS IV. Crispus, ejusque Fratres MIESLAUS & HENRICUS tandem FRIDERICO Armis superati, se non tantum generatim ad præstandam in posterum Germanico Imperio Fidem atque subjectionem: verum etiam singillatim ad restituendum VLA-

ANNO 1163.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

DISLAO Fratri Patrimonium, per Iuramenta obligaverant. Id proinde VLADISLAO, quod Iudice FRIDERICO Imperatore, jurati promiserant, perjuri negabant. De quo agit ad Annum 1158, Caput XI. §. CXXVI.

XIII. Quæ cum ita se haberent: &, Anno 1163, FRIDERICUS Cæsar BOLESLAUM IV. Crispum, MIESLAUM & HENRICUM, ad Provincias dudum VLADISLAO debitas, post ipsius Fatum supremum, tribus Filiis, BOLESLAO Procero, MIESLAO & CONRADO restituendas urgeret: num omnes, an nullam restituerent, arduâ Quæstionis Materiâ exercebantur non bonæ Fidei Possessores. Nihil reddere, quid aliud videri poterat, nisi fortem, acrem, potentemque suis advocare Provinciis Adversarium Cæsarem, Injuriarum semper impatientissimum? Cujus senserant prævalidam invictamque Manum, satis jam Promissis Sacramentisque vanis exulcerato Animo Frenos laxaturam, non temere commovendam in multô graviorem Vindictam. Omnia reddere, judicabant Polonico Regimini, cujus Habenas potiores BOLESLAUS IV. Crispus tenebat, eô magis noxium, quô minores ille Vires, post Silesiorum, Cracovienſium, Siradienſium, Lancicienſium amissam Terram, retineret, sibi Fratribusque suis defendendis necessarias: revocante Propensionem, quam in Restitutionem susciture poterat Æquitas, Metu, ne Patruelibus, Nervos Rerum gerendarum potiores nactis, præsertim vel Cognatorum, vel Affinium Germanorum Auxilia consecutis, tantô facilius ad Inimicos ulciscendos opprimendosque patrius reviviscret Spiritus.

XIV. Quare BOLESLAUS IV. Crispus, MIESLAUS Senex, & HENRICUS Primus, in solidum VLADISLAI Fratris Patrimonium Filiis relictis non reddendum conspirantes: intra POLONIAUM tribus, CRACOVIENSIUM, SIRADIENSIUM, LANCICIENSIUM Provinciis retentis [quantumvis ad veterem QUADORUM LYGIORUMque SILESIAM, cujus ad Orientem Vistula, & in Septentrionem Varta pro Limite fuit, pertinentibus] solam in Germania recentiorem SILESIAM, tum Poloniæ, Moraviæ, Bohemiæ, Misniæ [non Lusatiæ, cujus Pars superior, Ditioni Po-

ANNO 1163.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

Polonorum subdita, propter Viciniam, ad Silesiam referebatur] & Marchiæ Brandenburgicæ Finibus circumdatam, suis Patruelibus, BOLESLAO Procero, MIESLAO & CONRADO, ab Exsilio in Silesiam reversis, concedendam, in perpetuam Proprietatem, omnes ad Posteros hæreditario Iure transmittendam, offerebant.

XV. Offerebant vero SILESIAM, non universam, sed quibusdam retentis Urbibus, Patrui Patruelibus, non, ut Debitum in Solutionis Partem, sed ut Donum, in Gratiæ Signum: ad Imperatoris FRIDERICI, non præscriptas Leges sed iteratas Preces: quemadmodum Polonicarum Partium Assectæ scribunt. Vincentius Kadlubko in Historia Polonica, Lib. III. Epist. XXXI: *Quia verò Natura Pietatis est Imperatrix, & Pietas Gratia Collacta*, [Nutrix]: *BOLESLAUS* [IV. Crispus] *qui ab Imperatore vinci non potuit, Naturæ non dedignatur obedire Imperio, & gratuito Amplexu Fraternos* [Patrueles] *ab Exsilio excipit: quorum Nomina, adultioris BOLESLAUS, minoris MIESKO, minimi CONRADUS. Eosque sacra SILESII* [Silesiæ] *donat Provinciâ, tam ob Gratiæ Insigne, quam ob Orbitatis Solatium.* Ubi vetus Commentator: *Ejusdem BOLESLAI* [IV. Crispi] *naturalem Pietatem explicat: quia Pietate naturali, mortuo Fratre WLADISLAO Exsule, motus BOLESLAUS, Filios dicti Fratris sui mortui, BOLESLAUM videlicet, MIESZKONEM, CONRADUMque Loripedem ad se advocat, & gratè accipit. Quibus Provinciam SILESIAM* [Silesiam] *gratioſè ad Consolationem Orbitatis, certis cum Civitatibus sibi exceptis, condonavit.* Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1163: *His* [Legati, quem Cæsar Fridericus ad Boleslaum IV. Crispum ejusque Fratres, ob restituendas Patruelibus Provincias, in Poloniam miserat, §. II. allegatis] *Verbis BOLESLAUS* [IV. Crispus] *Monarcha, MIECSLAUS & HENRICUS, Polonorum Duces permoti, cum & Cæsaris formidarent Iram, &* [suorum ex Fratre Vladislao] *Nepotum, BOLESLAI* [Proceri] *præcipuè, majoris natu, propter Virtutes illius & Decora, Misericordiâ commoverentur, Petitionibus Cæsaris acquieverunt, Veniamque Nepotibus se daturos, patratum Scelus ignoscituros, promittunt: &, ut intelligeret illos Cæsar suis ju-*

ANNO 1163.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

ſiis Interceſſionibus morigeros, reſpondent: Fratri [Vladislao] *ideo ſe non ignoviſſe, ne, eô ſuſceptô, Bella & Seditiones pejores prioribus fuiſſent. Reſponſis hujusmodi datis Facta amicitiora adjiciunt, Viaticum conferunt, Oram SLESIÆ, quam ODRA Fluvius percurrit, usque ad Terminos Saxonicos & Bohemicos protenſam, duas habentem inſignes WRATISLAVIENSEM & LIBUCENSEM Diœceſes, in Sortem perpetuæ Hæreditatis illis attribuunt, cæterosque Milites, qui Nepotes prædictos ex Almania* [Germania] *reducerent, transmittunt. Quos advenientes, benignè & comiter appellatos excipiunt, ac univerſam SLESIÆ Regionem usque ad Alpes & Sylvas Hercynias, Poloniam dividentes, à Bohemia ſe protendentem in perpetuam illis Poſſeſſionem atque Sortem tradunt.* Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. III. Cap. XIX: *Poſt cujus* [Vladislai Patris] *ê Vita Exceſſum, tres Filii ipſius, BOLESLAUS ALTUS, MYECZLAUS & CONRADUS Loripes, ad Promomotionem Imperatoris FRIDERICI Barbaruſſæ per BOLESLAUM Criſpum & ejus Fratres, Adoleſcentum Patruos, SLESIA precariè dotati ſunt.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI. ad Annum 1163: *Inſtante Precibus atque Minis apud BOLESLAUM* [IV. Criſpum] *FRIDERICO, cum is ab Italica Expeditione, capto everſoque Mediolano revertiſſet, revocati* [Patrueles] *SILESIAM omnem, quæ continentibus Sylvis à reliqua Polonia dirimitur, usque ad Boëmorum, Myſnenſium, Saxonumque Fines, in Ditionem acceperunt.*

XVI. At non eſt, cur his Teſtimoniis omnino credamus. Certè BOLESLAUS Procerus, MIESLAUS & CONRADUS in SILESIAM, ceu Donum, ex Patruorum Gratiâ, recipiendam [præſertim, cum BOLESLAUS Criſpus non nullas ſibi reſervaturus Sileſiorum Urbes exciperet] minimè conſentiebant: quia per iniquam Vim Provinciis ſpoliati Genitoris VLADISLAI Perſonam repræſentantes, par eſſe judicabant, ut, tanquam legitimi Hæredes, in Patrimonium integrum reſtituerentur. Hoc cæteris antiquior, Vincentius Kadlubko ipſe commemorat in Hiſtoria Polonica, Lib. III. Epiſt. XXXI: *Quia verò quasdam illius Provinciæ* [Sileſiæ] *Urbes ad abundantiorem Cautelam Donationi exceperat: multorum ea Res Malorum*

ANNO 1163.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

rum peperit Occaſionem, & fovit Incentivum Pœnæ: Siquidem in ipſo Ingreſſus Veſtibulo, non DONATIONIS, non BENEFICII Titulo, ſed HÆREDIBUS utpote LEGITIMIS, SUCCESSIONE LEGITIMA dicta ſibi acceſſiſſe aſſerunt [Patrueles] *VLADISLAIDÆ: imò ad Similitudinem poſtliminio reverſorum, IURE POSTLIMINII, Reſtitutionem petunt. Submovetur illorum Intentio Tranſactionis Exceptione. Renunciaſtis, inquit* [Boleslaus Criſpus] *Princeps, hac in Parte Iuri veſtro: cum ſit Iuris exploratiſſimi, omnibus licere, quæ pro ſe indulta ſunt, renunciare. Probationem illi* [Patrueles] *Exceptioni non exigunt, ſed replicant: Renunciaſſe nos fatemur, ſed exſpoliatos, ſed coactos: ideoque IUS RESTITUTIONIS nobis competere. Qua pendente, nolunt pendere, ſed exſpoliatorum IURE poſcunt reſtitui: ne, quod Ius non patitur, inviti agere cogantur.*

XVII. Patrueles igitur, BOLESLAUS Procerus, MIESLAUS & CONRADUS, quia Provinciarum omnium Reſtitutionem à ſuis Patruis obtinere non valebant: SILESIA & ſola, nec univerſa, potiri, quam toto Patrimonio carere malebant. Hanc, etſi non, ut Donum, ſed, ut Debitum, quô tamen Animô, quem plura conſequendi Spes non nihil erigebat, ſuſceperint, cogitari facilius, quam dici poteſt. Nam eos id facere jubebat, Cæſare FRIDERICO Italicis Germanicisque Negotiis occupatiſſimo, aliunde Subſidiis ſperandis orbatos, ſevera Temporis Neceſſitas, non neceſſaria Iuris Severitas: cum Genti Polonorum cederent plus in reſtituendis, quam in reſtitutis accipiebant. Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 1163: *Cum autem Cæſar* [Fridericus] *græviſſimo Bello implicaretur, Fraude & Scelere Alexandri Pontificis, ita ut Filii VLADISLAI ab eo non poſſent ſperare Opem: transegerunt cum Patruis, ut omiſſa Polonia minori, contenti eſſent eâ Provinciâ, quæ SILESIÆ Nomine cenſebatur.*

XVIII. Sic Patrui, BOLESLAUS Criſpus, MIESLAUS & HENRICUS, contra Fidem, licet juratam: contra Æquitatem, licet imperatam: nullo Pactionis, nullo Conſanguinitatis Reſpectu, audacter plus ſibi reſervantes, quam BOLESLAO Procero, MIESLAO & CONRADO, Patruelibus reddentes, quâ Fronte, quô Iudicio ad Imperatoris FRIDERICI

nom

ANNO 1163.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

non Leges, ſed Preces, ut Propinquis benefacerent, non ut ſatisfacerent, dici poſſunt præſtitiſſe, quicquid præſtiterunt: ne ob Iuſtitiam quidem, adeo non ob Munificentiam commendabiles?

XIX. Conditiones, quibus recentes SILESIORUM Duces, BOLESLAUS Procerus, MIESLAUS & CONRADUS, ſolâ eâque non univerſa SILESIA pro Tempore, contenti fuerint, ſpeciatim conſignatas non reperimus.

XX. Si Polonicos audimus Hiſtoricos: illi tres Fratres, ad BOLESLAUM IV. Criſpum, inter Patruos natu maximum, tanquam Reipublicæ Polonicæ Caput, cui, velut Membra, cohærebant, non tantum Reverentiâ, ut Patruum inter Fratres, Polonorum Duces, Primatu eminentem; verum etiam, ut Monarcham, Subjectione colendum, obligari ſe patiebantur. Id, præter alios narrat Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1163: *Monet illos* [Boleslaum Procerum, Mieslaum & Conradum, Sileſiorum Duces] *BOLESLAUS* [Criſpus] *Polonorum Dux & Monarcha, quatenus pacifici, ſibique, velut Monarchæ, ſubjecti vivant: paternam quoque Tyrannidem caveant imitari, ne Calamitate paternâ involvantur ob Temeritatem: neque Principatus à ſe & Fratribus ejus largitos Iure, ſed precario ſe arbitrentur adeptos, Benignitate Patronorum donatos potius, quam redditos. Quod ſe illi cum Patronorum Sinceritate cuſtodituros & impleturos ſponderant.*

XXI. At hujus Generis Narrationes [quales in antecedentibus Refutatione dignas judicavimus] quia Defectu laborantis Satisfactionis Officium, ab Imperatore FRIDERICO mandatum, denique Minis extortum, in Spontaneum ingenuæ Liberalitatis Munus convertentes, falſa veris admiſcent, quam obtinere poſſunt apud ſagaciores Fidem?

XXII. Nos ſanè Cauſam reperire non poſſumus, quæ natos SILESIORUM Duces juſſerit, ſe BOLESLAO IV. Criſpo, Polonorum Duci, quantumvis & Patruo, & inter Fratres Primatum conſecuto, ut Monarchæ, ſubjectos ſeu profiteri, ſeu facere, propter non datam, ſed redditam, ad formidabilis Cæſaris antehac efficaces Minas, legitimis Hæredibus SILESIAM, Ger-

ANNO 1163.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

Germaniæ Provinciam, ab ipſius CAROLI Magni Temporibus, ad FRIDERICI Ænobarbi Ævum, Imperatoribus Germanis Devotione plurimum, ſemper Obligatione ſubjectam: ob quam, eique connexam Poloniam, maximè FRIDERICUS Ænobarbus, ſe POLONORUM etiam, non tantum SILESIORUM eſſe MONARCHAM, luculentis hactenus Indiciis & Polonos, & Sileſios docuerat. Non enim Veritatis probabilem habet Speciem, hos Germanis addictiſſimos SILESIORUM Duces, contra Cæſaris Autoritatem, nimiâ, eâque non neceſſariâ Submiſſione, majus in POLONORUM ſperandis Beneficiis, quam obtinendis GERMANORUM Auxiliis, poſuiſſe Momentum: ſatis & conſcios, & memores, ad reſtituendam ê quatuor patriis Provinciis unam, non niſi Germanorum Arma, diu reluctantibus extremam Perniciem inferendo, pronas effeciſſe Polonis Dexteras.

XXIII. Accedit huc, quod tres illi Fratres, SILESIORUM Duces, integrum Patrimonium ſuum obtinere non valentes, Iura ſua, donec ſimul & proponendis, & exſequendis juſtis Deſideriis ſuis eſſent pares, reſervaverint: ideoque BOLESLAUM Criſpum adhuc magnum Debitorem habentes, ad plurium Reſtitutionem ſolicitaverint: tandem Occaſione commodâ, Viribus Polonorum debilitatis, Sileſiorum adauctis, ad retentam SILESIÆ Partem reddendam, Bello adegerint: ut ê dicendis patebit, ad Annum 1169: §. XXXIX.

ANNO 1164.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS,

Cum POLONORUM Ducibus conjuncti Bellum gerunt adverſus BORUSSOS.

XXIV. Tum SILESIORUM Duces, quorum Libertas neminem, niſi GERMANORUM Romanum Imperatorem ſuperiorem in Terris a-

ANNO 1164.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

gnoscebat, quamlibet à cœteris Populis omnibus distinctam Rempublicam sibi formare poterant, omnino à POLONORUM Ducibus separabiles: se tamen non separandos censebant ob Viciniam, potissimum ob Consanguinitatem propinquam: ex quâ pendebat, ob residuam Patrimonii Partem, in Damni, quod perferebant, si non plenam Reparationem, tamen Allevationem quandam, intenta plurium Terrarum seu Hæreditatis, seu Occupationis Spes. Idque partim Rationes probabiles, partim MSta Silesiorum Chronica, non tantum Eventus ipse, docet.

XXV. Mox igitur SILESIORUM Duces, in Societatis cum POLONORUM Ducibus initæ publicum Documentum, ad Comitia, quæ BOLESLAUS IV. Crispus ob Bellum adversus Borussos suscipiendum indixerat, vocati veniebant: in quo Vires suas Polonicis conjungebant SILESII. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1164: *Hostili Metu, qui à Cæsare Almanisque propter Ducis WLADISLAI & Filiorum suorum Propulsionem & Exsilium superimpendere videbatur, sublato: cum & ex reliquis Regionibus Poloniæ Regno vicinis nihil timeretur hostile: BOLESLAUS Polonorum Dux & Monarcha, communicato Fratrum suorum* [Mieslai & Henrici] *&* [ex Fratre Vladislao] *Nepotum Principum Poloniæ* [Silesiæ] *Consilio, Expeditionem contra Prussicam Gentem, Idololatriæ in eam Diem deditam, indicit, Fidei sacræ Catholicæ, & suæ Ditioni illam subjugaturus.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI: *Restitutis WLADISLAI Filiis, sublatóque omni Metu Belli, BOLESLAUS Crispus, Princeps Polonorum, ex Fratrum, & Fratris Filiorum, Consiliique totius Sententiâ, Prussis, qui jam inde à Boleslai Crivousti Morte, à Fide Principum Poloniæ, & à Religione Christiana desciverant, Bellum facit.* Ioachimus Curæus in Silesiorum Annalibus, ad Annum 1164: *SILESII igitur conjuncti cum POLONIS moverunt Bellum in Prutenos, qui aspernabantur Imperium Polonorum, & simul Religionem Christianam projecerant.*

ANNO

ANNO 1169.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

Retentam SILESIÆ, Patrimonii sui, Partem, Bello Victores, Ducibus POLONORUM eripiunt.

XXVI. In Borussico Bello HENRICUS Polonorum Dux Anno 1167 perierat. Hinc, quoniam Cœlebs Vitam peregerat, de Sandomirienſium & Lublinenſium Terris, ab eo relictis, BOLESLAUS IV. Crispus, & MIESLAUS Senex, Fratres, in Comitiis Cracovienſibus Anno 1168 deliberabant. Ad ea non invitatis Patruelibus, SILESIORUM Ducibus, BOLESLAO Procero, MIESLAO & CONRADO, statuebant per se, cum Assessis suis Proceribus, utramque Provinciam, prius BOLESLAO Crispo, in publicorum Impendiorum quoddam Levamentum, concedendam: postea, cum ille vivis excessisset, ad CASIMIRUM Fratrem natu minimum, Patrimonio destitutum, jam XX Annis majorem, hæreditario Iure transferendam. Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. V. ad Annum 1168: *De ordinando tandem duarum Terrarum & Principatuum, Sandomirienſis & Lublinenſis Statu, quorum Vacatio ex Morte illustris Viri HENRICI inciderat, Conventus per utrumque Principem BOLESLAUM & MIECSLAUM, Prælatosque & Barones Poloniæ apud Cracoviam habitus est, ut provideretur, cui eorundem Principatuum deberetur Successio, cum Dux HENRICUS cœlibem in illud Tempus Vitam agens, nullam Prolem reliquerit. Et quamvis longa Concertatio, de partiendis hujusmodi Terris, BOLESLAUM & MIECSLAUM Duces tenuerit: id tamen post multos Tractatus super Re hujusmodi interpositos, communi Consensu & Decreto acceptum est, ut quintus Ducis BOLESLAI Krzywousti Filius Princeps CAZIMIRUS Annum XX supergressus, cui Pater moriturus in Divisione Filiis facta nullam Sortem inter Fratres reliquerat, in vacantes succederet Sandomirienſem & Lublinenſem Ducatus, qui in id Tempus nullam propriam & firmam Sedem retinens, BOLESLAI Ducis Cracovienſis & Monarchæ Liberalitate alebatur. Verum, quia præfatus Dux Cracovienſis BOLESLAUS in administranda Monarchia querebatur, se singulis suis Introitibus exhaustum & multipliciter gravatum extenuatumque esse, elegantior Pars Ducatus Sandomirienſis, Civitas scilicet Sandomiria cum suis Teloneis & Districtibus: Duce etiam CAZIMIRO, pro fraterna Charitate,*

ANNO 1169.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

ultro assentiente, sibi decreta & ad Vitæ suæ duntaxat Tempora, donata est: eô absumtô, ad CAZIMIRUM recisura. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI. ad Annum 1167: *Sub Finem ejusdem Anni edixit Comitia Cracoviam BOLESLAUS, cum aliis de Rebus, tum de Sendomirienſi Dominatu, HENRICO ſine Liberis exſtincto, quid fieri oporteret. Poſt longam Conſultationem placuit, ut CAZIMIRO minimo de Filiis BOLESLAI Crivouſti, qui ad Diem exſors Patrimonii fuerat, Principatus ille mandaretur: tametſi Sendomirienſis Urbs cum Territorio & aliis quibusdam proximis Oppidis, conſentiente CAZIMIRO, BOLESLAO Criſpo conceſſa eſt, quoad viveret: quô commodius Onera Principatus poſſet ſuſtinere.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, ad Annum 1169: *Regio ipſius* [Henrici Polonorum Ducis] *attributa eſt CASIMIRO, qui fuit natu minimus inter Filios BOLESLAI Diſtorti.*

XXVII. Hoc trium Poloniæ Ducum, BOLESLAI Criſpi, MIESLAI & CASIMIRI Decretô, ſe poſthabitis factô, irritabantur SILESIÆ Duces, BOLESLAUS Procerus, MIESLAUS & CONRADUS: quibus Nefas recentiſſimum veteres in Patrem, nuperrimas in ſeipſos Injurias, redintegratô juſti Doloris Senſu, reddebat intolerabiles. Nam conquerebantur: BOLESLAUM Criſpum, ſolo Fratrum, non ſuo Patruelium, Conſenſu, tenere Primatum: ad ſe, tanquam Primogeniti, cui fuerit cum Terris ereptus, Filios pertinentem: porro retinere cum Siradienſem, Lancicienſem, Cracovienſem Provincias, tum etiam nonnullas intra SILESIAM Urbes, in quas nullum Patrui, evidentiſſimum ipſi Patrueles Ius Hæreditatis habeant: præterea, ſe inſciis, duas HENRICI Fratris exſtincti Regiones adjudicaviſſe prius ſibi, deinde CASIMIRO Fratri poſſidendas: in quas Iure Succeſſionis non deſtituantur Patrueles. Ideoque contra iniquos Patruos, Anno 1169, parabant Bellum: ad quod meliore Fortuna gerendum, non ſuis tantum, verum etiam vicinis Germanorum Copiis, partim Amicitia conquiſitis, partim Ære collectis, tam equeſtribus, quam pedeſtribus plenum componebant Exercitum. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1169: *Nondum Prutenicæ Cladis inflictum Vulnus Re aut Tempore*

ANNO 1169.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

pore curari cœptum erat, dum BOLESLAUM Polonorum Ducem & Monarcham novum & inteſtinum excipit Bellum. Nepotes [ex Fratre] *ſiquidem ſui, BOLESLAUS Altus, & MIECSLAUS, Filii WLADISLAI, quibus de Exſilio Almanico* [Germanico] *revocatis, SLESITICAM Oram partitus erat, & paternas, & ſuas in BOLESLAO Criſpo Monarcha Injurias ultum iri ſatagentes, Arma adverſus illum expediunt, & Bellum indicunt. Cauſas Injuriarum & Belli exponunt: quod & Cracovienſem Ducatum ad illos pertinentem detineat: & Monarchiæ Principatum, qui illis Succeſſione paterna debeatur, uſurpet: & non nullas in SLESIA Urbes, quas ſibi BOLESLAUS Criſpus in Signum Monarchiæ & ſuperioris Principatus retinuerat, in eam Diem teneat occupatas: ſatis equidem ſuperque ſe preſſos, & Injurias longi Exſilii perpeſſos eſſe. Nec poſt tam diuturnam Calamitatem, quod juſtum atque æquum foret, ullam Gratiam ab iratis Patruis percepiſſe: qui etiam ſe in Vacatione Ducatuum, Sandomirienſis & Lublinenſis, neglexiſſent, cum illorum æqua eis contingeret Succeſſio. Nec tantummodo propriis Militibus ad id Bellum gerendum contenti, auxiliares quosdam ex Almania* [Germania] *propter materni Sanguinis Affinitatem eis faventes, partim Prece & Benevolentia, partim Pretio acciverant: juſtoque Exercitu tam ex equeſtribus, quam pedeſtribus confecto, civile & domeſticum Bellum, Prutenico perniciosius, oriebatur.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI: *Diſplicuerat id, quod factum erat, de Sendomirienſi Ditione, Filiis WLADISLAI: exiſtimabantque ii, Partem ejus aliquam, poſt Patrui Mortem, Agnationis Iure ad ſe pertinere. Et jam ante alienioribus erant Animis â BOLESLAO Patruo, quod is Munitiones quasdam in SILESIA, cum eam ipſis traderet, in Poteſtate ſua retinuiſſet. Reſidebant etiam in Animis eorum Iræ veteres & Dolor Exſilii, ereptique ſummi Principatus, & Cracovienſis Ditionis: quæ utraque hæreditario Iure ſibi arrogabant.* Ibidem poſt quædam: *Itaque apertè querebantur de Injuriis BOLESLAI Principis: Arma Bellumque civile non diſſimulanter parabant: è Germania Auxilia & mercenarios Milites accerſebant.* Ioachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus, de Rebus Anni 1167 locutus: *Poſt Biennium Principes SILESII pararunt Bellum in BOLESLAUM Ethnarcham* [Polonorum] *propter veteres & recentes Injurias.*

ANNO 1169.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

XXVIII. Eidem ſuſcipiendo Bello ſerviebat Odium Polonorum in Ducem BOLESLAUM Criſpum, Belli Boruſſici, quô miſerabilem in Modum enervata Polonia Viribus carebat, Autorem: cui vel Interitum, vel Exſilium clandeſtinis Motibus præſertim Proceres intentabant: ideo ſatis ad eos avertendos opprimendosque ſolicito & occupato. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. VI: *Hæc* [à Boleslao Criſpo] *omnia repetendi percommodam Occaſionem oblatam ſibi eſſe* [Sileſiorum Duces] *arbitrabantur, quod inviſum eſſe Offenſione illa & Re malè atque inconſideratè geſtâ Imperium Nomenque BOLESLAI Proceribus & Equitibus plerisque animadvertebant.* De quibus agit copioſius Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1167. & 1170.

XXIX. SILESIORUM ergo Duces tantô acrioribus Animis, felicioribusque Succeſſibus primum retentas intra SILESIAM Urbes BOLESLAO Criſpo Duci Polonorum eripiebant. Hoc ille non tantum perferebat, verum etiam comprobabat, æquior ad extremum, quam ſub Initium Obſervator Iuris. Vincentius Kadlubko in Hiſtoria Polonica, Lib. III. Epiſt. XXXI: *Urgentioribus interea occupato Principe* [BOLESLAO IV. Criſpo] *occupant illi* [Duces Sileſiorum] *Municipia, Arte muniunt, roborant Præſidiis. Quod pius Princeps æquanimiter tulit: aſſerens, nihil Honoribus, nihil Utilitati Reipublicæ hac in Re detractum: ſi, quæ ſunt aliena, reddantur.* Ad quem Locum Commentator vetus: *Diſcordias & Bella inter præfatos Filios WLADISLAI Exſulis, videlicet BOLESLAUM* [Procerum,] *MIESKONEM &* [Conradum] *LORIPEDEM Parte ex una: & BOLESLAUM* [Criſpum] *Regem* [Ducem] *Poloniæ, Parte ex altera proſequitur. Quapropter dictarum Civitatum in SILESIA* [Sileſia] *ad abundantiorem Cautelam per BOLESLAUM exceptarum, à Poſſeſſione Nepotum* [Patruelium] *Ortum habuerunt. Quas ipſi habere geſtientes, prædictas Diſcordias & Bella crebrius inflixerunt: & tandem ipſas Civitates exceptas BOLESLAO, circa magis ardua occupato, obtinuerunt.*

XXXI. Hæc ſi vera ſunt, quæ Vincentius Kadlubko, Temporibus, de quibus agimus, proximus [Anno 1208 Cracovienſis Epiſcopus creatus] ſcripſit: me

ANNO 1169.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

merito mireris, imo indigneris, pluribus Sæculis juniores Annalium Polonicorum Conditores, non citra enormem, aut nullius, aut ſubleſtæ Fidei Notam, commemorare: POLONOS, in eam Diem, quâ cedebant, retentas intra SILESIAM Urbes, quaſi nondum à SILESIIS ſubactas, itaque tum demum evocatis Præſidiis Polonicis nudatas, DONAVISSE Ducibus SILESIORUM: qui eas fortiter expugnatas, duplici Iure, tum Patrimonii, tum etiam Belli, jam poſſidebant.

XXXI. Quare fallit, ut interdum ſolet, Martinus Cromerus, cum in Polonorum Rebus Lib. VI. de BOLESLAO Criſpo narrat, eum reſpondiſſe Patruelibus, SILESIORUM Ducibus, Pacem inituris: *LIBERALITER ſe eis remittere & CONDONARE, quæ ad eam Diem in SILESIA retinuiſſet, quo majorem in ſe Patrui Benignitatem agnoſcerent.*

XXXII. Cujus Generis recentioribus Teſtimoniis etiam Ioachimus Curæus deceptus, in Sileſiorum Annalibus tradit, ob Pacem inter Sileſios & Polonos initam, ex retentis Urbibus Sileſiacis à BOLESLAO Criſpo evocata Præſidia Polonica fuiſſe: quaſi à SILESIORUM Ducibus ante Pacem initam, ſeu ejecta, ſeu oppreſſa non fuiſſent. Nam, *BOLESLAUS Criſpus*, inquit, *qui venerat in Odium Nobilitatis & Populi, Interceſſione Sacerdotum, confecit cum illis* [Sileſiorum Ducibus] *Pacem, Præſidiis ſuis ex tota SILESIA deductis.* In quam Curæi Sententiam ſecuriores iverunt, Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. I. Cap. XIX. & Fridericus Lucæ in Sileſiorum Memorabilibus, Parte I. Cap. II. Num. XIII.

XXXIII. Certè SILESIIS per Vim obtentas intra SILESIAM reſiduas Urbes Sponte ſua reddere nolentibus eripere Manu armata non audebant POLONI, tum in extremas per Boruſſicum Bellum Anguſtias redacti. Quamobrem, nondum his contenti Progreſſibus, excitatiores SILESIORUM Duces, in majore Polonia Poſnanienſem MIESLAI Ducis, Cognomento Senis, Provinciam invadebant & devaſtabant. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1169: de Sileſiorum Ducibus: *Poſnanienſemque Diſtrictum & Regionem vaſtabant: cum ad id, præter inſitam Animorum Irritationem, etiam Temporis Opportunitate, quod recens Prutenica Clades Legiones, Fortunas & Vires Polonorum abſumſiſſet, ſolicitantur.*

XXXIV.

ANNO 1169.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

XXXIV. Hinc, ne majores Incendium Belli jam ortum Vires caperet, in primis Flammis exſtiguendum ratus BOLESLAUS IV. Criſpus, Victores, SILESIORUM Duces, quos Armis ſuperare non poterat, Injuriis exacerbatos, Rationibus delinitos in Pacem flectere ſtudebat. Quos, ut vinceret tantò facilius Verbis, Eccleſiaſticos etiam, non tantum Politicos Viros, in Conſiliorum Auxiliorumque Partem adhibebat: hos Scientiam, illos Conſcientiam Patruelium ad Concordiam diſpoſituros. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1169: *BOLESLAUS autem Criſpus Polonorum Dux Monarcha, cum ſe nuper & Militibus, & Armis exutum noſſet, & eos, qui ſuperſtites remanſerant, ægrè in Militiam cogi poſſe intelligeret: de Pace per communes Conſiliarios Eccleſiaſticos & Sæculares agendum duxit, & cum Nepotibus* [Patruelibus] *pro Die conſtituto conveniens, Belli Cauſas brevi & prudenti extenuabat Reſponſione.* Martinus Cromerus in Polonorum Rebus, Lib. VI: de Boleslao Criſpo: *Virium ſuarum & Offenſionis popularis ſibi conſcius, ac veritus, ne latius Incendium illud diffunderetur, neu certa finitimarum Gentium Fiducia Rem illam Iuvenes inceptarent* [pro quo, ut ex antecedentibus conſtat, niſi maluiſſet diſſimulare diſplicentia, rectius ſcripſiſſet, inceptam proſequerentur:] *per Proceres & Conſiliarios communes de componendis Rebus agit.*

XXXV. Primum BOLESLAUS IV. Criſpus aſſerebat, ſeu vero, ſeu falſo Iuris Colore, Polonicum inter Duces Primatum, ad Patris BOLESLAI III. Diſtorti, Provincias Polonicas dividentis, Mentem, Cracovienſi Territorio eſſe proprium & perpetuum. Se Ducem Cracovienſium non poſſe non eſſe Polonorum Principem, cæteris Polonico Regimini addictis ſuperiorem Ducibus. Accedere, quod VLADISLAO, Primogenito Fratri mortuo ſit natu proximus: ad quem hoc etiam Iure Primatus pertineat: Conſenſu Polonorum omnium ſibi confirmatus. Ioannes Dlugoſſus Loco dicto: de Boleslao Criſpo: *Ducatum ſiquidem Cracovienſem extra Sortem fore, & non niſi à Monarcha obtineri rite poſſe declaravit. Ius verò Monarchiæ, etiamſi Pater eorum ab eo dejectus non fuiſſet, illo tamen mortuo, in ſe Iure decidiſſe, quod & natu major eſſet, & univerſali Conſenſu electus, docuit.* Martinus Cro-

ANNO 1169.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I.
SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS.

Cromerus etiam Loco dicto: de Boleslao Criſpo: *De ſummo quidem Principatu, ac de Cracovienſi itemque Sendomirienſi Ditione Poſtulata Filiorum Fratris modeſtè refutavit: quod Cracovienſem Ditionem cum ſummo Principatu, totius Poloniæ Conſenſu, conjunctam eſſe diceret: Principatum autem juſtè ejecto Patre eorum, ſummâ omnium Voluntate, ad ſe delatum: & alioqui illo è vivis ſublato, ad ſe, qui illi eſſet natu proximus, non merito attinere.*

XXXVI. Nobis hæc ad SILESIORUM Duces in Pacem propenſiores faciendos aut nihil, aut parum Nervorum habuiſſe videntur. Nam primum, in Quæſtionem venit: num BOLESLAUS III. Diſtortus VLADISLAO II. Primogenito Filio Primatum contulerit, ad Filios, an ad Fratres ſuos hæreditario Iure transmittendum. De quo, cum & Teſtamentum deſideretur, & Antiquitas ſileat, nihil certum ſtatui poteſt. Deinde fac, Primatum ab eodem BOLESLAO Diſtorto ad ſolam Cracovienſem Provinciam reſtrictum fuiſſe: cujus Poſſeſſor agnoſcendus fuerit cæterorum Ducum Princeps. Non eâ de Cauſâ Primatum BOLESLAUS Criſpus ſibi attribuere poterat: quoniam non bona Fide Cracovienſem Provinciam tenebat, VLADISLAO Fratri, per inteſtinum Bellum, citra ſupremi Iudicis, Romani Cæſaris Conſenſum, ademtam: Iuramentò ad Reſtitutionem obligatus: nihilò ſecius ſibi retinere nihil veritus: per manifeſtum Nefas: etſi fortaſſis omnibus ad id Polonis conſentientibus: ſicut ex antecedentibus patet.

XXXVII. Præterea BOLESLAUS Criſpus Patruelibus oſtendebat, æquum fuiſſe, CASIMIRO Fratri ſuo minimo, nullam è patriis Terris Partem unquam conſecuto, quem Genitor Hæredem Fratrum absque Liberis excedentium declaraverit, Sandomirienſem atque Lublinenſem deſtinare Provinciam: quarum interim Reditibus ipſe quidem fruatur, ſed in publicam, non in domeſticam Utilitatem: non invito Fratre CASIMIRO. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1169: de Boleslao Criſpo: *Ducatum Sandomirienſem & Lublinenſem, Portionem ſoli Duci CASIMIRO, quia ſolus in eam Diem Portionis paternæ expers erat, juſtè ceſſiſſe diſſeruit.* Martinus Cromerus in Polonorum Rebus, Lib. VI. de Boleslao Criſpo, qui Acta ſua defenſurus dixerit: *Porro Sendomirienſem* [eoque ſpectantem Lublinenſem] *Ditionem rectè Fratri CAZIMIRO datam: quem non*

ANNO 1169.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS,

oporteret exſortem eſſe Patrimonii. Eam fuiſſe Mentem Patris, ut is cæteris Fratribus absque Liberis decedentibus ſuccederet. De Sendomirienſi non nihil ſe Voluntate ejus detraxiſſe, quò rectius Onera ac Dignitatem Principatus ſuſtineret.

XXXVIII. At credibile vix eſt, SILESIORUM Duces, contra Teſtamentum Avi, quod certè non ignoraverint, & Primatum Patris, & Patrui Hæreditatem poſtulaviſſe tam confidenter, tam conſtanter inhiantes alienis, nondum in ſuis omnia conſecutos: Terram Siradienſem & Lancicienſem, præter Cracovienſem, adhuc deſiderantes. Præterea BOLESLAI Criſpi non erat, connivente MIESLAO Fratre ſolo, Sendomirienſem & Lublinenſem Provinciam prius ſibi, deinde CASIMIRO deſtinare poſſidendam, ſine Patruelium, SILESIÆ Ducum, jam in renovatam Imperii Polonici Societatem receptorum, Suffragiis Cracovienſe Patruorum confirmantibus Decretum.

XXXIX. Denique BOLESLAUS Criſpus nondum quieſcentibus SILESIORUM Ducibus permittebat, ut à ſe quidem hactenus reſervatas, nunc autem ab ipſis Bello acquiſitas intra SILESIAM Urbes ſibi retinerent: itaque tota SILESIA potitis ſuadebat, ut cum Polonis Pacem colerent. Ioannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. V. ad Annum 1169: *Et, quamvis Iudicio Conſiliariorum communium BOLESLAI Ducis Reſponſio, ſingulas Nepotum* [Patruelium] *Querelas ita confutaſſet, ut Bellum motum & movendum injuſtum ſibi videri pronunciaſſent: iisdem tamen communibus agentibus Conſiliariis, BOLESLAUS Monarcha Nepotes quietaturus, de Urbibus, quas in SLESIA tenuerat, ceſſit, & eas inter Nepotes ſortiri conſenſit.*

XL. Tum videntes SILESIORUM Duces, non aliâ Lege Pacem à duriſſimis Patruis, ad extrema quæque propendentibus, impetrabilem: pro infelici Temporis Habitu, admittere prudentius eſſe judicabant, quam Succeſſui Armorum proſpero ulterius confidere: potiſſimum, quia de FRIDERICI tum occupatiſſimi Cæſaris majoribus in Opem Copiis, propter afflictum Imperii Romani Statum, aut ſero, aut nunquam conſequendis dubitantes, Propoſitum ſuum exſequi totum non ſuſtinebant.

XLI. Quæ cum ita ſint: ut evidenter à nobis expoſita indicant: non habebant POLONORUM Duces, cur reſtitutam, quaſi donatam, SILE-

SIO-

ANNO 1169.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MESLAUS, CONRADUS.

SIORUM Ducibus tandem univerſam SILESIAM in Gentis ſuæ Laudem converterent: non, quicquid præſtabant, præſtantes quadam in Patrueles Clementiâ ducti, ſed ob Cladem Boruſſicam invalidi, adhæc timendorum GERMANORUM auxiliarium Potentiâ territi: quâ SILESIORUM Duces in Polonia reſiduas, Siradienſem, Lancicienſem, Cracovienſem, Provincias, ſe Poteſtati ſuæ fortiter ſubjecturos ſperabant.

XLII. Tantæ Molis, tanti Laboris erat, SILESIOS à POLONIS, quanquam invito magis, quam voluntario, tamen pro Circumſtantiarum Momentis, cordato Aſſenſu, certiora dubiis, tutiora periculoſis anteponentes, non, ut Vanitas Hoſtium gloriatur, in quoddam Liberalitatis Munus, ſed, ut ipſa Rerum Veritas loquitur, in Satisfactionis quoddam Pignus, acquirere ſuis Ducibus univerſam SILESIAM.

SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS univerſam inter ſe dividunt SILESIAM.

XLIII. Hanc inter ſe dividentes SILESIORUM DUCES, acceperunt: Mediam BOLESLAUS, ob Staturam Corporis celſam, Cognomento vel PROCERUS, vel ALTUS, vel LONGUS, Dux Vratislavienſium, Lignicenſium, Bregenſium, Suidnicenſium, Iavorenſium, Olsnenſium: Superiorem, partim majori Poloniæ, partim Moraviæ propinquam, MIESLAUS, Dux Oppolienſium, Ratiborenſium, Teſchinenſium, Carnovienſium, Troppavienſium: Inferiorem, partim Poloniæ minori, partim Marchiæ Brandenburgicæ vicinam, CONRADUS, ob Crurum Gracilitatem, Cognomento aut LORIPES, aut LASCONOGUS, Dux Glogovienſium, Saganenſium, Croſnenſium: ad quorum Terras, quicquid hodie Locorum Sileſiacorum Nominibus indicari ſolet, pertinebat. Quicquid autem LUSATIÆ, quam ſibi Marchiones Miſnenſes totam vindicabant, tum ad SILESIAM ſpectabat, donec Litigium ideo ſubortum inter Sileſios & Miſnenſes finiretur, indiviſum relinquebatur.

XLIV. Ab his, POLONORUM Ducis BOLESLAI III. Cognomine Polonico CRIVOUSTI, Latino aut DISTORTI, aut CURVI, Provincias Polonicas, iisque cohærentes, in Hæreditatem inter Filios diſtribuentis, Nepotibus: VLADISLAI II. Cognomento SPUTATORIS, tandem Exſulis, duobus Filiis [quorum Frater CONRADUS ſine Liberis obiit]

ANNO 1169.

GERMANORUM Romanus Imperator FRIDERICUS I. SILESIORUM Duces BOLESLAUS, MIESLAUS, CONRADUS. BOLESLAO & MIESLAO nati sunt longa serie in septimum Sæculum SILESII Duces. Ex quibus postremus BOLESLAI Proceri Nepos, GEORGIUS WILHELMUS, Lignicensium & Bregensium Dux, Stemma suum PIASTÆUM præmaturo Excessu finiit Anno M. DC. LXXV.

XLV. Ita vetus SILESIÆ POPULUS, cujus MAIORES, ab Orbe condito, in Noachicis IAPHETICOS, in Iapheticis CELTAS, in Celtis GERMANOS, in Germanis SUEVOS, in Suevis partim QUADOS, partim LYGIOS, ad Annum CHRISTI 550, in nostris Antiquitatibus delineavimus intuendos: ab eodem Anno 550, quô, etsi non amplius Suevicus, tamen adhuc GERMANICUS, partim QUADICUS, partim LYGIUS, cum peregrina dissimillimâque SARMATARUM SLAVORUM POLONORUM Gente Societatem inibat, diu alienum. prius SLAVORUM, deinde POLONORUM Nomen, aut obscuratis, aut imminutis, præsertim laudabiliter gestis, sustinere solitus, post DC. XIII Annos, per quos cum POLONIS plerumque sub eodem Capite fuerat connexus, aliam Reipublicæ Formam recipiebat: pro temporariis PRÆFECTIS, perpetuos DUCES Anno 1163, eosque totius SILESIÆ Possessores Anno 1169 consecutus.

XLVI. Post ea SILESII, quanquam POLONIS adhuc per duo Sæcula, [separabiles semper, nunquam separati] non nunquam superiori, plerumque pari Iure cohæserunt: tamen longè conspectioribus Indiciis se monstrabant ex Indigenis ortos GERMANOS, sub propriis DUCIBUS, Origine patriâ quidem POLONIS, maternâ verò GERMANIS: Sedem in SILESIA fixam tenentibus: Polonicam exuentibus, induentibus Germanicam Indolem: tantôque facilius, ad Exemplum suum, exteros Incolas novô, Germanos Cives instaurató exornantibus melioris Iuris, Sermonis, Moris Habitu.

XLVII. Tot Rerum, quas in Exercitationibus his exposuimus, vario Eventu contigit, ut SILESII, potissimum ab Anno 1170, magis magisque SLAVORUM & Legem, & Linguam, & Consuetudinem dediscentes, contra propius propiusque nativorum GERMANORUM assumendis Proprietatibus accedentes, cultioribus Europæ Nationibus consimiles, ostenderent clarioribus Eruditionis, Virtutis, Libertatis, Existimationis, Felicitatis Accessionibus redintegratam SILESIAM.

INDEX

INDEX PRIMUS CAPITUM.

CAPUT I.

GRÆCORUM Romano Imperatore IUSTINIANO I.

ANno 550: SILESIORUM GERMANORUM cum POLONIS SLAVIS conjunctorum Origo: SILESIORUM Dux LECHUS I. §. I.
Unde SLAVORUM Nomen. §. VI.
Quis SLAVORUM Populus. §. X.
Unde SILESIAM intraverint SLAVI. §. XXVII.
Quando SILESIAM intraverint SLAVI. §. XXXII.
An SILESIOS deleverint SLAVI. §. XXXVII.
SILESII Germani ob Slavos admixtos Cognomento SLAVI. §. XLVI.
SILESII Germani Slavis Polonis cohærentes Cognomine POLONI. §. XLVII.
SILESII, quamvis Cognomento aut SLAVI, aut POLONI, revera GERMANI. §. LXI.
Quid SILESII Germani cum POLONIS Slavis conjuncti, ab Anno 550 ad 600 gesserint. §. LXXX.

CAPUT II.

GRÆCORUM Romano Imperatore CONSTANTINO III.

Anno 680: SILESIORUM Gubernatores PALATINI. §. I.

GERMANORUM Francorum Duce PIPINO I.

Anno 690: SILESII à POLONIS separati. §. VII.

CAPUT III.

Anno 701: POLONORUM Dux Cracus I: SILESII à POLONIS separati. §. I.
Anno 710: SILESIORUM ad POLONOS reversorum Dux CRACUS I. §. X.
Anno 745: SILESIORUM Dux LECHUS II. §. XII.
Anno 750: SILESIORUM Dux VENDA. §. XIII.

GERMANORUM Francorum Rege PIPINO II.

Anno 753: SILESIORUM Gubernatores PALATINI. §. XIV.

Anno 760: SILESIORUM Dux LESCUS I. §. XVIII.

CAPUT IV.

GERMANORUM Romano Imperatore CAROLO Magno.

Anno 805: SILESIORUM Dux LESCUS II: SILESII Romano GERMANORUM Imperio Tributarii. §. I.
Anno 811: SILESIORUM Dux LESCUS III. §. XXXI.

GERMANORUM Romano Imperatore LUDOVICO Pio.

Anno 815: SILESIORUM Dux POPIELUS I. §. XXXV.
Anno 830: SILESIORUM Dux POPIELUS II. §. XXXVII.
Anno 833: SILESII, Ducem nullum habentes, liberrimus Populus. §. XXXIX.

CAPUT V.

GERMANORUM Romano Imperatore LOTHARIO I.

Anno 842: SILESIORUM Dux PIASTUS. §. I.

GERMANORUM Romano Imperatore LUDOVICO II.

Anno 861: SILESIORUM Dux SEMOVITUS. §. XII.
Anno 870: SILESII Romano GERMANORUM Imperio Tributarii. §. XIV. & XXI.

GERMANORUM Romano Imperatore ARNOLPHO.

Anno 893: SILESIORUM Dux LESCUS IV. An SILESII Suatopluco Moravorum Regi paruerint, §. XXIII.

CAPUT VI.

GERMANORUM Romano Imperatore HENRICO I.

Anno 913: SILESIORUM Dux SEMOMISLAUS. §. I.
Anno 921: SILESII Romano GERMANORUM Imperio Tributarii. §. II.

GERMANORUM Romano Imperatore OTTONE I.

Anno 941: SILESII Romano GERMANORUM Imperio Tributarii. §. V.
ANNO 964: SILESIORUM Dux MIESLAUS I. §. IX.

CAPUT VII.

Anno 965: Origo SILESIORUM Christianorum. §. I.

Anno

Anno 966: SILESIORUM Episcopus I. Smogrensis, GOTHOFREDUS Romanus. §. XIII.
Anno 970: SILESIORUM Templum Christianum Smogræ primum. §. XXIII.

GERMANORUM Romano Imperatore OTTONE II.

Anno 973: SILESII Romano GERMANORUM Imperio subjecti. §. XXIV.
Anno 983: SILESIORUM Episcopus II. Smogrensis, URBANUS Romanus. §. XXVII. SILESIORUM prima Schola Smogrensis. §. XXIX.

GERMANORUM Romano Imperatore OTTONE III.

Anno 984: SILESII Romano GERMANORUM Imperio subjecti. §. XXXI.
Anno 999: SILESIÆ Caput VRATISLAVIA, num â MIESLAO I. SILESIORUM Duce Christiano primo, intra 964 & 999 Annum condita sit. §. LXXXVIII.

CAPUT VIII.

Anno 1001: SILESIORUM Dux BOLESLAUS I: SILESII Romano GERMANORUM Imperio subjecti. §. I.

GERMANORUM Romano Imperatore HENRICO II.

Anno 1002: SILESIORUM Regio Glacensis per Boleslaum III. Bohemorum Ducem occupata. §. XXX.
Anno 1005: SILESIORUM Episcopus III. Smogrensis, CLEMENS Italus. §. XXXII.
Anno 1006: SILESII Romano GERMANORUM Imperio subjecti. §. XXXIV.

GERMANORUM Romano Imperatore CONRADO II.

Anno 1025: SILESIORUM Dux MIESLAUS II: SILESII Romano GERMANORUM Imperio subjecti. §. LX.
Anno 1027: SILESIORUM Episcopus IV. Smogrensis, LUCILIUS Italus. §. LXII.
Anno 1032: SILESIORUM â POLONIS separatorum Cæsareus Præfectus Germanus. §. LXXVIII.
Anno 1036: SILESIORUM Episcopus V. Smogrensis, LEONHARDUS Italus. §. LXXXII. SILESII tumultuantibus POLONIS quieti. §. LXXXV.
Anno 1038: SILESIORUM cum BOHEMIS Bellum. §. XCI.

GER-

GERMANORUM Romano Imperatore HENRICO III.

Anno 1040: SILESIORUM à POLONIS ſeparatorum Gubernator BRETISLAUS Bohemus. §. XCIII.

Anno 1041: POLONORUM Dux Caſimirus I. §. XCVII. SILESIORUM Epiſcopatus ex Smograno BICINENSIS. §. CII.

Anno 1042: SILESIORUM, Romano intra GERMANIAM Imperio ſubjectorum Dux BRETISLAUS. §. CIV.

Anno 1044; SILESIORUM Monaſterium primum LEUBUSINUM. §. CVIII.

Anno 1045: SILESIORUM Epiſcopus VI. Bicinenſis, TIMOTHEUS, Italus. §. CX. S. Petri Denarius POLONIS, non SILESIIS, imperatus. §. CXIII.

Anno 1051: SILESIORUM Epiſcopus VII. Bicinenſis, HIERONYMUS, Italus. §. CXVIII.

Anno 1052: SILESIORUM Dux CASIMIRUS I. §. CXIX. SILESIORUM Epiſcopatus ex Bicinenſi VRATISLAVIENSIS. §. CXX.

GERMANORUM Romano Imperatore HENRICO IV.

Anno 1058: SILESIORUM Dux BOLESLAUS II. §. CXXII. SILESII Romano GERMANORUM Imperio ſubjecti. §. CXXIII.

Anno 1062: SILESIORUM cum BOHEMIS Bellum. §. CXXIV.

Anno 1063: SILESIORUM Epiſcopus VIII. Vratislavienſis, IOHANNES I. Familiæ Cognomento ACCIPITER, Polonus. §. CXXV.

Anno 1071: SILESII Romano GERMANORUM Imperio ſubjecti. §. CXXVIII.

Anno 1072: SILESIORUM Epiſcopus IX. Vratislavienſis, PETRUS I. Familiæ Cognomento VULPINUS, Polonus. §. CXXIX.

Anno 1077: SILESII Romano GERMANORUM Imperio ſubtracti. §. CXXX.

Anno 1079: SILESIORUM publicus DEI Cultus impeditus. §. CXXXIII.

CAPUT IX.

Anno 1082: SILESIORUM Dux VLADISLAUS I. SILESIORUM Capitaneus I. Vratislavienſis, MAGNUS Comes. §. I. SILESII Romano GERMANORUM Imperio ſubjecti. §. IX.

Anno 1092: SILESIORUM Epiſcopus X. Vratislavienſis, ZYROSLAUS I. Familiæ Cognomento ROSA, Polonus. §. XIII.

Anno 1093: SILESIORUM cum BOHEMIS Bellum. §. XVI.

Anno 1094: SILESIORUM Caſtrum CAMENCIUM à BOHEMIS onditum. §. XX.

Anno 1096: SILESIORUM cum POLONIS Diſſidium. §. XXIII. SILESIORUM Capitaneus II. Vratislavienſis, VOISLAUS. §. XXXII. SILESIORUM cum BOHEMIS Bellum. §. XXXIV.

Anno 1099: SILESIIS Caſtrum CAMENCIUM à BOHEMIS redditum. §. XLV.

CAPUT X.

GERMANORUM Romano Imperatore HENRICO V.

Anno 1102: SILESIORUM Dux BOLESLAUS III. Cognomine Polonico CRIVOUSTUS, Latino Diſtortus, Curvus. SILESII Romano GERMANORUM Imperio ſubjecti. §. I.

Anno 1109: SILESIORUM cum cæteris GERMANIS pro POLONIS Bellum. §. V.

Anno 1112: SILESIORUM per SBIGNEI Poloni Bohemicos Milites Oppugnatio. §. XL.

Anno 1114: SILESIÆ Glacenſem Regionem, BOHEMIS ſubjectam, BOLESLAUS III. Sileſiorum Dux oppugnat & devaſtat. §. XLI.

Anno 1115: BOLESLAI III. Sileſiorum Ducis cum VLADISLAO Bohemorum Duce Pax intra SILESIAM compoſita. §. XLII.

Anno 1120: SILESIORUM Epiſcopus XI. Vratislavienſis, IMISLAUS, Familiæ Cognomento LESCITA, Polonus. §. XLIII. SILESIORUM Collegii GLOGOVIENSIS Canonicorum Origo. §. XLVII.

Anno 1123: VOISLAI, Glogovienſium Præfecti, Auxilium adverſus Latrones Peregrinatoribus præſtitum. §. XLVIII.

GERMANORUM Romano Imperatore LOTHARIO II.

Anno 1125: SILESII Romano GERMANORUM Imperio ſubjecti. §. XLIX.

Anno 1126: SILESIORUM Epiſcopus XII. Vratislavienſis, RUPERTUS, Familiæ Cognomento KORABITA, Polonus. §. XX.

Anno 1132: SILESIÆ Regionem Vratislavienſem SOBIESLAUS Bohemorum Dux oppugnat & devaſtat. §. LII.

Anno 1137: Inter BOLESLAUM III. Sileſiorum, & SOBIESLAUM Bohemorum Duces, Pax intra SILESIAM. §. LXIV.

CAPUT XI.

GERMANORUM Romano Imperatore CONRADO III.

Anno 1139: Poſt diviſas POLONIÆ Provincias, SILESIORUM Dux VLADISLAUS II. Romano GERMANORUM Imperio ſubjectus. §. I.

Anno 1140: SILESIORUM per SOBIESLAUM Bohemorum Ducem Oppugnatio. §. XI.

Anno 1141: SILESIORUM Episcopus XIII. Vratislaviensis, MAGNUS, Familiæ Cognomento ZAREMBA, Polonus. §. XII.

Anno 1142: VLADISLAI II. Silesiorum Ducis cum Fratribus Dissidium. §. XVIII.

Anno 1146: SILESIORUM Dux BOLESLAUS IV. Cognomento CRISPUS. SILESII Romano GERMANORUM Imperio subjecti. §. LIII. SILESIORUM Episcopus XIV. Vratislaviensis, IOHANNES II. Familiæ Cognomento GRYPHUS, Polonus. §. LV.

Anno 1148: SILESIORUM Episcopus XV. Vratislaviensis, WALTHERUS, Familiæ Cognomento ZADORA, Polonus. §. LXIV. Imperatoris CONRADI III. pro VLADISLAO II. Silesiorum Duce Exsule, contra BOLESLAUM IV. Silesiorum Ducem in SILESIAM Adventus. §. LXIX.

GERMANORUM Romano Imperatore FRIDERICO I.

Anno 1152: SILESII Romano GERMANORUM Imperio subjecti. §. LXV.

Anno 1153: PETRUS DANUS, Comes Polonorum Scrinnensis, SILESIORUM Præfectus VRATISLAVIENSIS, & mutus, & cœcus è vivis decedit. §. LXXVI.

Anno 1157: Imperatoris FRIDERICI I. pro SILESIORUM Duce VLADISLAO II. in Provincias hæreditarias restituendo, adversus BOLESLAUM IV. ejusque Fratres, in SILESIA & POLONIA Bellum. §. XCIX.

Anno 1159: VLADISLAI II. Silesiorum Ducis Exsulis ultimum Fatum. §. CXXXVIII. Relictorum trium Filiorum, BOLESLAI Proceri, MIESLAI, & CONRADI Loripedis Status. §. CXLII.

Anno 1161: BOLESLAUS Procerus, Dux SILESIORUM Exsul, Mediolanensium Gigantis in Italia Victor. §. CXLIII.

Caput XII.

Anno 1163: Post divisas POLONIÆ Provincias, peculiares SILESIORUM Duces, BOLESLAUS Procerus, MIESLAUS & CONRADUS Loripes. §. I.

Anno 1164: Iidem SILESIORUM Duces, cum POLONORUM Ducibus conjuncti, Bellum gerunt adversus BORUSSOS. §. XXIV.

Anno 1169: Iidem SILESIORUM Duces, retentam SILESIÆ, Patrimonii sui, Partem, Bello Victores, Ducibus POLONORUM eripiunt. §. XXVI. Universam inter se dividunt SILESIAM: mediam BOLESLAUS Cognomine PROCERUS: superiorem MIESLAUS: inferiorem CONRADUS Cognomine LORIPES accipit. §. XLIII.

INDEX

INDEX SECUNDUS,

SILESIÆ Ducum Genealogicus,

Ab Anno 550 ad 1170.

I.

LECHUS I. in Sarmatis SLAVUS, in Slavis POLONUS, [Zechi, Sarmatæ Slavi Bohemi Frater] veteris GERMANIÆ Provincias, QUADIAM & LYGIAM, id est, SILESIAM, circiter Annum 550, ingressus: Primus SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, ad Annum circiter 600: nullis [ut Scriptores potiores indicant] Liberis relictis. Postea, quem SILESIA Gubernatorem habuerit, ad Annum 680, non invenitur.

II.

SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Gubernatores PALATINI, ab Anno 680 ad 700. Sub quorum Imperio SILESII à POLONIS separati, Germanica Libertate gaudebant, ab Anno circiter 690 ad 710.

III.

CRACUS, incertum, Natione SLAVUS, an GERMANUS: POLONUS an SILESIUS: electus SILESIORUM ad POLONOS reversorum Dux, Anno circiter 710, ad 745.

LECHUS II. electus SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno circiter 745: ob Fratrem natu majorem Cracum II. peremtum, in Exsilium actus, Anno circiter 750.

VENDA Virgo, electa SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno circiter 750: intra Vistulam Morte voluntaria periit, Anno circiter 753.

IV.

SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Gubernatores PALATINI, ab Anno circiter 753, ad 760.

V.

LESCUS I. ante susceptum Regimen PRÆMISLAUS, quibusdam LISTIGIUS dictus: incertum, Natione SLAVUS, an GERMANUS: POLONUS, an SILESIUS: electus SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno circiter 760, ad 803.

VI.

LESCUS II. incertum, Natione Slavus, an GERMANUS: POLONUS,

an SILESIUS: electus SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno circiter 804. Intra Prælium cum Romani GERMANORUM Imperatoris CAROLI Magni Filio CAROLO, ad VIADRI Fluminis Ripam, in SILESIA commissum, periit Anno 805.

LESCUS III. electus SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno 805, Romano GERMANORUM Imperatori CAROLO Magno Tributarius. †. Anno circiter 815.

A.

POPIELUS I. electus SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno circiter 815. Romano GERMANORUM Imperatori LUDOVICO Pio Tributarius. †. Anno circiter 830.

POPIELUS II. electus SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno circiter 830: Romano GERMANORUM Imperatori LUDOVICO Pio Tributarius. Cujus Regimen [ad quod inhabilis erat] Uxor Germanica [incertum est, cujus] vicini Germanorum Principis Filia, suo Arbitrio, sed Mariti Nomine, administrabat. †. Anno circiter 833.

VII.

SILESII, nullam cum POLONIS Societatem colentes, Ducem nullum habentes, liberrimus Populus, ab Anno 833, ad 842.

VIII.

PIASTUS, Cossiconis, Civis Cruswicienſis, in hodiernæ POLONIÆ Majoris Parte, quam SILESII veteres, non QUADI, sed ex LYGIIS ELYSII possederunt, natus: incertum, Origine POLONUS SLAVUS, an SILESIUS GERMANUS: electus SILESIORUM ad POLONOS reversorum Dux, quibusdam Rex dictus: REPICHÆ Maritus. †. Secundum eos, quibus Anno 775 natus creditur, Anno Ætatis CXX: secundum meliores Chronologos, dubiam Ætatem statuentes, Anno Regiminis XIX, Christi 861.

SEMOVITUS, electus SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno 861: Romano GERMANORUM Imperatori LUDOVICO II. Tributarius. †. Anno Regiminis XXXI, Christi 892.

LESCUS IV. electus SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno 892: Romano GERMANORUM Imperatori ARNOLPHO Tributarius. †. Anno Regiminis XXI, Christi 913. SE-

VIII.

SEMOMISLAUS, (aliis SEMOMISLUS) electus SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno 913: Romanis GERMANORUM Imperatoribus HENRICO I. & OTTONI I. subjectus. †. Anno Regiminis LI, Christi 964.

MIESLAUS I. [aliis vel MIECISLAUS, vel MIESCO, vel MISECO, vel MIESCA, vel MISCA dictus] electus SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno 964. Cœcus natus. septennis ad Tonsuræ Paganæ Ritum Visu donatus: CHRISTIANUS Anno 965, Die V. Martii, baptizatus. SILESIORUM Urbis VRATISLAVIÆ Conditor, circiter Annum 966. Romanis GERMANORUM Imperatoribus, OTTONI I. II. & III. subjectus. †. Anno Regiminis XXXV, Christi 999.

Uxor Anno 965, Die V. Martii, DAMBRONICA, Polonis DAMBROUCA, Bohemorum Ducis Boleslai I. Filia, Boleslai II. Soror, Virgo Christiana. †. Anno 977.

BOLESLAUS I. Cognomine Polonico CHROBRIUS, Latino ACER, hæreditarius SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno 999. Romanis GERMANORUM Imperatoribus OTTONI III. HENRICO II. & CONRADO II. subjectus. Natus Anno 967: †. Die III. Aprilis. Anno Regiminis XXVI, Ætatis LVIII, Christi 1024.

Uxor Anno 984. IUDITHA, Hungarorum Ducis Geysæ Filia, Stephani Soror. †. Anno 1017.

MIESLAUS II. hæreditarius SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno 1025. Romano GERMANORUM Imperatori OTTONI III. subjectus. Natus Anno 990: †. Die XV. Martii, Anno Regiminis IX, Ætatis XLIV, Christi 1034.

Uxor, Anno 1001, desponsata: Anno 1013 ducta, RIXA, Ehrenfredi [aliis Gothofredi, aut Esonis, aut Ezelini] Comitis Palatini Rhenani, & Mechtildæ [aliis Mathildæ] cui Cæsar OTTO III. fuit Frater, Filia. Mortuo Marito à Polonis Anno 1036, cum Filio CASIMIRO [deinde Monacho] in Exsilium acta. †. Salfeldiæ Thuringorum.

OTTO, à Fratre Mieslao, cui Obsequium, quod Imperatori CONRADO II. debebat, continuandum suaserat, in Exsilium depulsus: ab eodem Imperatore, post Mieslaum profligatum, Dux Polonorum [non Silesiorum, quos Imperator sibi tenebat uni subjectos] creatus Anno 1032: ex Insidiis eodem Anno trucidatus.

IX.

IX.

SILESIORUM à POLONIS ſeparatorum, ſub Romano GERMANORUM Imperatore CONRADO II, Præfectus Germanus, ab Anno 1032, ad 1038.

X.

SILESIORUM à POLONIS ſeparatorum, à BOHEMIS ſuperatorum Gubernator, ab Anno 1038 ad 1042: poſtea, Romani GERMANORUM Imperatoris CONRADI II. Conſenſu Dux, BRETISLAUS, Bohemorum Dux, ab Anno 1042, ad 1052.

XI.

CASIMIRUS I. Cognomine MONACHUS: MIESLAI II. Sileſiorum Polonorumque Ducis Filius: electus SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno 1052: Romano GERMANORUM Imperatori HENRICO IV. ſubjectus. Natus Die XXV. Iulii, Anno 1016: †. Die XXVIII. Novembris, Anno Regiminis VII, Ætatis XLII, Chriſti 1058.

Uxor, Anno 1041, DOBROGNEVA, deinde MARIA dicta, Volodomiri, Ruſſorum Ducis, Filia. †. Poſt Mariti Exceſſum.

BOLESLAUS II. Cognomento AUDAX, aliis EFFERUS, electus SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno 1058. Romano GERMANORUM Imperatori HENRICO IV. ſubjectus. Natus Anno 1042: poſt Stanislaum Epiſcopum Cracovienſem Anno 1079 trucidatum, in Exſilium Anno 1081 actus: in quo, poſt Filium Mieslaum Anno 1089 exſtinctum, †. Anno 1091.

Uxor, Anno 1067, VISSELAVA, Viſſeslai, Ruſſorum Ducis, Filia. †. Anno 1089.

VLADISLAUS I. Cognomento Germanico HERMANNUS, electus SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno 1082. Romano GERMANORUM Imperatori HENRICO IV. ſubjectus. Natus Anno 1043: †. Die V. Iunii, Anno Regiminis XXI, Ætatis LIX, Chriſti 1102.

Uxor, Anno 1083, IUDITHA, Vratislai Bohemorum Ducis Filia. †. Die XXIV, Decembris, Anno 1084.

BOLESLAUS III. Cognomine Polonico CRIVOUSTUS, Latino aut DISTORTUS, aut CURVUS, hæreditarius SILESIORUM cum POLONIS conjunctorum Dux, Anno 1102: Romanis GERMANORUM Imperatoribus, HENRICO V. & LOTHARIO II. ſubjectus. Natus Anno 1086: †. Anno Regiminis XXXVII, Ætatis LIII, Chriſti 1139. Quo Anno

Provincias omnes Polonicas Filiis ſuis hæreditarium in Modum poſſidendas diviſit.

Uxor I, Anno 1104, SUISLAVA [quibusdam SIBISLAVA] Michaelis [Suatopolci] Kioviensium Ducis Filia, †. Anno 1108.

Uxor II. ut Poloni tradunt, à quibus alii diſſentiunt] Anno 1110, ADELHEIDA, Cæſarum Henrici III. Filia, Henrici IV. Soror.

A.

B.

VLADISLAUS II. hæreditarius SILESIORUM Germanorum: POLONORUM Cracoviensium, Sitadiensium Dux, Anno 1139: Romano GERMANORUM Imperatori CONRADO III. ſubjectus: à ſuis Fratribus in Exſilium depulſus, Anno 1146. Natus Anno 1104: †. Die IV. Iulii, Anno Ætatis LV, Chriſti 1159. Uxor, Anno 1121, non, ut plerique ſtatuunt, CHRISTINA, Cæſarum Henrici V. Filia, Henrici IV. Neptis: ſed ADELHEIDA, Cæſarum Henrici IV. Filia, Henrici III. Neptis: CONRADI II. Proneptis: Anno 1146, à Polonis in Exſilium acta cum tribus Filiis. †. Oldenburgi Holſatorum.	BOLESLAUS IV. Cognomento CRISPUS, hæreditarius POLONORUM Maſoviensium, Dobrinensium, Cujaviensium: PRUSSORUM Culmensium Dux: poſt Fratrem VLADISLAUM II. Exſulem, Anno 1146, ex cæterorum Fratrum Sententiâ, hæreditarius, etiam SILESIORUM Germanorum: POLONORUM Cracoviensium, Siradiensium, Lancicienſium Dux. Anno 1163, retentis Cracoviensium, Siradiensium, Lancicienſium in Polonia Provinciis, ſolam in Germania SILESIAM, eamque non univerſam: tandem Anno 1169, univerſam Patruelibus ſuis Vladislai II. tribus Filiis reddere, Vi Armorum coactus. †. Die XXX. Septembris, Anno Regiminis XXIV, Ætatis XLVI, Chriſti 1173.	MIESLAUS III. Cognomento SENEX, hæreditarius POLONORUM Gneſnensium, Poſnaniensium, Calisiensium: GERMANORUM Pomeranorum Dux, Anno 1139. Ab Imperio remotus Anno 1177: Succeſſorem Fratrem Caſimirum nactus. Natus Anno 1131. †. Anno Ætatis LXX, Chriſti 1202.	HENRICUS I. hæreditarius POLONORUM Sendomirienſium & Lubliniensium Dux, Anno 1139. Natus Anno 1312. †. cœlebs, Anno Ætatis XXXV Chriſti 1167.	CASIMIRUS, Anno 1139. natus; nihil Hæreditatis patriæ conſecutus: poſt Fratrem Mieslaum Senem Exſulem, Anno 1177, POLONORUM Sendomirienſium & Lublinenſium Dux. †. Anno Ætatis LVI, Chriſti 1194.

C.

Poſt hæc SILESII cum POLONIS quidem porro, per duo Sæcula, ſed aliam Societatem colentes, acceperunt, Anno 1163, DUCES proprios, à Polonorum Ducibus & diſtinctos, & ſeparabiles: prius quidem non niſi Ro-

Romanum GERMANORUM Imperatorem agnoſcentes ſuperiorem: poſtea verò, id eſt, poſt FRIDERICUM I. Ænobarbum, Anno 1190 mortuum, abſolutæ, ſicut Poteſtatis, ita Libertatis Germanicæ Poſſeſſores, VLADISLAI II. non tantum SILESIORUM in Germania, verum etiam CRACOVIENSIUM, SIRADIENSIUM, & LANCICIENSIUM in Polonia DUCIS relictos tres Filios: in quorum Hæreditatem tota SILESIA pervenit Anno 1169. Inde factus eſt:

BOLESLAUS Cognomine PROCERUS, aliis vel ALTUS, vel LONGUS, mediæ SILESIÆ Dux Vratislavienſis, Lignicenſis, Bregenſis, Monſterbergenſis, Suidnicenſis, Iavorenſis, Olsnenſis, Anno 1169. †. Die VI. Decembris, Anno 1201.

MIESLAUS ſuperioris SILESIÆ Dux Oppolienſis, Ratiborenſis, Teſchinenſis, Carnovienſis, Troppavienſis, Anno 1169. †. Die XVII. Maji, Anno 1211.

CONRADUS, Cognomento aut LORIPES, aut LASCONOGUS, inferioris SILESIÆ Dux Glogovienſis, Saganenſis, Crosnenſis, Anno 1169. †. ſine Liberis, Anno 1178.

Hujus Poſteritas virilis in ultimo Lignicenſium & Bregenſium Duce GEORGIO WILHEMO exſpiravit, Anno 1675.

Hujus Poſteritas virilis in ultimo Teſchinenſium Duce, FRIDERICO WILHELMO exſpiravit Anno 1625.

Hinc poſtea novam Diviſionem paſſa, in Superiorem & Inferiorem diſtingui cœpit univerſa SILESIA.

INDEX TERTIUS AUTORUM.

NUMERUS Romanus Caput: Barbarus Periodum: P. Præfationem, eiqúe Numerus additus Periodum indicat.

A.

Abdias Babylonius. IV. 18.
Adamus Bremenſis Canonicus, quando vixerit. I. 14. 57. V. 14. 16. VI. 2. 6. VIII. 7. P. 18.
Ademarus Benedictinus Monachus. IV. 21.
Ademarus Chabanenſis Monachus. I. 57. IV. 21. XI. 10.
Iulius *Africanus*. IV. 18.
Albericus trium Fontium Monachus. IV. 17. 21. X. 60. XI. 44. P. 21.
Leander *Albertus*. I. 13.

Albertus Stadenſis Abbas. V. 17. VI. 2. 6. VIII. 36. X. 23. quando vixerit. P. 20.
Petrus *Albinus*. I. 16. 30. VII. 39.
Iohannes Henricus *Alſtedius*. I. 34. XI. 79.
Apollonius Rhodius. I. 13.
Wolfromus Chriſtianus *Arzatius*. P. 15.
Ioannes *Aventinus*. IV. 19. V. 13. VI. 4. VIII. 66. 68. 70. 117.
Autor Annalium de Carolo Magno. IV. 21.
Autor Annalium Francicorum Fuldenſium. IV. 21. V. 13. 22. P. 16.
Autor Annalium Francicorum Metenſium. IV. 27.
Autor Anonymus, Chronographus Saxo. VI. 6. VII. 20. VIII. 8. 10. 31. 34. 40. 41. 43. 44. 48. 49. 50. X. 17. 23. 61. XI. 4. 18. 71. P. 21.
Autor Anonymus, Commentator Vincentii Kadlubkonis. VIII. 6. 15. X. 21. 26. XII. 15. 29. P. 23.
Autor Anonymus, Monachus Egoliſmenſis. IV. 21.
Autor Chronici Belgici, Canonicus Nuſſienſis. IV. 17.
Autor Chronici Hildesheimenſis. VIII. 8.
Autor Chronici Magdeburgici de Archiepiſcopis. VII. 20. 70. VIII. 8. 10. 42.
Autor Chronici Montis Sereni, hoc eſt, Lauterbergici. XI. 18. 41. 117. 133.
Autor Chronici Polonici MSti. III. 1. V. 2. 6. IX. 30. X. 21. P. 5.
Autor Chronici Sileſiaci MSti. P. 15.
Autor Chronici Stederburgenſis. XI. 121.
Autor Epitaphii Polonici. VIII. 15.
Autor Vitæ Adalberti, Epiſcopi Pragenſis. VIII. 2. 3.
Autor Vitæ Cyrilli & Methodii Monachorum. VII. 2. 3.
Autor Vitæ Henrici II. Imperatoris. VIII. 37.

B.

Bohuslaus *Balbinus*. I. 7. 12. 16. 19. 21. ſæpius errat. I. 22. in ſuis Opinionibus inconſtans. I. 23. 27. 33. 34. in aſſerendis audax. 66. errat. 70. 77. IV. 7. 22. 23. errat. 24. VII. 2. 46. errat. 60. VIII. 2. 17. XI. 21. 137.
Henricus *Bangertus*. I. 16. 30. 34.
Cæſar *Baronius*. VII. 6. 14. 36.
Laurentius *Barræus*. IV. 18.
Georgius *Bartholdus*. I. 35.
Baſco Poſnanienſis. P. 22.
Petrus *Bertius* I. 5.
Iohannes Michael *Beutherus*. I. 16.
Michael *Beutherus*. I. 16. 27.
Blondus Flavius. I. 16. IV. 26.
Iohannes Henricus *Bœclerus*. XI. 114.
Ioannes *Bollandus*. VII. 2.
Antonius *Bonfinius*. IV. 26. VII. 36. 81. 83. VIII. 95. IX. 12.
Martinus *Boregkius*. I. 35. IV. 22. VII. 47. X. 54. 55.

Marcus Zuerius *Boxhornius*. I. 35. VIII. 17.
Erneſtus *Brotuffius*. I. 15.
Abrahamus *Bucholcerus*. VIII. 17.
Gothofredus Ferdinandus *Buckiſius*. VII. 11. 18. 26. 30. VIII. 16. 64. 99. 108. 121. X. 47. XI. 21. 77. 82. P. 28.

C.

Aloyſius *Cadamuſtus*. I. 43.
Iulius *Cæſar*. I. 13.
Ioannes *Cæſarius*. VII. 36.
Sethus *Calviſius*. I. 34.
Henricus *Caniſius*. VIII. 2. 37.
Ioannes *Cario*. VII. 39.
Imperator *Carolus* Quartus. I. 59.
Imperator *Carolus* Quintus. VII. 43.
Cartuitius Epiſcopus. VII. 36.
Davides *Chytræus*. I. 31. 33. VI. 2.
Philippus *Cluverius*. I. 13. 16. 75.
Petrus *Codicillus*. I. 33. VII. 46.
Conradus Urſpergenſis Abbas. IV. 21. VIII. 96. 103. X. 6. XI. 25. quando mortuus. P. 20.
Hermannus *Conringius*. I. 14. 16. 51. errat. I. 52. IV. 7. 12. VIII. 20. P. 38.
Hermannus *Contractus*. I. 22. IV. 24. VIII. 36. 96. 103. 117. quando mortuus. P. 18.
Coſmas Pragenſis. I. 59. IV. 22. VII. 47. 81. quando vixerit. VII. 90. VIII. 2. 103. 119. IX. 10. X. 8. 11. 42. 48. P. 27.
Gabriel *Coſſartius*. VII. 5. 6. VIII. 130.
Martinus *Cromerus*. I. 7. 16. 22. 27. 30. 34. 43. 53. 64. 74. 82. II. 2. 7. 11. III. 3. 7. 8. 10. 11. 15. IV. 28. 36. 37. V. 2. 3. 9. 10. 11. 22. VII. 8. 9. 13. 14. 16. 26. 35. 81. VIII. 6. 15. 30. errat. VIII. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 87. 91. 92. 97. 106. 124. 131. 133. 134. IX. 4. 11. 20. 22. 24. 25. 26. 27. 29. 32. 34. 36. 37. 43. 44. 47. X. 4. 5. 8. 12. 13. 17. 19. 22. 25. 26. 28. refutatur. 29. 32. 33. 41. 42. 52. 53. 55. 59. 63. 64. XI. 6. 8. 11. 21. 29. 33. 35. 36. 37. 38. 40. 41. 42. 43. 45. 46. 53. 56. 58. 61. 62. 65. 67. 71. 73. 75. 76. 77. 80. 82. 84. 89. 93. 95. 98. 101. 105. 110. 114. 115. 128. 130. 139. 147. XII. 31. 37. 38. P. 8. 9. 10. 11. 22. 23. 26. 38.
Martinus *Cruſius*. XI. 24.
Georgius *Crugerius*. XI. 21.
Ioachimus *Curæus*. I. 12. 44. 55. 75. III. 3. 11. IV. 26. 32. VII. 2. 8. 9. 11. 14. 16. 17. 18. 23. 26. 29. 60. 81. 88. VIII. 16. 61. 63. 64. 87. 91. 99. 101. 108. 110. 119. 120. 121. 127. 129. 134. 135. 136. IX. 12. 13. 15. 16. 24. 26. 29. 34. 36. 47. X. 8. 9. 12. 13. 17. 19. 22. 25. 26. 30. 39. 40. 47. 53. 63. XI. 6. 11. 15. 21. 30. 41. 46. 62. 66. 67. 70. 80. 82. 84. 87. 94. 95. 101. 107. 110. 113. 117. 122. 124. 125. 129. 141. 142. 147. XII. 4. 25. 26. errat. 32. 37. P. 28.
Quintus *Curtius*. I. 13.

D.

Stephanus *Damalevicius*. VIII. 6. 83.
Petrus *Damianus*. VII. 36.
Iodo-

Iodocus Ludovicus *Decius*. I. 64. 88. III. 11. IV. 36. V. 11. VI. 10.
Paulus *Diaconus* Aquilegienſis. I. 8. 22.
Dionyſius Halicarnaſſenſis. I. 49.
Ditmarus Martisburgenſis Epiſcopus. I. 56. 74. VI. 16. 17. 18. 23. 25. 26. VII. 20. 25. 32. 33. 53. 65. VIII. 4. 8. 10. 20. 22. 29. 31. 34. 38. 39. 43. 44. 46. 47. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. quando vixerit, ſcripſerit, obierit. P. 18.
Ioannes, Cognomento Polonico *Dlugoſſus*, Latino Longinus. I. 27. 41. 54. 59. 75. 82. 87. II. 2. 7. III. 1. 2. 8. 10. 11. 14. 15. 17. IV. 28. 36. 37. 39. V. 1. 2. 3. 4. 5. 9. 10. 11. VI. 10. 12. VII. 2. 3. 6. 8. 9. 11. 13. 14. 15. 23. 26. 28. 35. 59. 81. quando mortuus. VII. 90. VIII. 2. 4. 6. 15. 24. 30. 32. 61. 73. 79. 80. 83. 84. 86. 89. 91. 96. 103. 108. 110. 111. 112. 113. 114. 117. 118. 120. 121. 124. 126. 127. 129. 133. 134. 135. 136. IX. 1. 2. 3. 4. 5. 13. 14. 16. 17. 25. 27. 28. 29. 30. 33. 34. 35. 37. 40. 41. 43. 44. 45. X. 3. 4. 8. 9. 12. 13. 17. 18. 19. 20. 21. 25. 26. 30. 32. 33. 34. 36. 38. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 50. 51. 52. 53. 55. 58. 59. 63. 64. XI. 5. 8. 11. 12. 13. 14. 15. 18. 21. 22. 24. 25. 29. 33. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 49. 53. 55. 56. 58. 59. 61. 62. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 75. 77. 80. 82. errat. 84. 87. 93. 96. 98. 100. 103. 110. 112. 114. 115. 119. 124. 125. 126. 127. 130. 131. 139. 140. 142. 143. 144. 147. XII. 3. 15. 20. refutatur. 21. 22. 25. 26. 27. 33. 34. 39. P. 8. 15. 22. 23.
Herbultus *Dobromilskius*. P. 23.
Dodechinus. XI. 25.
Matthæus *Dreſſerus*. I. 12. 35. VII. 11.
Ioannes *Dubravius*. III. 6. IV. 22. VII. 47. 50. 81. VIII. 91. 96. 99. 105. 124. IX. 16. 18. 20. X. 8. 9. 17 41. 54. 56. 62. 63. 64. XI. 21. 30. P. 27.
Andreas *Ducheſnius*. IV. 21. V. 13. P. 16.
Carolus *Ducheſnius*. P. 23.
Franciſcus *Ducheſnius*. II. 8. IV. 27.

E.

Iohannes Georgius *Eccardus*. P. 18.
Eginhardus. IV. 3. 18. P. 16.
Theodorus *Engelhuſius*. VIII. 7. X. 60.
Erneſtus Ludovicus, Pomeranorum Dux. VII. 39.

F.

Franciſcus Kœckericius, Cognomento *Faber*. I. 75. X. 27. P. 15.
Georgius *Fabricius*. VII. 20. 70. VIII. 8. 34. 46. XI. 134.
Carolus Annibal *Fabrotus*. I. 8.
Marquardus *Freherus*. IV. 21. V. 13. VIII. 2. P. 16. 27.
Fridericus I. Imperator. IX. 39. XI. 137.

G.

Martinus *Gallicus*, aliis Gallus IV. 28. P. 22.

Gaufredus Vosiensis quando vixerit. XI. 24.
Gobelinus Persona. VII. 20. XI. 16.
Melchior *Goldastus*. I. 12. 27. 43. 44. V. 13. 15. XI. 137. P. 16. 34.
Gotfridus Viterbiensis Presbyter. I. 58. IV. 17. VIII. 58. 65. 72.
Gregorius Magnus. I. 8.
Gregorius VII. Pontifex Romanus. VIII. 130.
Hugo *Grotius*. I. 31.
Ianus *Gruterus*. I. 8. 52.
Alexander *Guagninus*. I. 34. II. 10. 11. III. 5. 10. 11. IV. 36. V. 3. 8. VI. 10. VII. 35. VIII. 15. IX. 46. X. 22. 25. 26. XI. 21. 52. 61. 70. 71. P. 25.
Guntherus Poeta. I. 58. XI. 20. 103. 109. 111. 114. 116. 124. 125. 129. 130. 132. 135. 140. 144. 145. P. 6. quando vixerit. 19.

H.

Paulus *Hachenbergius*. I. 15.
Wenceslaus *Hagecius*. I. 35. III. 7. IV. 22. VII. 47. 81. X. 55.
Martinus *Hankius*. I. 1. 23. 37. 62. 77. 80. IV. 5. 14. VI. 26. VII. 4. 66. 67. X. 29.
Christophorus *Hartknochius*. I. 30. 48. 82. III. 11. IV. 10. 6. 18. 22. V. 8. 15. VIII. 119. IX. 21. P. 38.
Helmoldus Bosoviensis Presbyter quando mortuus. I. 14. V. 21. VI. 6. VIII. 7. XI. 75.
Nicolaus *Henelius*. I. 30. 55. VII. 60. 88. X. 26. XI. 81. 87. P. 28.
Hieronymus *Henninges*. XI. 21.
Sebastianus *Henricpetrus*. P. 24.
Chrysostomus *Henriquezius*. XI. 65.
Godefridus *Henschenius*. VII. 2. VIII. 2.
Ioannes *Herburtus*. I. 34. 82. 88. III. 8. 11. IV. 36. V. 8. 9. 10. 11. VIII. 6. 15. 133. XI. 21. 128. P. 26.
Herodotus Halicarnassensis. I. 10. 13. VII. 44.
Homerus. I. 13.
Georgius *Hornius*. VIII. 17.
Rodolphus *Hospinianus*. VII. 11.

I.

Clemens *Ianitius*. III. 11. VII. 16.
Albertus *Ines*. I. 34.
Iohannes Chronici Polonici Latini MSti Autor. III. 19. X. 27. P. 15.
Iohannes VIII. (aliis IX.) Pontifex Romanus. VII. 6.
Caspar *Iongelinus*. VIII. 17. 108. 109. XI. 65.
Thomas *Iordanus*. VIII. 17.
Iornandes Ravennensis Episcopus. I. 8. 22. 23. quando vixerit. I. 52.
Franciscus *Irenicus*. I. 16.
Petrus *Iustinianus*. I. 13.
Iustinus Historicus. VII. 44.

K.

Vincentius *Kadlubko*. I. 41. III. 11. 15. 16. 17. V. 2. VI. 10. VII. 9. VIII. 4. 6. 7. 15. 133. X. 6. 9. 12. 15. 21. 25. 26. XI. 4. XII. 15. 16. 29. P. 15. 23.
Christophorus *Kaskius*. VII. 36.
Albertus *Kojalovicius*. IX. 46.
Albertus *Krantzius*. I. 7. non primus Autor Vandalorum Germanorum pro Vendis Slavis habitorum. 14. 27. 43. 54. 64. IV. 21. V. 21. 26. VI. 2. VII. 50. VIII. 17.
Augustinus *Kromayerus*. P. 15.
Ioannes Georgius *Kulpisius*. XI. 114.

L.

Philippus *Labbæus*. I. 57. VIII. 5. 6. 130. XI. 10. 24.
Lambertus Schafnaburgensis Monachus. I. 58. VIII. 128. 130. 131. defensus. 132. quando vixerit. P. 18.
Iohannes *Lampadius*. I. 33.
Paulus *Langius*. VI. 6. VIII. 7. IX. 12.
Godefridus Guilielmus *Leibnitius*. VIII. 21. P. 18.
Ioannes *Leunclavius*. I. 52.
Fridericus *Lindenbrogius*. I. 8. 52. VIII. 24. IX. 39.
Titus *Livius*. I. 13. 49.
Stanislaus *Lubienskius*. VII. 16. VIII. 15.
Fridericus *Lucæ*. I. 55. 83. VI. 2. VII. 9. 11. 30. 88. VIII. 16. 33. 64. 99. 108. 121. 136. IX. 31. XI. 97. XII. 32. P. 28.
Luitprandus Ticinensis Diaconus. V. 2.
Procopius *Lupacius*. I. 6. 35.

M.

Ioachimus Ioannes *Maderus*. I. 56. VIII. 21. XI. 18. 117. P. 18.
Ioannes *Magnus*. I. 15.
Claudius *Maltretus*. I. 8.
Christianus *Matthiae*. XI. 21.
Henricus *Meibomius*. VII. 20. 70. XI. 24. 121.
Pomponius *Mela*. I. 10.
Ioannes *Meursius*. XI. 79.
Matthias *Michovius*. I. 10. 59. 82. 87. III. 8. 10. 11. 36. V. 3. 11. 23. VII. 9. 10. 11. 13. 23. 35. 81. V. 3. VIII. 6. 15. 91. 108. 120. 124. 133. IX. 5. 33. 36. X. 9. 12. 13. 17. 22. 25. 26. 40. XI. 11. 21. 30. 40. 41. 42. 44. 46. 63. 65. 70. 71. 73. 75. 82. 87. 105. 110. 127. 139. 140. P. 23.
Iohannes *Micrælius*. I. 16. 34. VIII. 17.
Iosephus *Moletius*. I. 50.
Iohannes *Mollerus*. VII. 9. 11. VIII. 16. XI. 21. 147. XII. 4. P. 28.
Huldericus *Mutius*. V. 3. VIII. 58. 66. 68. 69. X. 6. 24. 60. XI. 129.
Arnoldus *Mylius*. P. 24.

N.

Ephraimus Ignatius *Naso*. XI. 77.
Ioannes *Nauclerus*. I. 54. VIII. 58. 66. 68. 69. 70. X. 6.
Cornelius *Nepos*. I. 13.
Christophorus *Neubarthius*. VII. 40.
Iohannes *Neubarthius*. VII. 40.
Salomon *Neugebauerus*. I. 34. 87. II. 11. III. 8. 11. IV. 36. 40. V. 8. 9. 11. VIII. 6. 15. 133. XI. 21. 128. P. 26.
Theodoricus *Niemus*. I. 59.
Leovoldus *Northofius*. I. 14.
Nuba Arabs quando vixerit. I. 58.

O.

Simon *Okolskius*. XI. 15. 76.

Philippus Andreas *Oldenburgenſis*. I. 51.
Petrus *Opmeerus*. I. 33.
Ioannes *Oporinus*. P. 24.
Otto Friſingenſis Epiſcopus. I. 58. VIII. 37. 58. 65. 67. 68. 70. 72. X. 60. XI. 44. quando mortuus. P. 19.

P.

Daniel *Papebrochius*. VII. 2. VIII. 2.
Ioachimus *Paſtorius*. I. 34. 82. 88. III. 11. IV. 36. V. 11. VIII. 17. IX. 6.
Caſpar *Peucerus*. VII. 39.
Chriſtophorus *Pezelius*. I. 33.
Bilibaldus *Pirckheimerus*. I. 16.
Ioannes *Piſtorius*. VIII. 17. XI. 20. P. 24. 25.
Petrus *Pithœus*. I. 8. IV. 21. V. 13. P. 16.
Plinius Hiſtoriographus. I. 10. 13. 16. 49. VII. 44. P. 6.
Nicolaus *Polius*. VII. 9. 11. 26. 59. 81. VIII. 121. IX. 12. 16. 34. X. 26. 40. XI. 11. 82. 89. 97. III. 113. P. 15. 28.
Martinus *Polonus*. VIII. 4.
Iacobus *Pontanus*. I. 8.
Ioannes Iſacius *Pontanus*. XI. 20. 21. 79. 80. 95.
Procopius Cæſareenſis. I. 8. quando vixerit. I. 23.
Claudius *Ptolemæus*. I. 10. 17. 50. 75: VII. 58.

R.

Radevicus Friſingenſis Canonicus. I. 58. XI. 20. 51. 70. 100. 109. 111. 114. 116. 121. 124. 125. 126. 129. 130. 131. 132. 135. 137. 144. 145. quando vixerit. P. 19.
Martinus *Rango*. I. 30.
Regino Prumienſis Abbas. IV. 21. V. 24. quando vixerit. P. 17.
Reinerus *Reineccius*. I. 10. 56. VIII. 20. 21. P. 18.
Elias *Reuſnerus*. I. 33. XI. 21. 147.
Petrus *Rewa*. VII. 36.
Beatus *Rhenanus*. I. 16. 30.
Gothofredus *Rhonius*. XI. 21.
Ioannes Baptiſta *Ricciolus*. I. 34. IV. 22. XI. 79.
Franciſcus *Robortellus*. P. 9.
Rogerius Neapolitanorum Rex. IX. 39.

S.

Marcus Antonius Coccius *Sabellicus*. I. 54. IV. 31.
Michael *Sachſius*. XI. 21.
Landulphus *Sagax*. I. 8.
Stanislaus *Sarnicius*. I. 34. 59. III. 11. IV. 36. 37. 40. V. 8. 11. VII. 2. 6. VIII. 17. 131.
Chriſtianus *Scala*. VII. 2. 3.
Hartmannus *Schedelius*. III. 11.
Iacobus *Schickfuſius*. I. 34. 44. 55. 83. VI. 2. VII. 9. 11. 18. 22. 23. 26. 30. 60. 81. 88. VIII. 16. 33. 64. 99. 108. 119. 121. IX. 12. 31. X. 47. XI. 11. 21. 32. 68. 78. 81. 82. 84. 87. 97. 111. 113. 124. 125. 127. 129. 130. XII. 4. 32. P. 28.
Iohannes *Schiphowerus*. I. 14.
Iohannes *Schrammius*. XI. 21. 147. P. 28.
Iohannes *Schultzius*. I. 34. IV. 6. 10. 32. VIII. 13. P. 38.
Caſpar *Schutzius*. VIII. 17.
Marianus *Scotus*. I. 22. IV. 21. VII. 7. VIII. 36. 96. 103.
Servius Grammaticus. I. 13.
Sigebertus Gemblacenſis. I. 22. IV. 21. quando mortuus. P. 19.
Carolus *Sigonius*. XI. 145.
Theophilactus *Simocatta*. I. 8.
Gabriel *Sionita*. I. 58.
Solinus. I. 13.
Cyriacus *Spangenbergius*. I. 16. 30. 33 VI. 4. VIII. 117. X. 6. 31. XI. 21. 108. 110. 111. 117. 121. 124. 125. 127. 129. 130.
Philippus Iacobus *Spenerus*. XI. 21.
Iacobus *Spiegelius*. XI. 21.
Simon *Starovolſcius*. I. 82.
Stephanus Byzantius. I. 49.
Walafridus *Strabo*. V. 13.
Andreas *Stredonius*. I. 27. 43.
Matthias *Strikouskius*. P. 25.
Iohannes *Stumpfius*. VII. 56.
Ioannes *Suaningus*. XI. 79.
Suidas. I. 17.
Henricus *Surius*. VII. 36.
Æneas *Sylvius*. I. 7. 18. 54. V. 25.

VII. 6. 90. VIII. 7. 103. 104. 105. 166. IX. 12. XI. 114. 121. 132. P. 27.

T.

Cornelius *Tacitus*. I. 13. 16.
Taſſilo Bavarorum Dux. VIII. 24.
Gothofredus *Thilo*. P. 15.
Iacobus Auguſtus *Thuanus*. I. 54.
Thomas *Treterus*. VII. 14.
Ioannes Trithemius. IV. 21.

U.

Bernhardus *Vapovius*. I. 34. VIII. 6.
Marcus *Velſerus*. I. 16.
Alphonſus *Vignolius*. P. 18.
Virgilius Maro. I. 49.
Caſpar *Urſinus* Velius. V. 6.
Bonaventura Vulcanius. I. 52.

W.

Daniel *Weleslavinus*. IV. 24. VII. 46.
Wippo Presbyter I. 57. VIII. 58. 65. 67. 68. 69. 70. 72. 73. 101. quando vixerit. P. 18.
Witichindus Corbejenſis Monachus. VI. 7. 23. 25. 26. quando mortuus. P. 17.

Z.

Thomas Ioannes Peſſina *Zecborovius*. I. 16. V. 28. VII. 81. VIII. 17.
Daniel *Zepko*. XI. 21.

INDEX QUARTUS RERUM.

A.

Accipitrum Familia nobilis Polonica. VIII. 126.
Acervorum Familia nobilis Polonica. X. 44.
Adalbertus Bohemus, Epiſcopus Pragenſis, à Polonis ad Boruſſos digreſſus, Martyr. VIII. 2. Imp. Ottonis III. Amicus familiaris. VIII. 3. an Gneſnenſium fuerit Archiepiſcopus. VIII. 6. 7.

Adalbertus Germanus, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, ab Imp. Ottone III. Ephorus Sileſiorum & Polonorum Epiſcopis præfectus. VII. 20. VIII. 2.

Adelheida Polonis Chriſtina dicta, Imp. Henrici non V. ſed IV. Filia, Vladislai II. Sileſiorum Polonorumque Ducis Uxor. XI. 27. 28. Germanis amica, Polonis infenſa. XI. 29. à Polonorum Moribus abhorret. XI. 30. monet Mariti Fratres, ut Regimen Monarchicum Polonis utilius Ariſtocratico præferant. XI. 38. Exſul è Polonia in Germaniam abit. XI. 46. ad Imp. Conradum III. Cognatum ſuum. XI. 58. cur Petrum Danum tandem oderit. XI. 90. efficit, ut Linguâ & Oculis, in Ultionem infamis Ioci, privetur. XI. 92. 93.

Ægidius Cardinalis, Epiſcopus Tuſculanus, ad Sileſios & Polonos, recentes Chriſtianos, ob Ius ſupremum Eccleſiaſticum in eos Pontifici Romano ſtabiliendum miſſus. VII. 14.

Agnes, Uxor Leopoldi, Auſtriaci Marchionis, Cæſarum, Henrici IV. Filia, Henrici V. Soror. XI. 20.

Albertus, Comes Tirolinenſis, Mediolanenſem Equitem Gigantem vincit. XI. 145.

Albertus, Marchio Brandenburgicus, Boleslao IV. Sileſiorum Polonorumque Duci Pacem cum Imp. Friderico I. conciliat. XI. 133.

Alexander Magnus Polonis habitus, Dux Germanus Hoſtis Poloniam & Sileſiam ingreditur. III. 16. 17.

Andreovienſis in Polonia Monaſterii Conditor Iohannes II. Gryphus, prius Epiſcopus Vratislavienſis, poſtea Gneſnenſis Archiepiſcopus. XI. 65.

Aquila candida cur Polonorum Inſigne. I. 82. num talis Aquila Sileſiorum etiam Inſigne. I. 83.

Aquila Sileſiorum Inſigne quando adhiberi cœperit. I. 85.

Aquilæ Nidus in Majore Polonia inventus Nomen ibidem Urbi Gneſnenſi dedit. I. 82.

Arena, Inſula Vratislavienſis. XI. 85.

Armiger, Scuti Gladiique Portator. VIII. 44.

B.

Bambergæ, Francorum Urbe, Lotharius II. Imperator Comitia celebrat. X. 56. ad ea Boleslaus III. Polonorum, & Sobieslaus Bohemorum Duces, ob Bellum inter eos componendum, vocati veniunt. X. 58. 60. 62.

Bardum, Sileſiæ Caſtrum, Bretislaus Bohemorum Dux Flammis delet. IX. 34.

Beccerum, Sileſiorum in Vratislavienſi Ducatu Arx. IX. 16.

Bethania, Beuthena, Bythonia, Sileſiorum in Glogovienſi Ducatu Oppidum. X. 9. id Flammis devaſtat Boleslaus IV. Sileſiorum Polonorumque

que Dux Imp. Fridericum I. Hoſtem in Sileſia fugiens. XI. 111.

Bibliothecam in Sileſia primus ſibi comparat Lucilius, Epiſcopus Smogrenſis. VIII. 64.

Bicinenſes Sileſiorum Epiſcopi: Leonhardus Italus. VIII. 82. 102. 110. Timotheus Italus. VIII. 110. 118. Hieronymus Italus. VIII. 118. 120. etiam dicuntur Vratislavienſes Epiſcopi. VIII. 114. quoniam poſtea Bicinenſis Epiſcopatus factus eſt Vratislavienſis. VIII. 120.

Biſetislaus: vide, Bretislaus.

Boberus Sileſiæ Fluvius. X. 48.

Bohemiam occupat Boleslaus I. Sileſiorum Polonorumque Dux. VIII. 3.

Bohemorum Duces: Boleslaus I. Filiam Dambronicam Mieslao I. Sileſiorum Polonorumque Duci dat Uxorem. VII. 9. Boleslaus III. Regionem Sileſiorum Glacenſem occupat. VIII. 31. Udalricus capit Mieslaum II. Boleslai I. Sileſiorum Polonorumque Ducis Filium. VIII. 47. Imp. Conradi II. Adverſarius. VIII. 67. ſubdolus Mieslai II. Polonorum Ducis Amicus. VIII. 68. Bretislaus ab Imp. Henrico III. ob Sileſiam & Poloniam devaſtatam debellatur. VIII. 103. Vladislaus à Sileſiorum Duce Boleslao III. debellatur. X. 41. cum eo Pacem init. X. 42. Sobieslaus cum Boleslao III. Sileſiorum & Polonorum Duce triennales Inducias init. X. 63. Pacem init. X. 64. Suatoplucus cum Imp. Henrico V. Sileſios debellat. X. 8.

Bolani Itali. I. 49. Poloni. I. 57.

Boleslaus I. Bohemorum Dux Filiam Dambroucam Virginem Chriſtianam dat Uxorem Mieslao I. Sileſiorum Polonorumque Duci baptizando Chriſtiano. VII. 9.

Boleslaus III. Bohemorum Dux Regionem Sileſiorum Glacenſem occupat. VIII. 31. Auxilium Boleslai I, Sileſiorum Polonorumque Ducis, contra Cæſarem Henricum II. impetrat. VIII. 38.

Boleslaus I. Sileſiorum Polonorumque Dux Imp. Ottoni III. ſubjectus. VIII. 1. 13. an ab eodem Imperatore ſit creatus Polonorum Rex, à Tributo & Obſequio Germanis præſtito liber. VIII. 15. 16. 17. violatâ Fide promiſſâ, Regiam & Poteſtatem, & Dignitatem amittit. VIII. 21. 25. Imp. Henrico II. promittit, ſed non ſervat Pacem. VIII. 28. Luſatiam oppugnat, Miſniam occupat. VIII. 29. Boleslai III. Bohemorum Ducis Injuriam, ob Regionem Glacenſem Sileſiis ereptam, ulturus, Bohemiam invadit. VIII. 31. experitur in Sileſia & Polonia Vindicem Henricum II. Cæſarem, à quô Pacem expetitam obtinet. VIII. 34. Boleslaum III. Bohemorum Ducem Auxiliis adverſus eundem Cæſarem inſtruit, cujus Luſatiam & Miſniam invadit. VIII. 38. Pacem ab Imp. Henrico II. fruſtra expetit. VIII. 42. tandem

dem ipſe Martisburgum ad eum profectus obtinet. VIII. 44. Fit Imperatoris ejusdem Miles, id eſt, Eques Armiger. VIII. 44. Promiſſam eidem Imperatori non ſervat Fidem. VIII. 46. iterum violat. VIII. 48. eundem in Sileſia & Polonia experitur Hoſtem. VIII. 49. victus fugit. VIII. 50. Pace falſa circumvenire conatur. VIII. 51. iterum ab eo expeditam Pacem deſperans, deprædatur Bohemiam, eidem Imperatori ſubditam. VIII. 52. eundem in Sileſia iterum ſentit Hoſtem. VIII. 53. ab eo Pacem obtinet apud Budiſſinenſes. VIII. 54. cum eo nunquam colit ſtabilem Amicitiam. VIII. 56. Sileſiam amittit. VIII. 55. recuperat. VIII. 56. poſt Imp. Henricum II. mortuum, affectat Polonorum Regis & Titulum, & Imperium, in Conradi II. Cæſaris Injuriam. VIII. 58. Tributarius & ſubjectus Imperatoribus Germanicis Ottoni III. & Henrico Secundo. VIII. 58. moritur. VIII. 59. Uxorem habuit Iuditham Ducis Hungarorum Geyſæ Filiam, Stephani Sororem. VIII. 59.

Boleslaus II. Sileſiorum Polonorumque Dux, Cognomento *Audax*, aliis *Efferus*. VIII. 123. Iaromirum, Vratislai Bohemorum Ducis Fratrem recipiendo, Bellum Sileſiis attrahit. VIII. 124. Epiſcoporum Vratislavienſium intereſt electioni. VIII. 126. 129. ab Imp. Henrico IV. Miſenam vocatus, ad Pacem cum Vratislao Bohemorum Duce colendam adigitur. VIII. 128. Polonorum Dux, non Rex. VIII. 130. Imp. Henrico IV. Obſequium denegaturus, affectat Regis & Nomen, & Ius. VIII. 130. Audax Stanislaum, Epiſcopum Cracovienſem in Templo ad Aram occidit. VIII. 133. ideo inviſus omnibus, ultro Exſul, moritur. VIII. 137.

Boleslaus III. Sileſiorum Polonorumque Dux, Cognomine Polonico *Crivouſtus*, Latino aut *Diſtortus*, aut *Curvus*, duodecennis, ſit Capitaneus Vratislavienſis cum Voislao Ephoro ſuo IX. 33. diviſis à Patre Provinciis, Sileſiam accipit. IX. 35. Bohemos à Sileſiorum Finibus depulſurus, ducit Exercitum. IX. 37. cum Fratre Sbigneo adverſus Secechum, Cracovienſem Palatinum, in mutuam Opem Fœdus init. IX. 38. Sileſiorum, maximè Vratislavienſium, Auxilium expetit. IX. 41. impetrat. IX. 42. Patre mortuo, nactus Imperium, Pomeranos debellaturus, ſe Bohemos debellaturum ſimulat. X. 3. Copias ad Glogoviam in Sileſia congregat. X. 3. in Oppolienſi Ducatu combuſtum Caſtrum Coslam reparat. X. 4. Hungaros adjuvans, Bohemos oppugnans, offendit Henricum IV. Cæſarem. X. 5. offendit eundem ob Tributum denegatum. X. 6. ab eodem Cæſare, Glogoviam obſidente, Pacem expetit. X. 18. Conditiones Pacis præſcriptas repudiat. X. 19. cum eodem Cæſare acerrimum in Sileſia Prælium prope Vratislaviam in Campo Hundesfeldiano committit. X. 21. 22. victus. X. 24. Victor. X. 25. quibus Legibus cum eodem Cæſare Pacem inierit. X. 31. 32. 33. 34. Pacem petiturus, ad eum Bambergam in Franconiam venit. X. 33. cum eo Pactum renovat initum inter Imp. Ottonem III. & Boleslaum I. Polonorum Ducem. X. 34. 35. in Sileſia Glogoviam concuſſam reparat. X. 39. Vladislaum Bohemorum Ducem debellat. X. 41. cum eo Pacem intra Sileſiam init. X. 42. Autor Collegii Canonicorum Glogovienſium. X. 47. Hungaros debellat. X. 52. 53. Reſponſo acuto Sobieslaum Bohemorum Ducem irritat. X. 54. ab Imp. Lothario I. citatus ad Bambergenſia Comitia in Franconiam venit, ob componendum cum Sobieslao Diſſidium. X. 56. 58. eidem Imperatori & Tributum, & Homagium præſtare jubetur. X. 59. fit ejusdem Imperatoris Miles [Eques] Armiger. X. 61. ſedet in Comitiis Bambergenſibus inter Imperii Romani Duces. X. 62. cum Sobieslao Inducias triennales init. X. 63. Pacem intra Sileſiam init. X. 64. Provincias ſuas inter quatuor Filios dividit. XI. 2. quam habuerit Uxorem. XI. 19. an Gertrudem. XI. 20.

Boleslaus IV. Cognomento *Criſpus*, Boleslai III, Sileſiorum Polonorumque Ducis Filius: Polonorum Maſovienſium, Dobrinenſium, Cujavienſium, & Boruſſorum Culmenſium Dux. XI. 3. cum Fratribus Henrico & Mieslao intra Poſnaniam obſeſſus, adverſus Fratrem Vladislaum II. Germanorum Sileſiorum, Polonorum Cracovienſium, Siradienſium, Lancicienſium Ducem, ſe defendit. XI. 39. 40. Vladislaum in Fugam pellit. XI. 41. amiſſis Provinciis recuperatis perſequitur. XI. 44. Deditione Cracoviam occupat. XI. 46. cur Vladislai Uxorem & Filios obſeſſos humaniter habitos, in Exſilium abire conceſſerit. XI. 47. 48. 49. 50. Vladislai arreptis Provinciis Succeſſor, Sileſiorum Dux. XI. 53. Cancellarium habet in Sileſia Waltherum Zadoram Polonum, poſtea Epiſcopum Vratislavienſem. XI. 66. ab Imp. Conrado II. admonetur, ut Fratri Exſuli Patrimonium reſtituat. XI. 69. non reſtituit. XI. 70. Ideo in Sileſia Conradum ſentit Hoſtem. XI. 71. Promiſſis vanis placat. XI. 71. Arces Sileſiæ duas cum Oppidis Nemicium & Grediſium Vladislao II. Fratri eripit. XI. 75. Petro Dano fit ex Amico inimicus. XI. 90. 91. Linguam & Oculos eripit. XI. 92. 93. ab Imp. Friderico I. ob Homagium non præſtitum, Tributum non ſolutum, Fratri Vladislao Patrimonium non reſtitutum, in Comitiis Herbipolenſibus declaratur Rebellis. XI. 99. imperata facere jubetur. XI. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. immoriger ab Imp. Friderico debellatur intra Sileſiam. XI. 109. Fu-

gâ ſibi conſulturus, Sileſiam in Nocumentum tam ſuum, quam Hoſtium devaſtat. XI.111. ſecundum Polonos, Pacem Arte quæſitam cum Imperatore init. XI.115. ſecundum Germanos, ab eo in Anguſtias redactus, Pacem expetit. XI.116.117.118. ad eam obtinendam in Imperatoris Caſtra venit. XI.119. eam ſupplex difficulter obtinet. XI. 120. 121. quibus eam Legibus obtinuerit, XI. 123. jurat, non in Imperii Romani Contumeliam, â ſe Fratrem Vladislaum Patrimonio privatum. XI.124. ab Imperatore jubetur, Vladislao reſtituere Patrimonium. XI. 127. ob Tributum & Obſequium recuſatum, luit pecuniariam Pœnam. XI.129. obligatur ad mittendos trecentos Equites haſtatos, in Auxilium contra Mediolanenſes. XI.130. ad Fidem Subjectionemque Romano Imperio præſtandam, Iuramento ſe obſtringit. XI.132. fallax Promiſſa non ſervat. XI.135.136. Vladislao Fratri Patrimonium reſtituere jubetur. XII.2. circa Reſtitutionem quid cum Fratribus reſpexerit, & reſpicere potuerit. XII.5.13. Vladislai Fratris mortui Filiis ſolam reddit Sileſiam, eamque non totam. XII.14. & in Donum, XII.15. accipientibus, non ut Donum, ſed ut Debitum, in Patrimonii reſtituendi Partem. XII.16. cœlibe mortuo Henrico Fratre, nihil relicti Patrimonii concedit Patruelibus, Sileſiorum Ducibus. XII.26. ab iis ob hanc & alias Injurias Bello petitur. XII.27. Ob Bellum Boruſſicum infeliciter geſtum Polonis exoſus. XII.28. Patrueles Armis non ſuperabiles, Rationibus in Pacem flectere conatur. XII. 34.35.37. placat reſiduis in Sileſia collatis Urbibus. XII.39. cur iis contenti fuerint? XII.40.

Boleslaus Cognomine *Procerus*, aliis *Longus*, aliis *Altus*, Vladislai II. Sileſiorum in Germania, Cracovienſium, Siradienſium, Lancicienſium in Polonia Ducis, Filius, Sileſiorum Dux, quam habuerit Matrem. XI.26. 27. ê Patria Polonia Exſul in Germaniam abit. XI.46. ad Imp. Conradum III. Cognatum ſuum. XI. 58. diu in Germania vivit. XI.142. in Italia contra Mediolanenſes Imp. Friderico I. militat. XI.143. vincit & occidit Mediolanenſem Gigantem Equitem. XI. 146. cum Fratribus Mieslao & Conrado, â Boleslao IV. Patruele, Maſovienſium, Dobrinenſium, Cujavienſium intra Poloniam, Culmenſium intra Boruſſiam Duce, retentis Cracovienſi, Siradienſi, Lancicienſi Provinciis, tandem Sileſiam, eamque non univerſam accipit. XII.14.15. non ut Donum, ſed ut Debitum, in Patrimonii reſtituendi Partem. XII.16. an cum Obligatione Subjectionis erga Patruos. XII. 20.21.22. cur â Polonis ſe non ſtatim ſeparaverit. XII.24. Patruis Boruſſos debellantibus Auxilium præſtat. XII.25. mortuo Patruo Henrico cœlibe, nihil Hæreditatis â Patruelibus impetrat. XII.26. hanc & alias Injurias ulturus, infert Patruis Bellum. XII.27. retentas intra Sileſiam Urbes Armis obtinet. XII.29. Pacis Lege conceſſas retinet. XII.39. cur Sileſia ſola fuerit contentus. XII.40. diviſæ inter Fratres Sileſiæ ſit mediæ Dux Vratislavienſis, Lignicenſis, Bregenſis, Suidnicenſis, Javorenſis, Olſnenſis, XII. 43. Monaſterium Leubuſinum ab Ordine Benedictino transfert in Ordinem Ciſtercienſem. VIII. 109.

Boruſſos Poloni Auxiliis Sileſiorum debellant. XII.25.

Boſſuta Gneſnenſium Archiepiſcopus. VIII.83.

Bratislaus: vide, Bretislaus.

Bratislavia Vratislavia. VII.83.84. 85.91.

Brecislaus: vide, Bretislaus.

Bregam Sileſiorum Urbem diripit Bretislaus Bohemorum Dux. IX.20.

Bregenſium in Ducatu Caſtrum Grodiſium. XI.59.

Brenizæ Poloniæ Minoris Oppidum in Sandomirienſi Provincia. XI. 56.

Bresla, Sileſiæ Caput, prius Vocabulo Germanico Worzelavia dicta, poſtea Nomen â primo Reparatore, non Conditore, Bohemorum Duce Bretislao Slavicum conſecuta Bretislavia, Bretslavia, Breslavia, Bresla. VII.83.87.91.

Bretislaus, Udalrici Filius, Bohemorum Dux, Imperatori Conrado II. ſubjectus, Sileſiam oppugnat, Vratislaviam [tum Worzelaviam dictam] occupat & incendit. VII. 80. Poloniam invadit, Poſnaniam & Gneſnam devaſtat. VIII.91. Vratislaviam reficit, Sileſiam occupatam retinet. VIII.91.93. ideo ab Imp. Henrico III. in Bohemia debellatur. VIII. 103. eidem Imperatori ſupplex & ſubjectus fit. VIII.103. Caſimiro Polonorum Duci ablata, ſed intra Poloniam, non intra Sileſiam, reddit. VIII. 103. Vratislaviam reſtituit. VIII. 119. Bardum Sileſiæ Caſtrum Flammis delet. IX, 34.

Bretislaus, Vratislai Filius, Bohemorum Dux, Sileſiam devaſtat. IX.16. iterum devaſtat. IX. 20. Sbigneo, Vladislai I. Sileſiorum Ducis Fratri, Autor eſt ad invadendam Sileſiam. IX.25. ibi Caſtrum Bardum incendit, Camenciam condit. IX.20. munit. IX. 34. Boleslao III. Vladislai I. Sileſiorum Polonorumque Ducis Filio donat. IX. 45.47.

Budiſſinam Luſatorum Urbem oppugnat Boleslaus I. Sileſiorum Polonorumque Dux. VIII.38. ibi obtinet ab Imp. Henrico II. Pacem. VIII.54.

Bulani. Sarmatæ. I.48. an Poloni. I.49.50.

Bythonia, Bethania, Sileſiorum in Ducatu Glogovienſi Oppidum. X.9.

Byzetislaus: vide, Bretislaus.

C.

Calissiensis Polonorum Provinciæ Præfectus, Petrus Danus. XI. 89.

Camencium, Sileſiorum in Ducatu Monſterbergico Arcem, ad Niſſam Fluvium, Bretislaus, Vratislai Filius, Bohemorum Dux condit. IX. 20. munit. IX. 34. Boleslao III. Vladislai I. Sileſiorum Polonorumque Ducis Filio donat. IX. 45. 47.

Caminiecium Podoliæ Caſtrum ad Smotricam Flumen, à Sileſiæ Caſtro diverſum, quando conditum. IX. 46.

Candelæ cereæ comparandæ Gratiâ, præcipit Polonis Nummum S. Petri ſolvendum Romanus Pontifex. VIII. 99.

Caninus Sileſiæ *Campus* ad Vratislaviam unde dictus. X. 26. 27.

Canonici Cracovienſes, Magnus Zaremba. XI. 15. Iohannes Gryphus. XI. 56. Waltherus Zadora. XI. 66.

Canonici Gneſnenſes, Magnus Zaremba. XI. 15. Iohannes Gryphus. XI. 56.

Canonici Vratislavienſes, Magnus Zaremba. XI. 15. Iohannes Gryphus. XI. 56. Waltherus Zadora. XI. 66.

Canonicorum Glogovienſium, Vratislavienſibus connexorum, Origo. X. 47.

Capillorum Tonſuram Polonis præſcribit Romanus Pontifex. VIII. 99.

Capillos Pueris ademtos, tanquam Primitias, Deo conſecrandi, Mos Paganus. VI. 11.

Capitanei Sileſiorum Vratislavienſes, Magnus Comes. IX. 2. Voislaus. IX. 32. Petrus Danus XI. 89.

Carolus Magnus Imperator, à Polonis irritatus, Sileſios debellat. IV. 2. 26. 27. per Filium Carolum Prælio intra Sileſiam ad Viadrum vinc't. IV. 29. Romano Germanorum Imperio tributarios ſubjicit. IV. 30. cum Leſco III. Sileſiorum & Polonorum Duce Pacem init. IV. 31.

Carolus Calvus Imperator Sileſios Romano Germanorum Imperio ſubjicit. V. 22.

Carolus V. Imperator, Autor Inſignium Urbi Vratislavienſi renovatorum. VII. 43.

Caſimirus, Mieslai II. Sileſiorum Polonorumque Ducis Filius, cum Matre RIXA Poloniam Exſul deſerit. VIII. 86. 87. 88. in Gallia Monachus Benedictinus, ab Exſilio revocatus, fit Polonorum Dux. VIII. 97. Imp. Conrado II. ſubjectus. VIII. 101. 102. exiguam Sileſiæ Partem poſſidet. VIII. 102. in eâ Monaſterium Leubuſinum condit. VIII. 108. S. Petri Denarium Polonis, non Sileſiis, imperat. VIII. 113. 114. Imp. Henrico III. ſubjectus. VIII. 117. Sileſiorum Dux. VIII. 119. in Clericos & doctos propenſus. VIII. 120. Sileſiorum Epiſcopatum Bicinenſem in Vratislavienſem convertit, opulentioremque reddit. VIII. 120.

Caſimirus, Boleslai III. Sileſiorum Po-

lonorumque Ducis Filius, diviſis ad Poloniam ſpectantibus Provinciis, à Patre nihil in Hæreditatem accipit. XI. 3. poſt Fratris Cœlibis Henrici Mortem, duas in Polonia Provincias, Sendomirienſem & Lublinenſem, accipit. XII. 26.

Chriſtianæ Veritas per Monachos Græcos, Græcis, non Romanis Sacris addictos, innoteſcit Moravis. VII. 2. 3. 5. 6. deinde Bohemis, denique Sileſiis & Polonis. VII. 7. 8.

Chriſtina, Imp. Henrici, non V. ſed IV. Filia, Vladislai II. Sileſiorum Polonorumque Ducis Uxor, Vocabulo genuino Adelheida dicta, quid egerit. XI. 21. Polonis inviſa, ideo Criſtina, non Chriſtina vocata. XI. 29.

Clemens Italus, Sileſiorum Epiſcopus Smogrenſis, ſimul à Clero & Populo electus. VIII. 32. Sermonis Germanici peritus. VIII. 33. moritur. VIII. 62.

Cloſcum Slavis Klecko, Klocko, Sileſiis Glacium. VIII. 30.

Colbergenſis Pomeranorum Epiſcopus Gneſnenſi Polonorum Archiepiſcopo ſubjectus. VIII. 10.

Comam Pueris ad emtam Deo conſecrandi Mos ethnicus. VI. 11.

Conradus II. Imperator, Mieslaum II. Sileſiorum Polonorumque Ducem, Obſequia recuſantem in Polonia debellat, vincit, Imperio privat. VIII. 65. Poloniam, cujus Ducem creaverat, in Ottonem, Mieslai II. Fratrem transfert. VIII. 67. Sileſiam Præfecto Germanico ſubjectam ſibi retinet. VIII. 78. Polonos iterum debellaturus impeditur. VIII. 89. Bretislaum Bohemorum Ducem Imperio ſuo habet ſubditum. VIII. 91. eundem è Polonia revocat, Bohemiam invadens. VIII. 93. Caſimirum I. Polonorum Ducem Imperio ſuo habet ſubjectum. VIII. 101.

Conradus III. Imperator, Vladislaum II. Sileſiorum, Cracovienſium, Siradienſium, Lancicienſium Ducem, Imperio ſuo habet ſubjectum. XI. 1. 54. Exſulem humaniter in Germania recipit. XI. 58. duobus in Sileſia Caſtris, Nimecio & Gredisio donat. XI. 59. in Provincias patrias per Legatos reſtituere conatur, ſed fruſtra. XI. 61. per Sileſiam in Poloniam cum Exercitu venit, progreſſurus in Aſiam. XI. 62. Vladislai Exſulis Reſtitutionem urget. XI. 62. eam promittentes Fratres, Boleslaum, Mieslaum, Henricum, Polonorum Duces, diſcedens ad Poloniæ Fines habet Comites. XI. 63. ex Aſia reverſus, eosdem Duces admonet Reſtitutionis per Nuncios. XI. 69. Repulſam fert. XI. 70. iratus Vladislaum Exſulem Armis reſtituturus, ingreditur Sileſiam. XI. 71. iterum vanis Promiſſis deceptus, Vladislao interim largitur quasdam Poſſeſſiones. XI. 72. in Sileſia duas eum Oppidis Arces, Nemicium & Gredisium, recuperaturo mittit Auxilium. XI. 73.

Conradus Cognomento aut *Loripes*,

pes, aut *Lasconogus*, Vladislai II. Silesiorum Polonorumque Ducis Filius, è Polonia in Germaniam discedit Exsul. XI. 46. ad Imperatorem Conradum III. Cognatum suum. XI. 58. diu in Germania vivit. XI. 142. à Boleslao IV. Crispo, Patruele, Masoviensium, Dobrinensium, Cujaviensium, Culmensium Duce, retentis Cracoviensi, Siradiensi Provinciis, tandem cum Fratribus Boleslao & Conrado Silesiam eamque non universam accipit. XII. 14. 15. non ut Donum, sed ut Debitum, in Patrimonii restituendi Partem. XII. 16. an cum Obligatione Subjectionis erga Patruos. XII. 20. 21. 22. cur à Polonis se non statim separaverit. XII. 24. Patruis Borussos debellantibus Auxilium praestat. XII. 25. mortuo Patruo Henrico coelibe, nihil Hæreditatis à Patruelibus impetrat. XII. 26. iis, ob hanc & alias Injurias, Bellum infert. XII. 27. retentas intra Silesiam Urbes Armis obtinet. XII. 29. Pacis Lege concessas retinet. XII. 39. cur Silesia sola in Patrimonium fuerit contentus. XII. 17. Silesiæ inter Fratres divisæ sit inferioris Dux Glogovienſis, Saganensis, Crosnensis. XIII. 43.

Conradus Marchio Misnensis Pacem inter Imp. Fridericum I. & Boleslaum IV. Silesiorum Polonorumque Ducem, provehit. XI. 133.

Constantinus Philosophus, verô Nomine Cyrillus Thessalonicensis, Monachus Græcus, Moravorum ad Christum conversorum Doctor VIII. 2.

Coscenum Oppidum in Silesia exstruere conatur Sobieslaus Bohemorum Dux. XI. 11.

Cosla Oppidum in Silesiæ Ducatu Oppolienſi. X. 4. combustum reparatur. X. 4.

Cracovia Poloniæ Minoris Urbs, à Polonorum & Silesiorum Duce Craco exstructa. III. 11. recipit Vladislaum II. Silesiorum Polonorumque Ducem à Fratribus profligatum. XI. 42. obsessa Deditionem facit Boleslao, Mieslao, Henrico, Fratribus Polonorum Ducibus. XI. 46.

Cracovienses Canonici, Magnus Zaremba. XI. 5. Iohannes Gryphus. XI. 56. Waltherus Zadora. XI. 66.

Cracovienſium Provincia veteris, ut Silesiæ, sic Germaniæ Pars. XI. 10. Episcopus Radostus moritur. XI. 13.

Cracus Silesiorum Polonorumque Dux. III. 1. an Origine Romanus è Gracchorum Familia. III. 2. 3. Slavus utrum Bohemus an Polonus. III. 4. 5. 6. 7. Polonus, incertum, Slavus an Germanus. III. 8. an Silesius. III. 9. quando mortuus. III. 11.

Crosna Silesiorum ad Oderam Urbs. VIII. 34. ad eam Henricus II. Imperator, Silesiorum Hostis, commoratur. VIII. 49.

Crusuicienſis Polonorum Provinciæ Præfectus, Petrus Danus. XI. 89.

Cyrillus Thessalonicensis, mutato Nomine Constantinus Philosophus,

phus, Monachus Græcus, Moravorum ad Christum conversorum Doctor. VII. 2. D.

Dalamantia, Dalemincia Misniæ Pars. VIII. 41.

Dambronica, Polonis *Dambrouka*, Boleslai I. Bohemorum Ducis Filia Christiana, sit Uxor Mieslai I. Silesiorum Polonorumque Ducis, Christiani baptizandi. VII. 9.

Denarium S. Petri solvendum cur Polonis præceperit Romanus Pontifex. VIII. 99.

Die VII. Martii baptizantur primi Christiani Silesii. VII. 10.

Dies Domini, quæ Christianis occidentalibus Lætare dicitur, cur etiam Mortis vocetur. VII. 11.

Dobessus Germanus Eques, cum Adelheida, Polonis Christina dicta, Boleslai IV. Silesiorum Polonorumque Ducis Uxore familiariter vivit. XI. 90. Petrum Danum capit. XI. 92.

Ducatus recentioribus Scriptoribus etiam Regnum: Dux etiam Rex dicitur. VIII. 24.

Duninus, Durinus, Duvinus, Petrus Danus. XI. 76.

E.

Elysii Silesii. I. 1.

Eneti non Vendi. I. 12. non Sarmatica, sed prius Paphlagonica, deinceps Italica Gens. I. 3.

Episcopos primos Silesiorum cæterorumque Populorum, ad Poloniam pertinentium, constituit Dux primus Christianus, Mieslaus primus. VII. 13.

Episcoporum Vratislaviensium Electioni adfuit Boleslaus I. Silesiorum Dux. VIII. 126. 129.

Equites recentioribus Scriptoribus Milites. IX. 39.

Exceptum iisdem Scriptoribus non excluſum, sed Silentio præteritum. IV. 8. F.

Fasciam candidam gerere cur Polonis Equitibus Pontifex Romanus præceperit. VIII. 99.

Franci Germani Slavis formidabiles. II. 8. Polonis formidabiles. III. 1. perperam dicti Galli. III. 10.

Francorum Dux Pipinus, Caroli Magni Proavus. II. 8.

Fridericus I. Ænobarbus, Imperator, Silesios Imperio suo tenet subjectos. XI. 75. Polonorum Duces Fratres, Boleslaum IV. Mieslaum & Henricum, ob Homagium non præstitum, Tributum non solutum, Fratrem Vladislaum II. Silesiorum Ducem Exsulem non restitutum, Rebelles declarat in Comitiis Herbipolensibus. XI. 99. ab iis per Legatos postulat Homagium, Tributum Restitutionem, sed frustra. XI. 102 103. 104. 105. 106. 107. 108. contra eosdem Fratres obstinatos in Silesiam cum magno Exercitu venit. XI. 109. passim eam devastat. XI. 109. 111. secundum Historicos Polonicos, ob Militum Famem, Morbos, Impatientiam, sponte quidem, sed Arte Pacem à Polonis expetit, obtinetque. XI. 115. at secundum Historicos Germanicos, Polonis summas in Angustias re-

redactis, anxiè Pacem quærentibus, Subjectionemque pollicentibus dat. XI.116.quibus Conditionibus.XI.123. BoleslaumIV.adigit ad Iuramentum, â se, non in Imperii Romani Contumeliam, Fratrem Vladislaum II. ejectum.XI.124.ad Ejectionis Rationem inIudicioMagdeburgico reddendam obligat.XI.125.Eosdem Fratres Promissis suis non satisfacientes, iterum jubet Vladislao II. Fratri restituere Patrimonium.XI.125. 126.in Pœnam posthabiti Iuramenti, Tributi, Obsequii cogit ad solvendam Pecuniam. XI. 129. Tributum Polonicum [Silesiacum]annuum, VladislaoBohemorum Duci donat. XI. 137. eum creat Regem. XI.137. Polonorum Ducibus FratribusBoleslao IV.ejusque Fratribus imperat restituendum Vladislao II. Fratri ademtum Patrimonium.

G.

Gaudentius Archiepiscopus Gnesnensibus primus ab Imp. Ottone III. datus. VIII. 8.

Gaudentius, aliis Radostus dictus, Cracoviensium Episcopus moritur. XI.13.

Gera: vide, Gura.

Germaniæ veteris Pars Provincia Cracoviensium.XI.10.

Germaniam quando primum intraverint Slavi. I.33.34.35.

Gero Archiepiscopus Magdeburgicus. VIII.47.

Gero Lusatiæ Marchio. VI.7.14.16. 20. VIII.29.

Gertrudis, Leopoldi Marchionis Austriaci Filia, num Uxor Vladislai II. Silesiorum Ducis. XI. 20.

Gigas, Mediolanensis Eques, provocat Parem ex Friderici I. Cæsaris Obsessoribus in Monomachiam. XI.144. per Albertum Tirolinensem Comitem vincitur. XI.145. per Boleslaum Procerum, Silesiorum Ducem, trucidatur. XI.147.

Glacium Slavis Klecko, Klocko, Clossum. VIII.30. Silesiorum Regionis BohemorumDitionis,Oppidum. VIII.124. X.64. expugnat Vratislaus Bohemorum Dux.VIII.124.

Glacensem Regionem Silesiis subditam occupat Boleslaus III.Bohemorum Dux. VIII. 30. Bohemis subditam devastat Boleslaus III.Silesiorum Dux. X.41.

Gladios, ad Evangelii Recitationem, è Vaginis mediotenus protrahendi Mos cur Silesiis & Polonis adhibitus. VII. 26.

Glogovia, Silesiorum Urbs ad Viadrum.VIII.53.ad eam hæret Bretislaus Bohemorum Dux.IX.16. ad eam Copias colligit Boleslaus III. Silesiorum Dux, debellaturus Pomeranos. X.3. vehementer oppugnatur ab Henrico V. Imperatore. X.11.12.13.14.15.Flammis devastatur â Boleslao IV. Crispo Polonorum Duce, ob imminentem Hostem Fridericum I. Imperatorem. XI.111.

Glogovienses obsessi, Deditionem promittentes, XV. Dierum Inducias cum

cum Henrico V.Imperatore faciunt: cui dant Obsides Filios. X.12. eas Boleslaus III. Silesiorum Dux ratas non habet,X.13. quid agant,dubii hærent. X.14. Obsidionem ultra tres Menses tolerant. X.20. de Polonia tota bene meriti. X.30.

Glogovienſium Canonicorum, Vratislavienſibus Canonicis connexorum, Origo. X.47.

Gnesna Poloniæ majoris Urbs Nomen accipit ab Aquilæ Nido ibidem reperto: â Lecho primo Slavorum Polonorum Duce condita. I. 82. devastatur à Bohemorum Duce Bretislao. VIII.91. ibi Mieslaus, primus Silesiorum Polonorumque Dux Christianus baptizatur. VII.9.

Gnesnenſium Archiepiscopus quis primus. VIII. 5.6.7. num Adalbertus, antea Pragensis Episcopus. VIII. 6.7. Adalberti Frater, Kadimus,aliis Radzinus, aliis Gaudentius dictus, ab Ottone III.Imperatore constitutus.VIII. 8.sibi ab eodem Imperatore tres Episcopos,Colbergensem Pomeranum, Cracoviensem Polonum, Smogrensem Silesium subjectos habens. VIII. 10. Bossuta. VIII. 83. Iacobus primus. X.16.45.50.57. Canonici, Magnus Zaremba. XI.15. Iohannes Gryphus. XI. 56.Waltherus Zadora. XI.66.

Gora, vide, Gura.

Gothofredus Patria Romanus, primus Silesiorum Episcopus Smogrensis. VII.15. non, ut vulgo creditur, Gnesnensi Polonorum, sed Germanorum Archiepiscopo prius Moguntino, deinde Magdeburgico subjectus. VII.20.21. doctus, pius,industrius. VII. 22. moritur. VII.27.

Græci Monachi,Cyrillus & Methodius, primi Paganis Moravis, Bohemis, Silesiis, Polonis ad Christum convertendis Doctores.VII.7.8.13.

Gredisberga, Grediſium, Grodisium, Grothecium, Silesiorum in Ducatu Bregensi Castrum. XI.59. Vladislao II, Silesiorum Duci Exsuli, ab Imp. Conrado III. donatum.XI.73.ab eodem Vladislao munitum.XI.140.

*Gregorius VII.*PontifexRomanus, ob Stanislaum Episcopum Cracoviensem, à Boleslao II.Polonorum Duce trucidatum, Sacra per omnes Polonorum Provincias interdicit. VIII. 134.

Gryphorum [aliis Gryphonum]Familia nobilis Polonica. XI. 56.

Iohannes *Gryphus* Episcopus Vratislaviensis,postea Gnesnensis Archiepiscopus. XI. 66.

Guilielmus,Natione*Danus*,PetriDani Pater.XI.77. Domicilium in Silesiæ Sabotho habet. XI.78.81. unde suas DivitiasFilio relictas acceperit.XI.80.

Gura, Gora, Gera, Silesiorum in Glogovienſi Ducatu Arx, per Suatoplucum Bohemorum Ducem expugnata, destruitur ab Henrico V. Imperatore. X.10.

H.

Haimo, aliis vel *Heimo*, vel *Heymo* di-

dictus Polonus, Episcopus Vratislaviensis. X. 44.

Heneti non Vendi. I. 12. non Sarmatica, sed prius Paphlagonica, postea Italica Gens. I. 13.

Henricus I. Imperator Silesios Imperio suo habet subjectos. VI. 2. Silesiam Arnolpho Bavarorum Duci offert in Feudum, inter Pacis Conditiones. VI. 4.

Henricus II. Imperator Silesios Imperio suo habet subjectos. VIII. 34. 35. 36. 56. Lusatiam & Misniam à Boleslao I. Silesiorum & Polonor. Duce subactam amittit. VIII. 29. utramque recuperat, Silesiam oppugnat, Poloniam invadit: eundem Boleslaum expetitâ Pace donat. VIII. 34. creat Equitem Armigerum. VIII. 44. experitur perfidum. VIII. 46. ejus Filium Mieslaum captum dimittit., VIII. 47. iterum Silesiam oppugnat. VIII. 49. Poloniam depopulatur Victor. VIII. 50. tertium Silesiam ingreditur Hostis, Boleslaum oppugnaturus. VIII. 52. in ea Nimicium obsidet, non capit. VIII. 53. Boleslao expetenti dat Pacem. VIII. 54.

Henricus III. Imperator Silesios Imperio suo habet subjectos. VIII. 94. Bretislaum, Bohemorum Ducem, ob Silesiam & Poloniam partim devastatam, partim occupatam, debellat in Bohemia, sed infeliciter. VIII. 96. iterum oppugnatum vincit. VIII. 103. eidem Bretislao Silesiam occupatam permittit tributariam. VIII. 104. 105. 106. Casimirum, Polonorum Ducem, ut Rebellem, debellaturus, placatur. VIII. 117. Filiam Agnetem Leopoldo Austriaco Marchioni da Uxorem. XI. 20.

Henricus V. Imperator Silesios Imperio suo habet subjectos. X. 1. Boleslaum III. Silesiorum Polonorumque Ducem ob recusatum Tributum & Obsequium debellat. X. 6. 8. Leubusium Marchiæ Brandenburgensis Oppidum ad Viadrum capit. X. 9. Bethaniam Silesiorum in Ducatu Glogoviensi Oppidum difficulter expugnabile, non oppugnat. X. 9. graviter oppugnat Glogoviam. X. 11. 12. 13. 14. ad eam Boleslao III. Conditiones Pacis proponit. X. 18. Vratislaviam oppugnaturus, ad interiora Silesiæ progreditur. X. 21. prope Vratislaviam cum Boleslao III. Prælium committit acerrimum, in Campo Canino. X. 23. 22. Victor. X. 24. victus. 25. quibus Conditionibus Pacem cum Boleslao III. inierit. X. 31. 33. 34. quando Nuptias celebraverit. XI. 25. an Prolem genuerit. XI. 24.

Henricus I. Boleslai III. Silesiorum Polonorumque Ducis Filius, Polonorum Sendomirienſium & Lublinensium Dux. XI. 3. cum Fratribus Boleslao IV. & Mieslao intra Posnaniam obsessus, adversus Fratrem Vladislaum II. Silesiorum, Cracovienſium, Siradienſium, Lancicienſium Ducem se defendit. XI. 39. 40. Vladislaum in Fugam pellit. XI. 41. amissis Provinciis recuperatis persequitur. XI. 44. Cracoviam Deditione capit. XI. 46. cur Vladislai Uxorem & Filios obsessos, humaniter habitos in Exsilium abire concesserit. XI. 47. 48. 49. 50. ab Imp. Friderico I. declaratur Rebellis. XI. 99. in Borussico Bello perit. XII. 26.

Hieronymus Italus, Silesiorum Episcopus Bicinensis. VIII. 118. Vratislaviensis. VIII. 120. moritur. VIII. 125.

Hundesfelda Silesiorum Oppidum prope Vratislaviam, unde Nomen acceperit. X. 25. 26.

I.

Iacobus I. Gnesnensium Archiepiscopus confecrat Vratislaviensem Episcopum Imislaum. X. 45. Rupertum X. 50. Magnum X. 16. Iohannem secundum. X. 57. mortuus accipit Successorem Iohannem II. Episcopum Vratislaviensem. XI. 64.

Ianicus, Ianislaus vide: Iohannes.

Iaromirus, Bretislai Bohemorum Ducis Filius, ex Diacono Miles, Auxilium contra Fratrem Vladislaum quærit apud Boleslaum II. Silesiorum Polonorumque Ducem. VII. 124.

Iaxa Serborum Dux, S. Michaelis Templum Vratislaviense condit. XI. 86. cum Petri Dani Filia celebrat Nuptias Vratislaviæ. XI. 92.

Idololatriæ paganæ partim Reliquias deleturus, partim Exsecrationes contestaturus Mos Silesiis usitatus. VII. 11.

Imislaus Lescita Polonus, Episcopus Vratislaviensis. X. 43. doctus, liberalis, castus. X. 46.

Imperatores Romani Germanico Imperio Silesios habuerunt tributarios subjectosque: Carolus Magnus. IV. 2. 3. 4. 5. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 19. 34. Ludovicus Pius. IV. 36. Ludovicus Secundus. V. 14. Carolus Calvus. V. 21. 22. Arnolphus. V. 26. 29. Henricus Primus VI. 2. 4. Otto Primus. VI. 5. 14. 18. 19. Otto Secundus. VII. 25. Otto Tertius. VII. 31. 32. 33. VIII. 1. 13. Henricus Secundus. VIII. 34. 35. 36. 56. Conradus Secundus. VIII. 60. 70. Henricus Tertius. VIII. 94. 104. 105. 106. Henricus Quartus. VIII. 122. 123. 128. 30. Henricus Quintus. X. 1. 2. 6. 8. Lotharius Secundus. X. 49. 60. Conradus Tertius. XI. 1. 18. 54. Fridericus Primus. XI. 75. 99. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 124. 125. 129. 137. XI. 2.

Imperatoribus Romanis Ius olim tam Ecclesiasticum, quam civile summum. VII. 20.

Iohannes Apostolus in Vratislaviensium Insignibus. VII. 42.

Iohannes VIII. [aliis IX.] Pontifex Romanus, improbat Sermonis Slavici Usum in Sacris. VII. 5. ideo increpat Monachos Græcos, ad se vocatos ex Moravia, Methodium & Cyrillum. VII. 6. post receptam ab iis Religionem Christianam in Silesiorum & Polonorum Terris Ius Ecclesiasticum supremum acquisiturus, quid egerit. VII. 14.

Iohannes I. Accipiter, Polonus, Sileſiorum Epiſcopus Vratislavienſis. VIII.126. ad imminuendam Italorum Prærogativam &Potentiam,mortuis Canonicis Succeſſores dat Polonos. VIII.127.moritur.VIII.129.

*Iohannes II.*Gryphus,Polonus,Sileſiorum Epiſcopus Vratislavienſis.XI. 56. ſit Polonorum Gneſnenſis Archiepiſcopus. XI. 64. Andreovienſis Polonici Monaſterii Conditor.XI.65. Waltherum Epiſcopum Vratislavienſem conſecrat. XI. 66. Iohanni Baptiſtæ primum Sileſiorum Templum conſecratum. VII.23.

Iordanus, Polonorum Poſnanienſis Epiſcopus, olim Germanorum Moguntino, deinde Magdeburgico Archiepiſcopo ſubjectus. VII. 20.

Iovem Deum coluerunt Sileſii & Poloni Pagani. VII. 1.

Iuditha Hungarorum Ducis Geyſæ Filia, Stephani Soror, Boleslai I. Sileſiorum Polonorumque Ducis Uxor. VIII.59.

K.

Kadimus Gneſnenſium in Polonia primus Epiſcopus ab Imp. Ottone I. conſtitutus. VIII.8.

Klecko,Klocko,*Glacium* Sileſiæ Provincia, per Boleslaum III. Bohemiæ Ducem occupata. VIII. 30.

Korabitarum Familia nobilis Polonica. X.50.

Hieronymus Kromayerus, Senator Vratislavienſis. VIII. 79.

L.

*Lechus I.*Germanorum Sileſiorum, Slavorum Polonorum primus Dux.I. 1.80.Gneſnenſis Urbis in Polonia Majore Conditor. I. 82. quid geſſerit. I. 82. 86.

Lechus II. Sileſiorum Polonorumque Dux. III.12.

Lechus,Lecho, Leo, Leſco, Leſcus Slavorum Dux, ab Imp. Carolo Magno per Filium Carolum occiſus, quisnam. IV.20.21.22.23.24.25.28.

Lechitæ Poloni. IV.19.

Leonhardus Italus, Sileſiorum Epiſcopus Smogrenſis. VIII.82.per quem Archiepiſcopum Gneſnenſem fuerit conſecratus. VIII. 83. quas habuerit Virtutes. VIII. 84. moritur. VIII. 110.

Leopoldus Marchio Auſtriacus quam habuerit Uxorem. XI. 20.

*Leſcus I.*Sileſiorum Polonorumque Dux. III.18.

Leſcus II. antea Præmislaus, ob Dolum adverſus Hoſtes,Polonis Leſcus, Germanis Liſtigius,id eſt,Aſtutus cognominatus:Sileſiorum Polonorumque Dux, III.19.

Leſcus III. Sileſiorum Polonorumque Dux,cum Imp.Caroloo Magno Pacem init. IV.3.

Leſcus IV. Sileſiorum Polonorumque Dux, Imp. Arnolpho Tributarius. V.26.29.

Leſcitarum Familia nobilis Polonica. X. 44.

Leubuſinum Sileſiæ Monaſterium primum ad Oderam, Ordini Benedictino proprium.VIII.108. Ordini Ciſtercienſi datum. VIII.109.

Leubuſium Marchiæ Brandenburgenſis ad Oderam Oppidum. X 9.

Liſtigius Sileſiis, Polonis Leſcus,id eſt, aſtutus nominatus Leſcus III.Sileſiorum Polonorumque Dux. III. 19.

Lotharius II. Saxo, Imperator, Sileſios Imperio ſuo habet ſubjectos.X. 49.Boleslaum III.Sileſiorum Polonorumque, Sobieslaum Bohemorum Duces, ad Bambergenſia Comitia, ob Diſſidia componenda in Franconiam evocat. X. 59. ab eodem Boleslao Tributum & Homagium exigit. X. 59. quò Iure. X.60. inter hunc & Sobieslaum triennales Inducias efficit. X.63.

Lucilius Italus, Sileſiorum Epiſcopus Smogrenſis VIII.62.caſtus incaſtos punit Clericos. VIII. 63. diligens Studiorum Cultor, in Sileſia primus Bibliothecam ſibi comparat. VIII.64.

Ludovicus Pius Imperator Sileſios Imperio ſuo habet ſubjectos. IV. 36.

Ludovicus II. Imperator Sileſios Imperio ſuo habet ſubjectos. V. 14. quibusdam, ut Pater, Pius cognominatus, Affectu privato. V.16.

Ludovicus I. Sileſiorum Dux Bregenſis. III. 19.

Luitbertus Archiepiſcopus Moguntinus Sileſios ſub Imp. Ludovici II. Obſequium Armis revocat. V. 20.

Luiticii Luſati. VIII.34.

Luſati Luiticii. VIII. 34. Luſicii. VI. 16. Sorabi. V. 13.

Luſatiam oppugnat & occupat Boleslaus I. Sileſiorum Polonorumque Dux. VIII. 29. recuperat Henricus II. Imperator. VIII. 34.

Luſatorum Præfecti Marchiones, Trachulfus. V. 19. Ratolfus. V. 20. Gero. VI. 14. 16.

Luſicii Luſati. VI.16.

Lygii Sileſii. I. 1.2.

M.

Magdeburgico Archiepiſcopo Epiſcopos Sileſiorum Polonorumque primos ſubjicit Otto I. Imperator. VII. 20.

Magnus Comes, Sileſiorum Capitaneus Vratislavienſis. IX. 2. fidus. IX. 26. probus, humanus, eruditus. IX 28. ob Sbigneum, Vladislai I. Sileſiorum Polonorumque Ducis Filium, Hoſtem cum aliis Exſulibus in Vratislavienſem Urbem receptos, Præfecturâ privatur. IX. 30.

Magnus Zaremba, Polonus, Vladislai II. Sileſiorum Ducis Cancellarius, Canonicus Vratislavienſis, Gneſnenſis, Cracovienſis, ſit Epiſcopus Vratislavienſis. XI. 15. per Iacobum I. Archiepiſcopum Gneſnenſem conſecratur. XI. 16. eruditus, liberalis. XI. 17. moritur. XI. 55.

Maria Petri Dani Uxor, Vlodomiri Ruſſorum Ducis Filia, S. Mariæ Monaſterium Vratislavienſe condit. XI. 85. in S. Vincentii Vratislavienſium Monaſterio ſepulta. XI. 98.

Martii VII. Die, Dominicâ Lætare, Sileſii, recepto Chriſtianiſmo, baptizantur. VII. 10.

S. Martini Templum Vratislavienſe quis condiderit. XI. 87.

Mathildis, Henrici I. Anglorum Regis Filia, Imp. Henrici V. Uxor. XI. 24.
Mediolanenſis Eques Gigas parem ex Imp. Friderici I. Obſeſſoris Exercitu ad Monomachiam provocat. XI. 144. per Albertum Tirolinenſem Comitem vincitur. XI. 145. per Boleslaum Procerum Sileſiorum Ducem trucidatur. XI. 146.
Meſericium Poloniæ Majoris Oppidum. VIII. 34.
Methodius Monachus Græcus, Moravorum ad Chriſtum converſorum Doctor. VII. 2.
S. Michaelis Templum Vratislavienſe quis condiderit. XI. 86.
Mieslaus I. [etiam Miecislaus, Miesco, Myeſca, Myſca, Miſeco, Miſico, Miſica, Miſça dictus] Sileſiorum Polonorumque Dux. VI. 9. 10. 15. ſubjectus Imperatoribus Romanis, Ottoni Primo. VI. 18. 19. Ottoni Secundo. VII. 25. Ottoni Tertio VII. 33. cœcus natus, poſt Septennium Viſu præditus. VI. 11. 12. quomodo in Religionis Chriſtianæ tum Cognitionem, tum etiam Cultum pervenerit. VI 13. VII. 8. ſeptem Pellices habet Paganus. VII. 8. iis rejectis, baptizatus, Uxorem ſibi conjungit Chriſtianam, Boleslai II. Bohemorum Ducis Filiam Dambronicam. VII. 9. in Terris ſuis conſtituit novem Epiſcopos. VII. 13. Morem Polonicum Eccleſiaſticum introducit, ad Evangelii Recitationem, Gladios mediô-tenus è Vaginis protrahendi. VII. 26. Poteſtatis abſolutæ Signum, Coronam Regiam, non ab Imperatore, ſed à Pontifice Romano impetrandam, auſus affectare, patitur Repulſam. VII. 2. num Sileſiæ Caput, Urbem Vratislaviam condiderit. VII. 39. affirmatur. VII. 58. & ſequentibus.
Mieslaus II. Sileſiorum Polonorumque Dux, ante ſuſceptum Imperium, ad Bohemos à Patre miſſus capitur. VIII. 47. Patris Succeſſor, Imp. Conrado II. ſubjectus. VIII. 60. Regimini parum aptus, per Uxorem Germanicam Rixam conſulit. VIII. 61. Regis & Titulum & Libertatem affectare nihil veritus, Imp. Conrado II. Obſequium denegat. VIII. 65. Ottonem Fratrem Cæſari addictum è Polonia pellit. VIII. 65. Ideo Imp. Conradum II. in Polonia experitur Hoſtem. VIII. 65. in Bohemiam profugus, amittit Poloniam Exſul, Ottoni Fratri ab Imp. Conrado II. traditam. VIII. 67. eidem Imperatori ſe totum ſubjicit. VIII. 69. Poloniæ Partem, totamque Sileſiam amittit. VIII. 70. 78. 79. moritur. VIII. 81. Filium Caſimirum I. relinquit. VIII. 86.
Mieslaus III. Cognomento *Senex*, Boleslai III. Sileſiorum Polonorumque Ducis Filius, Gnesnenſium, Poſnanienſium, Caliſienſium, Pomeranorumque Dux. XI. 3. quam habuerit Matrem. XI. 26. 27. cum Fratribus Boleslao IV. & Henrico I. intra Poſnaniam obſeſſus, adverſus Fratrem, Vladislaum II. Sileſiorum, Cracovienſium, Siradienſium, Lancicienſium, umque Ducem, ſe defendit. XI. 39. 40. eum in Fugam pellit. XI. 41. amiſſis Provinciis recuperatis perſequitur. XI. 44. Cracoviam Deditione capit. XI. 46. cur Vladislai II. Uxorem & Liberos obſeſſos, humaniter habitos in Exſilium abire conceſſerit. XI. 47. 48. 49. 50. ab Imp. Friderico I. declaratur Rebellis. XI. 99.
Mieslaus, Vladislai II. Sileſiorum, Cracovienſium, Siradienſium, Lancicienſium Ducis Filius, cum Fratribus Boleslao Procero & Conrado Loripede, decedit è Polonia in Germaniam Exſul. XI. 46. ad Imp. Conradum III. Cognatum ſuum. XI. 58. diu in Germania vivit. XI. 142. à Boleslao IV. Criſpo Patruele, Maſovienſium, Dobrinenſium, Cujavienſium, Culmenſium Duce, retentis Cracovienſi, Siradienſi, Lancicienſi Provinciis, Sileſiam eamque non univerſam accipit. XII. 14. 15. non ut Donum, ſed ut Debitum, in Patrimonii reſtituendi Partem. XII. 16. an cum Obligatione Subjectionis erga Patruos. XII. 20. 21. 22. cur à Polonis ſe non ſtatim ſeparaverit. XII. 24. Patruis Boruſſos debellantibus Auxilium præſtat. XII. 25. mortuo Patruo Henrico cœlibe nihil Hæreditatis à Patruelibus impetrat. XII. 26. iis, ob hanc & alias Injurias Bellum infert. XII. 27. retentas intra Sileſiam Urbes Armis obtinet. XII. 29. Pacis Lege conceſſas retinet. XII. 39. cur Sileſia ſola in Patrimonium fuerit contentus. XII. 17. Sileſiæ inter Fratres diviſæ fit Superioris Dux Oppolienſis, Ratiborenſis, Teſchinenſis, Carnovienſis, Troppavienſis. XII. 43.
Milites recentioribus Scriptoribus Equites. IX. 39.
Miſniæ Pars Dalamancia, Daleminia. VIII. 41.
Miſniam Boleslaus I. Sileſiorum Polonorumque Dux occupat. VIII. 29. Imperator Henricus II. recuperat. VIII. 34. iterum Boleslaus I. invadit. VIII. 41.
Moguntino Archiepiſcopo primos Polonorum & Sileſiorum Epiſcopos ſubjectos, Imp. Otto I. Magdeburgico Archiepiſcopo ſubjicit. VII. 20. 21.
Monaſterium in Sileſia primum Ordinis Benedictini Leubuſinum. VIII. 108. Ordini Ciſtercienſi poſtea donatum. VIII. 109. in Monte Sabotho Auguſtinianum deſertum. XI. 88. Vratislavienſe S. Vincentii antea Benedictinorum, poſtea Præmonſtratenſium Ordinis Monachorum. XI. 84. Andreovienſe in Polonia condit Iohannes II. Gryphus, prius Vratislavienſis Epiſcopus, deinde Gneſnenſis Archiepiſcopus. XI. 65.
Moravorum Rex Suatoplucus an Sileſios Imperio ſuo habuerit ſubjectos. V. 23. Populo ſuo Pagano ad Chriſtum convertendo expetit Doctores ab Imperatore non Romano, ſed Conſtantinopolitano. VII. 2. 3. accipit Monachos Græcos, Methodium & Cyrillum. VII. 2. 3. Sacra peragentes Beneficio Slavici Sermonis, cujus Uſum in Sacris Iohannes VIII [aliis IX.] Pontifex Ro-

manus Initio damnat, denique concedit. Vll. 5.6.

Mortis Dominica Dies unde vocetur, aliis Lætare dicta. Vll. 11. Sileſiis Idola deteſtantibus & exſtirpantibus peculiariter ſolennis. Vll. 11.

Ieremias *Mullerus*, Diaconus Vratislavienſis. Vll. 92.

N.

Nimecinm, Nemicium, Nemcium, Niemcium, Nimptſchium, Sileſiorum in Bregenſi Ducatu Oppidum, â Germanis, non Slavis, conditum, Nomine primô Germanicô, non Slavico, præditum. I. 74. VIII. 59. ab Imp. Henrico II. obſeſſum, ſed non expugnatum. Vlll. 52. ab Imp. Conrado III. donatum Vladislao II. Sileſiorum Duci, â Polonis in Exſilium ejecto. XI. 59-73. Sumtibus Imp. Friderici I. munitum. XI. 140.

Niemetz Polonis Germanus. I. 74.

Nummum S. Petri quotannis ſolvendum Pontifex Romanus Polonis præſcribit. Vlll. 99.

O.

Odera, Odora, Odra Sileſiæ Fluvius, non Slavico, ſed Germanico dictus Vocabulo die Ader, unde Viader, Viaderus, Viadrus. I. 75.76.

Oppolienſium in Ducatu Oppidum Cosla Incendio perit. X. 4.

Othelricus: vide Udalricus.

Otto I. Imperator Sileſios Imperio ſuo habet ſubjectos. VI. 5.14. Germanis omnes Slavos ſubjicit. VI. 6.7. Sileſiorum & Polonorum Epiſcopos antea Moguntino ſubjectos, Magdeburgico ſubjicit Archiepiſcopo. VII. 20.

Otto II. Imperator Sileſios Imperio ſuo habet ſubjectos. Vll. 25.

Otto III. Imperator Sileſios Imperio ſuo habet ſubjectos. Vll. 31. 32. Vlll. 1. 13. Adalberti Bohemi, Pragenſis Epiſcopi, Amicus ſingularis. VIII. 2. ad ejus Martyris Sepulcrum, Gneſnam in Poloniam proficiſcitur. VIII. 3. Gneſnenſem Archiepiſcopum conſtituit: cui tres Epiſcopos Smogrenſem Sileſiorum, Colbergenſem Pomeranorum, Cracovienſem Polonorum ſubjicit. Vlll. 10.

Otto, Boleslai I. Sileſiorum Polonorumque Ducis Filius, â Fratre Mieslao II. in Exſilium ejectus, ab Imp. Conrado II. Mieslai II. Victore Dux Polonorum creatur, per Inſidias occiditur. VIII. 67.

P.

Patriarcharum Conſtantinopolitanorum cum Romanis Pontificibus de Primatu Diſſidium. Vll. 4.

S. Petri Denarium ſolvendum Pontifex Romanus Polonis præſcribit. Vlll. 99. Polonis, non Sileſiis, Caſimirus Polonorum Dux imperat. Vlll. 113. 114. 115.

Petrus I. Vulpinus, Natione Polonus, Sileſiorum Epiſcopus Vratislavienſis. Vlll. 129. Stanislai Cracovienſis Epiſcopi Martyris Amicus. Vlll. 135. Sileſios interdictis Sacris affligit, Vlll. 136. Canonicorum & Vicariorum Numerum auget. Vlll. 136. moritur. IX. 13.

Petrus Natione *Danus*, Stirpe Vlastus, quando in Poloniam venerit. XI. 76. 78. 79. Comes intra Poloniam Scrinnenſis. XI. 76. Polono ſimillimus, Mariam Vlodomiri Ruſſorum Ducis Filiam ducit Uxorem. XI. 77. unde ſuas obtinuerit Opes. XI. 80. in Satisfactionem pro Peccatis juſſus Templa condere ſeptem, condit ſeptuaginta ſeptem. XI. 82. Vratislaviæ condit Templum & Monaſterium S. Vincentii. XI. 84. Templum S. Mariæ. XI. 85. S. Michaelis. XI. 86. S. Martini. XI. 87. duarum Provinciarum Polonicarum Caliſſienſis & Cruſuicienſis Præfectus. XI. 89. Sileſiorum Vratislavienſis Capitaneus. XI. 89. admodum felix, ad extremum infelix, amittit Boleslai IV. Sileſiorum Polonorumque Ducis & Uxoris Adelheidæ [vulgo Chriſtinæ dictæ] Gratiam. XI. 90. locus, quô Boleslaum & Adelheidam offendit. XI. 91. iis jubentibus, Vratislaviæ Nuptias Filiæ celebraturus, capitur. XI. 92. Oculis & Lingua privatur. XI. 92. 93. cœcus & mutus moritur, XI. 95. 97. in Vratislavienſium S. Vincentii Monaſterio ſepultus. XI. 98.

Piaſtus, Sileſiorum Polonorumque Dux, â brevi Statura Nomen adeptus. V. 2. an prævio Miraculo electus. V. 3. Slavus Polonus, an Germanus Sileſius Ortu. V. 5.6. in Majore Polonia Civis Cruſuicienſis. V. 5. Sileſiæ Ducum Progenitor. V. 7. quot Annos vixerit. V. 11.

Pipinus Francorum Dux, Imp. Caroli Magni Proavus, Populorum multorum Victor. II. 8. Slavis formidandus. II. 8.

Poloni, Poleni, Polliani, Polani. I. 56. 57. Pagani Deum colunt Iovem. VII. 1. Germanis Francis Tributum ſolvere jubentur. III. 15. num extero alicui Populo tributarii unquam fuerint. IV. 6.7. X. 36. 37. Imp. Carolum Magnum irritant ad Bellum. IV. 26. Germanorum Contemtores, in Exſilium agunt Mieslai II. Sileſiorum Polonorumque Ducis Viduam Rixam Germanam, ejusque Filium Caſimirum. VIII. 86. diſcordes Patriam devaſtant. VIII. 90. Caſimirum, Monachum Benedictinum, ab Exſilio revocatum, creant Ducem. VIII. 97. offendunt Vladislai II. Sileſiorum Polonorumque Ducis Uxorem Germanicam Adelheidem, Polonis Chriſtinam, imô Criſtinam dictam. XI. 31. multis utrumque Figmentis Convitiisque traducunt. XI 32. Ariſtocratiam præferunt Monarchiæ. XI. 35.

Poloniæ Partem â Bohemorum Duce Bretislao occupatam Imp. Henricus III. Caſimiro Polonorum Duci reſtituit. VIII. 103.

Poloniam debellant Impp. Henricus Secundus. VIII. 34. Conradus Secundus. VIII. 65. Henricus Quintus. X. 6. 8. Fridericus Primus. XI, 109. 111. Henricus

ricus Quartus Vratislao Bohemorum Duci donat. IX. 10. 12.

Polonicarum Provinciarum Divisio prima inter Duces. IX. 36. à Vladislao II. Silesiorum & Polonorum Duce Polonis ostenditur noxia. XI. 133.

Polonis Duces militares Vojevodæ. II. 2. usitatus Mos Idola detestandi exstirpandique. VII. 11. cur Pontifex Romanus Episcopos primos, non Polonos, sed Exteros, potissimum Italos dederit. VII. 14. Ordinem Episcoporum, ab Imp. Ottone III. præscriptum, non observatum exprobrat Gregorius VII. Pontifex Romanus. VIII. 12. cur invisa Mieslai II. Silesiorum Polonorumque Ducis Uxor Rixa. VIII. 61. Exsulem Casimirum, Monachum Benedictinum, Ducem creaturis, Pontifex Romanus præcipit Denarii Solutionem, Capillorum Tonsuram, Fasciæ Gestamen. VIII. 99. Regimen Monarchicum Aristocratico salutarius esse judicat Adelheida, Vladislai II. Silesiorum Polonorumque Ducis Uxor. XI. 38.

Polonorum Slavorum cum Silesiis Germanis conjunctorum Origo. I. 1. Modus. I. 41. Nomen unde natum. I. 47. num à Bulanis Sarmatis. I. 48. an à Bolanis Italis. I. 49. an à Spalis Polis. I. 51. 52. an potius, vel à Planitie, vel à Venatione, vel à Duce I. Lecho. I. 53. 54. vel à Polo Arctico. I. 55. quando primum Slavis adhiberi cœperit. I. 56. 58.

Polonorum Episcopi olim Germanorum Archiepiscopo, prius Moguntino, deinde Magdeburgico subjecti. VII. 20. VIII. 2.

Polonorum Familiæ nobiles, Accipitrum. VIII. 126. Acervorum. X. 44. Gryphorum. XI. 56. Korabitarum. X. 50. Lescitarum. X. 44. Rosarum. IX. 13. Vulpinorum. VIII. 129. Zadoreorum. XI. 60. Zarembiorum. XI. 15.

Polonorum Gubernatores Palatini, Vojevodæ, Duces militares. II. 2. malè imperantes. II. 7.

Polonorum Insigne Aquila candida unde. I. 82.

Polonorum Lingua Literas consonantes multiplicans. VII. 54. Germanicas Voces corrumpens. VII. 55.

Polonorum Mores fastidit Adelheida [Polonis Christina] Vladislai II. Silesiorum Polonorumque Ducis Uxor Germanica. XI. 29. 30. Ritus, ad Evangelii Recitationem, in Templis Gladios è Vaginis mediôtenus protrahendi, quid denotet. VII. 26.

Polonorum Provinciæ, Calissiensis. XI. 89. Cracoviensis. XI. 10. Crusuiciensis. XI. 89. Posnanensis. XI. 109. 110. XII. 33.

Polonorum Urbes: Brenicia. XI. 56. Caminiecium. IX. 46. Cracovia. III. 11. 46. Crusuicium. IX. 30. Gnesna. I. 82. VII. 9. VIII. 6. 7. 8. 10. 91. Meslericium. VIII. 34. Posnania. VIII. 4. 34. XI. 39. 40. Slesino. V. 5. Znena. X. 45.

Pomeranorum Colbergensis Episcopus Archiepiscopo Polonorum Gnesnensi subjectus. VIII. 10.

Popielus I. Silesiorum Polonorumque Dux. IV. 35.

Popielus II. Silesiorum Polonorumque Dux. IV. 37.

Posnania Poloniæ Majoris Urbs. VIII. 4. 34. a Bretislao Bohemorum Duce capitur & devastatur. VIII. 91. a Vladislao II. Silesiorum & Polonorum Duce obsidetur. XI. 39. 40.

Posnanienſium Provinciam devastant, Fridericus I. Imperator. XI. 109. 110. Boleslaus Procerus, Mieslaus, Conradus Loripes, Fratres, Silesiorum Duces. XII. 33.

Posnanienſium Episcopus olim Moguntino, deinde Magdeburgico Archiepiscopo subjectus. VII. 20.

Præmislaus Ingenio & Arte Victor Hostium III. 17. Silesiorum Polonorumque Dux. III. 19.

Pratum Silesiæ magnum olim a Radicibus Worzelavia dictum, hodie Vratislavienſis Ducatus. VII. 56.

Psiepole Polonis Campus Caninus. X. 26.

Q.

Quadi Silesii. I. 1. 2.

R.

Radagustus num Slavorum Rex. I. 21. 22. Germanorum Gothorum Rex. I. 21. 22.

Radostus Episcopus Cracovienſis moritur. XI. 13.

Ratisbonenſibus Comitiis Imp. Fridericus I. Vladislaum Bohemorum Ducem creat Regem. XI. 137.

Ratolfus Lusatorum Præfectus Silesios sub Imp. Ludovici II. Obsequium Armis revocat. V. 20.

Recenum Silesiæ Castrum, cujus hodie nihil supereſt. X. 10.

Regiones a primoribus Urbibus Nomina consequuntur. VII. 56.

Regnum Scriptoribus recentioribus etiam Ducatus: Dux etiam Rex dicitur. VIII. 24.

Rixa Comitis Palatini Rhenani Ehrenfredi, secundum alios Ezelini, ex Imp. Ottonis III. Sorore Mechtilde, Filia, Mieslai II. Silesiorum Polonorumque Ducis Uxor, pro Marito Imperium gerit. VIII. 61. pro Filio Casimiro Imperium gerit. VIII. 86. cur invisa Polonis. VIII. 61. ab iis cum Filio in Germaniam recedit. VIII. 56. 87. 88.

Robertus: vide, Rupertus.

Romanorum Pontificum cum Patriarchis CPolitanis de Primatu Dissidium. VII. 4. Ius supremum Ecclesiasticum in Silesios & Polonos, recentes Christianos, Ægidius Cardinalis stabilit. VII. 14.

Romanus Pontifex Iohannes VIII [aliis IX] Slavici Sermonis Usum in Sacris reprobat. VII. 5. concedit, eumque solitos adhibere Cyrillum & Methodium Monachos Græcos, Moravorum Ecclesiæ Plantatores, ne quid Ecclesiæ Romanæ contrarium doceant, Romam vocatos, admonet. VII. 6. incertum, quis, Exsulem Casimirum, Mieslai II. Silesiorum Polonorumque Ducis Filium, Monachum Benedictinum, Ducem creaturis Polonis

onis præcipit S. Petri Denarium ſolvendum, Capillorum Tonſuram recipiendam, Faſciam candidam gerendam. VIII. 99.

Roſarum Familia Polonica nobilis. IX. 13.

Rupertus, aliis Robertus, Korabita, Polonus, Epiſcopus Vratislavienſis. X. 50. XI. 12. fit Epiſcopus Cracovienſis. XI. 13.

S.

Sabothi Montis in Sileſia Cœnobium Auguſtinianum deſertum. XI. 88.

Sarmatarum Nationes plures, cum Aſiaticæ, tum Europææ. I. 18. 19. Venedi. I. 17. an Bulani. I. 48. 49. an Sulanes. I. 49. Antiquitas. I. 18. 19. Slavorum Societas cum Germanis Sileſiis. I. 18.

Sbigneus Vladislai I. Sileſiorum Polonorumque Ducis ex Concubina Filius, Monachus, deinde Miles, Polonicorum Exſulum Caput, Sileſiam ingreditur. IX. 25. apud Vratislavienſes Auxilium quærit. IX. 26. ab iis in Urbem recipitur, cum Exſulibus. IX. 28. ex ea dimittitur. IX. 30. cum Fratre Boleslao III. Sileſiorum Polonorumque Duce, contra Secechum Palatinum Cracovienſem, in mutuam Opem, init Fœdus. IX. 38. Fratri Succeſſum in Bellis invidet. X. 4. Imp. Henricum V. inſtigat in Bellum adverſus Fratrem. X. 8. Sileſiam devaſtat. X. 40. a Fratre pulſus è Polonia, Defenſorem habet Bohemorum Ducem Vladislaum. X. 41.

Schola Sileſiorum prima Smogrenſis. VII. 29.

Sclavorum Nomen quanquam antiquius & integrum, faſtidiunt Sarmatæ, quos magis oblectat recentius, idque corruptum Slavorum Nomen. I. 6. 8. 9. num Anno 405 jam cognitum. I. 21. 22. Sæculo demum ſexto natum. I. 23. inventum ad Venedorum Diſcrimen. I. 24. Mancipium denotat. I. 43.

Scrutinium quid Eccleſiaſticis Scriptoribus. VIII. 82.

Secechus Palatinus Cracovienſis, potens Vladislai I. Polonorum Ducis Aulicus Miniſter, innocentes affligit. IX. 24. iniquiſſimus Perſecutor. IX. 26. intolerabili Perverſitate. IX. 27. Vladislaum adverſus Sileſios, maximè Vratislavienſes, Conſiliis ſuis concitat. IX. 29. ob Vitia vehementer à Vratislavienſibus accuſatur. IX. 29. Vladislai Filiis Boleslao & Sbigneo infenſus. IX. 37. per eos omnem Poteſtatem publicam amittit, tandem in Exſilium depulſus. IX. 44.

Semomislaus, aliis *Semomislus*, Sileſiorum Polonorumque Dux, Romano Germanorum Imperio ſubjectus. VI. 1. 5.

Semovitus, Piaſti Filius, Sileſiorum Polonorumque Dux, Romano Germanorum Imperio ſubjectus. V. 12. 14. 21.

Sileſia Sileucia dicta. III. 16. VIII. 56. quibusdam Vratislavia, id eſt, Vratislavienſis Provincia nominata, IX.

IX. 40. num & quando univerſa ſit Slavice locuta. I. 66. 67. 68. 77. 78.

Sileſiæ antiquæ Pars Provincia Cracovienſis. XI. 10. Pratum magnum olim à Radicibus Worzelavia dictum, hodie Vratislavienſis Ducatus. VII. 56. Partem Beneficio Imp. Henrici III. Caſimirus I. Polonorum Dux poſſidet. VIII. 102. Partem mediam, ibique Vratislaviam Bretislaus Bohemorum Dux poſſidet. VII. 86. VIII. 91. Polonorum Duci Caſimiro I. reddit. VIII. 119.

Sileſiæ Flumina: Boberus. X. 48. Viadrus. I. 75. 76.

Sileſiam Slavi unde intraverint. I. 27. quando intraverint. I. 32. 33. 34. 35. exteri Germani devaſtant. III. 6. Imp. Henricus I. Arnolpho Bavarorum Duci offert in Feudum inter Pacis Conditiones. VI. 4. Imp. Henricus II. oppugnat. IIX. 34. depopulatur. IIX. 49. 53. Bretislaus Bohemorum Dux oppugnat. IIX. 91. occupatam retinet. IIX. 94. tributariam ab Imp. Henrico III. obtinet. IIX. 104. 105. 109. 107. Vratislaus Bohemorum Dux diripit. IIX. 124. Imp. Henricus IV. Vratislao Bohemorum Duci donat. VII. 86. IX. 10. Bretislaus, Vratislai Filius, Bohemorum Dux devaſtat. IX. 33. Imp. Henricus V. ob Tributum recuſatum invadit. X. 8. Sbigneus, Vladislai I. Sileſiorum Polonorumque Ducis Frater, armatus cum Exſulibus ingreditur. IX. 25. devaſtat. X. 40. Sobieslaus Bohemorum Dux: ipſeque Boleslaus IV. Sileſiorum Dux, Imp. Fridericum I. Hoſtem fugiens, devaſtat. XI. 11. Imp. Conradus III. oppugnaturus, intrat. XI. 71. Imp. Fridericus I. oppugnat. XI. 109. 114. Boleslaus IV, Mieslaus III, & Henricus I, Polonorum Duces, tandem univerſam Patruelibus ſuis, Vladislai II. Sileſiorum Ducis Filiis, Boleslao Procero, Mieslao & Conrado Loripedi concedunt. XII. 14. 15. accipientibus, non ut Donum, ſed ut Debitum, in Patrimonii reſtituendi Partem. XII. 16. diviſam, Mediam Boleslaus Procerus, Superiorem Mieslaus, Inferiorem Conradus Loripes obtinet. XII. 43.

Sileſii Germani, Quadi, Lygii. I. 1. Vratislavienſium Vocabulo denotati. IX. 28. num à Convenarum Frequentia Slezaci. X. 28. 29. ob admixtos Familiis ſuis Slavos, Slavi. I. 46. 59. 79. ob Societatem cum Polonis Poloni. I. 47. 59. 61. 62. num Poloni etiam dicti ob Iurisdictionem Polonicam. I. 63. ob Sermonem Polonicum. I. 64. quid ab Anno 550 ad 600 geſſerint. I. 80. 81. quô Iure Slavis conjuncti. I. 86. à Polonis ſeparati. II. 7. 10. iterum ſeparati. III. 1. ad Polonorum Societatem reverſi. III. 10. ab eâ ſecesſuri, per Ducis Popieli II. Uxorem Germanam revocantur. IV. 38. Ducem nullum habentes, liberrimus Populus. IV. 39. jam ſub Imp. Carolo Magno Germanis annumerati. IV. 3. 4. Imp. Carolo Calvo Tributum denegant.

gant. V. 1. à Polonis separati, Cæsareo Præfecto Germano parent. VIII. 78. tumultuantibus Polonis, quieti. VIII. 85. Thuringos & Bavaros invadunt. V. 13. Legibus, quas Pontifex Romanus Polonis præscribit, non obligati. VIII. 101. 113. 114. 115. Secechum Palatinum Cracovienſem, Odio proſequuntur ob ſcelera. IX. 26. à Polonis deficiendi Cauſam habentes, non deficiunt. IX. 27. de Sbigneo, Boleslai III. Ducis ſui Fratre cum aliis Exſulibus in Urbem Vratislaviam recipiendis deliberant. IX. 27. eos certis Conditionibus recipiunt. IX. 28. Polonis fugientibus ſtantes, Imp. Henricum V. in Prælio ad Vratislaviam vincunt. X. 21. 22.

Sileſiis finitimi antiquis Sarmatæ Baſtarnæ, Iazyges, Marcomanni, Boji, Vandali: recentioribus Poloni, Hungari, Moravi, Marchici. I. 1. 30. Uſus Sermonis Germanici nativus, Polonici peregrinus. I. 68. 69. 70. Pratum magnum olim à Radicibus Worzelavia dictum, hodie Vratislavienſis Ducatus. VII. 59. Campus Caninus prope Vratislaviam unde nominatus. X. 26. 27. Inſigne Aquila, I. 85. peculiares Duces attulit Polonicarum Provinciarum Diviſio. XI. 1.

Sileſiis Germanis num Interitum attulerint Slavi Poloni. I. 37. 38. 39. 40. 41. 42. Luitbertus Archiepiſcopus Moguntinus, & Ratolfus Luſatorum Præfectus Obſequium per Arma præcipit præſtandum Imp. Ludovico Secundo. V. 20. an Suatoplucus Moravorum Rex imperaverit. V. 23. 26. 27. 28. Bellum infert Imp. Henricus Secundus. VIII. 49. 50. Bretislaus Bohemorum Dux. VIII. 91. Vratislaus Bohemorum Dux. VIII. 124. Bretislaus, Vratislai Filius, Bohemorum Dux. IX. 33. Imp. Henricus Quintus. X. 8. Sbigneus, Vladislai I. Sileſiorum Polonorumque Ducis Frater. X. 40. Sobieslaus Bohemorum Dux. X. 52. 53. 55. Imp. Fridericus Primus. XI. 109. 114. præterea Bellum eſt cum Bohemis. IX. 16. 34. Diſſidium cum Polonis. IX. 35. cum Sececho Cracovienſium Palatino, Vladislai I. Polonorum Ducis Aulico Miniſtro. IX. 29. Prælium cum Cæſareanis in Campo Canino ad Vratislaviam committitur acerrimum. X. 21. 22. 26.

Sileſiis Paganis Deus Iupiter. VII. 1. Chriſtiana Veritas innoteſcit per Monachos Græcos, prius Moravis, deinde Bohemis tradita, VII. 8. Die Martii VII. Dominica Lætare Baptismus confertur. VII. 9. 10. Mos, Idololatriæ paganæ partim Reliquias delendi, partim Exſecrationes conteſtandi. VII. 11. Chriſtianis jam per Græcos redditis, cur Pontifex Romanus, per Ægidium Cardinalem perſuaſis, ſe Ius in eos habere ſupremum Eccleſiaſticum, primos Epiſcopos dederit, non Sileſios, non Germanos, ſed exteros, ſed Italos. VII. 14. publicum Dei Cultum prohibet. IIX. 134. ob Stanislaum, Epiſcopum Cracovienſem, à Boleslao III. Sileſiorum & Polonorum Duce trucidatum. IIX. 135. potior Sacrorum, quam Nummorum Amor. IIX. 135. Antiquitates Eccleſiaſticæ primæ dudum perditæ. VII. 18.

Sileſiorum Epiſcopus Primus Smogrenſis à Mieslao I. Sileſiorum Duce conſtitutus. VII. 13. à quibus & quarum Rerum pro Reditibus acceperit Decimas. VII. 16 17. non, ut Vulgo ereditur, Polonorum Gnesnenſi, ſed Germanorum prius Moguntino, deinde Magdeburgico Archiepiſcopo ſubjectus. VII. 20. 21. IIX. 11. poſtea Gnesnenſium Archiepiſcopo ab Imp. Ottone III. ſubjectus. IIX. 12. Epiſcopi antiquiſimi à Canonicis non ſine Ducis Conſenſu electi. IIX. 129. Sæculo primo omnes Itali. IIX. 125. poſtea diu omnes Poloni. IIX. 126.

Sileſiorum Epiſcopatus Smogrenſis. VII. 12. fit Bicinenſis. IIX. 122. Bicinenſis fit Vratislavienſis. IIX. 120.

Sileſiorum Epiſcopi Smogrenſes: Gothofredus Romanus. VII. 12. 15. Urbanus Romanus. VII. 28. 31. Clemens Italus. IIX. 31. 62. Lucilius Italus. IIX. 82. 102. 110.

Sileſiorum Epiſcopi Bicinenſes: Leonhardus Italus. IIX. 82. 102. 110. Timotheus Italus. IIX. 110. 118. Hieronymus Italus. IIX. 118. 120.

Sileſiorum Epiſcopi Vratislavienſes: Hieronymus Italus. IIX. 120. 126. Iohannes I. Accipiter, Polonus. IIX. 126. 129. Petrus I. Vulpinus, Polonus. IIX. 129. IX. 13. Zyroslaus I. Roſa, Polonus. IX. 13. 30. X. 43. Imislaus Leſcita, Polonus. X. 43. 50. Rupertus Korabita Polonus. XI. 12. 18. 56. Iohannes II. Gryphus, Polonus. XI. 56. 64. 65. Waltherus Zadora, Polonus. XI. 64. 66. 67. 68.

Sileſiorum Schola prima Smogrenſis. VII. 29.

Sileſiorum Monaſteria: primum Leubuſinum, Ordinis Benedictini, poſtea Ordinis Ciſtercienſis. IIX. 108. 109. Vratislavienſe S. Vincentis. XI. 84. S. Mariæ in Arena. XI. 85. in Monte Sabotho S. Auguſtini. XI. 88.

Sileſiorum Templa: primum Smogrenſe S. Iohannis Baptiſtæ. VII. 23. Cathedrale Smogrenſe, Bicinenſe, Vratislavienſe ligneum. IIX. 121. Vratislavienſe S. Vincentis. XI. 54. S. Mariæ. XI. 85. S. Michaelis. XI. 86. S. Martini. XI. 87.

Sileſiorum ſummi Principes, Romani Germanorum Imperatores, quibus Sileſiorum Duces ſubjecti fuerunt: Carolus Magnus. IV. 2. Ludovicus Pius. IV. 36. Ludovicus Secundus. V. 14. Carolus Calvus. V. 21. Arnolphus. VI. 29. Henricus Primus. VI. 2. Otto Primus. VI. 5. Otto Secundus. VII. 25. Otto Tertius. VII. 31. IIX. 1. Henricus Secundus. IIX. 34. 36. Conradus Secundus. IIX. 60. 70. Henricus Tertius. IIX. 104. Henricus Quartus. IIX. 123. 128. 130. Henricus Quintus. X. 2. 6. Lotharius Secundus. 49. 60. Conradus Tertius. XI. 1. 18. 54. Fridericus Primus. XI. 75. 99. & ſequentibus.

Silesiorum cum Polonis conjunctorum *Duces* Lechus Primus. I. 1. Cracus. I. 3. LechusSecundus. III. 12. Venda Virgo. III. 13. Lescus Primus. III. 19. Lescus Secundus. IV. 1. LescusTertius. IV. 31. Popielus Primus. IV. 35. Popielus Secundus. IV. 37. Piastus. V. 2. Semovitus. V. 12. Lescus Quartus. V. 23. Semomislaus. VI. 1. Mieslaus Primus. VI. 9. Boleslaus Primus. IIX. 1. Mieslaus Secundus. IIX. 60. a Polonis separatorum Dux Conradus. IIX. 78. cum Bohemis conjunctorum Dux Bretislaus. IIX. 104. cum Polonis conjunctorum Duces: CasimirusPrimus. IIX. 119. BoleslausSecundus. IIX. 123. 133. Vladislaus Primus. IX. 3. Boleslaus Tertius. IIX. 133. Vladislaus Secundus. XI. 1. Boleslaus Quartus. XI. 53.

Silesiorum cum Polonis, certas in Leges, ex Libertate, non ex Necessitate connexorum, *Duces* Fratres: Boleslaus Procerus, Mieslaus, Conradus Loripes, Patre Vladislao II. Silesiorum, Cracoviensium, Siradiensium Lancicienſium Duce nati, è Polonia in Germaniam discedunt Exsules. XI. 46. ad Imperatorem Conradum III. Cognatum suum XI. 58. diu in Germania vivunt. XI. 142. a Boleslao IV. Crispo Patruele, Masoviensium, Dobrinensium, Cujaviensium, Culmensium Duce, Silesiam, sed non universam, obtinent. XII. 14. 15. non ut Donum sed ut Debitum, in Patrimonii restituendi Partem. XII. 16. an cum Obligatione Subjectionis erga Patruos. XII. 20. 21. 22. cur a Polonia se non statim separaverint. XII. 24. Patruis Borussos debellantibus Auxilium præstant. XII. 25. mortuo Patruo Henrico cœlibe, nihil Hæreditatis a Patruis impetrant. XII. 26. iis, Borussico Bello fractis, ob hanc & alias Injurias inferunt Bellum. XII. 27. Poloniæ Posnanienſem Terram devastant. XII. 33. Patruo Boleslao IV. in Pacem Armis non superabiles, Rationibus flexiles fiunt. XIII. 34. 35. 37. Silesiæ cunctas in residuis occupatas Urbes, Lege Pacis concessas, retinent. XII. 36. cur, post habitis Cracovienſium, Siradienſium, Lancicienſium Provinciis, Silesia sola in Patrimonium contenti fuerint. XII. 17. Silesiæ divisæ fit mediæ Dux Boleslaus Procerus, Superioris Dux Mieslaus, inferioris Dux Conradus. XII. 43.

Silesiorum Capitanei, hoc est, Præfecti, Vratislavienses: Anonymus Germanus. IIX. 78. Bretislaus Bohemus. VIII. 93. Magnus Comes. IX. 2. Voislaus. IX. 30. 37. 43. Petrus Danus. XI. 89. Glogovienſis, Voislaus. X. 48.

Silesiorum Provinciæ: Vratislavienſis, olim Pratum magnum à Radicibus Worzelavia dictum. VII. 56. Glacenſis. IIX. 30. Glogovienſis. X. 48.

Silesiorum Urbes designatæ Nominibus Germanicis. I. 71. Polonicis. I. 72. Urbes: Aurasium. I. 72. Bartum. IX. 34. Beccerum. IX. 16. Bernstadium. I. 71. Bethania, (Beuthena, Bythonia.)

I. 72. X. 9. XI. 11. Bicina, Bilicium, Boberavia, Boberiberga, Bolckenhanium, Brega, Boleslavia, Cæbena, Cantium. I. 72. Camencium. IX. 20. 34. 45. 47. Coscenum. XI. 11. Cosela (Cosla) I. 72. X. 4. Crappicium. I. 72. Creutzberga. I. 71. Crosna I. 72. IIX. 34. 49. X. 64. Cunstadium, Engelsberga, Falckenberga, Festenberga, Franckensteinium, Freiberga, Freihanum, Freistadium, Freivvalda, Freudenthalium, Frideberga, Fridecka, Fridlandium, Gebbersdorfium, Georgenberga. I. 71. Glacium [Closcum] I. 71. IIX. 30. 124. X. 64. Glogovia. I. 72. IIX. 53. IX. 16. X. 3. 11. 12. 13. 14. 15. 48. III. Goldberga, Gotsberga, Greiffenberga [Gryphimontium] I. 71. Gredisberga, [Grediſium, Grodesium, Grothecium] XI. 59. 110. Grotkovia. I. 72. Grunberga. I. 71. Guravia, [Gura, Gera, Gora) I. 72. X. 10. Haynovia, Henrichavia, Hirschberga, [Cervimontium] Herenstadium, Hundesfelda [Pfiepole] I. 71. X. 25. 26. Iablunca, Iavoria [Iauravia] I. 72. Iægerndorfium [Carnovia] Kaltensteinium, Ketzerdorfium, Kunsberga, Kupferberga [Cuprimontium] I. 71. Landeshutta, Lauterbachium. I. 71. Lehnum, Leobschucium. I. 72. Lœvvinum, Liebenavia, Liebenthalium. I. 71. Lignicium, Lissa, Meziboria, Milicium. I. 72. Monsterberga, Naumburgum. I. 71. Namslavia. I. 72. Neukirchenium, Neumarcum, [Noviforum] Neuroda, Neustadium, Niclasstadium, [Nicolopolis] I. 71. Nimicium [Nemicium, Nemcium, Nimptschium] I. 74. IIX. 53. 59. 73. 140. Nissa. I. 72. Oderberga, Olavia. I. 71. Olsna, Oppolia, Parchvvicium. I. 72. Pauervvicium. I. 71. Plessa, Prausnicium, Pribusium, Ratiboria, Rauda. I. 72. Reccenum. X. 10. Reichenbachium, Reichensteina, Rosenberga. I. 71. Saganum. I. 72. Schmideberga, Schœnavia, Schvveinicium [Suidnicium] Silberberga. I. 71. Smogra. VII. 5. Sommerfelda. I. 71. Soravia, Sprottavia. I. 72. Steinavia. I. 71. Strela, Strelicia, Strigovia, Stroppavia. I. 72. Suebusium. I. 71 Tarnovicium. I. 72. Trachenberga. I. 71. Teschena, I. 72. Troppavia, Vratislavia [Bratislavia, Bresla] I. 71. VII. 38. Waldenberga, Warta, Wartenberga, Weidenavia, Weiskretschemium, Wigstedelium, Winzigia, I. 71. Wolavia. I. 71. XI. 14. Wogstadium, Zullichovia. I. 72. Ziegenhalsum, Zuckmantelium, Zulauffium. I. 71.

Sileucia Silesia. III. 16. IIX. 56.

Iohannes *Sitschius*. Silesius, moritur. VII. 39.

Siusli Silesii. V. 13.

Slezaci an ob Convenarum in Silesia Copiam dicti fuerint Silesii. X. 28. 29.

Slavus, Slavacus, Slavenus, Slavinus, Slavunus, Slovacus, unde vocetur.

tur. I. 6. à Slovvo, Verbo, Verbosus. I. 7. à Slavo, Gloria, Glorioſus. I. 7. 8.

Slavi Nomen Sclavorum faſtidiunt. I. 6. 7. prius Sclavi, quam Slavi nominati Græcis & Latinis. I. 8. Sæculo demum Sexto Germaniam primum ingreſſi. I. 23. circa Viſtulæ cum Fontes, tum Oſtia, Sedem habuerunt. I. 17. 25. 27. Unde Sileſiam intraverint. I. 27. Lechitæ exiſtimantur Poloni, Zechitæ Bohemi. I. 28. quâ Via Zechitæ in Bohemiam, Lechitæ in Poloniam pervenerint. I. 29. quando Sileſiam intraverint. I. 32. 33. 34. 35. an Sileſios deleverint. I. 37. 38. 39. 40. 41. 42. Pipinum Francorum Germanorum Ducem, Imp. Caroli Magni Proavum, formidant. II. 8.

Slavorum Polonorum cum Germanis Sileſiis conjunctorum Origo. I. 1. Polonorum Bohemorumque Duces Lechus & Zechus Fratres. I. 28.

Slavorum Nomen unde. I. 6. Sermonum in Babylonica Linguarum Mixtura procreatus. I. 18. 19. inartificialiter barbarus. I. 67. Sileſiis Germanis peregrinus. I. 68. 69. Nomina multa formavit è Germanorum Vocibus. I. 73. 75. 76. Moravis ad Religionis Chriſtianæ Cognitionem ſerviit. VII. 5. à Iohanne IIX. (aliis IX.) Pontifice Romano in Sacris non adhibendus ſtatuitur. VII. 5. adhiberi, ſed ægrè conceditur. IIX. 6. Populus quis. I. 10.

Sleſino Lacus & Oppidum in majore Polonia. V. 5.

Smogra Sileſiæ quondam Oppidum, hodie Pagus, in Ducatu Vratislavienſi, Diœceſi Namslavienſi, Epiſcopalis Sedes. VII. 15.

Smogræ Sileſiorum Templum primum S. Iohanni Baptiſtæ ſacrum. VII. 23. Schola prima. VII. 29.

Smogrenſis Epiſcopatus a Mieslao I. Sileſiorum primo Duce Chriſtiano conſtitutus. IIX. 120. ideo dictus interdum Vratislavienſis, cum adhuc eſſet Smogrenſis. IIX. 114.

Smogrenſes Sileſiorum Epiſcopi: Gothofredus Romanus, VII. 28. 31. Clemens Italus. IIX. 31. 62. Lucilius Italus. IIX. 62. 82. Leonhardus Italus. IIX. 82. 102. 110.

Sobieslaus. Vladislai Bohemorum Ducis Frater Exſul, Defenſorem habet Boleslaum III. Sileſiorum Polonorumque Ducem. X. 41. 48. Bohemorum Dux Provinciam Sileſiorum Vratislavienſem devaſtat ingratus. X. 52. 53. 55. ad Diſſidium cum Boleslao componendum ab Imp. Lothario I. in Franconiæ Bambergenſia Comitia citatus venit. X. 56. 58. cum Boleslao Inducias triennales init. X. 63. Pacem init. X. 64. iterum Sileſiam invadit: in qua Coſcenum Oppidum conditurus moritur. XI. 11.

Sorabi Luſati. V. 13.

Spali Poli, an Poloni. I. 51. Sarmaticus Aſiaticus Populus. I. 52.

Stanislaus Epiſcopus Cracovienſis in Templo ad Aram à Boleslao II. Polonorum Duce trucidatur. IIX. 133.

Stephanus Comes, Sobieslai Bohemorum Ducis Nuncius, in Latrones intra Sileſiam prope Glogoviam incidit, ex Bobero Fluvio ſemivivus extractus moritur. X. 48.

Suatoplucus Bohemorum Dux, Imp. Henrici V. Sileſios debellantis Socius. X. 8. per Inſidias in Caſtris interficitur.

Suatoplucus Kiovienſium Dux. XI. 19.

Suatoplucus Moravorum Rex, an Sileſios Imperio ſuo habuerit ſubjectos. V. 23. Paganis Moravis ad Veritatem Chriſtianam agnoſcendam Doctores ab Imperatore, non Romano, ſed CPolitano, expetit. VII. 2. 3.

Sulanes Sarmatæ. I. 50.

T.

Templum Sileſiæ primum, S. Iohanni Baptiſtæ ſacrum. VII. 23. Cathedrale Smogrenſium, Bicinenſium, Vratislavienſium ligneum. IIX. 121.

Timotheus Italus, Sileſiorum Epiſcopus Bicinenſis. IIX. 110. caſtus & beneficus. IIX. 112. moritur IIX. 118.

Tonſura Capillorum, uſitata Polonis Paganis ad offerendas Deo Primitias. VI. 11. Polonis Chriſtianis cur à Pontifice Romano præcepta. IIX. 99.

Trachulfus Luſatiæ Gubernator. V. 19.

Tributarii an Poloni Germanis unquam fuerint. IV. 7. 8. XI. 37.

Tributum à Polonis exigunt Franci Germani. III. 15.

V.

Vandali Germani, non Slavi Vendi. I. 14. 16. unde nominati. I. 31. Sileſiis proximi. I. 30. cur pro Vendis habiti. I. 31.

Vandalorum Germanorum pro Slavis Vendis habitorum non primus Autor Albertus Krantzius. I. 14.

Udalricus Bohemorum Dux, Imp. Conradi II. Adverſarius. IIX. 67. ſubdolus Mieslai II. Polonorum Ducis Amicus. IIX. 68.

Venda Virgo, Sileſiorum atque Polonorum Dux. III. 13.

Vendi, Wendi, Venedi, Vinidi, Winidi. I. 11. non Veneti. I. 12. non Vandali. I. 14. Sarmatæ, ubi Sedem in Germania tenuerint. I. 17. 25. cur pro Vandalis habiti. I. 30. 31.

Vendorum & Slavorum Diſcrimen. I. 24.

Veneti non Vendi. I. 12. non Sarmatica, ſed prius Paphlagonica, deinde Italica Gens. I. 13.

Viadrus habet Ortu Germanicum Nomen: Die Ader, Viader, Viaderus, Viadrus: hinc die Oder, Odera. I. 75. 76.

S. Vincentii Vratislavienſe Monaſterium quis condiderit. XI. 84.

Vladislaus Bohemorum Dux à Boleslao III. Sileſiorum & Polonorum Duce debellatur. X. 41. cum eodem init Pacem intra Sileſiam. X. 42. ab Imp. Friderico I. creatur Rex, donaturque Polonico Tributo. XI. 37.

Vladislaus I. Cognomento Hermannus, Sileſiorum Polonorumque Dux, Capitaneis Præfectus. IX. 3. per ſe mitis, ſed per Secechi Palatini Cracovienſis, innocentium Perſecutoris, Artes durus. IX, 30. cur Titulo Ducis contentus a Regis Titulo abſtinuerit. IX. 4. 5. 8. Moravis Cladem infert. IX. 17. Vratislavienſibus Bellum illaturus, in Sileſiam venit: in Arcem recipitur, non ſuperatus Armis, ſed placatus Verbis. IX. 30. Vratislaviam, non, ut quidam commemorant, obſedit. IX. 31. diviſo Patrimonio Filiis ademturus excitat Litigium. IX, 35. Camenciam Sileſiorum Arcem accipit. IX, 45.

Vladislai I. Filius legitimus, Boleslaus: naturalis, Sbigneus, Exſulum Polonicorum Caput armatus in Sileſiam venit ad Vratislaviam. IX. 25. 35.

Vladislaus II. Boleslai III. Sileſiorum Polonorumque Ducis Filius, Sileſiorum Germanorum, Polonorum Cracovienſium, Siradienſium, Lancicienſium Dux, Imp. Conrado III. ſubjectus. XI. 2. 3. 18. Teſtamento Patris, Conſenſu Fratrum Procerumque, conſecutus in Fratres Imperium. XI. 3. 8. 10. diſſidet cum Fratribus, quos exhæredare conatur. XI. 18. Proceribus Diviſionem Polonicarum Provinciarum oſtendit noxiam. XI. 33. in multis, quæ perperam egiſſe dicitur, excuſabilis. XI. 32. 34. Fratrum, tanquam Princeps, tentat Parientiam, Reverentiam, Obedientiam. XI, 36. eos contumaces Vi premit. XI. 37. Provinciis ſpoliat, Poſnaniæ clauſos obſidet. XI. 39. 40. ſecurior in Caſtris, experitur Oppreſſores. XI. 41. Cracoviam fugit. VI. 42. ibi non tutus, per Sileſiam, in ulteriorem Germaniam ad Affinem Cæſarem Conradum III. diſcedit, XI. 45. 58. Exſul omnes Provincias, à Fratre Boleslao IV. occupatas, amittit. XI. 53. per eundem Imperatorem recuperare fruſtra conatur. XI. 61. 70. ab eo, in Exſilii Solatium, quasdam Poſſeſſiones obtinet, vanis Fratrum Promiſſis eluſus. XI. 71. 72. Sileſiæ duo Caſtra, Nimcium & Grodiſium accipit. XI. 59. ex quibus Provinciam Sileſiæ Vratislavienſem affligit. XI. 73. eadem amittit, dum Auxilia Germanica quæſiturus, abeſt. XI. 74. Exſul moritur. XI. 138. dubium, in Holſatia, an in Polonia, Veneno à Fratribus interemtus. XI. 139. 140. quam habuerit Uxorem. XI. 19. an Gertrudem, Leopoldi Marchionis Auſtriaci Filiam. XI. 20. an Chriſtinam, Imp. Henrici V. Filiam, Henrici IV. Neptem. XI. 21. 23. 24. 25. nec Gertrudem, nec Chriſtinam, ſed Adelheidam, Imp. Henrici, non V. ſed IV. Filiam. XI. 26. Sileſiæ Cancellarium habuit Magnum Zarembam, Canonicum Vratislavienſem. X. 15.

Vojebodæ Polonorum Palatini, Duces Belli. II. 2.

Voislaus Sileſiorum Glogovienſium Præfectus. X. 48.

Voislaus Sileſiorum Vratislavienſium Capitaneus. IV. 32. Boleslai III. Sileſiorum Polonorumque Ducis Pueri Ephorus. IX. 32. ob Conſpirationem cum Cracovienſi Palatino Sececho initam, Vladislao I. Sileſiorum Polonorumque Duci ſuſpectus. IX 37. ejus Filiis Boleslao III. & Sbigneo, ipſisque Vratislavienſibus ideo ſuſpectus, in Urbem non admittitur. IX. 41.

Vratislabia Bohemiæ quoddam Oppidum, à Bohemorum Duce Vratislao conditum. VII. 48. unde vulgaris Error, ab eodem Vratislao Vratislaviam Sileſiæ conditam. VII. 49. 50. 51.

Vratislabia interdum Vratislavienſis Provincia, interdum univerſa Sileſia dicitur. IX. 28. 35. 40.

Vratislabia Sileſiæ primaria Urbs unde Nomen ſuum acceperit. VIII. 38. primum non Vratislaviæ Slavicum, ſed VVorzelaviæ Germanicum habuit. VII. 71. cur Germanico prius, quam Slavico Vocabulo deſignata fuerit. VII. 76. 77. cur à Scriptoribus pauciſſimis VVorzelavia dicatur. VII. 78. 79. 90. quamdiu VVorzelaviæ Nomen retinuerit. VII. 89. quando Vratislavia nominari cœperit. VII. 82. num à Trajectu, Slavis Broda & Brata. VII. 39. ideo non Vratislavia, multò minus VVratislavia, ſed Bratislavia vocanda. VII. 46. num à Conditore Vratislao. VII. 47. quonam Vratislao. VII. 46. 47. 48-50. à Bretislao, Bohemorum Duce non Conditore primo, ſed primo Reparatore, Bretislavia, Bretslavia, Breslavia, Bresla: & ab eodem, quibusdam Bratislao, Polonis aut Vratislao, aut durius VVratislao appellato, Bratislavia, corruptè Vratislavia, corruptius VVratislavia nuncupari ſolita. VII. 83. quando ſit condita. VII. 59. 60. num à Mieslao I. Sileſiorum cum Polonis conjunctorum Duce primo Chriſtiano. VII. 39. 40. 41. 50. 58. ab eo utique condita, ſemper Chriſtiana. VII. 92. cur Epiſcopo Sileſiorum primo Sedes non data fuerit. VII. 74. 75.

Vratislabiæ Inſignia, per Imp. Carolum V. renovata: in quibus S. Iohannes Apoſtolus (Vulgo haberi pro Virgine ſolitus) invenitur. VII. 42. Templum Cathedrale S. Iohannis Baptiſtæ ligneum. VIII. 121. Templum S. Vincentii. XI. 84. S. Mariæ. XI. 85. S. Michaelis. XI. 86. S. Martini. XI. 87. Monaſterium S. Vincentii. XI. 84. S. Mariæ in Arena. XI. 85.

Vratislabiam Bretislaus Bohemorum Dux occupat & incendit. VII. 80. reparat & retinet. VIII. 91. 93. Caſimiro Sileſiorum Duci reſtituit. VIII. 119. Vratislaus, Bretislai Filius, ab Imp. Henrico IV. in Donum accipit cum tota Sileſia, ſed Poteſtati ſuæ non ſubjicit. IX. 10. ab eo Vratislao, neque Conditore, nec Inſtauratore, neque Poſſeſſore Nomen Vratislaviæ conſecutum cenſentes, non ſunt excuſabiles. VII. 88. expugnaturus Bretislaus, Vratislai Filius, condit Arcem Camenciam. IX. 20. obſeſſurus Vladislaus I. Sileſiorum Dux, placatur Verbis. IX. 30. non. ut quidam memorant, obſidet. IX. 31.

Vratislabienſes interdum Sileſii vocantur. IX. 28. Secechum, Palatinum Cracovienſem, innocentium Perſecutorem iniquum & fraudulentum, apud Vladislaum I. Sileſiorum Polonorumque Ducem accuſant. IX. 29. ejusdem Vladislai Filio, Boleslao III. expetitum Auxilium contra Secechum præſtant. IX. 41. 42.

Vratislabienſis Epiſcopatus, prius Smogrenſis, deinde Bicinenſis. Vlll. 120. ideo reperitur etiam Smogrenſis Bicinenſisque dictus Vratislavienſis. VIII. 114. à Caſimiro Sileſiorum Duce redditur opulentior. Vlll. 120. haber ligneum & Pedum, & Templum. Vll. 122.

Vratislabienſes Epiſcopi: Hieronymus Italus. Vlll. 120. 126. Iohannes I. Accipiter Polonus. Vlll. 126. 139. Petrus I. Vulpinus, Polonus. Vlll. 129. IX. 13. Zyroslaus I. Roſa. Polonus: IX. 13. 30. X 43. Imislaus Leſcita, Polonus. X. 43. 50. Rupertus Korabita, Polonus. X. 50. XI. 12. Magnus Zaremba, Polonus. XI. 12. 15. 56. Iohannes II. Gryphus, Polonus. XI. 64. 66. 67. 68. VValtherus Zadora, Polonus. XI. 64. 66. 67. 68.

Vratislabienſes Canonici: Magnus Zaremba. XI. 15. Johannes Gryphus. XI. 56. VValtherus Zadora. XI. 66.

Vratislabienſes Præfecti: Magnus Comes. IX. 2. Voislaus. IX. 32. Petrus Danus. XI. 89.

Vratislabienſium Mos, Die ſacro Lætare, circumportandi Arborem virentem, Deoque Laudes cantandi. Vll. 11

Vratislabienſium Provincia, hodie Ducatus, ſolum habet frugiferum, Radicibus plenum. Vll. olim Pratum magnum à Radicibus VVorzelavia dictum. Vll. 56. devaſtatur à Sobieslao Bohemorum Duce. X. 52. 53. 55. ab Imp. Friderico Primo. XI. 109 114.

Vratislaus, Natione Slavus, non Polonorum, ſed Bohemorum Dux, an Urbis Vratislaviæ

tislaviæ Conditor. Vll.45.num Sæculo Vll. superstes. Vll. 46.47.58. an Sæculo IX. superstes. Vlll. 124. Bretislai Filius, Bohemorum Dux, Silesiam diripit & devastat. Vlll. 124. ab Imp. Henrico IV. Misénam vocatus, ad colendam cum Boleslao II. Silesiorum Duce Pacem adigitur. Vlll. 128. Silesiam in Donum accipit. IX. 10.12. moritur, IX. 16.

Urbanus Romanus, Silesiorum Episcopus Smogrensis. Vll. 28. Eruditionis Propagator. Vll. 29. Gnesnensi Polonorum Archiepiscopo ab Imp. Ottone III. subjectus. Vlll. 10.

Urbium etiam Instauratores, quamvis non Conditores fuerint, Conditores vocari solent. Vll. 44. primariarum Nomina Provinciis dant Nomen. Vll. 56.

Vulpinorum Familia nobilis Polonica. Vlll. 129.

VV.

W Litera, in Vratislaviensis Urbis Insignibus an Conditorem denotet. Vll. 41. 42. Polonis ut B legitur, in quod sæpe convertitur. Vll. 84.

Waltherus Zadora, Polonus, Boleslai IV. Crispi, Silesiorum Ducis, Cancellarius, Canonicus Vratislaviensis & Cracoviensis, postea Silesiorum Episcopus Vratislaviensis. Xl. 66. pro Ritibus Ecclesiasticis Cracoviensibus introducit Gallicos. Xl. 67. moritur. Xl. 68.

Wenceslaus Bohemorum Dux Martyr, Vratislaviensibus in Pretio habitus. Vll. 42.

Wendi, Vendi, Vinidi, VVinidi. I. 10.

Wolabiensium Arx per Vladislaum II. Silesiorum Ducem munita. Xl. 140.

Wortisla, VVorzela, Vlll. 10. VVortislaviensis, VVorzelaviensis. Vll. 70.

Worzelabia, id est, Campus Radicum. Vll. 53. Vratislaviensis, primum totius Provinciæ, postea Urbis Germanicum Nomen. Vll. 56. 69. quondam nominata Vratislavia. Vll 71. quamdiu Nomen hoc gesserit. Vll. 89.

Worzina. VVurzena, Misnensium Oppidum. Vll. 5 .

Wratislabia pro Vratislavia corrupte scribitur. Vll. 85.

Wurzel, id est, Radix, Germanis antiquis VVorzel dicta. Vll. 53.

T.

Ymislaus, aliis Imislaus, Polonus, Episcopus Vratislaviensis X. 44.

Z.

Waltherus Zadora, Polonus, Episcopus Vratislaviensis. Xl. 66. 67. 68.

Zadorcorum Familia nobilis Polonica. Xl. 66.

Magnus *Zaremba* Polonus, Episcopus Vratislaviensis. Xl. 15 16. 17. 55.

Zarembiorum Familia nobilis Polonica. Xl. 15.

Zechitæ, Bohemi. IV. 19.

Znena Poloniæ Majoris Oppidum. X. 45.

Zyroslaus I. Rosa, Polonus, Episcopus Vratislaviensis. IX. 13. inter Canonicos Vratislavienses alit Amicitiam. IX. 14. Ecclesiasticas Res auget, ornat, perficit. IX. 15. Vladislao I. Silesiorum Polonorumque Duci Vratislaviam obsessuro, cum Clericis obviam veniens, Animum flectit. IV. 30. moritur. X. 43.

(O)

MARTINI HANKII DE SILESIIS INDIGENIS ERUDITIS

POST LITERARUM CULTURAM, CUM CHRISTIANISMI STUDIIS, ANNO 965 SUSCEPTAM, AB ANNO 1165 AD 1550.

LIBER SINGULARIS.

Additi sunt sex INDICES.

LIPSIÆ,
Sumtibus CHRISTIANI BAUCHII,
Bibliopolæ Vratislaviensis. M. DCC. VII.

WBP
Opole

Ex
libris
Dipl. Ing. J. Kubera

NOBILISSIMO DOMINO

IOHANNI WEISIO,

SERENISSIMI SAXONUM DUCIS
MARTISBURGENSIS
INTRA SUPREMUM INFERIORIS LUSATIÆ REGIMEN
CONSILIARIO,
EX SILESIORUM LEOBSCHUCIENSIUM
GEORGII FRANTZKII, VIRI SUMMI,
GERMANORUM PRINCIPIBUS INSTAR ORACULI,
PROSAPIA GENITO,
IURIS ET CIVILIS, ET FEUDALIS SCIENTIAM
SCRIPTIS EGREGIIS COMPLEXO:

ANTE XXXXVIII ANNOS,
INTRA GOTHANUM AUDITORIUM EXTRAORDINARIUM,
QUO MAGIS ALIOS PRÆCELLENTI,
EO MAGIS AD SPEM, IMO SUPRA SPEM,
AD CELSIORA VIRTUTIBUS ET MERITIS PROGRESSO,
AUDITORI SUO,
HUNC DE SILESIIS INDIGENIS ERUDITIS CODICEM,
IN FAVORIS SEMPER CONSTANTIS,
GRATO ANIMO AGNITI,
QUODDAM, NON REDHOSTIMENTUM,
SED DOCUMENTUM,
SÆPIUS PRIVATIM, PUBLICE TANDEM
EDITUM,
ADDICTISSIMUS SENI SENEX
OFFERT
MARTINUS HANKIUS,
ANNO M. DCC. VII. DIE XV. FEBRUARII,
NATALI SUO LXXV.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

I.

SILESIORUM Historiis Accessiones, diuturnis Curis, ex Latebris profundioribus, conquisitas, in apertam Lucem proferendi quodnam Consilium nobis placúerit, Opuscula nostra, præterlapso Quinquennio edita, Lectoribus patefaciunt. Nam, de potioribus SILESIORUM Momentis Observationes, in Adversaria nostra per Annos Quinquaginta, & quod excurrit, conjectas, sub Ordinem justum redactas, communi appetentium Usui repræsentare, dudum fixa nobis Sententia steterat: cum tandem SILESIORUM prius de NOMINIBUS, postea de MAIORIBUS, ab Orbe condito ad Annum Christi 550, ANTIQVITATES: præterea de REBUS ab Anno 550 ad 1170, EXERCITATIONES publicaremus.

II. Has,

II.

Has, si Proposito nostro Successum sæpe novus auxisset Successus, jam exciperent nostri, quemadmodum Materiâ, sic Formâ consimiles, de SILESIORUM MEMORABILIBUS ab Anno 1170 ad nostrum Tempus ANNALES. Hactenus universos elaborare, non in nostra fuit Manu: cui perennis ordinariorum, eorumque multiplicium Officiorum Nexus rarum Otium concessit: ipsa non nunquam Senectutis gravior Imbecillitas Sufflamen injecit.

III.

Quamobrem, cum ANNALIUM nostrorum Corpus totum brevi consummare, supra Vires nostras esse videremus, quoddam Membrum separatum, de SILESIORUM VITIS, perficere constituimus. Eos, Mentione dignos, non unius Notæ SILESIOS invenimus: plurimos INDIGENAS: intra Silesiam natos, quorum Pars ibi, Pars alibi suam Ætatem consumsit: cæteros ALIENIGENAS, extra Silesiam natos, quibus ea Ius Civitatis donavit, Sedis Perpetuitatem contulit: utrosque dissimillimus Proprietatibus, Familiis, Literis, Armis, aliis censendos. In tot SILESIORUM Varietatibus, solos huic Codici destinavimus simul & INDIGENAS, & ERUDITOS.

IV.

ERUDITORUM autem Titulo designamus omnes Scientiis, maximè Scriptis, Scientiarum Indicibus, æstimabiles: quos

quos pares, quanquam ipsa dispar, Eruditio facit. Ideo aliis Prærogativis tam eminentes, quam carentes, tanquam æquabiles, uni eidemque Nomini subjecimus, non ut Illustres sed ut ERUDITOS. Non enim reperire potuimus, cur ERUDITUM vocari turpe cuiquam sit habendum, si turpe non est, ERUDITUM esse: potissimum iis, quorum & Provinciis ad Amussim gubernandis, & Dignitatibus ex Merito retinendis necessaria est ERUDITIO.

V.

Eâ certè quisquis præditus non est, plenam Hominis Excellentiam non habet. Hæc enim ad optima quæque duabus velut Manibus Possessorem suum instruit, corroborat, exornat: quarum Sinistra est ERUDITIO, Rationis Bonum: Dextra est VIRTUS, Bonum Voluntatis. Eruditionis Pars nobilissima est Scientia Virtutis. Cuicunque Natura Virtutis perspectissima non est, is quæ Virtutis, non dicam, Miracula edere, sed Officia præstare, sicut par est, potest? Contra, quò plus Eruditionis possidemus, eò plus Virtutis, etsi non semper consequimur, semper tamen consequi valemus. Imo, si Fas est, profiteri, quod Res est: non aliud quicquam in Hominem cadit, quò mereatur veram durabilemque Laudem, nisi ERUDITIO & VIRTUS. Iis quando Generis, Potestatis, & alios Honores, cum exspirantibus Mortalibus exspirantes, dubium, magis delicatus, an depravatus Sæculi Genius præfert: quid Casu, non quid Studio: nec quid Iure, sed quid Consuetudine Sublimem Famam obtineat, docemur. Quid multa? Postremo Die, qui temporariis nostris, tam Voluptatibus, quam Dignitatibus Fatum in toto Mundo supremum afferet, nemo, nisi ob ingenuam Eruditionis Virtutisque Societatem, fideli-

fideliter acquisitum in Terris, feliciter consummatum in Cælis retinebit Decus. Non videmus igitur, quare sit fastidienda Virtutis & Genetrix, & Nutrix, quanquam non in omnibus, Eruditio.

VI.

Quanti fecerit Eruditionem Antiquitas, ex Summorum Virorum Exemplis Documentum capimus, qui glorioſis Natalibus, Stationibus, Divitiis, Iuribus Honores Academicos, Magiſtris Doctoribusque conferri ſolitos, in aliquod Eruditionis, non deinde promerendum, ſed jam promeritum Præmium, ſuperadditos, etſi Comites, Barones, Equites, ne tum quidem abjicere ſuſtinuerunt, cum ad Epiſcoporum, Abbatum, Canonicorum, etiam Præfectorum, ſeu Urbanorum, ſeu Provincialium aſcenderunt Faſtigium. Talis Conditionis multos, in Academicarum Rerum Scriptoribus paſſim obvios, tam SILESIOS, quam Exteros indicare poſſumus, ſed ſuperſedebimus: de quibus generatim quædam Teſtimonia in medium afferre ſufficiat. Martinus Volckmannus in Academiæ Pragenſis Gloria, Encomio XXIII, de Studio Theologico: *Tanta olim in Æſtimatione fuit, ut nemo, niſi Theologico Honore aliquo decoratus, aut opulentius Sacerdotium, aut Dignitatem in Eccleſia quampiam conſequeretur.* Encomio XXVI: *Quid mirum, ſi Cæſaris* (Caroli IV. publicas Diſputationes Philoſophicas Præſentiâ ſuâ condecorantis) *Exemplum ipſi Sereniſſimi Reges, Ceſſiſſimi Principes, Illuſtriſſimi Comites & Barones, Flosque univerſæ Nobilitatis, & Scientiæ huic dederunt Operam, & in hac Facultate ſupremam adipiſci voluerint Lauream: quos vetus MStus Codex in Actis Philoſophicis copiosè recenſet.* Nicolaus Henelius in Sileſiographia Renovata, Cap. VIII. §. 115 *Nec*

Nec illud Silentio prætereundum eſt, fuiſſe Tempus, cum primarii è Nobilitate Sileſiaca Viri Literarios ſive Academicos Titulos minimè abhorrerent, aut Genere ſuo indignos cenſerent. Ibidem, cum è Sileſiis quosdam, præter Baronem, Equites nominaviſſet: *Tantum abeſt, ut Titulos illos Academicos, magnæ Eruditionis Laude partos* (*quod noſtræ Ætate à non nemine, ut nobilem ſe ac ſuos eſſe dein doceret, factum novimus*) *abjurarent, ut potius, quoad vixerunt, iis ſalutari in Literis, qua publicis, qua privatis, pulchrum ſibi atque honorificum duxerint.* Inter noſtrates Moris veteris retinentiſſimos eminet Iacobus SALZA, Eques, Iuris utriusque Doctor, in Glogovienſium & Freyſtadienſium Ducatu Cæſareus Capitaneus: in cujus duobus Edictis, apud Andream Gryphium, inter Glogovienſia Privilegia exſtantibus, Anno M. D. XIII, ſcriptis, hæc inveniuntur: *Ich Iakuwf vom SALCZA, von Schreibersdorf, baider Recht Doctor, der Furſtenthwmer Groſſenglogaw, Freynſtad, ꝛc. Volmechtiger Hawbtman.* Videlicet, quemadmodum in Magiſtratibus Reges permanent Reges, quamvis etiam ſint Duces, Comites, Barones: ſic in Eruditis Equites permanent Equites, quamvis etiam ſint Doctores, Magiſtri, Baccalaurei.

VII.

Quæ cum ita ſint, neque Placitis antiquis hodierna reſpondeant: etſi, propter Academicos Titulos SILESIIS noſtris ERUDITIS annexos, non erit, cur ab omnibus Gratiam: erit tamen, cur à cordatioribus Veniam nobis polliceamur. Certè, ſi veteres Sileſios, de quibus agimus, Indumento quemque ſuo, depictos intuendosque proponeremus:

quis paulô aut ſapientior, aut verecundior mirabiles Formas, olim venerabiles, tanquam ridiculas, temere nauſeabit, in Dehoneſtamentum converſurus? Quaſi non ſit quotidianum, ut in arbitrariis ſemper Ritum Habitumque priorem aboleat poſterior: & recentiores, ut fœdum, ſpernant, quod ut pulchrum, vetuſtiores aliquandiu coluerunt. Iam, ſi Ornamenta Corporum priſca, olim pretioſa, prudenter curioſus adeo non faſtidit, ut potius, quô rariora, eô deſideratiora, in Oblectamentum aſpiciat: quis per ſe laudabiliter inventos Eruditorum Titulos Literarios, etiam celſis Capitibus aſſumtos, quibus ſe, citra Temporis ſui Nævum, multô humilioribus Studiorum Sociis, Eruditione conformes oſtendere, non dubitaverunt, in Memoriam Poſteris revocare, damnaverit Iure?

VIII.

Quanquam verò SILESIOS noſtros, ut ERUDITOS, in hunc librum aggregavimus: tamen ipſorum Vitis, non, niſi quod Eruditionem redolet, ſed, quicquid Annotatione dignum geſſerunt, adjiciendum ſtatuimus: ne diſtraheremus unius Autoris Actiones, Eruditionem aut Ducem, aut Comitem nactas, itaque cohærentes.

IX.

Ingenui Narratoris Partes implere, Conatu magno laboravimus. Acta nudum in Modum expoſuimus: quamvis non ignoraverimus, commendari Amatoribus, Oſoribus reprehendi, ſeu Iudicium, ſeu Affectum dominari patientibus. Hiſtoricorum enim, omnia proponere fideliter: diſtinguerè ſolerter, Bonis an Malis annumeranda ſint, Philoſophorum, Iurisperitorum, Theologorum eſt. Nihil proinde liber noſter, contra Veritatis Legem, Sinceritatisque Morem, nec ut Culpator injurioſus, nec ut adulatorius Laudator immiſcet. Quô purius Speculum Lectoribus eſſe poteſt, in quô & imitanda, & emendanda Contemplatores acutius intueantur.

PRÆFATIO ad LECTOREM.

X.

Ideō etiam, ut Severitatis cenſoriæ Notam effugeremus, Miracula, quæ non nullis Eruditis Sileſiis, præter alios, Abrahamus Bzovius & Bohuslaus Balbinus adſcripſerunt, ubi commemorata reperiantur, indicavimus, ipſa non enarravimus: quædam plane Silentio præterire maluimus, præſertim credulis, non ſagacioribus Lectoribus proponenda: quæ Cultoribus Eccleſiæ Romanæ circumſpectioribus ipſis adeo non arrident, ut potius Bilem moveant. Inter quos Melchior Canus, Epiſcopus Canarienſis, Tridentini Concilii Aſſeſſor, in Locis Theologicis, Lib. XI. Cap. VI, de Scriptoribus Paganis: *Quidam eorum*, inquit, *aut Veritatis Amore inducti, aut ingenui Pudoris Verecundia, usque adeo à Mendacio abhorruerunt, ut jam pudendum fortaſſe ſit, Hiſtoricos Gentium quosdam veraciores fuiſſe, quam noſtros. Dolenter hoc dico potius, quam contumeliosè: multô à Laërtio ſeverius Vitas Philoſophorum ſcriptas, quam à Chriſtianis Vitas Sanctorum: longeque in corruptius & integrius Suetonium Res Cæſarum expoſuiſſe, quam expoſuerint Catholici, non Res dico Imperatorum, ſed Martyrum, Virginum & Confeſſorum. Illi enim in probis, aut Philoſophis, aut*

aut Principibus, nec Vitia, nec Suſpiciones Vitiorum tacent: in improbis etiam Colores Virtutum produnt. Noſtri autem plerique vel Affectibus inſervíunt, vel de Induſtria quoque ita multa conſingunt, ut eorum me nimium non ſolum pudeat, ſed etiam tædeat. Ibidem poſt quædam: *Eccleſiæ igitur Chriſti hi vehementer incommodant, qui Res Divorum præclarè geſtas non ſe putant egregiè expoſituros, niſi eas fictis & Relationibus, & Miraculis adornarint.*

XI.

Ne cui tædioſum ſit noſtrum ſcribendi Genus: à Dictionibus, quantum fieri potuit, abſtinuimus vel ambiguis, vel ingratis. Cum Sileſiorum cuique Ducatui ab Urbe primaria Nomen inditum ſit: Equites, id eſt, Ordinis Equeſtris Viros, invicem diſtincturi, non ab Urbibus, ſed à Ducatibus, alios Vratislavienſes, alios Lignicenſes, alios Bregenſes nominamns: quem in Modum ipſos Ducatuum Dominos appellamus Vratislavienſes, Lignicenſes, Bregenſes Duces. Præterea, quoniam plerumque Nominum inveteratorum cum novitiis Permutatio genuiam Rerum Notitiam vel obſcurat, vel intercipit, Neceſſitas ipſa nos interdum adhibere juſſit aut prorſus barbaras, aut parum Latinas Voces, noſtro Sæculo, in Rebus Eccleſiaſticis, Politicis, Militaribus, aliis, evidenter indicandis, uſitatas, felicius Oratori, quam Hiſtorico evitabiles. Ad hæc in Diebus, ſecundum Faſtos aſſignandis, propterea non Romano, ſed Germanico, ut vocari ſolet, Calendario utimur: quoniam illius in hujus Dies, citra Moleſtiam vertere, non eorum eſt, quibus Romanorum priſcorum non eſt familiariter cognitum Hemerologium.

XII. Cæ-

XII.

Cæterum, quoniam Eruditio nemini connaſcitur, nemini ordinarium in Modum, niſi per Doctores imprimitur, SILESIIS noſtris ERUDITIS addidimus, quibus addere potuimus, Præceptores, Parentibus æquandos, imo anteponendos: omnino Memoria dignos. Quis enim neſcit, etiam nobiliſſimos debere ſuis, ut Genitoribus amabilem Gentis, ita Formatoribus venerabilem Mentis Nobilitatem: quarum prior alienum Nativitatis, externum Sortis: poſterior internum Laboris, proprium Virtutis Opus eſt. Ideoque ſuarum quidem maximarum Notitiarum Oſtentatores, optimorum vero Magiſtrorum Contemtores ſimillimi Spectatoribus temerariis ſunt, qui Radices humiles Arborum poſthabent, quarum celſiſſimos Ramos admirantur: &, qui Turrium Faſtigia commendant Oculis, Fundamentis advertunt Pedes.

XIII.

Ordine Sileſios noſtros non alio, quam eô, quô ex humanis Rebus Mors exemit, locavimus: Narrationibus congruenter proferendis, evidenterque capiendis apto: licet imi ſummos interdum præcedant. Ita Liber noſter inæquales fecit æquales, quales facere conſuevit Cœmeterium.

XIV.

Quicquid de Sileſiis noſtris commemoramus, hauſimus ex multiplicibus Monumentis editis: quorum Autores, cum

 paſſim

passim allegemus, hoc Loco referre, nihil attinet: potisimum ex MStis: (I) Chronicis: quorum meminimus in nostrarum Exercitationum de Silesiorum Rebus ad Lectorem Præfatione, §. XV. (II) Epistolis, cum intra publicas, tum etiam intra privatas Bibliothecas obviis. (III) Observationibus, quas diligentisimi de Silesiorum Gestis Annotatores nobis reliquerunt. Inter quos multa nobis suggesserunt, Daniel HEIDENREICHIUS, Davides RHENISIUS, Stanislaus KLUGIUS, Johannes BLAUFUSIUS, Johannes PARICIUS, Jeremias TSCHONDERUS, Nicolaus HENELIUS, Matthias MACHNERUS, Chrysostomus SCHULZIUS, Balthasar THOMÆ.

XV.

Tot è Fontibus vetustiores in hoc Opusculum traduximus SILESIOS, INDIGENAS, ERUDITOS, præcipue SCRIPTORES, post Literarum Culturam, cum Christianisimi Studiis, Anno 965 susceptam, ab Anno 1165, ad 1550 mortuos. Quô, velut Specimine quodam, Spem de Silesiis Eruditis apud non nullos dudum excitatam, sed quam longa Mora propemodum totam exstinxit, etsi non explere, tamen corroborare voluimus. Accedit, quod horum Silesiorum Vitæ, cum non adeo paucas Res publicas privatis admixtas contineant, nostras de Silesiorum Rebus Exercitationes ad Annum 1170 extensas, quodammodo in Supplementum, ad Annum 1550 adaugeant. Ad quem Annum productum etiam de SILESIIS ALIENIGENIS ERUDITIS Opusculum nostrum brevi Lucem conspiciet.

XVI.

XVI.

Residuos SILESIOS ERUDITOS, tam INDIGENAS, quam ALIENIGENAS, ad Annum 1550, vivis ereptos, in quorum Cognitionem pervenimus, ANNALIBUS nostris reservavimus Inserendos: quoniam eorum Virorum aut emortualem Annum, ad quem sint referendi: aut Patriam ipsam, utrum Indigenis, an Alienigenis annumerandi veniant, explorare nondum potuimus. Horum verò neutrum obstabit, quò minus Locum in Annalibus inveniant: qui non ERUDITOS tantum, verum etiam sub aliis Nominibus Memoriâ dignos complectetur, & INDIGENAS, & ALIENIGENAS SILESIOS.

XVII.

Quod si DEUS nostris Conatibus porro favens, in exponendis SILESIORUM ERUDITORUM, seu INDIGENARUM, seu ALIENIGENARUM Vitis pergere concesserit: Tempori nos servientes, in posterum Silesios, quamvis Eruditos, præsertim eminentes, quibus non præter Causam in Eruditis Locus parum commodus videbitur, ab Eruditis separatos, ad alios, in nostris Annalibus, transferemus.

XVIII.

His nostrorum SILESIORUM Vitis subjunximus sex Indices. Primus Prænominum, Secundus Cognominum Alphabeticus est: quoniam olim Eruditi frequentius Prænominibus,

bus, quam Cognominibus innoteſcere ſolebant. Tertius Geographicus Patrias: Quartus Chronologicus Annos Mortium: Quartus Librarius Scripta: Sextus Memorabilia comprehendit.

XIX.

Ita SILESIOS diu jacentes pro virili tandem non nihil erexìmus. ERUDITOS Eruditis æſtimandos præbemus. INDIGENAS etiam exteris, ALIENIGENAS etiam noſtris Terris utiles oſtendimus. SCRIPTORES adduximus, à quibus provenerunt conſignanda Scriptoribus. Id ERUDITI præſtant Populis, ut Cives, nec ad Mortem vivi procurrant, & mortui redeant in Vitam. Vratislaviæ Sileſiorum, Die Februarii XV, Anno M. DCC. VII.

DE SI-

DE

SILESIIS INDIGENIS ERUDITIS.

CAPUT I.

Cur Rem Literariam SILESII, Ab Anno ante CHRISTUM natum 333, Ad Annum CHRISTI 965. posthabuerint.

I.

SILESII, vetus GERMANORUM Populus', maxime ſub QUADORUM & LYGIORUM, quorum natio ELYSII fuerunt, Nominibus, Bello clarus, ad Eruditionem ſero pervenerunt, partim Occaſionis, partim Voluntatis Defectu: quoniam diu, ſi Armis, etſi non Literis, excellerent, ſatis habuerunt.

Ante CHRISTUM natum.

II. Nam [quod in noſtris Antiquitatibus de SILESIORUM MAIORIBUS, & annotatum, & demonſtratum reperitur] Anno, ante CHRISTUM natum 333, Olympiadis 112, ſecundo, Archonte Athenis

Evæneto, cum ALEXANDER MAGNUS, ille maximi Græcorum Imperii Conditor, ad Danubium accederet, QUADI Marcomannis, hoc eſt, Moravis, ad Orientem: Sarmatisque, Iazygibus quidem, hodie Hungaris, ad Meridiem: Baſtarnis autem, hodie Polonis, ad Occidentem proximi, Terram in Germania poſtremam poſſidebant. Tum vero Sapientiam in ultimis Progenitoribus Hebræis, olim conſpicuam, dudum à degenerantibus Poſteris ſubverſam, necdum à Vicinis reparatam, nec QUADI, nec LYGII, à Græcis Advenis [nunquam ſubacti] capere potuerunt.

III. IULIUS CÆSAR, Cn. Pompejo Magno iterum, M. Licinio Craſſo Conſulibus, Anno Urbis 698, ante C. N. 53, primus inter Romanos in Germaniam Rheno transgreſſus, Sicambros QUADIS LYGIISque longinquos: iisdem propinquos SUEVOS, quorum Pars QUADI & LYGII erant, Cn. Domitio Calvino, M. Valerio Meſſalla Conſulibus, Anno Urbis 700, ante C. N. 51, debellabat. At nec Sicambros, nec Svevos Romanis ſubjiciens, nihil, quod SILESIORUM Eruditioni ſerviret, vel afferebat, vel efficiebat.

Poſt CHRISTUM natum
SÆCULO I.

IV. Poſt hæc SILESIORUM Reges, quanquam crebra cum Romanorum Imperatoribus Negotia, tum Belli, tum Pacis Temporibus, ſubeuntes atque conficientes: tamen ab Ingeniorum meliore Cultura fuerunt alieniores.

V. Primum, inter antiquiſſimos, ſub AUGUSTI Cæſaris Imperio, cujus Initium, poſt Iulium Cæſarem occiſum, in Annum Urbis 709, ante C. N. 42, incidit, MAROBODUUS Natione Marcomannus, QUADORUM, LYGIORUM, aliorumque Populorum Germanicorum Rex, ſuis ad Eruditionem Autor eſſe potuiſſet. Nam ille non Ratione, quamvis Natione, barbarus Juvenis, neſcio qua Opportunitate, qua Intentione, Romam profectus, vbi ab Auguſto indulgenter habitus, Romanæ quandam, & Reipublicæ Diſciplinæque, ſic Prudentiæ Linguæque Notitiam ſibi comparaverat, ex Italia in Germaniam, circiter Annum Urbis 762, Chriſti 10, rediit. Sed, quantum inveſtigare potuimus, in Re Literaria divulganda propagandaque nihil aggreſſus eſt: quem M. Junio Silano, L. Norbano Flacco Conſulibus, Anno Urbis 771, Chriſti 19, ab Arminio

nio Cheruſcorum Rege victum, & Gratia TIBERII Cæſaris, ad quem confugerat, in Italia per XVIII. Annos Ravennæ conſeneſcentem, donec Anno Urbis 789, Chriſti 37, Fatis concederet, fortaſſis amiſſum Regnum ad Fundamenta in Studiis humanioribus ponenda impediverit.

VI. Deinde Marobodui Succeſſor CATUALDA, Gente Gothica Germanus, QUADORUM & LYGIORUM Rex, quandam cum DRUSO, Imperatoris TIBERII Filio, novies in Germaniam miſſo Legato, Familiaritatem inierat: ſed huic nullum in Literis Momentum debebat, Anno Urbis 772, Chriſti 20, Regno pulſus.

VII. Porro Catualdæ Succeſſor VANNIUS, Natione Quadus, QUADORUM & LYGIORUM Rex, Imperatoribus TIBERIO, CALIGULA, CLAUDIO, parem in Modum, Doctrinam ex diuturno cum Romanis Commercio nullam vel ſibi arripuit, vel ſuis tradidit: quamvis per Annos XXX. retento Regno, quod Anno Urbis 797, Chriſti 45, amittebat.

VIII. Præterea Vannii Succeſſor SIDO, QUADORUM & LYGIORUM Rex, quanquam Imperatoris Veſpaſiani contra Vitellium in Bello Auxiliator, Anno Urbis 821, Chriſti 69, reportabat Germanis ſuis ad Romanam quidem Armaturam quoddam, nullum vero ad Literaturam Incitamentum.

SÆCULO II.

IX. MARCO ANTONINO Imperatore, QUADI feliciſſimis Armis Sedem in ſuperiore SILESIA veterem, ad inferioris Pannoniæ Fluvium Granuam extendebant: Romanas intra Italiam Urbes Aquilejam obſidebant, Opitergium deſtruebant. FURTIO Rege, QUADI Germanis cæteris aduerſus Romanos in Bello Marcomannico, quod Punicis æquatur, Auxilia ferebant: à Romanis autem Anno Urbis 928, Chriſti 176, magis profligati, quam devicti, ad ultimum Pace donati, nondum aſſequebantur, quò Mentes ad manſuetiora Studia converterent. Nec iisdem vacabant, Rege prius ARIOGÆSO, quem Imperator M. Antoninus in Exilium ejiciebat: deinde GAVIOMARO, quem Imperator Antoninus CARACALLA trucidabat.

SÆCULO III.

X. GALLIENO Imperatore, QUADI cum Sarmatis Pannoniam, Romanorum Provinciam, Anno Urbis 1017, Chriſti 265, invadebant & diripiebant: quô Succeſſu, non Libris, ſed Gladiis reddebantur

propensiores. Imperatore PROBO, Regem SEMNONEM habentes LYGII, à Romanis Cladem passi, cum Pacem justis Legibus obtinuissent, ad Ultionem inhumanioribus, non humanioribus ad Quietem Artibus studebant.

SÆCULO IV.

XI. Imperatore CONSTANTIO II, Constantini Magni Filio, QUADI Romanam Fortitudinem, non Eruditionem amplexi, Romanas Provincias: Anno Urbis 1107, Christi 355, Valeriam, id est, Styriam: & Anno Urbis 1110, Christi 358, utramque Pannoniam, Moesiamque secundam, id est, Bulgariam depopulabantur. Constantius Imperator QUADOS Rege VIDUARIO gaudentes, aliquandiu ad Pacem, non ad Doctrinam efficiebat proniores. Mox enim tanto saeviores, VALENTINIANO I Imperatore, QUADI cum Sarmatis iterum Pannoniam devastabant, Anno Urbis 1106, Christi 364.

XII. GRATIANO Imperatore, QUADI acriores Romanorum Hostes, neque Castra praesidiaria in suis ad Danubium extensis Terris exstructa, nec in Marcelliniano Praefecto iniquissimum Fallaciae Documentum, quo Regem QUADORUM GABINIUM peremerat, ferre poterant. Ideo in Vindictam solito vehementius exardescentes, Romanorum Provinciam Valeriam irrumpebant, Urbem Sirmium oppugnabant, Legiones duas propemodum totas delebant, Anno Urbis 1126. Christi 373.

XIII. Hanc Romanorum Stragem ulturus Imperator VALENTINIANUS II, Victoria feroces QUADOS, quibus opponendas Copias per continuos aestivos tres Menses, in Illyricorum Urbe Carnunto, praeparaverat, ingentibus Damnis afficiebat. Sed cum nihilo secius obstinatissimos, & intra Fines suos ne Munimenti quidem, adeo non Imperii Romani patientes sentiret, intra celebre Quadorum Oppidum Bregetionem, Anno Urbis 1127, Christi 375, ex Ira in Morbum & Mortem incidebat.

SÆCULO V.

XIV. PER tot Sæcula Viribus, simul Romanorum enervatis, simul Germanorum adauctis, QUADI & LYGII, raro Annorum Fato, ab Hostibus, potissimum Romanis, ne semel quidem prorsus subacti, adeo non sub Provinciæ Formam redacti, vt Animos Literis applicare possent, adhuc inter

inter Vicinos, partim Germanos, partim Sarmatas, utrosque rudes, quo liberiores, hoc incultiores vixerunt. Nam in Romanis Eruditionem Fortitudinemque, Vinculo salutari consociatas, notaverant quidem, non tamen illam in Regiminis Munimentum, cum hanc in Subiectionis Remedium æmulari gaudebant. Hinc contenti porro erant, si Ferro se formidabiles Adversariis, Posteris nobiles facerent, aureamque Libertatem, cujus semper tenacissimi fuerant, nunquam sic amissam, ut in integrum non restituerent, ad extrema defensam, potius Manuum, quam Rationum Praesidio retinerent.

XV. Tamen, ut est humanis sua Vicissitudo, QUADI & LYGII saepius rejectam Servitutis Notam, duro Necessitatis Telo repellendo impares, tandem admittere, quamvis ad brevissimum Tempus, cogebantur. Nam Viribus, non Animis, deficientes, Imperatore VALENTINIANO III, Anno Urbis 1203, Christi 451, validiores Romanis Oppugnatores experiebantur Hunnos, ATTILA Rege potentissimos, post magnam Imperii Romani Partem devastatam & oppressam, Germanis, praesertim Septentrionalibus adimentes Libertatem. Ita vero SILESII, quod à Romanis potuissent, ab Hunnis ne poterant quidem obtinere quicquam Eruditionis.

XVI. Post Attilam, Anno Urbis 1206, Christi 454, exstinctum, Reliquiis Hunnorum statim depulsis, QUADI & LYGII tanto æquiorem in Modum ferebant Libertatis semel amissae Pudorem, cum post Imperatorem MORMYLLONEM Augustulum, Barbaris Romam, antea ter captam, iterum occupantibus, Anno Urbis 1228, Christi 476, Exsulem, ipsis Terrarum Dominis, ROMANIS universum in GERMANOS aliosque Populos Occidentale subtraheretur Imperium. Quo Pacto fiebat, ut simul ad Eruditionem Janua SILESIIS clauderetur.

SÆCULO VI.

XVII. QUADORUM LYGIORUMque Societas, cui patrius avitusque Libertatis Amor sub Pectoribus adhuc invictus resederat, se, quibuscunque potuerat Modis, ab omni Hunnorum, imo, quantum scire datur, peregrinorum Imperio vindicaverat: In cujus Felicitatis Stabilimentum, Imperatorem in Oriente MARCIANUM Amicum sibi reddiderat: cum SLAVOS, Sarmaticum Populum, à prioribus Quadorum & Lygiorum vicinis Sarmatis, & Jazygibus, & Bastarnis diversos, LECHO Duce, nihil

hil Eruditionis, multum Fortitudinis, plus Roboris afferente, circiter Annum Christi 550, Advenas exciperet: incertum, Armis, ut Hostes: quod vero similius est: an Beneficiis, ut Hospites. Id certum, ex eo QUADOS & LYGIOS cum SLAVIS Societatem iniisse: quam multis Sæculis, sæpe dispari Habitu Eventuque coluerunt. Eam in Exercitationibus nostris de SILESIORUM REBUS, ab Anno 550 ad 1170 evidentem in Modum exposuimus.

XVIII. Hinc QUADI & LYGII cum SLAVIS, sub communi Regiminis Forma connexi, Germanicis Majorum suorum, Quadorum & Lygiorum, Nominibus amissis, novum, sed [quod in Antiquitatibus de SILESIORUM NOMINIBUS probabile monstravimus] ex ELYSIORUM, qui Natio LYGIORUM erant, Appellatione subortum Vocabulum SILESIORUM consecuti sunt: quo eos tanquam GERMANOS, à SLAVIS, tanquam SARMATIS, ad Slavorum aliorum Discrimen, Nomine POLONORUM signatis, Posteritas separavit: quanquam SILESII etiam sæpe SLAVI, quod Slavis vel adhærerent, vel adhæsissent: sæpius POLONI, quod Imperii Polonici Populus evassissent, dicti reperiuntur: etsi revera nec SLAVI, nec POLONI, sed GERMANI.

XIX. Cæterum ex QUADIS LYGIISque compositi Sæculo sexto SILESII, cum Sarmatis Slavis POLONIS conjuncti, Lechitas Ethnicos Duces, ab Eruditione prorsus alienos, nacti, quod valuerunt ad eam Iter ingredi?

SÆCULO VII.

XX. LECHUS Primus, SILESIORUM cum Polonis conjunctorum DUX, omnino barbarus, circiter Annum 600 vivis exemptus, progeniem nullam reliquerat: cum SILESII, per Annos 80, incertum, quo Statu gaudentes, tandem circiter Annum 680, ad Polonorum Exemplum, Gubernatoribus PALATINIS, quos Slavi Vojevodas nominant, parentes, maximè discordibus, excussô Peregrinorum Consortiô, ad avitam Germanorum redirent Libertatem: nihilo seccius procul adhuc à Scientiarum Primordiis, sub Exitum Sæculi VII.

SÆCULO VIII.

XXI. Anno circiter 710, SILESII pro Palatinis Ducem CRACUM recipiebant, Craçoviæ Conditorem, non Doctrinæ Cultorem: cujus

cujus Successoribus, LECHO II, VENDA, LESCO I, in Imperitia perseverantibus, nullam Ingenia per humaniores Disciplinas colendi nanciscebantur Occasionem: donec sub Imperium in Occidente Romanum, ad GERMANOS Anno 801, translatum, ad Gentis suæ Progenitores antiquissimos revocabantur.

SÆCULO IX.

XXII. In Germanis enim primus Romanorum Imperator CAROLUS MAGNUS, Francorum Rex, Populorum Slavicorum, à quibus Germaniæ Pars bona possidebatur, prævalidus Adversarius, per Filium Carolum SILESIOS, Ducem LESCUM II habentes, in Prælio ad Viadrum Amnem superatos, Romano Germanorum Imperio tributarios reddebat. Post illa SILESIOS, etsi LESCO II, POPIELO I, POPIELO II, PIASTO, SEMOVITO, tanquam suis Ducibus: tamen ipsis etiam Imperatoribus, LUDOVICO PIO, LOTHARIO, LUDOVICO II, CAROLO CALVO, LUDOVICO III, CAROLO CRASSO, ARNOLPHO, tanquam summis Principibus suis, partim Subjectione, partim Obligatione connexos fuisse, Fides Historiæ loquitur, Silesiæque Conditio indicat. Quo Temporum Tractu SILESIIS non deerat commodus ad Germanorum Literas, Christianorumque Doctrinas, sed negligebatur, Aditus.

SÆCULO X.

XXIII. Sic toti adhuc in Armis, à Literis abstinebant SILESII, sub Ducibus quidem suis LESCO IV, & SEMOMISLAO, ad MIESLAUM I: Imperatoribus autem Romanis, LUDOVICO IV. CONRADO, HENRICO I, ad OTTONEM I, Annum 964: non, ut olim, excusabiles. A Literarum enim tam humanarum, quam Divinarum Notitia, qua plures intra Viclniam Germani se jam exornaverant, divertebantur Slauorum, quos imitabantur Moribus.

CAPUT II.

De SILESIORUM in Re Literaria Progressibus, Ab Anno 965 ad 1165.

I.

TAndem SILESII, cum eorum Dux MIESLAUS Primus, Anno CHRISTI 965, Die Martii V, Christianis Sacris initiatus, in Matri-

trimonium Dambronicam, Polonis Dambroucam, BOLESLAI I, Bohemorum Ducis Filiam, Christianam Virginem, non Maritum, nisi Christianum, recepturam, sibi coniunxisset, rejectis Paganorum Idolis, verum Generis humani DEUM cognitum amplectentes, Superstitionem in Pietatem, Ignorantiam in Peritiam convertebant.

II. GOTHOFREDUM, Germanici non tantum Nominis, verum etiam Stemmatis Sermonisque Virtum [quorum alterum Probabilitas, alterum Necessitas vero similimum facit] Patriâ Romanum, certe Româ in Silesiam â Johanne XIII, Pontifice, missum, Anno 965, SILESII accipiebant Episcopum, Oppidi Smogræ, quod intra Ducatum Vratislaviensem hodie Pagus est, Incolam. Ibi Scholam primus excitabat: quam, post eum, Anno 983, laudabiliter & Provincia & Vita sua defunctum, in Episcopatu Successor Urbanus, Romanus, in ampliorem melioremque Statum provehebat: instructus & Libris, & Doctoribus, quos Româ secum adduxerat, vt felicius Latinis simul & Sacris, & Literis consuleret. Ita SILESIAM redditurus urbanam, urbanam reddebat Scholam suam, donec Fatis concederet Anno 1005.

SÆCULO XI.

III. Post hæc SILESII, sed tardo Gradu, quemadmodum ad Christianismi, sic ad Eruditionis Augmentum procedebant. Nam eorum Ingenia, quô diuturnior, eô valentior peregrinorum eorumque Barbarorum Asperitas induraverat. Præterea crebris adversus Bohemos, Moravos, Lusatos, Saxones, Pomeranos, Borussos, Hungaros & alios, Bellis Polonicis impediebantur: intentiores Victoriis, quibus potior Armorum, quam Literarum, & Amor, & Usus est. Ad hæc, vt solent rudes plus Exemplis quam Rationibus obsequi, Duces habebant post Mieslaum I, duos, BOLESLAUM I, & MIESLAUM II, non aliam colentes Sapientiam, nisi quam Mentibus vel nativa Solertia, vel Experientia certa suggerit.

IV. Primus inter Silesiorum cum Polonis conjunctorum Duces CASIMIRUS, Mieslai II, ad Studia inepti, Filius, è Rixa, cui Cæsaris OTTONIS III, Saxonum Ducis, Soror erat Genitrix, susceptus, domi Germanos Puer, Juvenis Gallos Parisiis Præceptores adeptus, SILESIIS Eruditionem illustri Exemplo suo amabiliorem faciebat: quibus ab Anno 1041 ad 1058 præfuit.

V. Testem adducemus Joannem Longinum, Cognomine Polonico Dlu-

Dlugossum, Cracovienſem Canonicum, in Historia Polonica, Lib. II. ad Annum 1026. de Mieslao II: *Et quoniam Filius suus CAZIMIRUS jam Ætatis Annum septimum agebat: Primo Pater illum Literis applicat, & Viros græves Doctores Adolescenti adhibet, ut illustratus Scientiarum Lumine, ad gubernandam Rempublicam Polonorum instructior ingeniosiorque invaderet. Hic autem ex Principum Poloniæ Sanguine primus deprehenditur, qui Doctrinam Literarum Dolabro amplius nobilitavit & polivit. Cæteros enim priscos Principes Poloniæ in discenda Literarum Scientia nusquam constat exercitatos fuisse.* Ibidem ad Annum 1038. *CAZIMIRUS Filius Miecslai Polonorum Regis, qui & Carolus nominatus est, dum in Parisiensi Schola integro Biennio Studiis Operam, Matre Regina RICKSCHA Impensas largas ministrante, dedisset, & plures Coætaneos suos, tam Ingenio & Arte, quam Forma excederet, cœpit apud universos Opinione & Fama celebris haberi.*

SÆCULO XII.

V. Jam, quis aut primus, aut inter primos, Indigena SILESIUS eruditum se Documentis publicis monstraverit, exponere, difficillimum est. Plurima Silesiorum Monumenta, & picta, & sculpta, & scripta, frequentibus Bellorum Injuriis, Incendiorumque Casibus deleta sunt. Neque licuit nobis omnia cum in peregrinis, quo direpta pervenerunt, tum in Silesiacis Curiarum Archivis, Monasteriorum aliisque Bibliothecis perquirere: quamvis multiplex propterea nos exercuerit Labor.

VI. Id nobis persuaderi nondum patimur, illis duorum Sæculorum spatiis, ab Anno 965, ad 1165, e SILESIIS neminem Doctrina conspectiore Nomen suum reddidisse clarum. Non enim commovemur Argumento, quod a SILESIORUM Episcopis, tam longo Temporum Intervallo exteris petitum, opponi potest in contrarium. Ii fuerunt quidem ab Anno 965, ad 1002, Itali: Gothofredus, Urbanus, Clemens, Lucilius, Leonhardus, Timotheus, Hieronymus: Sed quos Silesiis jam Christianæ Pietatis Elementa per duos Ecclesiæ non Latinæ, sed Græcæ Monachos, Cyrillum & Methodium, Slavici Sermonis, per Silesiam illa Ætate cogniti, peritos, assecutis provida Romani Pontificis Cura per suos Assleclas præfecit. Italis ab Anno 1002, ad 1181, successerunt Poloni: Iohannes Accipiter, Petrus Vulpinus, Zyroslaus Rosa: sed quos Silesiis prætulit Propensio Ducum, e Polonico Sanguine progenitorum, tam Polonos, quam Silesios regentium. Videlicet tum intra Silesiam

erat per Italos quidem extendenda Romanæ Poteſtatis Amplitudo: per Polonos autem confirmanda Slavicæ Nationis Prærogativa. Non igitur eſt, cur inde colligatur, nullum adhuc inter SILESIOS Eccleſiaſtico Gentis ſuæ Gubernaculo fuiſſe parem.

VII. Accedit huc, quod primis poſt Literarum Culturam in Sileſia Sæculis, generali Notione vocarentur etiam GERMANI, maxime SILESII, longam cum Polonis Societatem colentes. Quare dubium vix eſt, olim, cum a Polonis raro diſtinguerentur Sileſii, multos in Sileſiis, non Incolas ſolum, verum Indigenas etiam doctos adſcriptos fuiſſe doctis Polonis.

VIII. His judicamus imputandum Cauſis, quod inter SILESIOS ad CHRISTUM converſos, primis duobus Sæculis neminem inveniamus, qui Eruditionem, pro illorum Temporum Genio, magis Eccleſiarum, quam Rerumpublicarum Rectoribus neceſſariam, vel in Theologis ſpectabilem commendabilemque fecerit, ab Anno 965, ad 1563. ex quo frequentiores ad Rem Literariam Sileſii contendebant.

IX. Nam BOLESLAUS III, Cognomine Polonico Crivouſtus, Latino Diſtortus, ex Piaſti Polonorum Sileſiorumque Ducis electi Stemmate ſubortus, poſt plures antehac electos, hæreditarius Sileſiorum cum Polonis conjunctorum Dux, poſtremo Vitæ, Chriſti 1139 Anno, cunctas Imperii Polonici Provincias hæreditarias inter Filios ſuos diſtribuerat: ex quibus Natu maximus VLADISLAUS II. in Germania quidem Sileſiam, in Polonia vero Cracovienſem, Siradienſem, Lancicienſem, Provinciam acceperat. In Exſilium à Fratribus Anno 1146 depulſus, Anno 1159 exſtinctus, reliquerat ex Adelheida [non Chriſtina, ut plerisque dicitur] Cæſarum Germanicorum, Henrici IV. Filia, Henrici III. Nepte, Conradi II. Pronepte, Filios tres, intra Poloniam quidem natos, at intra Germaniam educatos, utrobique potiſſimum Genitricis Cura, Germanicis Præceptoribus inſtructos, Scientiis neceſſariis ornatos, Germanicis & Moribus & Juribus excultos. His non illiteratis Capitibus Anno 1163 SILESIA non plane quidem à Poloniæ Vinculo ſeparata, ſed tamen peculiaribus hæreditariisque Ducibus, nova Libertate, non niſi Auguſtos Germanicos ſuperiores agnoſcentibus, ſubjecta, poſt Diviſionem, Anno 1169. peractam, media quidem BOLESLAO Procero, ſuperior autem MIESLAO, inferior CONRADO Loripedi [quem ob Cruris Nævum Pater Regimini

mini ſubtrahendum, Monaſterio præparandum, Anno 1150, peculiariter Marquardo, Abbati Francorum Fuldenſi erudiendum commiſerat] obtingebat. Quorum, pro Temporum illorum Statu, conſpectioribus delectati Studiis SILESII, tanto illuſtriorem in Modum addicti potius erant Literis, quam Armis.

CAPUT III.

Ad Annum M. C. XCVIII.

FRANCISCUS PRAUDITA

Eques.

VITA.

I.

SUnt, quibus non SILESIUS, ſed POLONUS creditur. Hos in eam Sententiam deflexit Joannes Dlugoſſius in Hiſtoria Polonica, Lib. VI. ad Annum 1181, de Zyroslao Vratislavienſium Epiſcopo locutus. *Cui*, ait, *Franciſcus, alias Franco, ſuccedit, Favore Boleslai Alti Ducis Wratislauienſis, à Petro ſecundo Gnesnenſi Archiepiſcopo confirmatus & conſecratus: Qui alio Nomine SUANKO appellabatur POLONUS, Genere nobilis, de Domo & Familia PRAWDITARUM.* At ibi, vel More Scriptoribus antiquis uſitato, Sileſios Polonis annumerante, POLONUS dicitur: vel, quod multo veriſimilius, pro POLONUS legendum eſt POLONIS. Nam SILESIUM fuiſſe, Dlugoſſius ipſe luculenter indicat in Chronico de Vratislavienſibus Epiſcopis, quod MStum poſſidemus, Num. XVII. *Vir*, inquiens, *gravis, humanus, Iuris peritus, & Linguam Teutonicam callens: Natione ſiquidem SILESITA erat, Genere nobilis, de Domo & Familia PRAUDITARUM, qui Leonem ex Muro coctili prodeuntem pro Inſigni deferunt, ducens Stirpem.*

II. Non dubitandum igitur, quin fuerit omnino SILESIUS, & Indigena quidem, hoc eſt, Parentibus in Sileſia Germanis, iisque Sileſiis natus. De quo Autores in Chronicis Sileſiacis MStis plures conſentiunt: a quibus non diſſentiunt, Ioachimus Curæus in Epiſcoporum

porum Sileſiacorum Catalogo, Annalibus addito: Nicolaus Polius in Sileſiæ Chronico ad Annum 1181. Nicolaus Henelius in Breslographia, Cap. VI. Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. III. Cap. II. Num. XVII. Societatis Ieſu Vratislavienſe Collegium in Epiſcoporum Vratislavienſium Fama poſthuma, Num. XVII. Gotfridus Ferdinandus Buckiſius in Prolegomenis ad Sileſiorum Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Cap. II. §. III. Cæterum, de PRAUDITARUM Familia Polonica, quam ex Sileſiaca progenitam non vana Conjectura docet, in Orbis Polonici, quo Sarmatarum Arma repræſentat, Tomo II, Simon Okolskius agit.

III. PRAUDITA noſter Proſapiam ſuam Fortitudine nobilitatam, Eruditione majorem in Modum nobilitabat: potiſſimum Peritia Iuris excellens. Ideo facile Canonicis Vratislavienſibus ex Merito adſcriptus, Gravitatem Humanitate ſingulari temperare ſolitus, ſe partim amabilem, partim venerabilem cuivis reddebat.

IV. Eum BOLESLAUS Cognomine PROCERUS, poſt recuperatam Anno 1163 Sileſiam, Dux Vratislavienſis, in Terrarum ſuarum eo felicius Regimen, pro Cancellario aſſumebat Anno 1165.

V. Ex eo, variis Modis, tam Latini, quam Germanici Sermonis Beneficio, maxime Virtutum Ornamentis, Exiſtimationem inſignem aſſecutus, Anno 1181, altius emergebat. Nam hujus Anni ſecundo Aprilis Die, Vratislavienſis Epiſcopus Zyroslaus Cognomine Roſa, Gente Polonus, vivis excedebat. Ei Succeſſorem dabat, non tantum Canonicorum Conſenſus, ex quibus, poſt Italos, non niſi Polonus (certè, pro Polono, non Germano, non Sileſio habitus) Epiſcopus erat deſignatus: verum etiam ipſius Boleslai Ducis Autoritas, qui ſola Polonus Origine, toto Germanus Animo, Sileſios non amplius poſthabendos ſtatuebat.

VI. Ipſis Maji Calendis electus PRAUDITA noſter Vratislaviâ Gnesnam diſcedebat. Ibi ſolenniter in Templo Epiſcopalem Dignitatem Poteſtatemque confirmatam, per Archiepiſcopum Gnesnenſem, Petrum Secundum, præſente Posnanienſium Epiſcopo Arnoldo, ſuſcipiebat.

VII. In Eccleſiæ ſuæ Commoda intentus, Vratislavienſibus Canonicis Decimas ex duabus Villis, intra Diœceſin Cracovienſem ſitis, Monaſterio Michovienſi proprias, honeſto Juris Uſu acquirebat.

VIII. Ha-

VIII. Hactenus in Sileſia quoque, non tantum in Polonia Bohemiaque, Sacerdotes, nemine prohibente, Uxoribus legitimis adhæſerant. Id non amplius ferendum ratus Cœleſtinus III Pontifex Romanus, Anno 1197, per Cardinalem Petrum Capuanum Sacerdotibus SILESIIS multis adimebat Conjugium, omnibus Cœlibatum præcipiebat.

IX. Hoc inter antiquiſſimos indicat Joannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica Lib. VI. ad Annum 1197: *Petrus, Tituli S. Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Capuanus vulgariter nuncupatus, à ſummo Pontifice Cœleſtino Tertio, Legatus de Latere, ad reformandam Eccleſiam Polonicam deſtinatus, venit in Poloniam: qui Cracovienſem Civitatem ingreſſurus, à Fulkone Cracovienſi Epiſcopo, & omnium Eccleſiarum Proceſſione, magno Honore ſuſceptus eſt. Primam Congregationem Cracoviæ, alteram in Lubczæ agens, deinde Gnesnenſem, WRATISLAVIENSEM, Plocenſem, Posnanienſem, Wladienſem, Chelmenſem, & Lubucenſem Diœceſes ſe transferens, id præcipuum in Eccleſia reformanda ſibi Curæ aſſumſerat: quatenus Presbyteri à Mulieribus & Concubinis abſtinentes continentem & caſtam, & quæ Laicos ædificare poſſet, ducerent Vitam: cum plures ea Tempeſtate Sacerdotes Uxoribus, velut Iure legitimo, uterentur. Cujus Uſus Corruptelam Cardinalis ipſe ſummo Studio à Polonica eliminavit & abrogavit Eccleſia, & Presbyteris Uxores accipere, & tenere, ſub graviſſimis Pœnis interdixit.*

X. Idem Memoriæ prodiderunt, Matthias Michovius in Hiſtoriis Polonicis ad Annum 1195. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VII. ad Annum 1197. Salomon Neugebauerus in Hiſtoria Polonica Lib. III. ad Annum 1195. Joachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus ad Annum 1197. Iacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico Lib. I. Cap. XXII. & Lib. III. Cap. II. Stanislaus Sarnicius in Annalibus Polonicis, Lib. VI. ad Annum 1140. de Sileſia locutus: *Addam tamen hic Annotatiunculam quandam ex Chronico Wratislavienſi, quam, cum ibi Hoſpes eſſem, in ſummo Templo inveneram deſcripſeramque. Valterus, inquit, nonus Epiſcopus Wratislavienſis, ordinatus eſt Anno Domini 1148: & Tempore huius Epiſcopi, Poloniæ Canonici & Sacerdotes habuerunt Uxores legitimas: & facti ſunt Generi & Soceri Nobilium: & erat magna inter Clerum & Nobiles Concordia. Tempore dicti Epiſcopi ædificata eſt murata Eccleſia S. Johannis Wratislaviæ. Hæc ad Verbum bona Fide deſcripta ſunt.* Ibidem ad Annum 1195: *Dum æſtuat Polonia civilibus Bellis,*

lis, venerat huc Capuanus, elaboravitque solicite in abrogando rescindendoque Matrimonio Sacerdotum: quod ad eum Diem in Usu retentum fuerat. Autor est Dlugossus, Lambertus Schafnaburgensis, ac etiam ipse Martinus Cromerus id multis Verbis adstruit. Michoviensis id de Concubinis intelligi vult: sed Dominus Cromerus & de Uxoribus legitimis adjecit, idque ex Sententia Dlugossi, qui expresse Uxores nominat. Quod verum esse, Chronicon Wratislaviense comprobat, superius à me adductum.

XI. Tum PRAUDITA, simul & Divini, & Civilis Iuris intelligentissimus, peculiarem consequebatur Materiam, in qua Vires Ingenii periclitaretur: dissentientibus à Pontifice Romano plurimis. Cuius cætera quoque Sacra, quæ tum invitis commendabantur, imo imperabantur, inter Initia repudiabant.

MORS.

XII. Non diu postea superstes, consumtis inter Curas Episcopales Annis XVII, sæpe cum imbecilli Valetudine luctatus, Anno 1198, exspirabat. Nactus est in Vratislaviensium Cathedrali Templo Sepulcrum.

SCRIPTA.

XIII. Qua Mente noster PRAUDITA hoc Institutum exciperet, testabatur quodam brevi, sed egregio *de Clericorum & Laicorum Matrimoniis*, Opusculo: cuius hunc invenimus solum in Msto Silesiæ Chronico Titulum.

SÆCULO XIII.

CAPUT IV.

Ad Annum M.CC.I. Diem XXII. Januarii.

IAROSLAUS DUX Vratislaviensis.

VITA.

I.

EST, cur IAROSLAUS inter Silesios Indigenis adscribi mereatur: si non ob Patriam, certè ob Patrem. Num intra Silesiam fuerit natus, in dubio est. Paterno Stemmate, quod suam Originem à Piastis Silesiorum cum Polonis conjunctorum Duce, trahit, procreatus, Vladislaum

laum II, Boleslai III Filium, Silesiorum, Cracoviensium, Siradiensium, Lancicicnsium Ducem, Avum: Adelheidam, Cæsarum Germanicorum, Henrici IV. Filiam, Henrici III Neptem, Conradi II. Proneptem, Aviam: Boleslaum cognomine Procerum, Patrem habuit: quem ab Anno 1169, ad 1201, Ducem Mediæ Silesiæ Vratislaviensem, omnino Germanicorum Silesiæ Ducum Lignicensium & Bregensium Progenitorem fuisse constat.

II. Ex eo IAROSLAUS, intra prius Conjugium, Matre Wenceslava, Duce Russica, non, vt Iohannes Schrammius & Iohannes Pistorius in Genealogicis, Joachimus Curæus & Jacobus Schickfusius in Chronicis tradunt, primo, sed secundo genitus, circiter Annum 1150, primam Lucem aspexit: adeoque jam Anno 1178, seu virilem, seu virili proximam Ætatem attigerat. Idque Pater Boleslaus ipse validissimo Testimonio confirmat in Privilegio, quod Leubusino Monasterio dedit, Anno 1178 in Lignicensium Urbe scripsit, hisque claudit Verbis: *Verum, ne quis in posterum hæc infringere Ausu temerario præsumat: Et ne quis Res vel Possessiones præfati Monasterii quolibet Modo vel Fraude diminuat: Sigilli mei ea communi Impressione & Appensione ad præsentem Paginam adhibitis idoneis Testibus: quorum Nomina sunt hæc: BOLESLAUS & IAROSLAUS Duces, Filii mei: & MIESLAUS Dux de Ratibor, & CONRADUS Frater ejus, Dux de Glogavv.*

III. Inierat Boleslaus, IAROSLAI Pater alterum, Anno 1167, cum Adelheide, Comitis Sulzbacensis Filia, Gertrudis, quam Imperator Conradus III. duxerat, Sorore Matrimonium. Ex ea susceperat Barbatum, cum quo IAROSLAUS dissidebat: & Literis, & Armis, ad Patris Exemplum, applicatus. Arma prius contra Silesios, deinde contra Polonos adhibebat: nondum, vt arbitramur, Canonicus, certe nondum Episcopus.

IV. Boleslai Pueri Frater Conradus Loripes, inferioris Silesiæ Dux Glogoviensis, Anno 1178, sine Liberis Mortem obierat. Hujus Terras Boleslaus Procerus occupabat solus, excluso Fratre suo Mieslao, Silesiæ superioris Duce Ratiborensi. Nascebatur hinc Bellum inter Fratres Boleslaum & Mieslaum, Anno 1179. Tum IAROSLAUS, non tam Patris, quam Novercæ jam inveterato Fastidio, à quibus se minus in Pretio haberi, consanguineoque Fratri suo Henrico Barbato inferiorem Silesiam destinari dolebat: se Patruo Mieslao aduersus Patrem Boleslaum con-

conjungere non verebatur. Boleslaus Fratri & Filio impar, amissis non nullis Urbibus, Bresla, Brega & aliis, non tamen ex tota Silesia, cujus Urbes, Glogoviam, Crosnam, & alias retinuerat, depulsus, Pacem cum utroque tandem inibat. Filium maxime Nissensi Territorio in Proprietatem concesso placabat.

V. Post hæc Casimirus, Boleslai ex Adelheida Filius, in Exsilium acto Fratre Mieslao Sene, Dux Polonorum creatus, è vivis Anno 1194 decesserat. Tum Fulconis, Episcopi Cracoviensis, Consilio & Impulsu, eligebatur à Polonis Dux Lescus Albus, Casimiri, quanquam nondum maturus Imperio Filius: posthabitis, non Mieslao Sene tantum, sed etiam ipsius, ex Fratre Vladislao II, Nepotibus, Boleslao Procero Vratislaviensium, & Mieslao Oppoliensium: illo inferioris, hoc superioris Silesiæ Ducibus. Quamobrem omnium, quos Injuria notatos censebat, Ducum, non suo tantum Nomine, stimulatus IAROSLAUS, Mieslao Seni, Patruo magno, Polonos debellanti, Auxilia ferebat in ultimo Prælio Victor.

VI. IAROSLAUS ideo, ut neque Patri, neque Fratri amplius Formidinem Molestiamque suscitaret, ab Armis ad Literas revocatus, Vratislaviensem Canonicum agebat, spe consequendi Episcopalem Dignitatem. Eam, Boleslai Patris prævalido inter Canonicos Imperio adjutus, Anno 1198, Calendis Junii electus obtinebat: mortui Francisci PRAUDITÆ Silesii successor: eo Pacto junctis sub eodem Capite simul & Politicis, & Ecclesiasticis Prærogativis, omnium primus SILESIORUM & Dux, & Episcopus.

VII. Canonicis Admissione parum gratus, Possessione satis exoptatus fiebat. Non, cum sacris Honoribus receptis, Odiis profanis depositis, alebat in Patrem, Novercam & Fratrem Priores Indignationis Radices. Adversus hos Invidia compulsus, Beneficentia recreabat Canonicos.

VIII. Nondum sub Infula primum Annum transegerat, cum Nissensem Provinciam universam in perpetuam Hæreditatem Episcopatui conferens, ita consuleret, ut tam Juribus, quam Divitiis optimo responderet Ducatui.

IX. Quo id fecerit Animo, Scriptores cum editi, tum inediti quoque dissentiunt. Quidam vel commendant, vel excusant: certè non culpant: quibus Consensu Patris fecisse dicitur. His annumerandi sunt,

sunt, Matthias Michovius in Polonorum Historia, Lib. III. Cap. XXX. Georgius Crugerius in sacris Pulveribus, ad Diem Januarii XII. Contra, quibus ex iniquo in Patrem atque Fratres Odio feciſse creditur, id perperam actis eximere non possunt. Inter quos est Joachimus Curæus in Annalibus de Episcopis Num. XVIII. Jacobus Schickfusius in Chronico, Lib. II. Cap. II. & Lib. III. Cap. II. Num. XVIII. Secundum quos referendus est ad illud Hominum Genus, de quo Ambrosius in Commentario ad Lucam, Lib. VIII. Cap. XVIII. *Multi, ut prædicentur ab Hominibus, Ecclesiæ conferunt, quæ suis auferunt: cum Misericordia a domestico progredi debeat Pietatis Officio.*

X. Præterea Zyroslao II. Vratislaviensi Episcopo, qui Monachis, quam Canonicis indulgentior, Decimas Lignicenses Vratislaviensi Ecclesiæ Cathedrali subtractas, Cœnobio Leubusiensi donaverat, contrarius, has Episcopali Mensæ propensior restituebat: Canonicis, quam Monachis addictior: ne sic quidem placens omnibus.

XI. Id commemorat simpliciter, ut Historicus, Ioannes Dlugossius, Canonicus Cracoviensis, in Chronico de Vratislaviensibus Episcopis MSto, Num. XVIII. *Abstulit*, inquiens, *& Leubensi Monasterio Decimarum manipularium in Districtu Lignicensi, quam Antecessor suus fecerat Zyroslaus secundus, Donationem, & illam penitus irritavit.* Non citra notabilem Affectum recenset in sacris Pulveribus, è Societate Jesu, Georgius Crugerius, ad Januarii XXII Diem, de Jaroslai Munere Nissensi, quo Vratislaviensem Episcopatum ditaverat, locutus: *Sed*, inquiens, *de suo famose liberalem, quem eapropter nunc laudavimus, nescio quo Genio in Antecessorem suum Zyroslaum eo Nomine II. apud Wratislavienses itidem Episcopum, præpostere sane parcum, ac prope injurium, quomodo non vituperem? Leubensi scilicet Cœnobio, a Benedictinis recenter ad Cistercienses adverso, sub ipsam ejus Ecclesiæ Dedicationem à Boleslao Alto, totius Silesiæ Ethnarcha, ac prædicti Monasterii Fundatore, itemque à Loci novo Abbate, consentiente insuper suo, id est, Cathedralis Ecclesiæ Capitulo, Decimas omnes manipulares, in Territorio Lignicensi, in cruda Radice consurgentes, ac ad suam Mensam Episcopalem pertinentes, Zyroslaus omnino donaverat. Hanc Prædecessoris Munificentiam, eo, quod per eam Mensa sua imminueretur solito amplius, rescidit Jaroslaus, irritamque esse voluit.*

WBP Opole

MORS.

XII. Silesiæ Canonicis, quam Ducibus acceptior IAROSLAUS, non nisi per Triennium Episcopus, Anno Ætatis LI, Christi 1201, non XI, ut Georgius Crugerius refert, sed X Calendas Februarii, ut Joannes Dlugossus in Historiis Polonicis, & in Episcoporum Vratislaviensium Vitis commemorat, hoc est, Die XXII Januarii, claudebat Vitam: nullo quidem Scripto, miro tamen Ingenio, maxime Nissensi Dono, inter Silesiorum Episcopos seræ Posteritati memorabilis. Vratislaviensium in Cathedrali Templo sepultus jacet.

CAPUT V.

Ad Annum M. CC. XXXXII.

CESLAUS ODROVASIUS

Steinensis.

VITA.

I.

CESLAUS noster diversis Cognominibus, in antiquis recentioribusque Monumentis reperitur denotatus. Quantum ex Indiciis non vanis perscrutari potuimus, Germanicum ab ODERA Fluvio, qui Polonis ODRA vocatur, & DOLIO, quod Germanis VAS dicitur, ODERVASII gessit, quod in ODROVASII transiit Vocabulum. Hoc (ut ex innumeris Exemplis constat) pro Temporum illorum More, magis magisque Literarum Sarmatica Licentia mutatum, mireque corruptum varias suscepit Formas. Ideo legitur appellatus, non tantum ODERVASIUS, verum etiam ODROVASIUS, vel Odrovvasius, vel Odrovvazius: ODROVANSIUS, vel Odrovvansius, Odrovvanzius: ODROVONSIUS vel Odrovvonsius. His enim Cognomentis designant Ceslai nostri Prosapiam, præter Anonymos in MStis Codicibus, Ioannes Dlugossus in Historia Polonica, Lib. VI. ad Annum 1218. Abrahamus Bzovius in S. Hyacinthi Vita, Cap. VIII. in ejusdem Propagine Cap. I. & IV. in Annalibus Ecclesiasticis ad Annum 1222. Num. XVI. Simon Okolskius in Orbis Poloni, quo Sarmatarum Arma repræsentat & declarat,

clarat, Tomo II. Simon Starovolscius in Sarmatarum Monumentis Cracovienſibus, & Sprovianis. Petrus Ribadeneira de Sanctorum Vitis, ad Augusti Diem XVI.

II. Natus est, non in Polonia, quemadmodum plerique tradunt, veterem Consuetudinem sequentes, qua, propter Silesiam tum Poloniæ cohærentem, Silesii Polonis annumerabantur: sed intra Silesiam, in Oppolienſi Ducatu, Polonis propinquo, per quem Odera Fluvius dilabitur: Oppido non primario, OPPOLIA, sed obscuro, quod nobilitavit, STEINA: cui ad Amnem Steinam Locus est. Id Monasteriorum Silesiacorum Antiquitates MStæ, quas vidimus, indicant: cum quibus consentiunt, quæ novissimus Rerum Silesiacarum Scriptor, Illustrissimus Michael Josephus Fibiger, supremus Crucigerorum per Silesiam & Poloniam Magister, ad Nicolai Henelii renovatam Silesiographiam, Cap. VII. §. CXLII. ex Archivis annotavit. Ideo Ceslaus sæpius Polonus, quam Silesius: sæpius Oppolienſis, quam Steinenſis vocatur. Videantur, quæ proferemus de Hyacintho, Germano Ceslai Fratre, Cap. VI. §. I.

III. Editus est in Lucem Anno 1180, Patrem nactus Illustrem, Eustachium Odrovasium, Konskii Possessorem: quem non nulli Equitem, alii Comitem vocant.

IV. Liberalibus in Silesia Studiis præparatus, apud exteros in Gallia Parisiensem, in Italia Bononiensem Academiam perficiendis eligebat. Hinc, ob singularem & Theologicarum Rerum, & Canonicorum Jurium Scientiam solennes Honores in publicum Testimonium reportabat.

V Reversus in Silesiam, mox in Poloniam digrediebatur ad Ivonem Odrovasium, Saulis Odrovasii Filium, Patruum suum, Canonicum Cracovienſem, Lesconis Albi, Cracovienſium & Sandomirienſium Ducis Cancellarium. Quo Patrono fretus, Canonicis Ecclesiæ Cracovienſis adscribebatur: etiam Custodiæ Sandomirienſis Munere, quod Prælatura nominari consuevit, donabatur.

VI. Tum Cracovienſium Sacris Episcopus præerat Vincentius Cadlubco, ille Polonicarum Historiarum antiquissimus Scriptor, inter editos primus: Curas Otiis, Molestiam Quiete mutaturus, Monachus ex Episcopo futurus. Huic Successorem Ivonem Odrovasium, Anno 1218, destinabat Cracovienſium, & Dux Lesco Albus, & Canonicorum

Collegium. Ivo effecturus, ut horum Suffragiis Calculum Honorius III, Pontifex Maximus, adjiceret, ipse Romam discedebat, Anno 1219, assumtis in Consortium Patruelibus, Ceslao & Hyacintho Germanis Fratribus Odrovasiis. Ea Tempestate Dominicus Natione Hispanus, intra Ecclesiam Romanam, celeberrimus novi Monachorum Ordinis Conditor, Ceslaum nostrum spectata Vitæ Sanctimonia, divulgata Miraculorum Frequentia sic commovebat, ut Anno 1220, pro Cracovienſi Canonico Monachus Dominicanus, ex Italia in Poloniam rediret: ubi deinceps Ivo Cracovienſium Episcopus passim Dominicanorum excitatis Monasteriis ampliavit Societatem.

VII. CESLAUS exstructo apud Cracovienses Ordinis Dominicani Cœnobio, in Bohemiam cum aliquot Sociis Anno 1222, migrabat Pragam. Hinc, multis à Bohemorum Rege Præmislao Beneficiis ornatus, Silesiæ Caput, Vratislaviam ingrediebatur: cujus Episcopo Laurentio, parum Literis exculto, per Ingenium satis eruditum, se commendabat.

VIII. Post Dominicum Anno 1221, mortuum, Anno 1226, Laurentius Vratislavienſium Episcopus, mutabat S. Virginis Monasterium in S. Adalberti Cœnobium: idque Monachis Dominicanis, quos a concionandi creberrimo Exercitio Sæculum recentius Prædicatores usitatiore Vocabulo appellat, committebat. His præficiebat Priorem primum, nostrum Ceslaum. Ea conspectiorem postea Dignitatem sustinebat, per Bohemiam, Silesiam, Moraviam inter Provinciales Secundus.

IX. Magnis, ut Virtutibus, ita Miraculis claruisse dicitur, quorum Documenta multa non pauci commemorant Rerum à Sanctis gestarum Autores. Unum referemus, quod ad Silesiorum Historias pertinet. Anno 1241, Tartari obsidentes Arcem Vratislavienſem, in quam Cives combustis Oppidi Ædibus, se cum melioribus Bonis receperant, Ignea in Cælo Columna territi, sævientibus in Terra circum circa delapsis Flammis abigebantur. Id generatim piis omnium Precibus Silesii attribuunt: ex quibus Ioachimus Curæus in Annalibus ad Annum 1241: *Tartari devastata Polonia accesserunt ad Vratislaviam, paulo ante Ferias Paschatis. Urbs, quæ parum munita erat propter recentem Conflagrationem, a Civibus fuit deserta. Importata sunt Bona in Arcem, Domus vero inflammatæ. Cinxerunt Obsidione Arcem Tartari, sed frustra. Nam precantibus piis dicuntur Flammæ & Fulgura ex Cælo cecidisse, &*

Tartaros

Tartaros late ambussisse atque terruisse. Ita divinitus repulsi sunt Scythæ ab Arce Vratislavienſi Precibus piorum. Nicolaus Polius in Hemerologio Silesiaco, ad Diem I. Aprilis: de Vratislavia, cum eam Tartaros invasisse dixisset: *Die Stadt war nach erlittener Feuersbrunſt, noch wenig von Holtzwerck erbauet und befestiget: darzu nicht sonderlich volckreich, und wider feindlichen Anlauf nicht genugsam verwahret. Derowegen die Burgerschafft und Einwohner die Stadt verlassen, ihre beste Sachen auf das Schloss und des Herzogs Sitz, auf des heiligen Creutzes Burg, hart an der Oder, auf dem Thumb gelegen, itzund S. Martin genand, zusammen getragen und geflüchtiget, und die leere Stadt, damit sie der Feind nicht mœchte zu seinem Vortheil brauchen, selbst in Brand gesteckt. Umb das Schloss haben sich die Tartarn hefftig angenommen, dafur gelagert und ernstlich gesturmet. In solcher Noth haben die bedrengten Christen [darunter CESLAUS der erste Prior des Klosters zu S. Albrecht auch gewesen] mit weinen und klagen zu Gott œngstlich geschryen und andœchtig gebeten, um gnœdige Hulffe und Errettung: darauf ist eine fœwrige Seule am Himmel erschienen, davon es weit und fern sehr lichte worden. Darob die Tartarn sehr erschrocken, sich eines schœdlichen Feuerwercks aus dem Schlosse befurchtet, und am Ostermontage eilend aufgebrochen, abgezogen und auf Liegnitz verrucket sind. Etliche schreiben, das Fewerflammen vom Himmel herunter gefallen sind, die unter den Tartern herumb gelauffen, sie versenget, gebrennet und erschrecket, und also von des Schlosses Belagerung verjagt und abgetrieben haben.*

X. Hoc ipsum unius CESLAI Precibus adscribunt Poloni: ex quibus Matthias Michovius in Polonorum Chronico, Lib. III. Cap. XXXIX. de Tartaris: *Et in Wratislaviam perrexerunt, quam similiter, ut Cracovienſem, desertatam Habitatoribus, sed & conflagratam Habitationibus reperientes. Cives & enim Wratislavienſes Pauore consternati (fere omnibus relictis, pretiosioribus duntaxat festinè raptis) Fugam inierunt: quod Gentes Ducis Henrici videntes, descenderunt, & opes cum Victualibus in Arcem inducentes, Urbem cum Tectis ejus Flammis exusserunt. Tartari in Urbe nihil reperientes, Castrum vallarunt, & post aliquot Dies Obsidionem solventes, (vt ajunt, Orationibus & Lachrymis CESLAI, Prioris, Ordinis Prædicatorum, & Fratrum ejus in Castrum admissorum) depulsi recesserunt.* Martinus Cromerus de Polonorum Rebus Lib. VIII.

ad Annum 1241: *Tattari vero continuato Cursu ad Wratislaviam, quod Oppidum Orœ illius primarium esse acceperant, festinarunt: verum id incensum repererunt. Oppidani namque cognito Adventu Barbarorum, Munitione Oppidi diffisi, Supellectili suo, Frumento, & Commeatu cætero in Arcem comportato, id reliquerant: Milites vero, qui in Præsidio Arcis erant, vacuum, ne Hostibus Prædæ vel Receptaculo esset, incenderant. Quamobrem indignati Tattari, Arcem obsederunt. Sed frustra consumtis Diebus aliquot, cum obsessi ad longiorem etiam Obsidionem perferendam non imparati esse viderentur, irrito Cœpto inde similes fugientibus abierunt: divino, ut posteà compertum est, Ostento perterriti, quod fuit hujusmodi. CIESLAUS unus de Comitibus Ivonis Episcopi Cracovienſis, Romæ divi Dominici Vitæ Institutum professus, præerat Conventui Vratislavienſi apud divi Adalberti, & ad primum Tumultum cum cæteris Sodalibus in Arcem confugerat. Eo igitur jugibus Precibus & Lachrymis DEI Misericordiam & præsentis Periculi Depulsionem implorante, ecce, Columna ignea cælitus apparuit, & Stativa Tattarorum, omneque Territorium ingenti atque terribili Fulgore collustravit. Hoc Miraculo barbari perterrefacti, nihil cunctati Obsidionem solverunt.*

MORS.

XI. Annis LXII superstes, XVI in Adalbertino Vratislavienſium Cœnobio Prior, suum obiit Diem Anno 1242. Ibi sepultus, hoc à Posteris Monumento legitur honoratus: *Beatus CESLAUS, Natione Polonus, Patriâ Oppolienſis: unus de primis Fratribus, qui recoperunt istum Locum pro Conuentu, Anno M.CC.XXVI. Secundus Provincialis Poloniæ, Vir magni Meriti apud Deum: qui quatuor mortuos suscitavit, & hanc inclutam Urbem Vratislaviam ab incursu Tartarorum suis Orationibus liberavit Anno M.CC.XXXXI. innumeris Miraculorum Generibus tam in Vita, quam post Mortem usque in hodiernum Diem coruscans. Obiit Anno M.CC.XLII. hic in Ecclesia sepultus.* Elogio pari condecoratur apud Suidnicenſes in S. Crucis Templo, ad Effigiem: *Beatus CESLAUS, Natione Polonus, Frater S. IACINTI, S. Dominici Discipulus, secundus in Polonia Provincialis, & Conventus Ordinis Prædicatorum, ad S. Alberti Vratislaviæ, primus Prior, unus de primis Fratribus, qui receperunt istum Locum pro Conventu, Anno Domini M.CC.XXVI. Vir magni Meriti apud Deum, & innumeris Miraculorum Insigniis in Vita & post*

post Mortem coruscans, inclitam Civitatem Vratislavienſem ab Incursu Tartarorum suis Orationibus liberavit. Anno Domini M.CC.XLII. ibique sepultus.

CAPUT VI.

Ad Annum M.CC.LVII. Diem XVI. Augusti.

HYACINTHUS ODROVASIUS

Cantienſis.

VITA.

I.

VEteri More, qui Polonos ex Sileſiis facit, Polonus plerisque dictus, revera non fuit. Omnino Sileſius, quo Sileſiæ Loco sit natus, in Controverſiam duci potest. A non nullis pariter, ut Germanus Frater CESLAUS [de quo jam egimus] Steinam in Oppolienſi Ducatu Oppidum Patriam habuisse traditur. Id, præter alios, innuit Leander Albertus Bononienſis, Prædicatorum Ordinis Monachus, in Opere, quo Res illustrium Virorum, Ordini suo addictorum, exponit, Libro V, in Hyacinthi nostri Vita, quam Anno M.D.XVI, apud Bononienſes scripsit: cum *Sileſiam* quidem *Poloniam*, *Steinam* vero, qua Germani Voce *Lapidem* indicant, *Saxum* appellat: *Hiacinthus*, inquiens, *ex Oppido Polonia Saxo, nobili Stemmate Originem duxit.*

II. Contra sunt, iique potiores, secundum quos, non in Oppolienſium, sed in Vratislavienſium Ducatu: non intra Steinam, sed intra Villam, quam *Camienſem* vocant, in Lucem est editus. Inter hos eminet Clemens VIII, Pontifex Romanus, in Bulla de nostro HYACINTHO, Sanctis adscripto, cum Annus M.D.XCIV ageretur, edita: quam in Laërtii Cherubini magnum Bullarium Romanum, ab Angelo Maria Cherubino, Angelo Lantusca, & Ioanne Paulo Romano continuatum, relatam invenimus, Tomo III. Num. XXVII. Ibi, §. XI. *Natus igitur*, ait, *est B. Hyacinthus in Polonia, in Villa, quæ Camienſis appellatur, Wratislavienſis Diœcesis.*

III. At in Vratislavienſi Ducatu reperitur Villa nulla, cui Nomen sit vel *Camia*, vel *Camium*. Camencium in Monsterbergenſi Ducatu, Dioe-

Diœceſi Francoſteinenſi, Monaſterium eſt. Quantum igitur maxime probabilis Conjectura noſtra poteſt aſſequi, natalis Locus HYACINTHO fuit non *Camium*, ſed *Cantium*, Oppidum, quod intra Ducatum Vratislavienſem, tribus ab Urbe Vratislavia Milliaribus, ad Viſtricum Amnem jacet, hodieque Juri Epiſcopali ſubjacet.

IV. Patrem Euſtachium Odrovaſium, Konskii Poſſeſſorem ſeu Equitem, ſeu Comitem, nactus, Anno 1183 introibat in Vitam. Ingenium Literis non vulgarem in Modum exornare gaviſus, ſacræ ſimul Theologiæ, ſimul Jurisprudentiæ Notitiis ſupra multos eminebat. Teſtes ſunt: Leander Albertus in Hyacinthi Vita: *Is quidem Ætatis ſuæ Initio bonis Præceptoribus traditus eſt erudiendus: & tantum profecit, ut brevi Condiſcipulos ac coætaneos in literaria Palæſtra plures ſuperaverit.* Clemens VIII, Pontifex Romanus in Bulla, cujus Mentionem ſupra fecimus, §. XI: *Ineuntis Ætatis Tempus iis primum Literis, quibus Ætas illa informari ſolet, impertivit. In quibus, cum tantum profeciſſet, quantum ad altiorem Diſciplinam capeſſendam ſatis ſibi eſſe videbatur, Animum ſtatim ad Theologiæ & Juris Canonici Studia adjunxit: magno ſane & admirabili cum Fructu, ut qui non multo poſt Cracovienſis Eccleſiæ Canonicus factus, ita inter Ordinis ſui Viros excelluerit, ut propter eximiam Eruditionem, cum præclara & inſigni Pietate conjunctam, tanquam ardens Lucerna cæteros clariſſimos Virtutum ſuarum Lumine colluſtraret.*

V. Per Patruum Jvonem Odrovaſium, Polonorum Cracovienſis Ducis Leſconis Albi Cancellarium, Canonicumque Cracovienſem, in Cracovienſium Canonicorum Collegium evectus, cum eodem, jam in Vincentii Cadlubconis Locum, deſignato Cracovienſium Epiſcopo, & Ceslao, Germano Fratre, Canonico Cracovienſi, Romam Anno 1219 perveniebat. Ibi non difficulter ab ipſo recentis Ordinis Patriarcha Dominico in Familiaritatem admiſſus, Prædicatoribus Monachis conjungebatur.

VI. Roma digreſſus, in Itinere Civitatem Carinthiæ Frizacenſem cum Sociis ſuis ingreſſus, intra ſex Menſium Tempus, ibi Cœnobium Ordinis ſui conſtruebat. Cracoviam reverſus, in ea quoque Monaſterium excitabat ſplendidiſſimum. De quo Petrus Ribadeneira in Opere, quod de Sanctorum Vitis conſcripſit, ad Auguſti XVI Diem: cum Hyacinthi Adventum in Urbem Cracovienſem narraviſſet: *Actutum cogitatum fuit de totius Urbis Eccleſia ampliſſima & nobiliſſima ei tradenda, pone quam Monaſterium poneretur ac fundaretur. Atque hunc in finem delectum fuit*

fuit SS. Triados Templum, quod, ſecundum Cathedrale, erat omnium ampliſſimum. Huic S. Hyacinthus iuclytum adjunxit Cœnobium, quod Patruus ejus Epiſcopus Ornamentis, Calicibus, Crucibus, Iconibus, aliaque ad divinum Cultum pertinente Supellectile inſtruxit. Sed & ipſe Populus admodum S. Hyacintho devotus, omnia neceſſaria novo Monaſterio ſuppeditabat: quod adeo magnificum fuit ac inclytum, ut aliqui Regum Poloniæ ſuis id Mauſolæis elegerint. Pari Felicitate quatuor Cœnobia in aliis Locis Ordini ſuo deinde condidit.

VII. Poſt hæc barbaris in Oriente Populis, partim ad Chriſtum ſalvatorem convertendis, partim ſub Romani Pontificis Poteſtatem redigendis ſtudebat. Ducem in Ruſſia Kiovienſem Valdomirum, Græcis, non Romanis, Sacris addictum, Doctrinis Cerimoniisque ſuis propenſum reddere fruſtra conabatur. De quo Petrus Ribadeneira Loco, quem indicavimus ſupra: *Noſter S. Hyacinthus Iter ad Orientem promovit, ingreſſusque Ruſſiam, qua Meridiem ſpectat, ad Ducatum Chion pervenit, & in Urbe Chiovia Evangelium prædicavit: ubi Rei Chriſtianæ prorſus eximiam navavit Operam, & inſigne Cœnobium exſtruxit, quod Honori glorioſiſſimæ Cœlitum Reginæ, ſuæ ſingulari Patronæ dicavit, & Dominus ſui Servi Conciones multis Miraculis illuſtravit. Præterea multos ibidem ſuſtinuit Ærumnas & Perſecutiones, quod Eccleſiæ Catholicæ Romanæque Veritatem doceret ac propugnaret adverſus Ducem Valdomirum, tunc Rerum potientem, Græcorum Cerimoniis ac Ritibus oppido addictum. Unde, cum Princeps ille timeret, ne forte S. Hyacinthus ſua Vita Doctrinaque illos Populos ad Obedientiam Fidemque Apoſtolicæ Sedis reduceret, omnem, quod ajunt, Rudentem movit, quo Virum ſanctum ſuis exigeret Provinciis.*

VIII. Miraculis, quæ vivus, quæ mortuus, potiſſimum a Morte jam oppreſſos ad Vitam revocando, edidiſſe creditur, recenſendis Lectorem non defatigabimus. Ea proferunt, præter alios multos, Clemens VIII, Pontifex Romanus in Bulla ſæpius citata, § XIV & XV. Leander Albertus in Hyacinthi Vita. Abrahamus Bzovius in Hyacinthi, Thaumaturgi Poloni, Vita, & in ejusdem Hyacinthi Propagine: in Annalibus Eccleſiaſticis ad Annum 1239. Num. XIII. ad Annum 1257. Num. XII. Petrus Ribadeneira de Sanctorum Vitis, ad Auguſti XVI Diem. Bohuslaus Balbinus in Miſcellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. IV. Parte I. §. XLVIII.

MORS.

IX. Cracoviam reversus, cum in Polonia per Annos XXXX Rectorem Ordinis sui Provincialem egisset, Die XVI. Sextilis, Anno Ætatis LXXIV, Christi 1257 Animam exhalabat. In Suidnicensium Templo S. Crucis ad Imaginem HYACINTHI reperitur hæc Inscriptio: *B. IACINCTUS, Natione Polonus, Genere nobilis, tandem veniens Cracoviam, Ecclesiam S. Trinitatis, ab Ivone Episcopo Cracovienſi sibi oblatam accepit, & Conventum pro Fratribus ædificans, ibidem in Domino feliciter requiescit. A. D. 1257.*

X. Quantum Poloniæ, non Silesiæ tantum, Ornamentum habitus olim fuerit: quantam ille dudum sepultus Reverentiam, seris etiam Posteris præsertim inter Polonos superstitem, retinuerit, prælustria Indicia prodiderunt. Nam, ut alia Silentio prætereamus, eum solenniter Sanctis annumerandum plures Polonorum Reges Pontificibus Romanis, Sigismundus I. Leoni X, Clementi VII, Paulo III. Stephanus Gregorio XIII. Sigismundus III. Sixto V. & Gregorio XIV. sed nequicquam commendaverunt. Tandem, ut Polonorum Votis satisfieret, Sigismundus III, Rex a Clemente VIII Pontifice, obtinebat: a quo HYACINTHUS [cujus Sepulcrum singulariter a Polonis honorari, Clemens ipse, missus ad Regem a Pontifice Nuncius Cardinalis, in Cracovienſium Urbe conspexerat.] annuo Festo, Sextilis XVI Die, (quo Hyacinthus e vivis excesserat,) omnibus Ecclesiæ Romanæ subditis colendus statuebatur, Die XVII Aprilis, Anno 1594. Cui Sententiæ subscribebant XXXXI Cardinales, Episcopi VI, Presbyteri XXVIII, Diaconi VII. quemadmodum Bulla, cujus aliquoties supra meminimus, indicat.

CAPUT VII.

Ad Annum M. CC. LXX. Diem XXIV. Aprilis.

VLADISLAUS DUX Vratislavienſis.

VITA.

I.

Silesiorum Duces Vratislavienses, BOLESLAUM Procerum, Proavum: HENRICUM I. Barbatum, Avum: Hedvvigem, Meraniorum

niorum Principis Filiam, quam Pontifex Romanus Sanctis adscripsit, Aviam: HENRICUM II. Pium, cui magnum illud adversus Tartaros in Silesia Prælium, Anno 1241 Vitam ademit, Gloriam adauxit, Patrem: Annam, Ottocari Bohemorum Regis Filiam, Matrem, rara Originis Felicitate consecutus erat.

II. Jam tum hoc agebatur, ne, quamvis amplum, Silesiæ Gubernaculum, pluribus commissum Ducibus, Potentiam suam nimis sentiret imminutam. Ideo ex Henrici II. Filiis, Seniores HENRICUS III. & BOLESLAUS Calvus, Imperio Patrio: Juniores, CONRADUS & VLADISLAUS Ecclesiastico Regimini destinabantur: natu minimus, non Armis, sed Literis Stemmati suo Decus novum additurus, ad extremum eo ascendebat, ut fieret inter Fratres Loco maximus.

III. Applicatus a Pueritia Studiis, Ætate pares, imo superiores, Ingenio strenuo, Labore continuo vincebat: potissimum in Italia potioribus scientiis erudiendus Gymnasio Patavino traditus. Ibi, quanquam & Princeps, & Adolescens, rarum Diligentiæ, rarius Castimoniæ fuit Exemplum. Vir egenus Filiam suam, elegantissimam Virginem, VLADISLAO in Amoris secreti Delicias offerebat: Spe Muneris, quod in Dotem abiret, ad honestum Matrimonium. VLADISLAUS Puellam, ne liberioribus quidem Oculis excipiendam, adeo non Affectibus indulgentioribus prosequendam censebat: cæterum repudiatam, Dono largiore, quod in Remedium Incontinentiæ pulchrius, ad legitimas Nuptias sufficeret, simul castigabat, simul erigebat; illustris Continentiæ privatô, sed quod Fama publicum fecit, Documento. Id commendant Nicolaus Henelius in Silesia Togata MSta, Lib. I. Cap. I. Georgius Crugerius in sacris Pulveribus ad Aprilis Diem XXIV. Bohuslaus Balbinus in Rerum Bohemicorum Epitome, Lib. III. Cap. XV. & in Miscellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. IV. Parte II. Tit. XXIV.

IV. Dignus, qui Sacris præesset, Anno 1257, intra Bohemiam, in Philippi Carinthiorum Ducis remoti Locum, constituebatur Ecclesiæ Pragensis Wisschradensis [quam nonnulli, aut Weissengradensem, aut Vissegradensem vocant] Præpositus, Episcopali Potestate, quam sibi connexam tenet. Quo Munere laudabiliter per Septennium defungebatur.

V. Anno 1265, Die X Aprilis, in Bavarico Germaniæ Circulo, decedebat e vivis Otto Episcopus Passavienſis, quem vel Patavienſem vel Batavenſem alii nominant. Hujus a Canonicis Succeſſor eligebatur VLADISLAUS. Ob id Romam evocatus, ſingularem Clementis IV. Pontificis Gratiam Studiis atque Virtutibus ſuis obtinebat. Eo Tempore, ſatis opportuno Caſu, imbecillis Senex, Juvavienſium, id eſt, Salisburgenſium Archiepiſcopus Ulricus Provinciam ſuam Eccleſiaſticam deponebat. Quo Pacto acquirebat Pontifex Romanus peculiare Jus, citra Suffragiorum Prærogativam, Canonicis uſitatam, pro ſuo Arbitrio, Salisburgenſem Archiepiſcopatum conferendi, per ſe, non per alios electo. Eum proinde, cum Pontifex Vladislao deſtinaret, VLADISLAUS efficiebat, ut Paſſavienſis Episcopatus quondam ſuo, cum alibi, tum intra Patavinam Academiam Præceptori, Petro Magiſtro, Canonico Vratislavienſi, eruditiſſimo Viro, per Pontificem conferretur. Sic VLADISLAUS ad Eccleſiaſticam Dignitatem, perpetuo Legati Romani Pontificii Splendore conſpicuam emergebat, XXVII Salisburgenſis Archiepiſcopus, Friſingenſi, Ratisbonenſi, Paſſavienſi & Chimenſi præpoſitus.

VI. Quæ diximus, in majorem Fidem confirmabimus ipſius Clementis IV, Pontificis Romani Verbis, ex Literis ad Vladislaum noſtrum, Die X. Novembris, Anno 1265, Peruſii ſcriptis: quas Henricus Stero in Annalibus [ab Henrico Caniſio in Antiquæ Lectionis Tomo I. editis] ad Annum 1265, repræſentat: Philippus Labbeus & Gabriel Coſſartius in Conciliorum Tomum XI, Partem I. inde Bohuslaus Balbinus in Miſcellaneorum Bohemicorum Decadem I. Librum IV, Partem II, ſub Titulum XXIV tranſtulit. *Sane*, inquit, *venerabilis Frater noſter ULRICUS quondam SALTZBURGENSIS ARCHIEPISCOPUS, rectæ Conſiderationis Meditatione advertens, quod ipſe, qui jam vergens in Senium, multa proprii Corporis Debilitate gravari dicitur, in commiſſo ſibi Plebis Gubernaculo, variis de Cauſis ſe fructuoſe gerere, ſicut erat expediens, non valebat, ac proprium & ſubditorum Periculum reformidans, Zelo Charitatis, quo erga Eccleſiam ſuam vigebat, inductus, ne Occaſione ſuæ impotentiæ, Gregem ſuum inimicus Inſidiator invaderet, vel Eccleſiæ Salzburgenſi Utilitatibus per Diſpenſatoris Invalitudinem forſitan deperiret, ipſius Eccleſiæ Regimine elegit ſponte cedere: per Literas & Nuncium ſpecialiter ſupplici à nobis depoſcens Inſtantia, ut Ceſſio-*

Ceſſionem ipſius, quam ſic offerebat ſpontaneus, de Benignitate Apoſtolica recipere dignaremur. Nos autem tam ipſius Archiepiſcopi Quieti & Commoditatibus providere, quam ejusdem Eccleſiæ occurrere Periculis opportuna Diligentia intendentes, Ceſſionem ipſius duximus admittendam. Per hujusmodi vero Ceſſionem in Manibus noſtris factam, eadem Salzburgenſis Eccleſia, Paſtore vacante, Ordinationem illius nobis ſpecialiter reſervantes, inhibuimus expreſſe Capitulo Saltzburgenſi, ne ad Electionem ſeu Poſtulationem aut Nominationem aliquam procederent de Archiepiſcopo illa Vice: ac decrevimus nihilominus irritum & inane, ſi quid contra Inhibitionem hujusmodi contingeret attentari. Poſt quædam: *Unde nos laudabiles Actus tuos, quibus de Virtute in Virtutem proficiens in Oculis Hominum, a tuæ Juventutis Primitiis, te gratum reddere ſtuduiſti, delectabiliter in Animo revolventes, ac redolentis tuæ Famæ Suavitate, quæ publico prædicatur Teſtimonio, quod claram ſereniſſimorum Tuorum NOBILITATEM NATALIUM, STUDIIS ac OPERIBUS nobilitare ſatagis virtuoſis, Odorem acceptabilem ſentientes, in te generoſum ac Benedictionis Filium direximus Oculos Mentis noſtræ. In quo te ipſi SALTZBURGENSI præficiendo ECCLESIÆ noſter non indigne Spiritus requievit, Spem grandem ac Fiduciam obtinentes, quod, cum ſis multorum PRINCIPUM CONSANGVINITATE & Affinitate ſubnixus, LITERA ſufficienti donatus, gratus MORIBUS, Converſatione placidus, Vitæ HONESTATE conſpicuus, aliisque VIRTUTIBUS multipliciter inſignitus, in Spiritualibus nihilominus PROVIDENTIAM, ac in Temporalibus DISCRETIONEM obtinens: Eccleſia eadem per tuam Potentiam & Circumſpectionem fructuoſam ab inſtantibus Periculis efficaciter eruetur, a futuris præſervabitur ſalubriter: & non ſolum in bonis ſuis Juribus, Immunitatibus & Libertatibus magnifice defenſabitur, verum etiam optatæ Felicitatis & Proſperitatis Augmentum ſpiritualiter & temporaliter ad Pacem & bonum Statum ſubditorum ſibi Cleri & Populi, divina favente Clementia, conſequetur. His itaque digna Meditatione penſatis, Eccleſiæ prælibatæ, cujus in hac Parte Profectum potiſſime attendimus, ſpeciali volentes Diligentia providere, de Fratrum noſtrorum Conſilio & Apoſtolicæ Poteſtatis Plenitudine in Nomine Domini, non obſtante Defectu, quem in Ordinibus pateris, & Ætate, te tunc PRÆPOSITUM WISEGRADENSIS ECCLESIÆ, CAPELLANUM noſtrum, prælibatæ SALTZ-*

BURGENSI ECCLESIÆ in ARCHIEPISCOPUM præfecimus & Paſtorem, Curam & Adminiſtrationem illius tam circa ſpiritualia quam temporalia totaliter committentes. Idem Pontifex Romanus in Literis ad Petrum, Canonicum Vratislavienſem, electum Epiſcopum Paſſavienſem, Die XXIV Novembris, Anno 1265. Peruſii ſcriptis: *Sane PATAVIENSIS ECCLESIA Paſtoris Solatio deſtituta, dilecti Filii Capellani ejusdem Eccleſiæ pro futuri Electione Pontificis, ut eſt Moris, Die ad eligendum præfixa, convenientes in unum, Spiritus ſancti Gratia invocata, dilectum Filium WELODIZSLAUM (VLADISLAUM) nunc SALTZBURGENSEM electum, tunc CAPELLANUM noſtrum, & ECCLESIÆ WISEGRADENSIS PRÆPOSITUM, in eorum Epiſcopum unanimiter & concorditer poſtularunt, & Poſtulationem hujusmodi præſentantes, illam admitti cum Inſtantia poſtularunt. Nos quidem poſtulatæ Perſonæ, de cujus Probitate multa Laude dignæ relatæ nobis fuerant, nec non & de illius Meritis certam volentes Notitiam obtinere, eundem electum ad noſtram duximus Præſentiam evocandum: qui velut Obedientiæ Filius ſe noſtro Conſpectui præſentavit. Licet autem poſtmodum inſpecta electi ejusdem laudabilium Copia Meritorum, de quibus tam per communis Famæ Præconium, & multorum Fide dignorum laudabile Teſtimonium, quam etiam per Experientiam Facti nobis evidenter conſtitit, Poſtulationem prædictam, velut de Perſona ſufficienti & idoneæ canonice celebratam deliberaſſemus admittere: interim tamen venerabili Fratre noſtro ULRICO, quondam SALTZBURGENSI EPISCOPO, pro eo, quod ipſe in commiſſo ſibi Plebis Gubernaculo variis de Cauſis ſe utiliter gerere, ſicut erat expediens, non valebat, Ceſſionem ſuam Archiepiſcopalis Regiminis nobis per ſpeciales Literas & Nuntium offerente, illamque a nobis admitti cum Inſtantia poſtulante, nos tam ipſius ARCHIEPISCOPI Quieti & Commoditatibus providere, quam SALTZBURGENSIS ECCLESIÆ occurrere Periculis, opportuna Diligentia intendentes, Ceſſionem ipſius duximus admittendam. Recepta hujusmodi Ceſſione nos attendentes, quod nobis Eccleſia ipſa, quæ currentium Dierum faciente Malitia multis Periculis eſt expoſita, virtuoſi ac potentis indigebat Cura Rectoris, ipſum electum eidem SALTZBURGENSI ECCLESIÆ in ARCHIEPISCOPUM præfecimus & Paſtorem. Demum vero, ne PATAVIENSIS ECCLESIA, quæ præpoſiti Paſtoris carebat Solatio, prolixio-*

prolixioris Vacationis Detrimenta ſentiret, ſtudioſe vacavimus ad requirendum Virum talem, qui ad ipſius Eccleſiæ Regimen idoneus haberetur. Vnde nos ad Perſonam tuam, quam noſtræ Benevolentiæ Plenitudinem aſſecutam Odor Famæ nobis reddit acceptam, cum ſufficiens tibi Literarum Scientia ſuffragetur, & habearis Vir Vitæ laudabilis, & Converſationis honeſtæ, Morum Honeſtate decorus, Diſcretionis Maturitate conſpicuus, clarus Meritis & alias in Spiritualibus & Temporalibus circumſpectus, noſtræ Conſiderationis dirigentes Intuitum, ac ſperantes, quod Virtutibus deſurſum tibi traditis inſignitus, ipſam PATAVIENSEM Eccleſiam feliciter dante Domino, gubernabis, ipſaque utilis Gubernationis munita Præſidio ſalubriter præſervabitur â noxiis, & optatis Proſperitatis affluet Incrementis: in Nomine Domini, te tunc ECCLESIÆ VRATISLAVIENSIS CANONICUM, ipſi PATAVIENSI ECCLESIÆ de Fratrum noſtrorum Conſilio & Apoſtolicæ Plenitudine Poteſtatis præficimus in EPISCOPUM & Paſtorem.

VII. VLADISLAUS Româ Salisburgum, Anno 1267, digreſſus, ipſo S. Trinitatis Feſto, ut Archiepiſcopus, ſolenniter conſecrabatur: præſentibus, quibus præerat, Friſingenſium, Ratisbonenſium, Paſſavienſium & Chimenſium Epiſcopis. Gregorium, Patriarcham Aquilejenſem, ab Alberto in Carinthia Gorcenſium Comite captum, certis Legibus in Libertatem vindicabat. Res omnes Archiepiſcopatui ſuo ad Incrementum ſervientes, non in Carinthia ſolum, ſed etiam in Bavaria, Styria & aliis Locis, ut fideliter, ita feliciter expediebat.

VIII. Non diu Salisburgi commoratus, in Sileſiam revertebatur. Ibi, Anno 1266, die V. Decembris, amiſerat Fratrem HENRICUM III. Vratislavienſium Ducem: cujus per Teſtamentum deſignatus erat relicto Filio, HENRICO IV. Probo Tutor. HEDWIGEN Aviam ſuam, Anno 1243, Die XV. Octobris, mortuam: poſt Annos, non XXIII, ſed XXIV; non Anno 1266, Die XIV. Novembris, ut in Sileſiæ Chronico Lib. II. Cap. IV. Jacobus Schickfuſius, eumque ſequentes narrant, ſed, ut ipſa Bulla Pontificia docet, quam in Laertii Cherubini Bullario Magno, Tomo I, reperimus, Anno 1267, Die Martii XXVI, â Clemente IV. Pontifice Romano Sanctis adſcriptam, prima Feſti Solennitate, quod in Octobris XV. Diem incidebat, colendam, Præſentia ſuâ dignam judicabat.

IX. Eodem 1267 Anno, Die Martii XXX, Mortem obibat THOMAS

MAS I. Cognomine ZAREMBA, Natione Polonus, Episcopus Vratislaviensis. Quicquid Redituum debebatur hujus electo, sed non confirmato successori THOMÆ II. Zarembæ Polono: id Clemens IV. Pontifex Romanus Vladislao nostro, quem mira Indulgentia prosequebatur, percipiendum concedebat. His de Causis per quatuor Annos in Silesia subsistebat, præfectus Vratislaviensium Ducatui Tutor, Episcopatui Administrator.

X. In Prebnicensium Silesiæ Monasterio ad Sepulcrum HEDWIGI Avia suæ Sacellum construi, seu jusserat, seu permiserat. Hujus Fundamento primum ipse Lapidem supponebut, Die XXVIII. Aprilis, Anno 1268. Cæterum Officii sui Partes, cum Ecclesiasticas, tum Politicas, ita semper implebat, ut simul Antistes, simul Princeps, omnino prudens, justus, beneficus agnosceretur tam Exteris, quam Silesiis.

MORS.

XI. Quo Fato, quo Loco fuerit exstinctus, in Dubium vocari potest. Multis Venenô, quod vel ab Amicis, vel à Cognatis, suum aut Commodum, aut Gaudium ex VLADISLAI Morte, propter Hæreditatem, quam Silesiis subtrahere, Salisburgensibus attribuere cogitaverit, exspectantibus, intra Silesiam hauserit, non ibi, sed imminentis fatalis Necessitatis Sensu, mox inde profectus, Salisburgi mortuus creditur. In hæc consentiunt, Autor Inscriptionis, quam Salisburgensis Tabula, Vladislaum repræsentans, continet: Otto Richea (id est, Otto Aicher,) in Theatri funebris Parte I. Scena II. Epitaphiis Episcoporum Salisburgensium, Num. XXIX exhibet. Wiguleus Hundius in Metropoli Salisburgensi, Episcopo XXXVII. Iohannes Steinhænserus, Salisburgensis, in Chronico Salisburgensi Germanico MSto, ad Annum 1270. Andreas Brunnerus in Boicis Annalibus Lib. XIV. Cap. VIII. ad Annum 1270. Johannes Adlzreitterus in Annalibus Boicis, Parte I. Lib. XXIV. Cap. XXIII. Franciscus Duckherus in Salisburgensi Chronico, Archiepiscopo XXVII. Bohuslaus Balbinus in Miscellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. IV. Parte II. Titulo XXIV.

XII. At est, cur his exteris Testibus plena Fides habenda non sit. HENRICUM III. Ducem Vratislaviensem, Vladislai Fratrem, Veneno peremptum, in veteribus Silesiorum Monumentis reperiri, Joachimus Curæus in Annalibus ad Annum 1266. & Jacobus Schickfusius in Chro-

Chronico, Lib II. Cap. V. referunt: addunt vero, quia Febre maligna perierit, Obitum Veneno imputavisse rudiores. Qui VLADISLAUM ipsum Veneno sublatum narraverit, è Silesiis cognitum habemus neminem.

XIII. Præterea incertum est, num VLADISLAUS suam Hæreditatis patriæ Portionem HENRICO III. Fratri possidendam contulerit, an vero administrandam commiserit. Hinc, posterius statuentes, narrant, Silesios Equestris Ordinis alios HENRICO Duci, alios VLADISLAO Archiepiscopo addictos fuisse: quorum Dissidium effecerit, ut Vladislai Amatores HENRICUM, Osores VLADISLAUM Veneno trucidarent. Inter omnes, quos consuluimus, hoc indicantes, antiquissimus est Joannes, quantum conjicere possumus, Natione Polonus, Chronici de Polonorum Rebus Latini Autor, quod Anno 1359. absolvit: Ludovicus Silesiorum Dux Bregensis Anno 1360. in Bibliothecam suam recepit. Illud in Membrana scriptum Chronicon hæc de Henrico & Vladislao Fratribus commemorat: *HENRICUS vero usque ad ipsum Vitæ suæ Punctum* (Finem) *cum VLADISLAO jam Salczburgensi electo in una Sorte permansit: quæ tunc in Fine Vitæ ejus per Vim Militum* (Equitum, id est, Ordinis Equestris Hominum, quos Ætas illa Milites vocabat) *qui ipsum intoxicari fecerunt, & VLADISLAO adhærebant, in duo diuisa fuit. Et dum HENRICUS videret, se Morti proximum, Filium suum Quartum Fratri suo VLODISLAO in Fœdere primæ Sortis & Consortii commendavit.* Ibidem post pauca: *Defuncto VLODISLAO Archiepiscopo Salczburgensi similiter intoxicato à suis Slesiensibus; & in Salzburg sepulto, Filiolus ejus & Consors HENRICUS Quartus adhuc Puer, Wratislaviensis Terræ peroptimè locatæ Gubernacula suscepit.* At nec inde satis constat, num, quod accidere potuit, acciderit. Georgius Crugerius in sacris Pulveribus, ad Diem XXIV. Aprilis, cum idem Factum ex Danielis Weleslavini Bohemica Historia retulisset his Verbis: *Veneno acceleratam eidem* (Vladislao) *Mortem, Weleslavinus asserit:* subjungit: *Sed quis credat de Silesiis vel Salisburgensibus tantum Nefas?*

XIV. Aliud occurrit, unde colligi possit, illud sive Salisburgensium sive Silesiorum Facinus, aut suspectis, aut falsis annumerandum. Nam inter Scriptores, qui Vladislai Mortem commemorant, Veneni, quô ille sublatus sit, Mentionem nullam faciunt: Exteri quidem, Henricus Ste-

ro, Temporibus, quibus Vladislaus vixit, proximus, Anno 1300. superstes, in Annalibus ad Annum 1270. Johannes Gvalterius (id est, Janus Gruterus) in Chronicorum Chronici Tomo I. Episcopis Salisburgensibus ex Johanne Alberto Widmanstettero recensitis, Num. XXXVI. Silesii vero, ut quosdam Codices MStos, quos inspeximus, Silentio transeamus, Joachimus Curæus in Annalibus ad Ann. 1267. Jacobus Schickfusius in Chronico, Lib. II. Cap. V. Nicolaus Polius in Hemerologio ad Aprilis diem XXIV. Nicolaus Henelius in Silesia Togata MSta, Lib. I. Cap. I. Gotfridus Ferdinandus Buckisius in Historiæ Ecclesiasticæ Prolegomenis, Cap. II. §. XII. Fridericus Lucæ in Memorabilibus Parte II. Cap. II.

XV. Accedit huc, quod in Exteris errent omnes, VLADISLAUM Salisburgi mortuum statuentes: quem Silesii Vratislaviæ mortuum commemorant. Hos genuinam Mortis, qua defunctis ille fuerit, Notitiam vtique consecutos, posthabito Veritatis Studio, suppressisse, Probabilitati non respondet.

XVI. Cæterum, VLADISLAUS omnino Vratislaviæ mortuus, die XXIV Aprilis Anno 1270. Salisburgum transvehebatur: vbi sepultus in summo Templo ad Aram Deiparæ Virginis jacet.

CAPUT VIII.

Ad Annum M. CC. LXXXI.

MARTINUS STREPUS,

Cognomine vulgari POLONUS, Troppaviensis.

VITA.

I.

MARTINUS verò Stirpis nobilis Cognomine dicitur STREPUS. Id ei dant, Simon Starovolscius, Polonus, in Censura de Scriptoribus Polonicis, Cap. XIII. Ludovicus Jacobus Carolus, Burgundus, in Pontificia Bibliotheca, Lib. II. STREMPUS quidem appellatur Guilielmo Cavio, Anglo, at perperam: Errore, quantum videtur, non Typographi, sed Autoris: cujus ita vocat illum Chartophylax Ecclesiasticus, tam

tam Londinienſis Anno 1685, quam Lipsiensis Anno 1687, editus: & Historia Scriptorum Ecclesiasticorum Literaria, Londinensis Anno 1688, Genevensis Anno 1693, emissa: Sæculo XIII, ad Annum 1277.

II. Ad Temporum, quibus vixit, Morem, abjectò Familiæ Vocabulò, multiplex aliunde Cognomentum nactus est.

III. Nam primum reperiuntur, quibus MARTINUS SCOTUS nuncupatur. Inter hos sunt, Jacobus Philippus Forestus, Bergomensis, Eremitarum Ordinis Monachus, in Chonicorum Supplemento, quod Anno 1485. Brixienses ediderunt, ad Annum 1252. Hartmannus Schedelius, Norinbergicus, quod Anno 1493. Norinbergenses publicaverunt, de Viris doctis sub Clemente IV. Pontifice Romano claris. Paulus Langius, Cygnæus, Ordinis Benedictini Monachus, in Chronico Citicensi, quod Anno 1515 scripsit, ad Annum 1267. Henricus Oræus, Assenheimensis, in doctorum Virorum Nomenclatore. Autores, non tantum Additamenti, quod Vincentii Bellovacensis Episcopi Speculo Historiali subjungitur; sed etiam, qui Centurias Historiarum Ecclesiasticarum condiderunt, Johannes Wigandus, Andreas Corvinus, Thomas Holthuterus, in Centuria XII. Cap. X.

IV. Sed non ideo Natione SCOTUS est habendus. Nam Scotum vocantes nescio quis primus solâ Nominum Convenientia decepit. Celebre Chronicon & MARTINUS SCOTUS [Anno 1086 mortuus] & MARTINUS STREPUS conscripsit. Quos incircumspectior Cura non distinguens, dum hujus Prænomen ad illius Cognomen addidit, MARTINUM SCOTUM procreavit.

V. Deinde sunt, quibus MARTINUS CARSULANUS vocatur. Inter hos Agmen ducit Raphael Maffæus Volaterranus. Nam is Martino Patriam Carsulos, Urbem, quam recentiores Cascinam usurpant, in Umbria, Provinciarum Italicarum vetustissima sitam, primus adscripsit in Urbanis Commentariis, Lib. XXI. & XXII. Eum sequuntur, Johannes Balæus, Anglus, Ossorienſis apud Hibernos Episcopus, in Autorum Catalogo, quorum Testimoniis in prioribus novem Centuriis, de Britanniæ Scriptoribus, est usus: & in Innocentii V. Romani Pontificis Vita, quam Centuriæ IV, Capiti II, subjunxit. Aubertus Miræus, Brabantinus, Antverpiensium Decanus, in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis, Cap. CCCC. XIII. Guilielmus Cavius in Locis §. I. citatis.

VI. Hinc aliis MARTINUS natali Solo CARTULANUS creditur. Inter hos ſunt, Ludovicus Jacobus Carolus in Pontificia Bibliotheca Lib. II. Hippolytus Marraccius, Italus, Regularium S. Virginis Clericorum Sacerdos, in Mariana Bibliotheca Parte II.

VII. Aliis vero MARTINUS Patria CORSULANUS exiſtimatur. Inter hos ſunt Philippus Labbeus in Philologica Diſſertatione, quam ad Roberti Bellarmini de Scriptoribus Eccleſiaſticis Librum, compoſuit, Tom. II. Johannes Gotfridus Olearius in Abaco Patrologico.

VIII. Plerisque MARTINUS noſter Polonus audit. Inter hos reperitur Radulphus Columna, Canonicus Carnotenſis, in Tractatu de Imperii Romani Translatione, Cap. I. & VIII. Marſilius Menandrinus Patavinus in Tractatu de Imperii Romani Translatione, Cap. II. & X. Johannes Nuſſienſis, Canonicus Auguſtinianus, in Chronico magno Belgico, Johannis XXI, Romani Pontificis Rebus, ad Annum 1276. Leander Albertus, Bononienſis, Prædicatorum Ordinis Monachus, de ſui Ordinis illuſtribus Viris, Lib. III. Plures, in primis recentiores, allegare quid attinet? Nam quotocuique non ita nominatur, poſtquam ipſius, præſertim Chronicon, ex MStis editum in publicas privatasque Bibliothecas, ſub Nomine MARTINI POLONI tranſiit?

IX. Hoc MARTINI vulgatiſſimum Cognomentum in Opinionis ſuæ Fundamentum aut unicum, aut primarium convertunt, quibus Gente POLONUS eſſe judicatur. Inter hos ſunt Robertus Bellarminus in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Simon Starovolſcius in Centuria de Scriptoribus Polonicis, Cap. XIII. Johannes Gerhardus in Patrologia. Thomas Lanſius in Conſultatione de Europæ Principatu, Oratione pro Polonia. Gerhardus Joannes Voſſius de Hiſtoricis Latinis, Lib. II. Cap. LX. Guilielmus Cavius, non in Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum Literaria, ſed in edito prius Eccleſiaſtico Chartophylace, ad Annum 1277. Paulus Freherus in Virorum clarorum Theatro, Parte I. Sectione II. ad Annum 1279.

X. His, quod mireris, ſubſcribunt etiam, qui MARTINUM Patria, ſeu CARSULANUM, ſeu CARTULANUM, ſeu CORSULANUM cenſent, §. V. VI. & VII. citati: præter Guilielmum Cavium, qui Mentem ſuam poſtea mutaviſſe videtur: Hippolytus Maraccius, Philippus Labbeus, Johannes Gotfridus Olearius.

XI. Qui-

XI. Quibusdam nihilo ſecius appellatur MARTINUS BOHEMUS. Inter hos eſt Johannes Aventinus in Bojorum Annalibus, Lib. VII. Hinc Martinum Gente Bohemum declarant Autores Hiſtoriarum Eccleſiaſticarum Magdeburgenſes, in Centuria XIII, Cap. X.

XII. At omnes, quorum meminimus, de MARTINI Patria diſſentientes, errant: niſi quod eum Natione vel SCOTUM, vel ITALUM fingentes, nimis in falſum decurrunt: a vero minus abeunt, vel POLONUM, vel BOHEMUM ſtatuentes.

XIII. Nam MARTINI Temporibus SILESIA tota Polonico Imperio, cujus Pars erat, adhuc cohærebat: ſi Ducatum OPPAVIENSEM, aliis TROPPAVIENSEM nominari ſolitum, excipias: quem, poſt Mieslaum II. Oppavienſem Ducem, Anno 1246. exſtinctum, Wenceslaus Bohemorum Rex ſubegerat. De quo agunt Martinus Cromerus in Polonorum Rebus, Lib. IX. Jacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. II. Cap. XXXVIII.

XIV. Quare MARTINUS, quamvis POLONUS, neque BOHEMUS, ob natalem, cum Provinciam SILESIAM, modo non univerſam POLONIS adhuc conjunctam: tum OPPAVIENSEM & Ducatum, & Urbem BOHEMIS jam ſubjectam, eodem Jure, quo plerisque POLONUS, aliis BOHEMUS & dictus, & creditus eſt. Sed OPPAVIAM, etſi BOHEMORUM Ditionis, tamen SILESIORUM Regionis Urbem, MARTINO Patriam fuiſſe, jam demonſtrandum eſt.

XV. Primum in Monumentis, quæ Sigismundus Franciſcus, Auſtriacorum Archidux reliquit, & Imperator LEOPOLDUS Hæres Oeniponte Viennam, Anno M. DC. LXV. transferri curavit, Chronici, quod MARTINUS compoſuit, Codex Chartaceus, Anno 1457. ſcriptus, ubi ſe BOHEMUM profitetur, cui Patria OPPAVIA contigerit, hoc Principio ſpectabilis eſt: *Incipit Chronica Martiniana. Quoniam ſcire Tempora ſummorum Pontificum Romanorum ac Imperatorum, nec non & aliorum Contemporaneorum ſuorum quam plurimum inter alios Theologis ac Viris peritis expedit, Ego Frater MARTINUS Ordinis Prædicatorum, Domini Papæ Pœnitentiarius & Capellanus, de Regno BOEMIÆ oriundus, Patria OPIMENSIS, ex diverſis Chronicis ac Geſtis ſummorum Pontificum ac Imperatorum, præſens Opuſculum per Annos Incarnationis Domini, ab ipſo ſummo Pontifice IESU*

CHRISTO & ab Octaviano, primo Augusto sive Imperatore, per Pontifices & Imperatores descendendo, usque quartum Honorium Papam deduxi, inclusive. Ibi vero, ne MARTINUM, qui vocandus OPPAVIENSIS erat, perperam OPIMENSEM appellatum esse dubites, in Erroris hujus Remedium, alius in eadem Cæsaris Bibliotheca Membranaceus emendatiorque Codex MStus eadem clarius exponit: *Chronica de summis Pontificibus & Imperatoribus, ex diversis Gestis ipsorum, per Fratrem MARTINUM, Domini Papæ Pœnitentiarium & Capellanum compilata. Quoniam scire Tempora summorum Pontificum ac Imperatorum, nec non & aliorum ipsorum Contemporaneorum, quam plurimum inter alios Theologis ac Jurisperitis expedit, Ego Frater MARTINUS Ordinis Prædicatorum, Domini Papæ Pœnitentiarius & Capellanus, de Regno BOEMIÆ oriundus, Patria OPPAVIENSIS, ex diversis Gestis summorum Pontificum & Imperatorum, præsens Opusculum per Annos Incarnationis Domini, a primo Pontifice JESU CHRISTO, & ab Octaviano Augusto per Pontifices & Imperatores descendendo, usque ad Clementem Quartum Papam deduxi inclusive.* Præterea supereſt in eadem Bibliotheca Cæsarea Chronicon MARTINI, quod Anno 1574. Suffridus Petrus Antverpiæ publicavit, & cum antiquo Carthusiani Monasterii Gamingensis Codice MSto Richardus Streinius, Austriacus Baro Suarzenavius, Consiliarius Cæsareus, olim contulit, suaque manu passim Annotationibus reddidit aut melius, aut auctius. In eo MSto, quemadmodum Streinius observavit, exstitit: *Ego Frater MARTINUS de Regno BOEMIÆ oriundus, Patria OPPAVIENSIS.* Testis eorum, quæ commemoravimus, est Petrus Lambecius in Commentariis, quos de Bibliotheca Vindobonensi Cæsarea scripsit, Lib. II. Cap. VIII.

XVI. Quare tanto minus dubitare par est, quin Ioannes Aventinus MARTINUM BOHEMUM, quem OPPOMENSEM nominat, debuerit OPPAVIENSEM dicere, cum in Bojorum Annalibus, Lib. VII. scribit: *Atque hæc ego ex MARTINO BOIEMO OPPOMENSI transtuli.*

XVII. Accedit huc, quod dudum MARTINUS inter SILESIOS OPPAVIÆ natos relatus sit. Pro Teste nobis est Basilius Ioannes Heroldus, ille plurimorum Librorum & fidus, & clarus e MStis Editor, in Literis ad Elisabetam Anglorum Reginam, Anno 1559, Basileæ

sileæ scriptis, Mariani Scoti nostrique Martini Chronico præmissis. *Adjecimus*, ait, *ipsi* (Mariano Scoto) *MARTINUM Sarmatam, quem non nulli POLONUM, alii OPPAVIA ex SILESIA oriundum esse contendunt.*

XVIII. Sic ab Erroribus MARTINO Patriam vindicavimus: jam Ordinem quoque vindicabimus. Dicitur MARTINUS CISTERCIENSIS Polydoro Virgilio de Rerum Inventoribus, Lib. IV. Cap. IX. & Onuphrio Panvinio in Annotationibus ad Baptistæ Platinæ Pontifices Romanos, Sylvestrem II. Præterea MARTINUS Polonus CISTERCIENSIS appellatur Ioanni Baptistæ Ricciolo in Reformatæ Chronologiæ Indice, quo Insigniores post Christum natum Homines recensetur.

XIX. Causam indicant, qui Monachum Ordinis CISTERCIENSIS statuunt: Jacobus Philippus Forestus Bergomensis in Chronicorum Supplemento ad A. C. 1252. Paulus Langius in Chronico Citicensi, ad Annum Christi 1267. Onuphrius Panvinius in Annotationibus ad Baptistæ Platinæ Pontifices Romanos, S. Petrum & Johannem VIII. Historiarum Ecclesiasticarum Autores, Centuria XIII. Cap. X. Leonardus Coquæus in Antimornæo, id est, in Confutatione Historiæ, quam Philippus Mornæus de Papatu scripsit, Antidoto contra Oppositionem XXXI. Chrysostomus Henriquezius in Menologio Cistercensi, ad Sextilis Diem XVIII. Georgius Calixtus in Tractatu de Clericorum Conjugio, ad Sæculi XIII. Annum XV. Carolus Vischius in Bibliotheca de Cistercensis Ordinis Scriptoribus. Joannes Hallervordius in Spicilegio de Historicis Latinis.

XX. Sed Monachus quidem, non autem CISTERCIENSIS Ordinis fuit. Nam PRÆDICATORUM, id est, DOMINICANORUM Ordinis Fratrem ipse MARTINUS se nominat in Chronico: cujus MStos Codices Bibliotheca Viennensis Cæsarea sex, unum Vratislaviensis Rehdigeriana possidet: in quorum Procœmio: *Ego*, inquit, *Frater MARTINUS Ordinis PRÆDICATORUM.* Has etiam Voces MARTINUS adhibet in Præfatione Chronici, quod Anno 1616. Colonienses ediderunt. Ordinis etiam PRÆDICATORUM dicitur in Decreti Margarita, quam Anno 1561. Parisienses, Anno 1595 Veneti publicaverunt. Videantur, quæ protulimus §. XV.

XX. I d-

XXI. Idque ſuis Teſtimoniis antiqui confirmant Scriptores, a quibus PRÆDICATORUM Ordinis Monachus vocatur: Nicolaus II. Pontifex Romanus in Literis Anno 1278. Viterbii, decimo Calendas Junii ſcriptis. Autor Inſcriptionis ſepulcralis: quam proferemus §. XXXII. Antoninus Florentinus Archiepiſcopus in Hiſtoriis, Titulo XXIII. Capitulo XI. §. II. Johannes Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Cap. DC. His conſentiunt recentiores, Suffridus Petrus in Literis, quas Martini Chronico præmiſit, ad Ægidium Heynſium Anno 1573. ſcriptis. Abrahamus Bzovius in Eccleſiaſticis Annalibus ad Annum 1278. Num. XXII. & ad Annum 1281. Num. XVI. Johannes Fabricius in Præfatione, quam Martini Chronico præmiſit. Simon Starovolſcius in Centuria de Scriptoribus Polonicis Cap. XIII. Stephanus Damalevicius in Archiepiſcopis Gnesnenſibus, Num. XXII. Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Cap. 413. Ludovicus Jacobus Carolus in Pontificia Bibliotheca, Lib. II. Philippus Labbeus in Diſſertatione Philologica de Scriptoribus Eccleſiaſticis, quos Robertus Bellarminus attigit, Tomo II. Johannes Gothofredus Olearius in Abaco Patrologico. Auguſtinus Oldoinus in Athenæi Romani Catalogo Autorum, qui de Romanis Pontificibus ſcripſerunt. Gvilielmus Cavius in Scriptorum Eccleſiaſticorum Hiſtoria Literaria, ad An. 1277. Johannes Jacobus Hofmannus in Lexico Hiſtorico-Geographico-Chronologico-Poëtico-Philologico. Paulus Freherus in Virorum Eruditione clarorum Theatro, Parte I. Sect. II. ad Annum 1279.

XXII. Non vulgaris in ſuo Prædicatorum Ordine Monachus, quia Romani Pontificis a Confeſſionibus arcanis, Sacrisque domeſticis erat. Id MARTINUS duobus in Operibus commemorat. In Chronici Procœmio publicatus Codex Baſileenſis: *Ego MARTINUS Domini PAPÆ PÆNITENTIARIUS & CAPELLANUS.* Antverpienſis: *Ego Frater MARTINUS Domini PAPÆ PÆNITENTIARIUS & CAPELLANUS.* Colonienſis: *Ego Frater MARTINUS, Ordinis Prædicatorum, Domini PAPÆ PÆNITENTIARIUS.* Pariſienſis, ſecundum Interpretationem Gallicam: *Ie Frere MARTIN PENANCIER & CHAPPELLAIN du PAPE:* id eſt: *Ego Frater MARTINUS PÆNITENTIARIUS & CAPELLANUS PAPÆ.* In Decreti Margarita: cujus in Prologo, ſecundum Editionem Lugdunenſem, Pariſienſem, Venetam, exſtant: *Ego Frater*

Frater MARTINUS Ordinis Prædicatorum, Domini PAPÆ PÆNITENTIARIUS & CAPELLANUS.

XXIII. Quamobrem MARTINUM *in Curia Pœnitentiarum* Antoninus Florentinus Archiepiſcopus in Hiſtoria, Titulo XXIII. Capitulo XI. §. II. *Urbis Pœnitentiarium* Raphael Maffeus Volaterranus in Urbanis Commentariis, Lib. XXI. *Romanorum Epiſcoporum Piaculare* Johannes Aventinus in Bojorum Annalibus Lib. VII. appellat.

XXIV. Quin ad Præſulis Honores aſcenderit, extra Controverſiam eſt. Eum vocant generatim EPISCOPUM, Joannes Nuſſienſis in magno Chronico Belgico; de Joannis XXI. Romani Pontificis Rebus, ad Annum 1276. & Joannes Trithemius in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Cap. 550. ARCHIEPISCOPUM Leander Albertus de Viris Prædicatorum Ordinis illuſtribus, Lib. III. Robertus Bellarminus in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Joannes Henricus Alſtedius in Chronologico Theſauro, Chronologia XLVII. Joannes Gerhardus in Patrologia. Speciatim Neapolitani Regni ſtatuunt CONSENTINUM EPISCOPUM Radulphus Columna in Tractatu de Imperii Romani Translatione, Cap. VIII. Suffridus Petrus in Literis, quas Martini Chronico præmiſit, Anno 1573. ſcriptis. Abrahamus Bucholcerus in Chronologico Indice ad Annum 1278. Elias Reusnerus in doctorum Virorum Indice Chronologico. Joannes Gualterius in Chronicorum Chronico, Tomo IV, Eccleſiaſtico-Politica Chronologia, ad Annum 1278. Chriſtianus Matthias in Theatro Hiſtorico de Viris ſub Imperatore Rudolpho I. claris. CONSENTINUM ARCHIEPISCOPUM Onuphrius Panvinius in Autorum Catalogo, quem Chronico ſuo Eccleſiaſtico præmiſit. Matthias Flacius in Libro de Imperii Romani Translatione. Simon Schardius in Libro de Principum Electorum Origine, Cap. II. Ludovicus Lavaterus in Tractatu de Spectris, Parte II. Cap. II. Johannes Wolfius in Lectionibus Memorabilibus, Centuria XIII. ad Annum 1282. Philippus Mornæus in Hiſtoria de Papatu, Oppoſitione XXXI. Thomas Dempſterus in Elencho Scriptorum, quos ſuo ad Joannis Roſini Antiquitates Romanas Auctario præmiſit. Joannes Fabricius Cæſar in Literis ad Hilgerium Cremerium Anno 1617. ſcriptis, quas Martini Chronico præmiſit. Georgius Calixtus in Tractatu de Clericorum Conjugio, ad Sæculi XIII. Annum XV. Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis Cap. 413. Martinus Zeilerus in

Opere de Hiſtoricis, Parte I. & II. Johannes Andreas Quenſtedtius in Dialogo de Virorum illuſtrium Patriis. Carolus Viſchius in Bibliotheca de Ordinis Ciſtercienſis Scriptoribus. Samuel Mareſius in Animadverſionibus ad Davidis Blondelli Quæſtionem, an Fœmina ulla inter Leonem IV. & Benedictum III. Romanos Pontifices media ſederit.

XXV. At qui MARTINUM Archiepiſcopum CONSENTINUM ſtatuunt, Errore ducuntur. Etenim ARCHIEPISCOPUS quidem, non autem in Italia CONSENTINUS, ſed in Polonia GNESNENSIS deſignatus fuit. Hoc evidenter patebit ex iis, quæ mox in medium afferemus §. XXIX.

XXVI. MARTINI, quemadmodum Cognomen, Patria, Ordo, Epiſcopatus, ſic etiam Tempus, quo vixit, in dubium venit. De quo maxime diſcrepantes Sententiæ propemodum in totius Sæculi Diſcrimen excurrunt: ex variis Chronici, quod MARTINUS ſcripſit, Appendicibus ortæ. Quamobrem nos, ut errantium Opiniones omnes uno Labore ſubvertamus, Ætatem MARTINI veram, ipſi Mortis Anno reſpondentem, quem exploratiſſimum habemus, luculenter indicabimus.

XXVII. MARTINUS jam Vir erat, non tantum ſub Friderico II. qui Romanum Imperium ab Anno 1212, crebris Fortunæ Varietatibus, ad Annum 1250. geſſit: ſed etiam ſub ejus Filio Succeſſore, Conrado IV, qui pares Viciſſitudines paſſus, Anno 1254. exſpiravit. Quibus Cæſaribus, Innocentius IV. Romanum Pontificem ab An. 1243. ad 1254. agebat. Quare MARTINUM Ingeniis ſub Innocentio IV. claris adſcribunt, Jacobus Philippus Foreſtus Bergomenſis in Chronicorum Supplemento ad Annum 1252. Polydorus Virgilius de Rerum Inventoribus Lib. IV. Cap. IX. Cæſar Baronius in Annalium Eccleſiaſticorum Tomo X. ad Annum 996. Num. LXX. Ejusdem Romani Pontificis Pœnitentiarum fuiſſe tradunt, Onuphrius Panvinius in Annotationibus ad Baptiſtæ Platinæ Pontifices Romanos, Johannem VIII. Chriſtophorus Gewoldus in Commentario de Septemviratu, Cap. III. §. 5. Robertus Bellarminus in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Joannes Henricus Alſtedius in Chronologico Theſauro, Chronologia XLVII. Johannes Gerhardus in Patrologia. Georgius Calixtus in Tractatu de Clericorum Conjugio, ad Sæculi XIII. Annum XV. Gerardus Joannes Voſſius de Hiſtoricis Latinis Lib. II. Cap. LX. Auber-

tus Miræus in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Cap. 413. Martinus Zeilerus in Opere de Hiſtoricis Parte I. Joannes Andreas Quenſtedtius in Dialogo de Virorum illuſtrium Patriis. Carolus Viſchius in Bibliotheca de Ciſtercienſis Ordinis Scriptoribus. Davides Blondellus in Examine Quæſtionis, an Fœmina ulla inter Leonem IV. & Benedictum III. Pontifices Romanos media ſederit. Marcus Zuerius Boxhornius in Hiſtoria Univerſali ad Annum 842. Joannes Hallervordius in Spicilegio de Hiſtoricis Latinis.

XXVIII. Poſt hæc MARTINUS ampliorem Famam conſequebatur, cum ab Anno 1254. ad Annum 1273. Germanis eſſet Interregnum. Hujus Temporibus Innocentius IV. Pontifex Romanus Anno 1254. vivis ereptus, Alexandrum IV, habebat Succeſſorem: cujus Dignitatem Urbanus IV. conſequebatur. Eum Anno 1264. exſtinctum Clemens IV. excepit, Anno 1265. Viterbii coronatus: ubi Sede fixa, nunquam ingreſſus Romam, Anno 1268. mortuus eſt. Hujus Clementis Ævo MARTINUM Hartmannus Schedelius in Norinbergenſi Chronico aſſignat. Cum quo Paulus Langius conſentit, cum in Citizenſi Chronico Scriptoribus, Anno 1267, celebribus adjungit.

XXIX. Ultimam Vitæ Partem MARTINUS tranſegit ſub Rudolphi I. Romani Cæſaris Imperio, cui ab Anno 1273, ad 1291, præfuit: Romanique Pontificis Clementis IV. Succeſſoribus. Nam poſt eum Roma Pontifices accipiebat, Anno 1271. [poſtquam Cardinales Triennium exceptis Menſibus tribus, in Capitis Electione diſſidentes conſumſiſſent] Gregorium X. Anno 1276. Innocentium V. & Hadrianum V. eodem Anno defunctos: Anno 1277. Johannem, qui nonnullis XX. aliis XXI. dicitur: non niſi Menſes VIII ſuperſtitem. Hujus Succeſſor Nicolaus III. MARTINUM noſtrum, quem Pœnitentiarum & Capellanum habebat, Anno 1278 Die Maji XXIII. Literis Viterbii ſcriptis, declarabat ARCHIEPISCOPUM in Polonia GNESNENSEM.

XXX. Id, præter alios, duo Scriptores Natione Poloni confirmant. Abrahamus Bzovius, Prædicatorum Ordinis, in Eccleſiaſticis Annalibus, ad Annum 1278. Num. XXXII. de Nicolai Pontificis Romani Geſtis: *Quod etiam in Archiepiſcopo Gnesnenſi in Polonia effecit, dum poſt diuturnas inter electos Diſcordias, duobus rejectis, Fratem MARTINUM POLONUM, Ordinis Prædicatorum, Pœnitentiarium & Capellanum ſuum,*

ſuum, Archiepiſcopum Gneſnenſem creauit Viterbii, decimo Calendas Junii. Simon Starovolſcius Eques in Centuria de Scriptoribus Poloniis, Cap. XIII. *MARTINUS POLONUS, Ordinis Prædicatorum Profeſſus, de nobili Familia STREPORUM apud Nicolaum III. Pontificem Romanum Pœnitentiarius.* Paucis interpoſitis: *Cum & ſummo Pontifici ſupra dicto, & ſuis in Patria Principibus magnopere gratus eſſet, in Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, poſt Philippum de Domo Vieniavitarum, Anno Domini 1278. ſublimatus fuit. Quo Tempore Sedes illa, ob frequentes ſummorum Pontificum Mortes, ſex Annis ex integro vacavit.*

XXXI. Tum Polonorum Gnesnenſis Archiepiſcopus, & antiquiſſimus, & primarius, tanquam omnium Epiſcoporum, ad Poloniam, Poloniæque connexas Provincias ſpectantium, Metropolitanus, etiam Epiſcopum Sileſiæ Vratislavienſium, quoniam ea Polonis adhuc cohærebat, ſuæ Poteſtati ſubjectum habebat. De quo agunt, Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. II. Cap. I. & Lib. III. Cap. LXII. Martinus Cromerus in Opuſculo de Polonia (quod Alberto Krantzio, cujus Vandaliæ ſubjunctum, citra Nomen Autoris, reperitur, non nulli perperam tribuunt) Lib. I. Stanislaus Lubienskius de Civili Motu in Polonia, Lib. IV. Jacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. III. Cap. I. & II.

MORS.

XXXII. Tantam ſuſcepturus Dignitatem Potentiamque MARTINUS, jam Roma confirmatus & inauguratus, in Poloniam quidem cogitabat, ſed non perveniebat. Quo cum tenderet, intra Italiam, Vitam Bononiæ finiebat. Ibidem in Dominicano Templo ſepultus, hanc ſepulcralis Lapidis conſequebatur Inſcriptionem:

HIC JACET FRATER MARTINUS POLONUS, ORDINIS PRÆDICATORUM, ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS. Quam Ævo ſuo adhuc ſuperſtitem novit Abrahamus Bzovius in Eccleſiaſticis Annalibus ad Annum 1278. Num. XXXII. cujus ibi ſunt hæc: *Obiit Bononiæ, dum ad Eccleſiam concederet ſibi commiſſam, in Templo Divi Dominici, ante Aram majorem, ſecus Sacellum Divi Thomæ ſepultus.*

XXXIII. Annum, quo Animam ediderit, MARTINO diuerſum Au-

Autores adſcribunt. Anno 1278, Diem ſuum obiiſſe colligit ex prolatis Bzovii Verbis Gerardus Joannes Voſſius, de Hiſtoricis Latinis Lib. II. Cap. LX. In hujus Sententiam eunt, Petrus Lambecius in Commentariis de Bibliotheca Vindobonenſi Cæſarea Lib. II. Cap. VIII. Joannes Hallervordius in Spicilegio de Hiſtoricis Latinis. Gvilielmus Cavius in Tabulis de Doctoribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis, Sæculo XIII. Num. LI. Caſpar Sagittarius Introductione in Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Cap. VII. §. XIX.

XXXIV. Anno 1279. mortuum, Simon Starovolſcius narrat in Centuria de Scriptoribus Polonicis, Cap. XIII. Eum ſequuntur, Ludovicus Jacobus Carolus in Bibliotheca Pontificia, Lib. II. Hippolytus Maraccius in Bibliotheca Mariana, Parte II. Stephanus Damalevicius in Archiepiſcopis Gnesnenſibus, Num. XXII Johannes Jacobus Hofmannus in Lexico univerſali. Paulus Freherus in Virorum Eruditione clarorum Theatro, Parte I. Sectione II. ad Annum 1279.

XXXV. In hoc Bivio dubius, utrum Iter ſit tutius, Anno vel 1278, vel 1279. defunctum cenſet Philippus Labbeus in Eccleſiaſticorum Scriptorum Bibliotheca Chronologica: & in Diſſertatione Philologica de Scriptoribus Eccleſiaſticis Tomo II.

XXXVI. Hos omnes Abrahamus Bzovius, Rebus Anno 1278. geſtis, Obitum MARTINI, quoniam Occaſio ferebat, admiſcens, in Errorem duxit. Martinum enim noſtrum Anno 1281, quô Rudolphus I. Imperator octavum, Martinus III. Pontifex primum egit, è vivis abiiſſe narrat in Annalibus Eccleſiaſticis ad Annum 1281. Num XVI: *Eodem Anno*, inquiens, *MARTINUS POLONUS, Archiepiſcopus Gnesnenſis, Ordinis Prædicatorum, ex Italia ad Eccleſiam ſibi commiſſam revertens, Bononiæ defunctus, & in Eccleſia Divi Dominici pone Sacellum S. Vincentii ſepultus eſt.*

SCRIPTA.

I.

XXXVII. Inter Opera, quæ compoſuit, eminet *Chronicon:* in quo Res cum Civiles, tum Eccleſiaſticas commemorat. Hoc veteres (vt recentiores Silentio transmittamus) ſolo MARTINI Vocabulo Autorem indicantes allegant: Nicolaus Trivettus in Chronico, quod Lucas Dacherius in Patrum Spicilegiis edidit, Tomo VIII. ad Annum 1264.

Radulphus Columna in Tractatu de Imperii Romani Translatione, Cap. II. Marſilius Menandrinus Patavinus in Pacis Defenſore, Parte II. Cap. XXII. & XXV. Ludolphus Bebenburgius in Tractatu de Romanorum Regni & Imperii Juribus, Cap. II. III. IV. XI. & XII. Antoninus Florentinus in Chronico, Titulo VI, Capitulo I, §. VI. Antonius Roſellus in Monarchia, id eſt Libro, quem de Imperatoris & Pontificis Romani Poteſtate ſcripſit, Parte II. Cap. XX. Baptiſta Platina de Romanis Pontificibus, in Johanne VIII. & XII. Silveſtro II. Joannes Laziardus in Hiſtoriæ univerſalis Epitome, Lib. III. Cap. CXLIX. Joannes Nuſſienſis in magno Chronico Belgico, ad Annum 793. 1097. 1239.

XXXVIII. Editum eſt Baſilii Johannis Heroldi Studio, Mariani Scoti Chronico ſubjunctum, Baſileæ per Jacobum Parcum, Joannis Oporini Sumtibus, Anno M.D.LV. in f. Quam vero depravatum Heroldus Chronicon Martinianum ediderit, exponit Suffridus Petrus in Literis eidem Chronico præmiſſis ad Ægydium Heynſium, Abbatem Everbodienſem, Anno M.D.LXXIII. ſcriptis: *Cum MStum Codicem*, inquiens, *nactus eſſem Chronici hujus Martiniani, & cum excuſo diligenter expenſum deprehendiſſem Vetuſtatis eſſe tantæ, ut vel ex Autographo ipſo, vel ex minime vicino certè deſcriptum eſſe non dubitarem, Manum admovendam duxi. Cum illud ita acciſum, ita truncatum, ita conſpurcatum prodierit, ut ab Autore ſuo ſic fuiſſe conſcriptum nemo credat: omnes fateantur, Eccleſiam ex eo debitum Fructum nunquam percepiſſe.* Poſt quædam: *Quantum autem huic Autori reſtituendo noſtra Induſtria contulerit, non difficulter judicabit, quisquis hanc Editionem cum priori illa contulerit. In illa enim, ſi Rerum traditarum Defectum conſideres, Lacunas uti turpiſſimas, ita infinitas invenies: ſi Temporum Confuſionem ſpectes, nihil verum, nihil ſincerum reperies. Si Orationis Spurcitiem toto opere expendas, nihil horridius, nihil incultius, nihil magis barbarum excogitaveris.* Iterum poſt quædam: *Adde igitur his jam tantis Temporum Confuſionibus Barbarismos ac Solæcismos: adde Orationis Squalorem intolerabilem: adde denique Rerum Defectum continentem: adde Sententias truncatas, Narrationes mutilatas: adde Veritatem ſuppreſſam & ſuppoſita Mendacia: & quid invenies, quô commendari Editio iſta prior queat?*

XXXIX. Idem proinde Chronicon multis locis & auctius, & emendatius, cum ſuis Annotationibus Suffridus Petrus emiſit Antverpiæ, per Chriſtophorum Plantinum, M.D.LXXIV. in 8. In hac Editione Petrus, quid præſtiterit, in Literis jam citatis indicat. *Damus igitur*, ait, *hoc jam Chronicon tertia fere Parte locupletius, quam hactenus excuſum fuit: ac damus quidem ex mutilato integrum, ex confuſo certum, ex barbaro Latinum. Nam & orationis ſqualorem, Præſidio MSti Codicis, magna ex Parte deterſimus, & Temporum Certitudinem reſtituimus, & Lacunas infinitas explevimus, ita, ut & Rerum Cognitione ad plenum inſtrui, & Temporum Fide niti, & Dictionis Horrore ſaltem non offendi Lector poſſet.*

XL. At ne ſic quidem Chronicon hoc ſatis expolitum credidit Joannes Fabricius Cæſar: quod, plurimis omiſſis, Compendio ſimillimum, ex MSto peculiari, publicavit Coloniæ Agrippinæ, per Gerhardum Grevenbruchum, M.DC.XVI. in f. De qua Editione Fabricius in Literis ad Lectorem: *Nulla igitur*, ait, *ſuppoſititiorum & ſpuriorum iſtorum, quibus hactenus editi Libri redundant, Additione facta, cæteris omnibus, etiam iis, quæ vel levis tantum Pretii eſſe, aut etiam Solæciſmum ſapere videbantur, retentis, Autorem, candide Lector, candide publicamus.*

XLI. Cœterum, ejusdem Chronici Partem, quæ Romanorum Pontificum vitas continet, Ludovici Lavallii, quem Caſtillonium & Fruddontium Toparcham habuit, Juſſu, Sebaſtianus Mammerotius Sueſſionenſis Gallico Sermone donavit: quo edita reperitur Pariſiis, per Antonium Verardum, non multò poſt Annum M. D. III. in f.

XLII. Præterea ſupereſt idem Chronicon in Germanicam Linguam converſum, in Membrana ſcriptum: quod, vt diligentiſſimus veterum Autorum Scrutator, Caſpar Sagittarius Introductione in Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Cap. VII. §. XIX. refert, Coburgi celebrem ICtum, Conſiliarium Saxonicum, Johannem Ludovicum Zolmannum, Poſſeſſorem habuit. Eſt huic Chronico Initium Chriſtus natus, his verbis: *Wanne es ſich wol fuget, und nutze iſt, zu wiſſen den Meiſtern von der Gœttlichen Kunſte und andern gelerten Lueten die Zit und die Getat der Rœmiſchen Keyſer und der Pebſte: So han ich Bruder MERTIN Penitencier, und ein Caplan unſers heiligen Vaters des Pabſtes, dis gegenwertig Buch gedacht zu nemen uz manigerleye Cronicken von der Tat und der Zit der Keyſer und der Pebſte: und wil es machen in ein Puch, nach der Jarzal unſers*

unſers Herrn Jeſu Xri. Pro fine Additamentum eſt alienum, ad Res ſub Clemente V. geſtas extenſum, his Verbis: *Bi den Ziten war der Templer-Orden zerſtœrt, und der Keyſer Heinriche ward vergeben mit dem Sacrament von einem Munche Prediger-Ordens, der ſin Bychtiger was, und ſtarb, und ward begraben ze Pyſe in dem Munſter.*

XLIII. Principium Martiniani Chronici duplex, alterum à Chriſto nato petitum invenitur. Vtrumque Principium exhibent MSti Codices, in quibus Pars prior quidem Res præcipuas Gentium, maximè Romanorum, ante Chriſtum natum memorabiles complectitur: poſterior autem Vitas Romanorum & Pontificum, & Imperatorum exponit: quorum primus inter illos Chriſtus, inter hos Auguſtus eſt. Secundum eos MStos Codices integrum publicavit Chronicon Baſilius Joannes Heroldus & Suffridus Petrus: qui Partem priorem in tres Libros diviſit, poſteriorem Libro quarto attribuit. Contra, quidam MSti Codices Partem priorem non habent. Secundum eos pro MARTINI Chronico Partem non niſi poſteriorem edidit Joannes Fabricius Cæſar.

XLIV. Hinc de MARTINI Chronico in diverſas Sententias eunt Cenſores. Partem priorem genuinum agnoſcere videntur, Marſilius Menandrinus Patavinus, ex eâ Locum producens, in Libro de Imperii Romani Translatione, Cap. II. & Antoninus Florentinus Archiepiſcopus, dum à Roma condita Chronicon Martinianum incipere docet in Chronicis ſuis Titulo XXIII. Capitulo XII. §. II. Suppoſititiam verò judicant, Johannes Fabricius in Præfatione, quam Martini Chronico præmiſit. Leo Allatius in Opuſculo de Joanna Papiſſa, Cap. VII. Petrus Lambecius in Commentariis de Bibliotheca Vindobonenſi Cæſarea, Lib. II. Cap. VIII. Quorum ideo Calculus non temere damnandus eſt, quod nec MSta meliora priorem Partem contineant, nec ipſe MARTINUS in Procœmio Chronicon ſuum ab Orbis Exordio, ſed à Pontifice Chriſto, & Auguſto Cæſare conſcriptum indicet.

XLV. Finis Chronici ejusdem multiplex invenitur. Nam primo id Codices quidem in Clementis IV. Romani Pontificis Exceſſu, Anno 1268, terminant. Talis eſt, quem Joannes Fabricius edidit, Codex: cujus in Procœmio leguntur hæc: *Ego Frater MARTINUS Ordinis Prædicatorum, Domini Papæ Pœnitentiarius ex diverſis Chronicis ac Geſtis ſummorum Pontificum & Imperatorum præſens Opuſculum per Annos Incarnationis Domini, à primo Pontifice Jeſu Chriſto, & ab Octaviano Auguſto,*

guſto, per Pontifices & Imperatores deſcendendo, usque ad Clementem IV. Papam deduxi incluſive. Cum eo tria conveniunt MSta, quibus Bibliothecam Cæſaream Viennenſem inſtructam refert Petrus Lambecius in Commentariis Lib. II. Cap. VIII. Præterea Gabrielis Naudæi MStum: de quo Philippus Labbeus agit in MStorum Librorum Bibliotheca nova, Supplemento V.

XLVI. Deinde Martini Chronicon progreditur ad Annum Gregorii X. Pontificis quartum, Rudolphi I. Cæſaris ſecundum, Chriſti 1164. Tale fuit MStum, quo Joannes Aventinus eſt uſus. *Atque hæc ego*, inquit in Bojorum Annalibus Lib. VII, *ex MARTINO Bojemo Oppomenſi tranſtuli. Is proximus horum Temporum Scriptor, Piacularius Romanorum Epiſcoporum fuit: Vitas Pontificum & Imperatorum Romanorum Res geſtas ad alterum RODULFI Cæſaris Annum deduxit.*

XLVII. Nec ab eo multum abit Cæſareum MStum, in Gregorii X. Pontificis Obitu, Anno Rudolphi I. Cæſaris quarto, Chriſti 1276 [niſi quod Gregorii X. Vitam recentior Manus addidit] finitum. Nam, ut Loco dicto Petrus Lambecius commemorat, in Prologo reperiuntur hæc: *Ego MARTINUS Ordinis Prædicatorum, Domini Papæ Pœnitentiarius & Capellanus, ex diverſis Chronicis ac Geſtis ſummorum Pontificum & Imperatorum, præſens Opuſculum, per Annos Incarnationis Domini, a primo Pontifice Jeſu Chriſto, & ab Octaviano Auguſto, per Pontifices & Imperatores deſcendendo usque ad GREGORIUM Papam X. incluſive.*

XLVIII. Porro MARTINI Chronicon in Codicibus aliis extenditur ad Iohannis XXI. Pontificis, quem Nicolaus III. excepit, Obitu, Anno Rudolphi I. Cæſaris quinto, Chriſti 1277. Tales ſunt Codices, Anno M.D.LIX. per Baſilium Joannem Heroldum, & Anno M.D.LXXIV, per Suffridum Petrum editi: quorum in Præfationibus extat: *Ego MARTINUS, Domini Papæ Pœnitentiarius & Capellanus ex diverſis Chronicis, & Geſtis ſummorum Pontificum & Imperatorum, præſens Opuſculum, per Annos Incarnationis Domini, ab ipſo Pontifice Jeſu Chriſto, & ab Octaviano primo Auguſto, ſive Imperatore, per Pontifices & Imperatores deſcendendo, usque ad JOHANNEM vigeſimum primum Papam deduxi incluſive.* Cum his tres in Viennenſium Cæſarea, unus in Vratislavienſium Rehdigeriana Bibliotheca MSti Codices con-

consentiunt. Et in ejusdem Pontificis Excessu Martinianum Chronicon finiri, testatur Ptolemæus Lucensis, Anno 1342 superstes, in Ecclesiastica Historia [quod Opus in Bibliotheca Vaticana MStum supereſt] Lib. XXIII. Cap. XXIV. ut Odoricus Raynaldus in Ecclesiasticis Annalibus refert ad Annum 1277. Num. XIX.

XLIX. Huc usque Pontificum Imperatorumque Romanorum Vitas MARTINUS, Anno 1281 mortuus, si non descripsit, describere tamen potuit in Chronico. Huic postea subnexæ dispares Appendices, quæ Procemio MARTINI retento, juniores Pontifices insertos habuerunt, Lectoribus errandi Materiam dederunt.

L. MARTINI enim Chronicon in nonnullis Codicibus ad Honorii IV. Pontificis Mortem, Annum Rudolphi I, Cæsaris XVI, Christi 1287, producitur. Talis Codex MStus Cæsareus, in cujus Exordio leguntur: *Ego Frater MARTINUS Ordinis Prædicatorum, Domini Papæ Pœnitentiarius & Capellanus, de Regno Boemiæ oriundus, Patria Opimensis, ex diversis Chronicis, ac Gestis summorum Pontificum ac Imperatorum præsens Opusculum per Annos Incarnationis Domini, ab ipso summo Pontifice Jesu Christo. & Octaviano primo Augusto sive Imperatore, per Pontifices & Imperatores descendendo, usque Quartum HONORIUM Papam deduxi inclusive.* Cujus Notæ Libris MStis decepti, Chronicon Martinianum in Honorio IV. Pontifice Romano finiri statuunt, Onuphrius Panvinius in Annotationibus ad Baptistæ Platinæ Pontifices Romanos, S. Petrum. Gilberdus Genebrardus in Chronographia, Lib. IV. ad Annum 1285. Robertus Bellarminus in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. Johannes Gerhardus in Patrologia. Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis, Cap. 413. Carolus Vischius in Bibliotheca de Cistercienſis Ordinis Scriptoribus. Johannes Henricus Hottingerus in Bibliothecario, ubi Martinianum Chronicon in Anno 1285. terminari statuit, Lib. III. Cap. II. Joannes Baptista Ricciolus in Chronologiæ Reformatæ Indice, qui Homines post Christum natum insigniores recenset.

LI. Horum Vestigiis inhæsisse videntur, qui MARTINUM circiter Annum 1285. vixisse putant: inter quos est Christophorus Gewoldus in Commentario de Septemviratu, Cap. III. §. XLI. Maximè, qui MARTINUM circiter Annum 1290, decessisse tradunt: inter quos est Davides Blondellus in Examine, cui famosam de Joanna Papissa Quæstionem subjecit.

LII. Quin

LII. Quin etiam Chronici Martiniani reperiuntur Codices, in quibus Appendix excrevit ad Annum 1320. quo Johannes XXII. Pontifex Romanus Thomam Episcopum Herefordensem Anglicum Cœtui Sanctorum adscripsit: Ludovicus V. Bavarus Cæsar Annum Imperii septimum transegit. Talis est in MStis unus, quem Bibliotheca Viennensis Cæsarea possidet: & inter editos est, quem Basilius Joannes Heroldus in Lucem prodire jussit.

LIII. Hoc, alterius Autoris Additamentum, ipsius MARTINI Laborem putantes, ideo Martinum Anno 1320, vixisse commemorant. In quibus Nomina sua profitentur, Raphael Maffeus Volaterranus in Urbanis Commentariis Lib. XXI. & XXII. Joannes Trithemius in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, Cap. 550. Suffridus Petrus in Literis, quas Martini Chronico præmisit, Anno 1573, scriptis. Jodocus Coccius in Scriptorum Catalogo, quem Thesauro suo Catholico præmisit. Joannes Carolus Florimundus Rœmundus in Errore populari, hoc est, Joannæ Pontificis Romani Fabula Cap. II & III. Jacobus Gordonus in Opere Chronologico, ad Annum 1318.

LIV. Hactenus in Medium allatis, MARTINI partim obitum, quem ad Annum 1281. retulimus; partim Chronicon, quod ille non ultra eundem Annum extendere potuit, spectantibus, non est, ut obstare judices, MARTINUM inter eos, ex quibus Chronicon suum connavit, Scriptoris diu post Martinum superstitis GERVASII facere Mentionem in Procemio: *Compilavi autem præsens Opusculum ex Chronicis Damasi Papæ de Gestis Pontificum: item ex Chronicis Orosii de Gestis Imperatorum: item ex Chronicis Pauli Diaconi Romani Cardinalis: ex Gestis utrorumque: item ex Chronicis Richardi Cluniacensis Monachi: item ex Chronicis GERVASII.* Nam GERVASIUS quidem RICOBALDUS Ferrariensis, Ecclesiæ Ravennatis Canonicus, Anno 1292, Historiam scripsit: ut Hieronymus Rubeus in Historia Ravennate Lib. VI. ad Annum 1292. commemorat. Imo Vitas Romanorum Episcoporum a S. Petro ad Bonifacium VIII, Annum 1300, exposuit: ut Raphael Maffeus Volaterranus in Urbanis Commentariis, Initio Lib. II. & Ludovicus Jacobus Carolus in Pontificia Bibliotheca, Lib. II. referunt.

LV. Sed potuit Ætate MARTINI clarus hic GERVASIUS ante Chronicon a Martino compositum, quandam Chronici sui Partem edere: cui reliqua deinde subjunxerit.

LVI. Accedit huc, quod MARTINUS, cum ex GERVASII Chronico suum adauctum narrat, GERVASIUM TILBERIENSEM, Henrici II Anglorum Regis Nepotem Anno 1210 celebrem, intelligere potuerit: quem Historiarum Monumenta, cum alia, tum etiam illud, quod de Otiis Imperialibus, ad Imperatorem Ottonem IV. scripsit, reliquisse constat. De quo videatur Joannes Balæus in Centuria III. de Britanniæ Scriptoribus, Cap. LVIII.

LVII. Hæc MARTINI, tot Cognominibus, per tot Patrias designati, cum ad Ætatem, tum ad Chronicon pertinentia conciliare non valentibus, præbuerunt Ansam, ex uno duos faciendi MARTINOS Polonos. Hoc laborant Errore, Josias Simlerus in Conradi Gesneri Bibliotheca. Historiarum Ecclesiasticarum Magdeburgensium Conditores in Centuria XIII, Cap. X. Carolus Vischius in Bibliotheca de Cisstercienſis Ordinis Scriptoribus. Ferdinandus Ughellus in Italia Sacra, Tomo IX, Cusentinorum Archiepiscopo XVIII.

LVIII. Cæterum MARTINUS, ut propemodum nihil habet, quod non in dubium vocetur: sic maxime propter Chronicon dissimillimis Judiciis obnoxius, aliis Opprobrium, aliis Encomium debet.

LIX. Primum contemnitur ob Simplicitatem, Credulitatis Procreatricem, in veris falsisque discernendis Acumine carentem: ideoque Fabulas Historiis admiscentem: præterea Temporum Momenta posthabentem. Hos ex Chronico Nævos satis patere statuunt Objurgatores. Massilius Menandrinus Patavinus in Defensore Pacis, quem ad Imperatorem Ludovicum Bavarum, adversus Romani Pontificis usurpatam Jurisdictionem scripsit, Parte II. Cap. XXV: *Quamvis MARTINUS, ubi legit de Leone X, quod Romani ex prava Consuetudine petebant ab Imperatore Pontificem sibi dari: Consuetudinem confessus, quod verum concedimus: pravam tamen Autoritate propria dicens, quantum potens, justificare Usurpationes prædictas Romanorum Pontificum, & Jura Principum sive humani Legislatoris obfuscans, magis Homini, quam Deo & Veritati placere nisus, non verum dicit. Sed hujus Rei Ortum & Mysterium sibi clausum fuisse demonstrat.* Robertus Bellarminus in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis ad Annum 1250: *Fuit MARTINUS Vir simplex, & Fabellas pro Historiis obtrudit.* Lib. I. de Imperii Romani Translatione, Cap. XI. adversus Matthiam Flacium: *Qua Fronte audes MARTINUM Polonum diligentissimum Temporum Supputatorem appellare, quem constat omnium fere Historicorum fuisse negligentissimum?* Ibidem, cum Martini plures Errores Chronologicos indicavisset: *Itaque MARTINUS Polonus, diligentissimus scilicet supputator Annorum: tam Pontificum, quam Cæsarum Annos ut plurimum perperam disponit.* Vincentius Contarenus in Variis Lectionibus, Cap. XII: *MARTINUM Polonum cum Risu miror scribentem in Chronico suo, in Circuitu Romæ esse Milliaria XXII, præter Transtiberim & Leoninam Civitatem, cum quibus dicitur habere XLII, Milliaria. Scio enim Chronicum illud multis esse refertum Somniis & anilibus Fabulis: quas nemo, opinor, dixerit esse ab antiquis. Quare nec temere illi Fidem habeo, neque habendam censeo, præsertim in hac Re, in qua mendacem prodit ipse se se, &, tanquam Sorex, Indicio suo perit.* Antonius Possevinus in Apparatu Sacro, Tomo II: *Historiæ sua plures admiscuit Fabulas, ac si Historiæ probatissimæ fuissent.* Alfonsus Ciaconius de Pontificum Vitis, ad Leonem IV. cum Narrationem de Papa Fœmina protulisset, ad Annum 855: *At quis non videt, Commentum hoc a MARTINO excogitatum, sine ullo Autore, citra Verisimilitudinem confictum?* Nicolaus Serarius de Moguntinis Rebus Lib. I. Cap. XLII §. XLI: *Tertius* [de Joanna Papissa Scriptor] *est sæpe nominatus MARTINUS Polonus: qui Homo fuit, ut apparet, simplex, non magna in veris aut falsis dijudicandis Autoritate, Rumoribus nimium credulus: prout pluribus probat in Platinam Onuphrius.* Joannes Baptista Ricciolus in Chronologiæ Reformatæ Indice, quo Personas insigniores post Christum natum recenset: *MARTINUS Polonus Cistercienſis scripsit Chronicon usque ad Annum 1285. sed sine Delectu & Fabellis respersum.*

LX. At primum veremur, ut hi Censores solertioribus persuadeant, eo Sæculo, quod inter Eruditos Ingeniis præclaris non destituebatur, MARTINUM, quamvis aut imprudenter simplicem, aut simpliciter credulum, &, quod inde colligas, seu nullo, seu exiguo Judicio præditum Hominem, tamen Romani Pontificis & Pœnitentiarium, & Capellanum, Imperiique Polonici, quod Viris Doctrina præstantibus jam exornatum erat, tot Ecclesiis, tot Episcopis præpositum fuisse pri-

marium Archiepiſcopum Gnesnenſem? Deinde multum intereſt, utrum Intellectus, an Affectus Sententiam pronunciet, quæ Scriptorem damnat totum: etſi ob Nævos aliquos, ſeu per Imperitiam, ſeu per Incuriam admiſſos culpandum.

LXI. Sanè, quanti Pretii Chronicon, quo MARTINUS præcipuam Nominis Claritatem conſecutus eſt, olim fuerit, MSta copioſa demonſtrant: in quibus etiamnum intra Bibliothecas Europæ nobiliſſimas: Angliæ Cantabrigienſem Benedictinam, & Oxonienſem: Auſtriæ Viennenſem Cæſaream: Belgii Ultrajectinam: Bataviæ Lugdunenſem: Brabantiæ Antverpienſem & Lovanienſem Martinianam: Boruſſiæ Regiomontanam Aulicam: Flandriæ Brugenſem Tredianam: & Tornacenſem Cathedralem: Franconiæ Fuldenſem: Galliæ Pariſienſem Regiam, Thuanam, Naudæanam: Tholoſanam Archiepiſcopalem: Italiæ Romanam Vaticanam: Miſniæ Lipſienſem: BrunſuigæHelmſtadienſem: Thuringiæ Ienenſem Academicam: Sileſiæ Vratislavienſem Rehdigerianam ſupereſt: ut alias multo plures Silentio prætereamus: quarum partim MSti, partim editi nobis hoc patefaciunt Indices. Pro Teſtibus pauciores ſufficiant, Thomas Iameſius in Oxonienſis Bibliothecæ, quam Thomas Bodlejus inſtituit, Catalogo. Fridericus Spanhemius in Bibliothecæ Lugdunenſis Batavicæ Catalogo, de MStis Latinis, Num. XXIX. & CLXXXVII. Idem in hiſtorica Diſquiſitione de Papa Fœmina, Cap. XIII. Philippus Labbeus in MStorum Librorum nova Bibliotheca, Parte I. Supplemento IV. & V. Petrus Lambecius in Commentariis de Bibliotheca Vindobonenſi Cæſarea, Lib. II. Cap. VIII. Ioſephus Quesnelius in Bibliothecæ Thuanæ Catalogo. Joannes Hallervordius in Spicilegio de Hiſtoricis Latinis. Caſpar Sagittarius Introductione in Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Cap. VII. §. XIX.

LXII. Quo frequentius igitur, antequam Typothetarum Ars inveniretur, Martinianum Chronicon Manu deſcriptum Literarios Theſauros auxit: eo crebriores, magnâ Librariorum vel imperitorum Audacia, vel temerariorum Negligentia, Mutationes in deterius obiit. De quibus Suffridus Petrus in Literis ad Ægydium Heynſium, Abbatem Eberbodienſem, Anno M. D. LXXIII. ſcriptis, quas Martini Chronico præmiſit: *Quoniam Typis nondum repertis Manu deſcribendum erat, id, quod optimis quibusque Autoribus uſu venit, in hoc etiam accidit, ut aliorum Imperitia, aliorum Negligentia, aliorum Malevolentia propoſitum Exemplar*

plar de Integritatis Gradu deturbarit: quorum Erroribus identidem repetitis & conduplicatis, tandem MARTINO nihil eſſet reliquum in Chronico, præter Nomen ſuum conſpurcatum Vitiis alienis.

LXIII. In tantâ certè Chronici Martiniani Varietate, quam editi MStique Codices invicem comparati Lectoribus indicant, ſatis apertum perſpicuumque fit, ab aliis, maxime junioribus, paſſim vel omiſſa, vel addita, quæ MARTINUM Autorem non habere, niſi meliores Codices prodeſſent, tamen Rationes evidentes docerent. Quid multis? Exſtat, quod MARTINO Famam nullo Iure labefactatam, non in integrum modo reſtituit, ſed in majus etiam provehit, Chronicon MStum, quod in Vaticana Bibliotheca reſervatur, & antiquiſſimum, & integerrimum à publicatis Exemplaribus diverſiſſimum. De quo Ferdinandus Ughellus in Italia ſacra, Tom. IX. Cuſentino Archiepiſcopo XVIII: *In eo nihil de quatuor majoribus Regnis, Urbis Romanæ Exordio: nihil de Urbis Portis, Plateis, Templis, Regimine, aliisque Fabulamentis, quibus Chronicon illud malè audiat, peſſumque abeat Autoris Nomen: ſed omnia plana & recta. Ex quo manifeſtum eſt, quæ ſub MARTINI Nomine vel Typis, vel Scripto circumferuntur, ab Integritatis ſuæ Gradu deturbata aliorum Imperitia vel Negligentia, utinam non Malevolentiâ fuiſſe. Unusquisque enim, quæ ipſe digna Memoria judicabat, addidit, eraſitque, quæ ſibi indigna lectu videbantur.* Videlicet MARTINUS noſter, Eventu ſeu pari, ſeu deteriore, quò Euſebius Pamphili, ſuum Poſteris transmiſit Chronicon: de quo mirum in Modum per Librarios depravato conqueruntur Joannes Ludovicus Vives, Melchior Canus, Cæſar Baronius: quorum Judicia protulimus in Libro de Byzantinarum Rerum Scriptoribus Græcis, Parte I. §. 305. 307. 308.

LXIV. Præterea ſunt, qui Chronici Martiniani Codicibus etiam publicatis ſuum ſtabiliunt Decus, quanto mitiores, tanto æquiores aliis Cenſores. Baſilius Joannes Heroldus in Literis, quas ad Eliſabetam Anglorum Reginam Anno M.D.LIX. ſcripſit, Mariani Scoti Chronico præfixis: *Adjecimus ipſi* (Mariano) *MARTINUM Sarmatam, quem nonnulli Polonum, alii Oppavia ex Sileſia oriundum eſſe contendunt. Quem quidem in Temporum Supputatione per aliquot Ætates Catholici Scriptores, & maximè Pontificii* [*licet quidam absque Ratione acerbius in ipſum evehantur*] *ſecuti ſunt. Eſt enim Autor in deſcribendis Inſtitutionibus, & Conſtitutionibus recenſendis diligens, Varietate jucundus: Brevitate autem*

tem non adeo inutilis mihi visus est. Matthias Flacius in Libro de Imperii Romani Translatione: *Sunt verò isti duo* (Matthæus Palmerius & Martinus Polonus) *vel diligentissimi Supputatores Temporum.* Suffridus Petrus in Literis, quas ad Ægydium Heynsium Abbatem Eberbodiensem, Anno M.D.LXXIII scripsit, Martini Chronico præmissis: *Usus Chronici hujus multiplex est: quem ignorare Studiosus non debet. Primum Diligentia Autoris fecit, ut hic multa Compendio tradantur, quæ alibi diffusè tractata fuerant. Fecit etiam, ut hic exstent, quæ alibi non facile reperiantur: quod aut prorsus interciderint, aut certè in Lucem nondum prodierint, ex quibus ea sumsit. Fecit deinde, ut ab Exordio Mundi ad Christum, & à Christo porro ad Annum usque 1320. habeamus Continuatam Annorum Seriem, & ad eandem Seriem Regnorum præcipuorum Æras tam accuratè digestas. In primis enim duobus Libris omnia, quæ ab Exordio Mundi ad Christum usque contigerunt, succincta Methodo perstringit. In quibus illud notatu dignissimum est, quod, cum omnia velut in Epitomen redigat, quæcunque Latinis ac Græcis & Hebraicis Historiis de Babylonico, Macedonico, Carthaginiensi & Romano Imperio ad illum usque Diem tradita reperiuntur: tum hæc singula ubique tam accuratè ad Æram Populi Judaici accommodet, ut, cum aliunde Rerum gestarum Veritatem mutuetur, ex Literis sacris mutuetur Lucem Temporum, quâ veluti clarissimo quodam Sole pretiosissimam Supellectilem suam illustret. In posterioribus deinde duobus pari Solertia, non modo, quid in Ecclesia, quid in Imperio Romano, sed etiam, quid extra Imperium, quid extra Ecclesiam, à Christo nato per 1320 Annos acciderit, recenset. Erit igitur hic Autor usui, non solum iis, qui multorum Seculorum Res intra & extra Ecclesiam gestas Compendio discere cupiunt: sed etiam iis, qui, quicquid legerint, Memoriæ firmandæ gratia, velut in Locos quosdam communes referre desiderant: unde, cum opus fit, repetant, & ad præsentem Usum accommodent. Hic enim eâ Methodo Chronicon suum disposuit, ut Classes appositissimas Historiis annotandis suppeditet: utpote, qui Res gestas ante natum Christum ad quatuor Regnorum continentem Seriem referat: & post Christum natum ad Pontifices & Imperatores accommodet: quos una Pagina complexus, mirabiliter sibi mutuo opposuit, ut continuo Successu Ecclesiasticæ & sæculares, sacræ & profanæ Historiæ digerantur: quò ad Locorum communium Rectitudinem nihil fieri potuit expeditius.* Simon Starovolscius in Centuria de Scriptoribus Po-

Polonicis, Cap. XIII: *Chronicon* (reliquit Martinus) *summorum Pontificum atque Imperatorum Romanorum summa Latini Sermonis Venustate ac Puritate comprehensum.* Odoricus Rainaldus in Ecclesiasticis Annalibus ad Annum 1277. Num. XIX: *Notatur Censura à Cardinale Bellarmino, atque ex eo à Possevino nimiæ nimirum in vetustorum Temporum scribenda Historia Simplicitatis, ut qui Fabellas nonnullas pro veris asserat. Cæterum illum in Temporum suorum pangenda Historia Rerum gestarum Veritati consentire, experti sumus.*

LXV. Ad peculiarem Chronici, quod MARTINO debemus, Æstimationem à nonnullis refertur, in eô septem Principum Germanicorum quibus Romanum Imperatorem eligendi Jus convenit, Mentionem omnium primam, eamque claram & distinctam reperiri. Quod Cæsar Baronius Cardinalis Lectoribus suis quô frequentius, hoc efficacius in Ecclesiasticis Annalibus imprimendum judicavit ad Annum 996. Num. 69. 70. & 71.

LXVI. Restat unum, cæteris multo grandius, per quod MARTINUS Chronico suo maximum in plurimorum Animis Odium attraxit: Narratio ibi obvia de Johannis VIII, Romani Pontificis Partu: quam primus aut finxerit, aut divulgaverit. Hanc ei Notam inurunt graves Accusatores, Viri Doctrinâ celebres. Onuphrius Panvinius, Eremitarum Ordinis, de Pontificum Vitis, Lib. I. Pontifice CXIV. ad Annum 855: *Post Leonem à quibusdam recentioribus, quorum Autor & Antesignanus est MARTINUS Polonus, Mendaciorum loquacissimus, in Ordine Romanorum Pontificum ponitur Joannes quidam, quem Septimum appellant, Natione Anglicum, eamque Fœminam fuisse asseruit.* Et in Annotationibus ad Baptistam Platinam de Romanis Pontificibus, Johanne VIII. de Martino Polono: *Ab hoc igitur haud multum occupato, sed potius simplici Scriptore Johannis Fœminæ Fabulam, omnes, quotquot post eum scripserunt, hausere.* Robertus Bellarminus, Cardinalis Presbyter, de Romano Pontifice, Lib. III. cap. XXIV: *Omnes* (similiter loquuntur) *alii Historici, qui plurimi sunt, usque ad MARTINUM Polonum, qui fuit quadringentis Annis posterior isto fictio Johanne VIII. Et ipse primus hujus Johannis VIII. meminit, contra Fidem omnium Antiquorum. Ab ipso autem acceperunt Platina & cæteri recentiores.* Andreas Dusaussajus, Ecclesiæ Romanæ Protonotarius, in selectis Dissertationibus de mysticis Galliæ Scriptoribus: Apologiæ, quam pro Vindiciis Areopagiticis Hilduini Sandionysiani

siani composuit, Cap. X. Responsione ad Argumentum XII: *Cæterum Onuphrius, Autorem primum hujus Fabellæ* [de Joanna Papissa] *MARTINUM exiguæ esse Autoritatis, modicæ Fidei, at magnæ Simplicitatis Scriptorem, per Inductionem multorum Exemplorum patentium demonstrat.* Stephanus Damalevicius in Archiepiscopis Gnesnensibus Num. XXII: *Magnam Laudem Eruditionis consecutus est suâ Ætate, ob Jus in Epitomen redactum, ac Vitas summorum Pontificum ac Imperatorum editas: consecuturus majorem serâ Posterorum Memoriâ: nisi Figmentum illud de Joanne Papa VIII. in Vitas Pontificum inseruisset: quod ita rudi commentus est Minerva, ut tot absurdis in hac una Fabula commissis, Existimationem Doctrinæ turpiter contaminaverit.*

LXVII. At enim MARTINUS, cujus postulatur, Criminis non prius habendus est Reus, quam in eo Perversitas voluntaria demonstretur. Num, qui dudum consignata, plurimisque, non tantum sibi, comprobata referunt, etiamsi falsa commemorent, ideo, quia Mendacia proferunt, modo non sua, sed aliena proferant, mendaces sunt? Annon commune Fatum Historicos etiam veri studiosissimos plerumque manet, ut in eorum Codicibus displicentia pro Figmentis habeant obstinati Lectores?

LXVIII. Sane Injuriam MARTINO faciunt, quibus ille Narrationis de Johanna Papissa vel Inventor, vel primus Scriptor esse judicatur. Nam, primum ab ea Culpa, cujus arguitur quidem, non autem convincitur, MARTINUM absolvunt, & plures & æquiores Judices, non minus Scientiâ nobiles: qui nec in Autographo [quod, an usquam exstet, nobis exploratum non est] nec in aliis, tum antiquioribus, tum etiam melioris Notæ MStis, de Johanna Papissa Mentionem inveniri gaudent. Inter quos est Cæsar Baronius, Presbyter Cardinalis, in Ecclesiasticis Annalibus, Tomo X, ad Annum 853. Num. LVII. Severinus Binius, Canonicus Colonienſis, in Notis ad Ticinense Concilium, Anno 858. celebratum: quod in Conciliorum per Philippum Labbeum & Gabrielem Cossartium Parisiis editorum Tomo VIII. reperitur. Joannes Fabricius Cæsar, Canonicus Gladbachensis, in Literis ad Hilgerum Cremerium Abbatem, Anno 1616. scriptis: quas MARTINI Chronico præmisit. Abrahamus Bzovius in Ecclesiasticis Annalibus, ad Annum 1278. Num. XXXII. Leo Allatius, Vaticanæ Bibliothecæ Custos, in Opusculo de Joanna Papissa, Cap. V. & IX. Ferdinandus Ughellus, Cisterciensis Ordinis ad Aquas Sextias Abbas, in Italia sacra, Tomo IX. Cusentinorum Archiepiscopo XVIII. Petrus Lambecius in Commentariis de Bibliotheca Vindobonensi Cæsareâ, Lib. II. Cap. VIII.

LXIX. Deinde MARTINUM innocentem loquuntur Autores eo vetustiores: in quorum aut MStis, aut editis Codicibus Fœmina Johannes VIII inter Pontifices Romanos invenitur.

LXX. Omnium antiquissimus est Anastasius Bibliothecarius Romanus, Anno 855, quo Mulier illa, Johannes VIII extitisse dicitur, Romanorum Pontificum vitas Literis committendas aggressus. Hoc ipse docet in Vita Leonis IV, cui post Leoninam Urbem, qua Petri Basilicam clausit, Anno 852 conditam, precatur longiorem Ætatem. In Anastasii autem Opere, non, ut apud Moguntinos Anno M.DCII Lucem conspexit: nec, ut apud Parisienses in publicum Anno M.DCXLIX. prodiit: sed, ut in tribus Galliæ MStis, & Regis, & Julii Mazarini Cardinalis, & Jacobi Augusti Thuani supereſt, illius Fœminæ Pontificis Gesta reperiuntur. Testis est Carolus Annibal Fabrottus in Notis, varias Lectiones indicantibus, ad Anastasii Pontifices Romanos Parisiis editos: ut de MStis aliis consentientibus nihil in medium afferamus.

LXXI. Eandem de Johanna Papissa Commemorationem, seu ex Anastasio, ut Probabilitas innuit, seu aliunde notam, profert non tantum Marianus Scotus, Monachus Fuldensis, Anno 1086 extinctus, in Chronico, Lib. III. Ætate VI. ad Annum 854. verum etiam Sigebertus Gemblacensis Monachus, Anno 1113 vivis exemtus, in Chronographia ad Annum 854. Præterea Otto Frisingensis Episcopus Anno 1158, mortuus, de Rebus Gestis Lib. VII. Cap. XXXV. Gotfridus Viterbiensis Presbyter, Anno 1186. superstes, in Chronico, Parte XX.

LXXII. Jam quô Jure quisquam potest imputare MARTINO Rem, quam tot Scriptores ante Martinum, Anno 1281. mortuum, & quos indicavimus, & quos prætermisimus, in Chronica sua retulerunt? Nam in ea demum ex MARTINI Chronico transiisse, quis, nec insipiens, & Odii Studiique Causas procul habens, affirmanti credet, nisi probetur?

LXXIII. Cæterum, si Chronicon, quod MARTINUS scripsit, est nimium simplicis: quare Canonici Juris Summa (de quâ mox agemus) quam peritiores Decretorum Margaritam ex Merito appellari judicant, est admodum sagacis Autoris Opus?

II.

LXXIV. Etenim Autorem quoque MARTINUM noſtrum habet *Tabula Decretorum Alphabetica:* quæ nonnullis *Tabula Martiniana*, quibusdam *Decreti Margarita* vocari ſolet, Summamque Juris Canonici complectitur. MSta conſervatur in Bibliotheca Viennenſi Cæſarea: quod in Commentariis de ea Petrus Lambecius refert Lib. II. Cap. VIII. & in Bibliotheca Regia Pariſienſi: ut Philippus Labbeus indicat in MStorum Librorum nova Bibliotheca: Parte IV. Edita reperitur, tribus Gratiani Decretorum Canonicorum Partibus ſubjecta, Lugduni per Hugonem Portam, Anno M.D.LX. in f. Iisdem Partibus, quas Antonius Monchiacenus Democharis Reſſonæus edidit, & Annotationibus illuſtravit, ſubjuncta, Lutetiæ Pariſiorum, per Guilielmum Merlinum, Guilielmum Desboyſum & Sebaſtianum Nivellium, Anno M.D.LXI. in f. Gregorii IX Decretalium Libris præmiſſa, Venetiis Anno M. D. XCV. in 4.

III.

LXXV. Tertium MARTINI Opus eſt *Sermonum de Tempore Liber*: cujus Initium: *Scientes, quia Hora eſt.* Editus eſt Argentorati, Anno 1484. in f. Cujus Mentionem faciunt, Johannes Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Cap. 550. Petrus Seguinus in Bibliotheca Ciſtercienſi MSta: quem ad modum Carolus Viſchius indicat in Bibliotheca de Ciſtercienſis Ordinis Scriptoribus. Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Cap. 413.

IV.

LXXVI. Quartum Opus eſt *Sermonum de Sanctis ſuper Epiſtolas & Evangelia Liber:* cujus Principium: *Ore Confeſſio fit ad Salutem.* Editus eſt Argentorati 1484. in f.

V.

LXXVII. Quintum Opus eſt *de diverſis Miraculis Liber:* cujus Initium: *Quidem Paterfamilias.* Hujus meminit Joannes Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Cap. 550.

VI.

LXXVIII. Sextum Opus eſt *Deſcriptio Terræ ſanctæ.* Quod Opus in Batavorum Bibliotheca publica Lugdunenſi MStum exſtat: ut in ejus Bibliothecæ Catalogo Fridericus Spanhemius refert, inter Libros MStos Latinos, Num. XXXIX.

VII.

VII.

LXXIX. Septimum Opus eſt Liber, qui *Memorabilia Romæ* vocatur. Is non ita, quem ad modum ab Autore compoſitus eſt, ad Poſteritatem tranſiit: ſi rectè judicant, a quibus eſt lectus. De quo Onuphrius Panvinius in Annotationibus ad Baptiſtæ Platinæ Pontifices Romanos, Johannem VIII: de Martino: *Item Librum, cui Mirabilia Romæ Nomen eſt, conſcripſit: ab alio poſtea gravioribus Mendaciis auctum.*

LXXX. Quid de MARTINO Joannes Trithemius ſenſerit, reperitur in ejus de Scriptoribus Eccleſiaſticis Cap. 550: cui cenſetur *Vir, in Scripturis ſacris ſtudioſus & eruditus, & Sæcularium Literarum non ignarus: in declamandis ad Populum Sermonibus excellentis Ingenii.* Nos, in quibus Veritatis Amor Charitatem Patriæ vincit, jam eruditorum SILESIORUM Res, non Laudes, niſi quatenus has cum illis Neceſſitas connectit, Hiſtoricum in Modum Literis trasituri, quantum judicare poſſumus, inter ſui Temporis Scriptores, quibus politiſſimum, nec antiquiſſimi, nec ſuperioris, nec præſentis Sæculi Genium in Studiis æquare licuit, etſi fortaſſis non in omnibus, tamen in plerisque Monumentis, quæ ad nos incorrupta pervenerunt, aut Gratiam meretur, aut Venia dignus eſt MARTINUS.

CAPUT IX.

Ad Annum M. CC. XCVI. Diem XXII. Februarii.

HENRICUS CRASSUS,

Dux Vratislavienſis.

I.

HENRICUS propter ampliorem Corporis Habitum Cognomento CRASSUS, Sileſiæ Ducum, Boleslai Calvi Filius, Henrici Pii Nepos, Henrici Barbati Pronepos, Boleslai Proceri Abnepos, Patre quidem plurimum deliro, ideoque nonnunquam Sævo, natus: Sed tamen Indolis plane diſparis, ob Prudentiam, Juſtitiam, Clementiam, Civibus Exterisque charus Princeps: Anno 1278, Die XVII. Januarii, amiſerat Patrem, cum ex diviſis Sileſiæ Ducatibus inter Fratres acciperet Lignicenſem & Javorenſem.

II. Patruum Henricum Probum, Ducem Vratislavienſem, minimè

Probum, a Clientibus Eccleſiaſticis, quibus ob Damna illata Reprobus, ad extremum abundanter ſatisfecerat, Probi Cognomine dignum habitum, Anno 1281 experiebatur, Hoſtem. Ab eo per fallacem Invitationem ad Conventum amicum inter alios Duces captus, non dimittebatur, niſi, quoties poſcerentur, ſuggerendorum XXX Haſtatorum Militum Onere ſuſcepto. Neque ſic inter Henricos Probum & Craſſum, quod mitigabatur, deponebatur Odium. CRASSUS enim Probum Anno 1290 Die XXII Julii, ut divulgabatur, Veneno, ſine Liberis, extinctum, adhuc deprehendebat ſibi gravem.

III. Moriturus Henricus Probus, ut in Monumentis antiquis traditur, Ducatum Vratislavienſem, citra Juris naturalis publicique Reſpectum, poſthabito Patruo Conrado, Patruique Boleslai Filio, Henrico CRASSO, in Donum offerebat Epiſcopo Vratislavienſi Thomæ Secundo. Is Odia Ducum Sileſiacorum veritus, quibus fortiter ſuperandis omne ſuum Robur impar ſentiebat, Munus adeo magnum recuſare, quam recipere malebat. Hinc Teſtamento ſcripto, eundem Ducatum in Hæreditatem Patruo ſuo, Conrado, Glogovienſium Duci, deſtinabat. Vratislavienſes autem turbulentum rixoſumque Conradum repudiabant: cui præferebant HENRICUM noſtrum moderatum placidumque Lignicenſium Ducem. Conradus igitur exibat, Henrico intrante Vratislaviam. Cujus deinceps Dux communia Commoda Privilegiis potiſſimum ad Mercaturam ſpectantibus in majus provexit.

IV. Ex eo ſemper in HENRICUM noſtrum Conradus erat iniquior, Viribus inferior, ſuperior Fraudibus. HENRICUS Pacoslaum Habdanckium ſingulari gratia proſecutus, Miniſtrum Aulicum, Homicidii, quo gaudebat & gloriabatur, Reum, Inſolentia tumidum, Supplicio capitali ſubjecerat. Filium Luticum Habdanckium, Patri juſtas Criminis Pœnas impoſitas profitentem, Obſequia Juramento ingenua & integra pollicentem, in Fidei Spem firmam erectus, intimis Amicis Conſiliariis adſcripſerat. Ei Vulnus obligatum, non percuratum, ita refricabat Conradus, ut Dolorum potius, quam Beneficiorum memorem Animum in Vindictam periculoſo Facinori applicaret. HENRICUS in Balneo ad Arcem Vratislavienſem, prope Viadrum, Corpori ſuum præſtabat Officium. Tum, ad Conradi Votum, qui Conſcientiam Rerum omnium habebat, ex improviſo Luticus, Comitibus armatis prævalidus, HENRICUM, nihil tale ſuſpicantem, protrahit nudum

nudum, Pallio contegit, Equo imponit, transportatque Glogoviam. Ibi Conradus, Anno 1293, Die IX Octobris, allatum, in Cavea ferrea totis ſex Menſibus miſerabiliter clauſum tenebat, donec Libertatem XXX millibus Aureis, octoque Territoriis, Namslavienſi, Bernſtadienſi, Curciburgenſi, Bicinenſi, Cunſtadienſi, Roſenbergenſi, Haynovienſi, Boleslavienſi, datis, redimeret, Anno 1294.

V. Cœterum, HENRICUS, quemadmodum liberali & docili erat Ingenio, ſic prævios imitaturus Imperatores, Reges, Duces, Studiis politioribus, præſertim Poëticis, ad excolendum patrium, id eſt, Germanicum Sermonem, ſæpius in Oblectamentum vacabat.

MORS.

VI. Per ultimum Vitæ Spatium, Senſu Moleſtiarum Carceris continuo, adeoque Morbo lento enervatus, Anno 1296, Die XXII Februarii, decedebat. Vratislaviæ, cujus Amorem Gratia peculiari compenſaverat, in S. Claræ Monaſterio ſuum nanciſcebatur Conditorium.

SCRIPTA.

VII. Poſteritati reliquit *Germanicorum Verſuum Volumen* MStum: quod A. M. DC. III. Bartholomæus Schobingerus, JCtus & Patricius Sangallienſis Helvetius poſſedit. Ex eodem Opere Melchior Goldaſtus Anno M. DC. IV inter Paræneticos Scriptores antiquos, Inſulæ publicatos, ſuis Animadverſionibus ad Tyrolis, Scotorum Regis Paræneſes inſeruit quosdam Verſiculos, pro Temporum illorum Genio ſatis concinnos, ubi *Herzoge Heinrich von Preſſla* nominatur, §. VI. & XXX.

VIII. Id, quod ibi Goldaſtus attulit, exiguum Specimen quanti Martinus Opitius fecerit, patefacit in Animadverſionibus ad Anonymi Poëtæ Rhythmum de S. Annone Colonienſium Archiepiſcopo, Num. XVII. *Qui*, ait, *ſuaviſſimi Verſus eo Tempore, quo Poeſis ante aliquot Secula inter Ornamenta Equeſtris Ordinis non minus erat, atque bellica Virtus, conſcripti, impatienter deſiderare nos cogunt Principis, a tot Regibus Ortum trahentis, Carmina alia, nequicquam fortaſſe quærenda. Nam Goldaſtus ὁ μακαρίτης, ſemel iterumque a me de his monitus, dubio, me ſemper Reſponſo dimiſit.* At omnino etiamnum HENRICI *Amatoria Carmina* Teutonico Sermone compoſita: *Liebes-Lieder:* exſtare Fidem mihi fecit per Literas nuper Amicus ſingulariter æſtimabilis; a quo MSta poſſidentur.

SÆCU-

SÆCULO XIV.

CAPUT X.

Ad Annum M. CCC. V.

JOANNES HERMANNUS

Lignicenſis.

VITA.

I.

PAtriæ Scholam, jam tum pro Literarum illo Statu florentem, nactus Indolis erudiendæ ſalutarem Officinam, ſic deinceps in ſtudiis alibi emergebat, ut Honores Ævo ſuo raros, ideoque majoris æſtimabiles, quos Juris Canonici Doctor merebatur, ex Academia reportaret. Ea Doctrinarum Notitia cum ſe commendaviſſet Vratislavienſibus Epiſcopis, obtinebat, ut Canonicis tandem Vratislavienſibus adjungeretur: inter quos Eccleſiæ Cuſtos fuit. Cujus Officii Partes indicat Gregorius IX. Pontifex Romanus, Decretalibus, L. I. Titulo XXVII. Capitulo I. & II.

MORS.

II. Ver agebatur Anni M. CCC. V. cum obiret ſupremum Fatum. Sepulcrum adeptus eſt in Vratislavienſium Cathedrali Templo S. Johannis. Ubi conſecutus eſt Epitaphium hoc: *Anno DOMINI M. CCC. V. Feria VI. ante Dominicam Palmarum, obiit Venerabilis & eximius Vir, Dominus JOHANN. HERMANN. de Legnitz, Decretorum Doctor, CUSTOS & CANONICUS Eccleſiæ VRATISLAVIENSIS: ſepultus cum Genetrice ſua. Orate Deum pro eo.*

CAPUT XI.

Ad Annum M. CCC. XVIII.

CASPAR ROHRAVIUS

Eques.

VITA.

I.

NObilis Stemmatis Decus illuſtrabat confirmabatque nobilis Eruditionis Copia, non tam privati, quam publici Juris & Cultor & Adminiſtrator. Nam ob eam inter Sileſios clarum Conradus, Henrici III. Cognomento Fidelis, Glogovienſium & Olsnenſium Ducis, Filius, Olsnenſium Dux, Regimini ſuo, quod primus in Olsnenſium Urbe excitabat, (ideo Conradus, quanquam Stirpe ſua Quintus, vocatus Primus) applicabat, conſtituebatque Cancellarium.

MORS.

II. Bene diſpoſitis Olsnenſium Rebus, per Decennium Principi ſuo fidus charusque Conſiliarius, Die Sabbathi, poſt Feſtum, quo Chriſti Aſcenſio celebrari ſolet, apud Olsnenſes Anno M. CCC. XVIII. è Vita migrabat.

CAPUT XII.

Ad Annum M. CCC. XIX. Diem XXIII. Septembris.

HENRICUS WIRBENUS,

Comes.

VITA.

I.

COmitum horum Familia, quos diſſimilibus Vocabulis, quidam *Wirbenos*, alii *Wirbenavios*, alii *Wirbnanos*, alii *Wirbnæos* appellando, indicare conſueverunt, a Wirbena Vico ſuum Cognomentum accepit: ut Joannes Dlugoſſus in Vratislavienſium Epiſcoporum Vitis MStis, Num. XXIV narrat. Is autem Vicus in qua Provincia ſitus aut fuerit, aut ſit, non invenire potuimus. Id Antiquitates multiplices docent, Wirbenos multis abhinc Sæculis in Polonia, Bohemia, Sileſia Comites fuiſſe claros.

II. Henricus noſter a Wirbenis Sileſiis Originem ſuam duxit. Ex iis Fratres, Stephanus I. Andreas, Stephanus II. & Franciſcus, Comites in Suidnicenſium Urbe Monaſterium S. Virginis Mariæ condiderunt: quod Laurentius Epiſcopus Vratislavienſis A. 1214 conſecrabat: ut Inſcriptio teſtatur, quam Cap. III. §. II. in medium attulimus. Stephani Senioris Filius Stephanus III. cum Filio Andrea perierunt in prælio, quod Henricus II. Sileſiorum Dux Vratislavienſis & Lignicenſis A. 1241, cum Tartaris prope Lignicium habuit. Andreæ Frater Johannes

in Sileſiæ Ducum Henrici III. & Henrici IV. Terris Aulisque multum Autoritatis conſecutus, graviſſimis Rebus gerendis adhibebatur. Hujus Johannis ex Henrico Filio Nepos fuit Noſter Henricus.

III. Poſſeſſiones Patrias duobus Fratribus totas concedens, avitis pares, Literis acquirere gaudebat. Prius Canonicus, deinceps, poſt Joannem Romkam, Anno 1301, Die Novembris XIX, Rebus humanis ereptum, Epiſcopus Vratislavienſis Anno 1302, Die II Februarii electus, ut ferebat illorum Temporum Mos, a Gnesnenſi Polonorum Archiepiſcopo Jacobo Stympha ſolenniter conſecrabatur.

IV. Inſignis Exiſtimationis apud Sileſios univerſos, Henrici V. Sileſiorum Ducis Vratislavienſis & Lignicenſis, Anno 1296 exſtincti, Filiorum Ducum, Boleslai Bregenſis, Henrici VI. Vratislavienſis, & Vladislai Lignicenſis, poſt Boleslaum Svidnicenſem Ducem, Henrici V. Fratrem mortuum, conſtituebatur Tutor.

V. Anno 1303, Sacro Pentecoſtes Feſto, Gerhardi II. Moguntinorum Archiepiſcopi Conſenſu, Eliſabetam, Præmislai Polonorum [quibus Richſa dicitur] Principis Filiam, Wenceslai Bohemorum Regis Uxorem, in Pragenſium Aulico Templo Reginam coronabat.

VI. Vir erat induſtrius & liberalis, Amatorque tum Splendoris, tum etiam Voluptatis. Quibus, ad Deſiderium implendum, Theſauros Pupillorum ſuorum impendebat. His tandem ad ſui Tutelam progreſſis, quoniam nihil propemodum reddere poterat, neque paucas, neque parvas ſubibat Ærumnas.

MORS.

VII. Tutelæ nondum ſatisfecerat, cum Naturæ ſatisfaciebat, Anno 1319, Die XXIII Septembris: adeo pauper, ut Juſta Funeri ſolvenda ſuggereret ipſum Canonicorum Collegium ex publico Ærario Impendia. Corpus in Vratislavienſium S. Johannis Cathedrali Templo quieſcit: ubi hoc eſt adeptus Monumentum:

Cœtus Angelici conſortes ſint, pie Chriſte,
Præſulis HENRICI, quem Marmor contegit: iſte
Septembri Menſe, prope Finem, cæſus ab Enſe
Occidit heu Morti, ſolvens ſua debita Sorti.
ANNO M. CCC. XIX.

SCRIPTA

SCRIPTA.

VIII. Anno 1305, Die Novembris, Synodum apud Vratislavienſes celebrabat. Hujus *Conſtituriones* habemus per Martinum Epiſcopum Vratislavienſem Anno 1584 editas Vratislaviæ, in 4.

CAPUT XIII.

Ad Annum M. CCC. XX. Diem VIII. Februarii.

JOANNES MUSCATA,

Eques Vratislavienſis.

VITA.

I.

NAtus in Sileſiorum Vratislavienſi Ducatu Eques, minime contentus avito Clypeo, cujus in Campo cœruleo glauca novem Lilia promicabant, ſed adventitio oblectatus magis Animi, quam Corporis Munimento, Ingenium exercebat perficiebatque liberalibus Scientiis. Harum enim Proprietatem Poſſeſſioni Agrorum præferebat: in publicum Teſtimonium declaratus Philoſophiæ Doctor.

II. Sacris Studiis ſua devoverat: quorum Ope jam intra Poloniam majorem, in Lencicienſium Eccleſia Munus Archidiaconi ſuſtinebat: cum in altius Faſtigium aſcendendi conſequeretur Viam. Procopius Ruthenus, Epiſcopus Cracovienſis XXIII, extremum Vitæ Spiritum ediderat. Sequentis Anni 1296, Die XXI Martii ab omnibus Canonicis Cracovienſibus, quorum Suffragiis concordibus Bonifacius VIII. Pontifex Romanus, primus ille Jubilei Romani Conditor, ſubſcribebat, eligebatur Succeſſor, Epiſcopus Cracovienſis XXIV.

III. Eo Tempore Poloni, poſt Præmislaum violento Fato exſtinctum, ſibi Regem præfecerant Vladislaum Locticum: quo non habebant inter ſuos Ducem potentiorem. Ab eo, priusquam coronaretur (diu enim Solennitas ea regia differebatur) MUSCATA pro Cracovienſi Eccleſia obtinebat Jurium, non veterum Confirmationem tantum, ſed novorum etiam Perpetuitatem. Ad hæc donabatur XXX Jugeribus Agrorum in Suburbiis Cracovienſibus, qui Tractus Polonicum Biſcupiæ Nomen habet. Hinc non paulo ditior, Epiſcopatui ſuo addebat

debat emtas geminas Villas Tromkium & Darcycam, prope Visliciam Urbem.

IV. Prosperum inter Initia Ecclesiasticum Regimen una perturbabat Cracovienſis Regionis Urbs Sandecia. Depulso Vladislao Loctico, assumtus Wenceslaus Bohemorum Polonorumque Rex, ad Urbem in Cracovienſi Palatinatu Sandeciam veterem, interjecto unius Milliaris Spatio, ad Donajeci & Bialæ Amnium Confluentem excitaverat Sandeciam novam, intra Ditionis Episcopalis Cracovienſis Terram. Ne quid Episcopi Reditibus decederet, Episcopatui conferebat Bieciam universam, id est, Castrum, Oppidum, Territorium, in perpetuam Possessionem.

V. MUSCATA Germanus, Agnatis, Affinibus, Amicis in Cracovienſium Provincia destitutus, vicinum Poloniæ minoris Abbatem Tinecenſem ad Vistulam perpetuum Canonicum Cracovienſem, singulari Amore prosecutus, dignum censebat, cui Terram Biecenſem curandam committeret. Hungari propinquum Finibus suis Oppidum Biecam, paucos Incolas, incautos Præfectos habere conscii, nocturno Impetu capiebant. Id non ferendum ratus Vladislaus Rex, Biecam mox recuperabat: Episcopo Cracovienſi, tanquam minus aut fido, aut circumspecto Custodi eripiebat: Regiæque Potestati subjiciebat totam Biecenſem Provinciam, in qua nihil Episcopo relinquebat, præter Paræciæ, cum Biecenſis oppidanæ, tum paganæ Rosenbergenſis Ecclesiasticum Jus.

VI. Inde MUSCATA geminum obtinebat, ut Damni Levamentum, sic Doloris Lenimentum. Ab Hungarorum Rege Ladislao Urbem, Arcem, Terramque Plochenſem, Sandeciæ proximam, in Donum accipiebat: & a Tinecenſi Abbate, cui Pontifex Romanus in Jus vocato, Compensationem amissorum imperaverat, per amicam Litis Compositionem, in Satisfactionem, quæ pro Rerum Statu æqua videbatur, Villam Præcycam, prope Visliciam Urbem.

VII. Post hæc gravem Polonia Mutationem subibat, Wenceslaus Bohemorum Polonorumque Rex, Anno 1305, Pragæ Bohemorum moriebatur. Hæres igitur Filius Wenceslaus, Poloniam invadere conabatur, sed Olomucii Moravorum trucidabatur A. 1306. Hinc plurimis è Polonia discedentibus Bohemis, Vladislaus Locticus e Polonis Assecias subinde plures nactus, ad recuperandum Poloniæ Regnum Nervos intendebat

tendebat omnes. MUSCATA, prius Regi Wenceslao, cui non adhærere non poterat, excusabiliter addictus, ob id tamen Vladislao invisus, non difficulter conciliabatur. Ab eo Terram Biecenſem promittente non citra Fiduciam exspectabat.

VIII. Interea vero, dum Vladislaus Rex, nondum receptus ab omnibus, Adversarios Armis sub Obsequium adigit: Cracovienſes, quos Vladislaus impositis Oneribus nimiis à se tandem alienos reddiderat, Alberto Advocato Autore stimulati, ad Boleslaum, Silesiorum Oppolienſem Ducem, Anno 121[illegible], deficiunt. Huic tradunt Urbem, non Arcem, quam defendentes, cum Boleslaus oppugnaret, Vladislao reservabant. Vladislaus armatus Cracovienſibus imminens, Boleslao per Legatos ad Pacem converso, Iram in Defectores tanto liberius effundebat. Tum Defectionis arguebatur Episcopus ipse MUSCATA noster, maximè, quoniam erat Silesius. Ideo suspectum vehementer affligebat: cui, quanquam innocenti, promissum Territorium Biecense nunquam reddendum statuebat. De quo Matthias Michovius, Canonicus Cracovienſis, in Poloniæ Chronico, Lib. IV. Cap. VIII. extremo: *Joannem MUSCATAM, Episcopum Cracovienſem, insimulatum, licet falsè, quod Silesita esset, Tradimenti prædicti conscium fuisse, Odio & Intentione Captivitatis persecutus est. Nec eum ad Possessionem Castri & Districtus Biecz ab Hungaris jam resignati, admisit.*

IX. Quin eo Vindictæ progrediebatur Vladislaus, ut MUSCATAM in Villa sua Cunovia, per Toporos, Familiam nobilem, caperet, Custodiæque Molestiis subjectum aliquandiu teneret. Eas cum evasisset, MUSCATA prius inter Silesios, deinceps inter Bohemos agebat Exsulem.

X. Ab Anno 1315, dira Poloniam vexabat prius Fames, postmodum hinc orta Pestis, ad Annum 1317. Hujus Triennii Malis paulo verecundius ad Animum revocatis, Vladislaus per sagaces Interpretes ad extremum tantopere commovebatur, ut ea Pœnam crederet Malorum, quibus insontem MUSCATAM, Defectionis accusatum, non convictum, affecerat. Quamobrem totus in Pœnitentiam mutatus, Episcopatui Cracovienſi non tantum ablata vel restituebat, vel restituenda pollicebatur, verum nova etiam conferebat Bona: quæ Privilegiis ampliſſimis stabiliebat. Tam redditis, quam reddendis addebat Chencinenſe Castrum & Oppidum cum decem Villis. Ipsos Episcopi Per-

ſecutores perſecutus, nihil omittebat eorum, quæ graviter læſo abunde ſatisfacerent.

MORS.

XI. Omnibus tam Hoſtium Inſidiis, quam Ærumnarum Aculeis fortiter Animo ſuperatis, non diu fruendis amplius erat reſtitutis Honorum Opumque Copiis. Per XXV Annos Epiſcopus, cum Cracoviæ viveret, Paralyſi tactus, Anno M. CCC. XX. Die VIII. Februarii decedebat.

XII. Prope Cracoviam, Monaſterium Ciſtercienſi Ordini ſacrum, Mogilenſe, quod Clara Tumba nominatur, ſibi delegerat, in quo requieſceret. Ibi Sepulcrum hac Inſcriptione condecoratum nactus eſt: quam Simon Starovolſcius, & in Sarmatarum Monumentis, & in Cracovienſium Antiſtitum Vitis legendam exhibet:

JOANNES MUSCATA.
Ego fui Gente SILESIUS,
Philoſophiæ DOCTOR,
Et PRÆSUL CRACOVIENSIS.
Mihi Tineczenſis ABBAS BIECZ Oppidum & Caſtrum amiſit, Damnumque reſarciens, Eccleſiæ meæ Cracovienſi Przesliczam Villam dedit, Jure compulſus, ter denis Jugeribus emtis. Suburbium Cracovienſe, BISKUPIE, fundavi, Villasque propè Wieliczkam, Darszyce & Trapki, Eccleſiæ Cracovienſi emi. Me Nobiles de Domo Topory, in Villa Cunenſi comprehenſum, captivum detenuerunt, evadensque Captivitatem, Exilii paſſus ſum Anguſtias, ſubordinante mihi hoc Malum Rege Poloniæ, VLADISLAO Lokietek. Plus enim VENCESLAO Regi Bohemiæ, Regnum Poloniæ faviſſe creditus ſum, quam Lokietkoni. VENCESLAO autem Rege Bohemiæ in Olomoncz occiſo, VLADISLAUS me ſibi omnibus Modis reconciliare ſtuduit. Privilegia nova Cracovienſi Eccleſiæ, mei Gratia, conceſſit, antiqua confirmavit: Peleiszka cum Villis reſtituit: pro Damnis CCC. Marcas Argenti mihi dedit: Captivatores meos per me excommunicatos, à Gratiâ, Curiâ, & Regno ſuo removit: donec Satisfactione mihi data, per me ſunt abſoluti.

Vivens elegi mihi hic Sepulturam, Cracoviæque moriens, VIII. Februarii, hoc ſub Lapide ſum ſepultus, Anno Domini M.CCC.XX. Præfui Eccleſiæ Cracovienſi Annis XXIV. In Ordine Epiſcoporum XXIV.

XIII.

XIII. His Chriſtophorus Katskius, Philoſophiæ Doctor, in Cracovienſium Epiſcoporum Vitis, quas Joannes Cæſarius edidit, & Inſignia præmiſit, & Hexaſtichia ſubjecit:

Pluribus hunc adverſa Malis Sors obruit, atque
Immerito clauſit Carcere Pontificem.
Hinc etiam orbatæ ſunt multa illata Cathedræ,
Qualia non alio Tempore Damna tulit.
Pleraque deinde ad eum redeunt. Has lubrica Rebus
Sors affert nobis & Deus ipſe Vices.

CAPUT XIV.

Ad Annum M. CCC. XXVI.

VITUS HABDANCKIUS,

Eques.

VITA.

I.

JAm Sæculo XI. nobilis Scarbeciorum Proſapia, dubium, intra Pololoniam, an intra Sileſiam, quæ tum etiam Polonia dici conſveverat, orta florebat. Ex eâ quidam progenitus, Anno 1109, fiebat Legationis Comes primarius, quam Boleslaus III. Sileſiorum Polonorumque Dux ad Imperatorem Henricum V. cum Sileſiorum Glogoviam obſideret, mittebat. Henricus Vires ſuas tam Sileſiis, quam Polonis facile ſubigendis monſtraturus, ingentem oſtendebat Theſaurum. Eum Scarbecius contemnendum ratus, adjecto Annulo ſuo augebat: *Auro*, inquiens, *jungemus Aurum.* Henricus hanc Irreverentiam blandioribus Verbis caſtigaturus, ad Germanum Germanica Lingua dicebat: *HAB DANCK*: id eſt, *AGO GRATIAS.* Ex eo Scarbecius vocabatur HABDANCKIUS: à quo HABDANCKIORUM Gens per Sileſiam diffuſa in Poloniam denique tranſiit.

II. Iſto Sileſiorum Habdanckiorum Stemmate progenitus VITUS noſter antiquum Nobilitatis Decus exornabat Cultura Literarum: quâ merebatur Vratislavienſium Canonicorum Collegio adſcribi. Tum in eo vivebat etiam Lutholdus Wirſus, Polonus, egregiam inter ſuos

Exiſti-

Existimationem ob Eruditionem Prudentiamque, consecutus. Cui Dotibus & nativis & acquisitis HABDANCKIUS, si non præferendus, certe par erat.

III. Quamobrem, post Henricum Wirbenum, Episcopum Vratislaviensem, Anno 1319, Die Septembris XXIII, vivis exemtum, dissidebat eò magis Vratislaviense Canonicorum Collegium: cujus Pars Vitum, Pars Lutholdum mortuo Successorem, Die XXV Decembris, eligebat. In electis, Honore novo uterque gavisus, neuter privari se patiebatur: maximè, quoniam Electoribus in Sententia sua firmis, neuter alteri cedebat Dissensus.

IV. Non enim amplius Silesii poterant obstinatam Polonorum Insolentiam ferre, quâ ducti Episcopatum Vratislaviensem Silesiis denegatum, plerumque Polonis attraxerant. Tum enim jam numerabantur inter Vratislavienses Episcopos Poloni XIV, Silesii tantum III.

V. Lis Pontifici Romano Johanni XXII subjecta, toto Septennio mirum in Modum agitata, sub difficillimo hærebat Judice: cujus hæc Sententia denique finiebatur: *Juris esse naturalis, ut Indigena præponatur Alienigenæ, cum pares sunt, maximè, cum Indigena præcellit Alienigenam.* Ita fiebat, ut VITUS Silesius Lutholdo Polono antepositus evaderet Victor.

MORS.

VI. At non diu hac Prærogativa lætabatur VITUS, vix tot Diebus Vratislaviensis Episcopus, quot Annis Spem hujus Potestatis Honorisque nutriverat: strenuus Dignitatis suæ Stator. Nam post Decretum Pontificium, quo declarabatur Episcopus, acceptum, octavo Die, Victor Lite, victus Morte, novum Prærogativæ consequebatur Genus A. 1326, antegressus in Sepulcrum, in quod fuit Adversario subsequendum.

CAPUT XV.

Ad Annum M.CCC XXXXI. Diem X. Aprilis.

NANKERUS OXIUS,

Eques Oppoliensis.

VITA.

I.

Nobili Oxiorum Stemmate, quod in Clypeo Securim gerit, intra Ducatum

catum Oppoliensem progenitus, non Armis sed Literis Ætatem primam impendebat, quibus reliquam simul exornaret, simul consumeret.

II. Evehentibus Scientias Virtutibus illustris ad Decani Munus inter Canonicos Cracovienses ascenderat: cum Episcopus Cracoviensis, Joannes MUSCATA Mortem obiret, Die VIII. Februarii, Anno 1320. Tum Polonorum Rex Vladislaus Locticus Cracovienses Canonicos urgebat, ne differrent necessariam designandi Episcopi Curam. Ab his e Collegio suo electum NANKERUM, tanquam Oseris sui MUSCATÆ cum popularem, tum familiarem Amicum, Initio fastidiebat: postea multis Rationibus, modestisque Precibus victus, recipiebat. Eodem igitur Anno 1320, NANKERUS obtento Johannis XXI, Pontificis Romani Consensu, a Janislao, Gnesnensium Archiepiscopo, in Ecclesia Lencicensi consecrabatur.

III. Primus Officii novi Labor erat, per intestina Polonorum Dissidia, quæ Disciplinam Provinciæ Cracovensis Ecclesiasticam, diu Exsule MUSCATA Episcopo, prostratam, utilissimis Legibus erigere, quibus stantibus, in Cracovensi Episcopatu per longum Tempus firma stetit Salus.

IV. Templum Cathedrale Cracoviense, cui magnum Incendium, Anno 1306, Interitum attulerat, conditis a Polonorum Rege Boleslao Distorto Muris angustis destructis, ita reparabat, ut etiamnum Amplitudine Formaque sua moretur Spectatores. In tantum Opus, quod Anno 1320 aggrediebatur, Pecunias ex totius Ordinis Ecclesiastici Cracovensis Reditibus collectas impendebat: quibus in Supplementum addebat multos e vacantium Sacerdotiorum Salariis, speciatim ex Liberalitate Canonicorum, maxime sua, congestos Nummos. Inde Monumentum, quod Simon Starovolscius in Sarmatarum Monumentis exhibet, in Cracovensi Cathedrali Templo S. Stanislai supra Portam conspicuum:

DEO Optimo Maximo
Beatæ MARIÆ Virgini
SS. Patronis.

Ecclesiam hanc igne absumptam NANKERUS Silesius, Episcopus Cracovensis in hanc Formam restituit. Reliqui postea Successores Episcopi,

& Capitulum, cum ex communi, tum vero quidam ex privato Censu adornavere Anno Domini M. CCC. XX.

V. Anno 1325, Aldonam, Gedimini, magni Lithuanorum Ducis Filiam, Vladislai Loctici Regis Filio, sedecim Annorum Juveni Casimiro, in Matrimonium recipiendam, Christianis Sacris amplectendis præparabat, eamque postea solenniter Cracoviæ baptizabat.

VI. Juris Ecclesiastici, quo peritior, eo tenacior, Potestatibus RegimenPoliticum tenentibus cedere, nisi cum extrema Necessitas juberet, non solebat. Idpræcipitis Animi Rex Vladislaus Rex aliquando perferre non docilis, obstinatiori NANKERO incutiebat Colaphum. Tum mire patiens NANKERUS, quanquam, ut Servus, non, ut Episcopus, a Rege tractatus, ne pro Manu Gladium Percussoris sentiret, importunum Facinus tolerare, quam vindicare, salutarius esse judicabat: non immemor, quemadmodum olim Cracoviensis Episcopus Stanislaus, ille Cracoviensis Cathedralis Templi Patronus, Boleslaum II. Cognomento Audacem, Polonorum Ducem, Diris devovere, nihil veritus, ad Aram, ipsa Ducis perierit Dextera. Hoc Eventu monitus, non tam metui, quam metuere, suum esse: procul a Rege, procul a Periculo esse videbat: in Occasionem, qua plus Libertatis acquireret, intentior.

VII. Silesiorum Vratislaviensis Episcopus Henricus Wirbena, sicut, & plures, & sagaciores statuunt, Silesius, Anno 1319 finierat Vitam. Hinc per Canonicorum Discordiam, Episcopus ab aliis Lutholdus Wirsus Polonus: ab aliis Vitus Habdanckius Silesius eligebatur Successor. Neutra dissidentium Pars alteri cedere sustinebat. Ideo Lis summo Tribunali subjiciebatur: ex quo Johannes XXII, Pontifex Romanus, Sententiam, post transactum Septennium, pronunciabat: Vito, non Lutholdo Episcopatum esse conferendum. Eo Diebus octo gavisus Victor, in Sepulcrum deponebatur victus, A. 1326.

VIII. Posthabitis aliis, NANKERUS expetitus, quem Juris Ecclesiastici Defensorem Fama declaraverat, tanto pronior Cracovienſem, quem sex Annis, totidem Mensibus gesserat, cum Vratislavienſi Episcopatu, citra Difficultatem consentiente Pontifice Romano, permutabat. Beatior tum evasisset, si potuisset esse moderatior. Aëre, non ingenio mutato, intra Silesiam in Superiores nihilo mitior, imo vehementior deprehendebatur.

IX. Ab

IX. Ab Anno 1169, ad 1327, Silesia Duces habuerat, neminem, nisi Romanum Germanorum Imperatorem, superiorem agnoscentes: Societatem cum Polonis, sed Imperio pari, quod nulla, nisi quam ipsi condiderant, Lege circumscribebatur, colentes. Dissidentes cum a Polonis, tum a se ipsis, Joannes Lucenburgicus, Bohemorum Rex, sub Imperii sui Consortium, non Armis, sed Blandimentis & Promissis, per Decennium, ab Anno 1327, ad 1337, tantum non omnes trahebat: quos, per mutuum Fidei Pactum, non, ut Rex, subjectos, sed, ut Silesiorum Dux Supremus, tanquam Patronus Clientes, sub Tutelam recipiebat, contra Polonos & alios Adversarios defensurus. Ea Silesiæ Mutatio periculosissima Silesiis pluribus, non prudentioribus, arridebat, ita Germanicam Silesiorum Libertatem, hactenus à Polonis oppugnatam, post hæc a Bohemis opprimendam prævidentibus. Inter hos NANKERUS, Silesiacorum tam Provincialium, quam Ecclesiasticorum Jurium intelligentissimus eminebat. Quare Johannem Regem, cujus Artes Dominatrices non ignorabat, Anno 1337, post Henrici VI. Vratislaviensium Ducis Mortem, Hæreditario Vratislaviensem Provinciam occupaturum, tanquam Silesiis, non daturum, sed ereptum Beneficia, digressum in Silesiam contuebatur invitis, & dolentibus Oculis.

X. Tum Johannes primum Potestatis suæ Documentum Silesiis præsens edebat. NANKERUS ad extremos Silesiæ Fines, Poloniæ vicinos, Arcem Milicensem, tam Situ, quam Opere satis munitam, pridem Vratislaviensi Episcopatui subditam, possidebat. Eam Johannes immenso Desiderio affectabat, Promissis nullis, nullis Precibus impetrabilem ab Episcopo, in Ecclesiæ Jura, posthabitis etiam summis Periculis suis, defendenda irrevocabiliter propenso: quo Autore, Militibus, Cibis, Armis, cæteris Obsidioni commodis abundanter instructam, difficulter expugnabilem, Archidiaconus Canonicusque Vratislaviensis, Henricus Wirbenus Curis suis commissam tenebat.

XI. Johannes igitur, a Viribus, quibus diffidebat, in Fraudes conversus, instruebat Legatos, Arte superaturos, quod Marte vix superabile videbatur, Castrum. Hos, ut Amicos, Specie Colloquii, quo Certamen finiretur, in Arcem receptos, Wirbenus, cum Moram ex composito Sermonibus traxissent, in Humanitatis specimen, ad Prandium invitatos retinebat, quicquid restabat,

bat, eo facilius expedituros. Tum Vini, ut ſapientiſſimus, ſic appetentiſſimus, non Sariſſis, ſed Lagenis, quas ſecum aſſumſerant, in Regis Partes, quem miris ob Indulgentiam Præconiis evehebant, quo mitior, eo tandem proclivior evadebat. Contra, niſi Deditionem faceret, extrema Regem omnino tentaturum, perſuaſus, ne ſummam pro Clementia Violentiam ſubiret, Arcem, licet in ea plurimis, quibus ad Hoſtem abigendum, neque Commeatus, neque Fortitudo, nec aliud quicquam deerat, repugnantibus, propinquo in Caſtris Regi ſuccurriebat. Johannes hoc Pacto multos graviter, NANKERUM implacabiliter, offendebat: propemodum vincentibus dextera ſiniſtris Judiciis. Hanc enim Arcem, ut Johannes in Sileſiorum Commodum, ad cohibendas Polonorum Incurſiones, Deditione juſta obtentam: ſic NANKERUS pro Sileſiorum Freno, quo Jugum alienum rejecturos Vis coërcere poſſet, nefaria Proditione captam, uterque probabili Ratione divulgabat.

XII. Mox NANKERUS Johannem in Caſtris adhuc perſiſtentem, Literis acriter monebat, ut reſtitueret Arcem occupatam, neque Famam Regiam Poſteris Rapina Eccleſiaſtica notabilem, transmitteret. Johannes, quanquam Efflagitationibus, & crebris, & ſeveris defatigatus, Arcem nunquam redditurus, pro qua Satisfactionem offerebat, ſolito vehementius exacerbabat NANKERUM.

XIII. Ideo tandem NANKERUS, Gratia Romani Pontificis, cui ſuam in tuendis Eccleſiaſticis, & Juribus, & Conſuetudinibus, & Permiſſionibus Scientiam, Induſtriam, Conſtantiam, ſingulariter probaverat, fretus, aſſumtis Canonicis quatuor, Apetzcone Scholaſtico, Ottone Domino, Conrado Schalcovio, Petro Bilcaco [cœteris Metu averſis] etiam, ne privatus agere videretur, quod, ut Epiſcopus agere non dubitabat, Epiſcopali habitu ornatus, audacem audacter aggrediebatur, commorantem in Vratislavienſium S. Jacobi (quod S. Vincentii hodie dicitur) Monaſterio Regem Johannem. Ibi Cuſtodibus, Regem neceſſariæ Conſultationi deditum eſſe, dicentibus, &, ut ſuam Regi Præſentiam indicarent, fruſtra ſolicitatis, fortiſſimo ipſe Pugno Januam pulſabat. Ne tum quidem admiſſus, ab ipſo Rege, poſt Horæ Spatium, ſe Colloquio vacaturum, per Nuncium reſpondente, gravius irritabatur. Sed non prius, quam intromitteretur, quieturus, iteratis ſubinde Vicibus Januam pulſare non ceſſabat. Rex non tam importuno

Epiſcopi

Epiſcopi Animo, quam opportuno Aulici Conſilio victus, Pulſatori Aditum patere jubebat.

XIV. NANKERUS Dextra Crucem, Siniſtra Schedulam tenens, ut Arcem redderet, ter admonebat. Id facere nolentem, non Regis ſed Raptoris Nomine compellatum, auſteris Verbis caſtigare non ſatis habebat: Eccleſiaſtico etiam Anathemati ſubjiciebat: hoc eſt, Chriſtianis exemtum, Plagis & temporariis, & æternis obnoxium pronunciabat, non abſolvendum, niſi præviis Pœnitentiæ publicæ Signis, promtum Arcis Reſtitutorem. Rex, ut erat Humanitatis ſæpe Cultor, ſæpius Simulator, Epiſcopalem Inſolentiam Modeſtia Regia perferebat: ideoque Facinus enorme, non Vinculo, non Supplicio, ſed Contemtu ſolo puniebat.

XV. Epiſcopus a Rege digreſſus, in Conclavi proximo Senatores Vratislavienſes habebat obvios, Regem inverecundius habitum conquerentes. Ex his ad Epiſcopum primarius Conſul: *Sic tu*, inquiebat, *Sacra miſces profanis, &, politicum obtenturus, Eccleſiaſticum adhibes Jus: quod niſi cum in Abuſum convertitur, emendat, non condemnat Animos? De quo certas, id requirit alium, non te Judicem, Jura ſua, quicunque Sacerdotis Perſonam gerunt, in temporariis Rebus Imperio Regio debent. Huic ſubditus, Homo, Chriſtianus, Epiſcopus, quoties vel non remittit, ut debet: vel, ut non debet, exprobrat, toties infert Injuriam. Johannes Vratislavienſibus & Senatoribus, & Civibus, pro ſuo, cœterisque ſimul Sileſiis pro ſummo Duce jam ſuſceptus, tibi non habetur Princeps?* Tum Epiſcopus: *Veſter*, ait, *non meus eſt Princeps: cui meus Epiſcopatus* [adhuc Polonorum Gneſnenſium Archiepiſcopo ſubjectus] *non ſubeſt. Cur reverear, quem Regulum, non Regem haberis? Vos æquales Prævaricatores, æqualem Animadverſionem promeritos, Anathemati pari ſubjicio.*

XVI. His cognitis Rex, cur Epiſcopo *Regulus*, non *Rex* habeatur, ſolicitus erat: quibusdam cenſentibus, ideo Regem non haberi, quoniam Bohemorum Rex, non Regium, quod revera ſupremum ſit, Jus habeat: Romano Imperio, cujus Pars Bohemia ſit, utique ſubditum: aliis, aliud ab Epiſcopo intendi judicantibus. Ab eodem clam per Exploratores, certior fiebat, ſe propterea *Regulum* haberi, quoniam Exemplo cœteris Regibus Chriſtianis omnibus inuſitato, Regnum Bohemicum Archiepiſcopo deſtituatur, a quo Rex ſolenniter coronari poſſit.

Tum enim Pragenſis Epiſcopatus nondum in Archiepiſcopatum mutatus: ideoque Bohemorum Rex Johannes ab Archiepiſcopo Moguntino coronatus erat: cujus demum Filius Imperator Carolus IV primus à ſuo Pragenſium Epiſcopo, quem in Archiepiſcopum evexerat, Rex Bohemorum coronabatur.

XVII. Unum illud *Reguli* mordax Vocabulum ſic cruciabat Johannem, ut, quanquam inter Initia lenior, ad extremum aſperior, cum omnibus Aſſeclis Canonicis, & aliis Clericis Epiſcopum Vratislavia diſcedere juberet: Seditioni Materiam ſubtracturus.

XVIII. Pauciſſimis tangit hæc Imperator ipſe Carolus IV. Bohemorum Rex, Johannis Filius, in Commentario de Vita ſua: quem Marquardus Freherus inter Bohemicarum Rerum Scriptores edidit: *Deinde*, inquit, *ivi cum Patre meo Wratislaviam. Epiſcopus vero Loci illius erat Patri meo inobediens, propter quod Pater meus commotus, abſtulit eidem Caſtrum Miletz. Ipſe vero ea de Cauſa excommunicavit Patrem meum, Pater autem meus expulit eum una cum Clero de Civitate.*

XIX. NANKERO cum ſuis ad Niſſenſes digreſſo, Vratislavienſes Principio Diſſenſus, alios Epiſcopo, alios Regi addictos exercebat. Poſterior Pars Suffragiis & majoribus, & pluribus premebat priorem: quam Rex ad publicum Dei Cultum peragendum adigebat. Conſpirantes ad ultimum concordibus Animis, quibus, Eccleſiam eſſe non Epiſcopi, ſed omnium, quorum & Rex, & Epiſcopus, præcipua quidem, tamen Pars ſint, Conſcientias liberas Epiſcopo ſubjacere, non perſvaderi poterat, ab eo clauſa Templa reſerabant: reſiduisque paucioribus Presbyteris, non Epiſcopo, verum Senatui Populoque parentibus, gaudentes, Sacris ordinarium in Modum vacabant.

XX. NANKERUS interea durior Johanni, quanquam ſolicitatus, nulla Conditione placabilis, nec Arcem Milecenſem recuperabat, & Epiſcopalium Bonorum maximam Partem amittebat. Nam ea, cum Rebellium Sacerdotum Rebus, Johannes omnibus Sileſiorum Ducibus occupandi Jus dederat: à quô cœteris abſtinentibus, Boleslaus Bregenſium Dux, quô indigentior, eô diſſolutior, Urbes, Pagos, Decimas, & quicquid Adverſariorum Clericorum erat, cujus potiri poterat, ſub Poteſtatem ſuam redigebat. Ideo peculiariter ab Epiſcopo declaratus Eccle-

Eccleſiaſticorum Hoſtis, eam Cenſuram, ad Regis Exemplum, tanquam inane Fulgur, ſpernebat.

XXI. His præpotentibus Inimicis NANKERUS impar, per Romanum Pontificem terribilis, omne Robur infringere conabatur. Ille NANKERI Anathema comprobabat, cui ſuperaddebat ſuum, dirioribus Devotionibus acutum: omnem omnibus Veniam denegabat, niſi ablata Clericis omnia redderent. Sed tantum aberat, ut deprimeretur, ut potius excitaretur Minis Rex. Nam Regiô circa Res profanas Imperiô circumciſurus Pontificiam Poteſtatem, Conditor erat Legis, *ne quis Fundus intra Sileſiam in poſterum, ſeu privato, ſeu publico Emtionis Jure tranſiret ad quemquam Clericorum.*

XXII. Tamen NANKERUS Propoſiti ſui adhuc tenaciſſimus erat. Niſſam vocatum, Johannem Schwenckfeldium, Ordinis Dominicani Monachum, intra Sileſiam Pontificium Hæreticæ Pravitatis Cenſorem, Ingenii ſubtilioris Hominem, Rationibus ſpecioſis commovebat, ut adeo ſtabilem Vratislavienſium Contumaciam, quâ Obſequium Epiſcopo recuſarent, in graviſſimum Criminis Genus, quod Hæreſis vocatur, converteret. Id Schwenckfeldius Vratislaviam profectus præſtabat: ut Hæreticos, niſi tandem NANKERO ſatisfacerent, apud Romanum Pontificem accuſaturus Vratislavienſes. At, quô ſe Fulmini etiam huic ſubtraherent innocentes, Conſilium inveniebant. De quô plura dicemus Cap. XVI. §. V.

XXIII. Interim eodem in Statu Vratislavia, Ducem ſuum Johannem Regem imitata, cum Anathema, ne Pontificium quidem, quô Epiſcopale confirmabatur, in Temporariis attendendum crederet, per Quadriennium perſeverabat. Tum de Vratislavienſium Rebus Fama circumferebat vulgare Dicterium, ſicut in quodam MSto legitur:

Tempore NANKERI furit Exſecratio Cleri.
Tempore JOHANNIS ſibi quisque eſt Papa quotannis.

Videantur de Sileſiorum Rebus Eccleſiaſticis ad hoc Tempus ſpectantibus Cap. XVI. §. V.

XXIV. Ita, quô ſeverior, eô infelicior Eccleſiaſticæ Libertatis Aſſertor NANKERUS erat: cujus neque Doctrinis, neque Virtutibus, ob quas Poſteris celebrari meretur, Affectus reſpondebat: alios, non ſe ipſum gubernare cupidus. Ideo NANKERI etiam Opera, ſingularem Pietatem præ ſe ferentia, in quibus magnum Eccleſia Romana

mana Monumentum ponit, commendantes, Acta cum Johanne pauciores probant, plures improbant. Cui Sententiæ faciunt Fidem inter alios, Joannes Dlugoſſus in Hiſtoria Polonica, Lib. IX. ad Annum 1341. & in Epiſcoporum Vratislavienſium Vitis MStis. Num. XXVI. Matthias Michovius in Poloniæ Chronico. Lib. IV. Cap. XXII. & XXIII. Abrahamus Bzovius in Eccleſiaſticis Annalibus ad Annum 1341. Num. VII. Henricus Spondanus in Eccleſiaſticis Annalibus ad Annum 1337. Num. IV. Odoricus Raynaldus in Eccleſiaſticis Annalibus ad Annum 1344. Num. LXV. Simon Starovolſcius in Cracovienſium Antiſtitum Vitis, Num. XXV. Georgius Crugerius in ſacris Pulveribus, ad Aprilis X. Diem. Bohuslaus Balbinus in Arneſti Pragenſium Archiepiſcopi Vita, Cap. II. & in Miſcellaneis Bohemicis Decade I. Lib. IV. Parte II. Titulo XXXI. Gothofredus Ferdinandus Buckiſius in Prolegomenis ad Hiſtoriam Sileſiorum Eccleſiaſticam, Cap. III. §. VIII. & IX. Autores Famæ Poſthumæ Vratislavienſium Epiſcoporum, Num. XXVI. Nicolaus Henelius in Sileſiographia Renovata, Cap. VIII. §. XXXVI.

MORS.

XXV. Exterius Fama per Contemtum ſiniſtrâ, interius vanâ ſine Viribus Irâ vehementer afflictus NANKERUS, Languore tandem fatali corripiebatur: quem Veneno ad Johannis Mandatum, per Fraudem hauſto Amatores Epiſcopi, Regis Oſores, adſcribebant. Morbo ſuperatus, in Urbe Niſſa, Die X. Aprilis, Anno M. CCC. XXXXI. exſpirabat. Vratislavia Corpus Epiſcopi ſui, cum quo in Gratiam non redierat, cuſtodiendum recipiebat in S. Johannis Cathedrali Templo: ubi rudem minime rudis Epiſcopus hanc Inſcriptionem nactus eſt ſepulcralem:

Præſul NANKERUS electus Cracovienſis
Occidit hic verus, translatus Wratslavienſis.
Mille trecentenis Annis primo quadragenis,
In Feſto Paſcæ. Deus hunc ſuper Æthere paſce.
M. CCC. XXXXI.

XXVI. Ob Epiſcopi ſui ad Mortem implacabilis Animam ſolicitas Plebis Animas in Solatium docebat Fœmina, ſibi Cantilenas perceptas, quibus Angelorum Cohors, traducens NANKERI Animam, in

in Cœlo triumphaverit. Id vero erat, ut credulis Gaudium, ita cæteris Commentum.

SCRIPTA.

XXVII. NANKERI geminas reperimus *Eccleſiaſticas Conſtitutiones:* quarum priores Cracovienſis Epiſcopus, incertum, quo Tempore: poſteriores Epiſcopus Vratislavienſis Anno M. CCC. XXXI. condidit. Priores in Cracovienſium Archivis MStas ſupereſſe Fama perhibet: poſteriores Martinus, Epiſcopus Vratislavienſis, in Eccleſiæ Vratislavienſis Statutis Synodalibus antiquis edidit Vratislaviæ, Anno 1585. in 4.

CAPUT XVI.

Ad Annum M. CCC. XXXXI. Diem XXVIII. Septembris.

JOANNES SCHVVENCKFELDIUS,

Eques Svidnicenſis.

VITA.

I.

INtra Svidnicenſem Ducatum, Equeſtri Stemmate progenitus, ingenuis Studiis Animum, ſacris Operibus Vitam Juvenis deſtinabat. Ordinis Prædicatorii Monachus, Theologiæ Magiſter, ob Scientiam Prudentiamque ſingularem, raro in Patria Muneri, quod Eccleſiaſticus Sileſiæ Status eo Sæculo requirebat, præficiebatur.

II. Tum in Germania Proceres diſſidebant, poſt electum ab aliis Ludovicum Bavarum, ab aliis Fridericum Auſtriacum Imperatorem. Johannes XXII, Pontifex Romanus, Initio neutrum, deinde Fridericum Auguſtis adſcribebat. Hujus Victor Ludovicus in Italia Gibellinos contra Gvelphos, id eſt, Cæſareanos contra Pontificios, incitabat: ideo Anathema Pontificium reportabat. Quo irritatus Ludovicus, non Imperatorem Romanum Romano Pontifici, ſed Pontificem Romanum Romano Imperatori ſubeſſe perſvaſus, Johanne XXII depulſo, Nicolaum V. conſtituebat Pontificem. Eo turbatiſſimo Eccleſiæ Romanæ Statu, Imperatores, Reges, aliosque Politicum Regimen gerentes, Poteſtati Eccleſiaſticæ nulli, ne Pontificiæ quidem Romanæ ſubditum eſſe, Scriptis publicis docebant: præter alios, Marſilius Menandrinus Pa-

tavinus, Conſiliarius Bavaricus: Guilielmus Occamus, Anglus, Monachus Franciſcanus, Profeſſor Pariſienſis: Michael Cæſenas, Ordinis Minorum Magiſter Generalis: quorum Opera per Simonem Schardium & Melchiorem Goldaſtum, inter hujus Generis alios Autores edita reperiuntur.

III. Eadem Ætate nonnulli Romanam Eccleſiam Meretricem Babylonicam, & Romanum Pontificem Antichriſtum eſſe profitebantur. Horum Doctor fuerat Petrus Joannes Olivus, Patriâ Sirignanus, Nationè Gallus, Ordinis Minorum Monachus, Libris potiſſimum S. Johannis Apocalypſin explicantibus, per Germaniam celebris: Anno 1297. mortuus. De quo agunt, Lucas Waddingus in Ordinis Minorum Annalibus Tomo II. ad Annum 1278. & 1297. Abrahamus Bzovius in Eccleſiaſticis Annalibus ad Annum 1325. Num. IX. Henricus Spondanus in Eccleſiaſticis Annalibus ad Annum 1278. Num. XX: ad Annum 1297. Num. VII: ad Annum 1325. Num. VI.

IV. Sub idem Tempus ex Gallia in Germaniam novus Monialium Beguinarum Ordo pervenerat. Is Sententias potiſſimum circa Humanam Animam, & Presbyteros Deifices, Romanis Pontificibus inviſas, Hæreſibus annumeratas, propagabat. De quibus agunt, Thomas Cantipranus (Anno 1270 ſuperſtes) in Bono univerſali de Apibus, Lib. II. Cap. XXIX §. XL. Cap. XXXVIII. §. II. Cap. LI. §. XII. Conradus Montanus Puellaris in Libello contra Begehardos & Beginas, quem Jacobus Gretſerus in Scriptoribus contra Waldenſium Sectam edidit. Johannes XXII. Pontifex Romanus, in Extravagantibus Tit. VII. Capitulo unico, de Religioſis Domibus. Speciatim Petrus Coëns in Hiſtorica Diſquiſitione, quam de Origine Beghinarum, & Beghinagiorum ſcripſit.

V. Vtraque diſſentientium ab Eccleſiæ Romanæ Sacris, cum Olivorum, tum Beguinarum Religio reperiebatur circa Sæculi XIV Medium, in Sileſia penes nonnullos, maximè Vratislavienſes. Tum enim Sileſii, ſub Johanne Bohemorum Rege, cui ſe nuper, à Polonis recedentes ſubjecerant, cum in eum NANKERUS Epiſcopus (de quo diximus in præcedentibus) Anathema dixiſſet, ejectusque cum Aſſeclis ſuis omnem Poteſtatem amiſiſſet, ad cœterorum Germanorum Exemplum, Libertatem arripiebant, in dubium vocandi Res Eccleſiaſticas, Clericis hactenus per Obſequium creditas. Id Abrahamus Bzovius, in Cracovienſium S. Trinitatis Cœnobio MStum de Johannis noſtri Rebus Librum ſecutus,

ſecutus, refert in Annalibus Eccleſiaſticis, ad Annum 1341. Num. VIII. *Rege Joanne, ad eum, quem diximus, Modum in Epiſcopum NANKERUM & reliquos Eccleſiaſticos debacchante, perſvaſerat è proxima Bohemia, Petri Joannis Piranenſis (qui poſtea ex Sententia Clementis VI. Pontificis Maximi, exhumatus, & Flammis exuſtus fuerat) WRATISLAVIAM impius Error, infandaque Hæreſis contra Eccleſiam Catholicam ejusque ſacros Hierarchas. Namque, convente Rege, prater alias Blaſphemias, in Compitis & Circo, profani Homines Suggeſtibus excitatis, Babylonis magnæque Meretricis Nomine, intelligendam eſſe Catholicam Romanamque Eccleſiam contendentes, illam etiam Eccleſiam carnalem, Beſtiam, & Satanæ Synagogam: ſummum vero Pontificem Antichriſtum vocabant.*

VI. Revocandis proinde Sileſiis ſub Romani Pontificis Obſequium Benedictus XII. præficiebat Hæreticæ Pravitatis Inquiſitorem Johannem SCHWENCKFELDIUM. Is præcipuè Vratislavienſibus, Regem ſuum imitantibus, Anathema, quod NANKERUS Epiſcopus in eos etiam dixerat, Romanusque Pontifex approbaverat, nihil facientibus, Monitor ſedulus, Hortatorque gravis erat, ne Pontifici Romano repugnare perſeverarent.

VII. Peculiariter ſtimulatus à NANKERO, cum quo Niſſæ Conſilium inierat, ut uno Labore ſuam Pontificisque Romani Cauſam expediret, Vratislavienſes omnes ad Concionem à ſe pomeridianis Horis de Materia ſingulari habendam invitabat. Ingens adveniebat Civium Numerus: quibus, Rem ante cognitam, Pacem cum NANKERO, cum Romano Pontifice colendam, exquiſitis Argumentis commendabat. Callidò ad aſſequendum denique Scopum Inventô, Culpam Obſequii denegati præcipuam imputabat Senatoribus, non Civibus: inter ſe pauciſſimos plurimosque commiſſurus: Spe facilem reportandi à diſcordibus Victoriam.

VIII. At Exſpectationi Succeſſus non reſpondebat: Cives nihil contra Senatores audebant. Hinc SCHWENCKFELDIUS ipſe Judicem in Senatores acturus, ex iis ad ſe vocabat in Hoſpitium nonnullos, qui cœterorum Perſonas ſuſtinerent: ad interrogata reſponderent: in cognitis & judicatis acquieſcerent. Nihil tale facturos Senatores, in Curia conſociatos, adit SCHWENCKFELDIUS: non Epiſcopo NANKERO ſatisfacturos, declarat Hæreticos: quos repe-

tito Anathemate Romanus Pontifex sit ê Christianorum depulsurus Consortio. Sed ne sic quidem movebat constantissimos: satis certos, Inferioris Juri deesse Valorem, quod Juri Superioris est contrarium: imperata non tam ad se, quam ad Regem Johannem, cujus ad Mentem cuncta fecerint, pertinere videntes.

IX. Rex, in cujus Notitiam pervenerant, Acta legitimo Judicio subjecturus, accusatum, sed non convictum, Senatum Populumque Vratislaviensem, quem insontem sciebat, ab Hæresis Nota vindicaturus: Pragam evocabat, præter SCHWENCKFELDIUM, ê Canonicis Henricum Præpositum, & Apetzconem Scholasticum: ex Vratislaviensibus Provincialem Capitaneum, Conradum Falckenhanium & quosdam Senatores. Omnibus Pragam ingressis, Rex auditurus proponenda Litigii Momenta, Judicium differebat in proximum Tempus.

MORS.

X. SCHWENCKFELDIUS apud Pragenses, ob Silentium & Quietem, remotius ab Hominum Frequentia Monasterium S. Clementis elegerat suis Meditationibus in Habitaculum. Ibi altero Die Simulator Latro Peccata confessurus, Veniam impetraturus, SCHWENCKFELDIUM perturbat, Libris ob habendam Concionem sacris addictum. Tempore, quod sit opportunum, redire jussus: *Sic*, ait, *Mole Criminum oneror, ut Mora longior Animam in Desperationem præcipitatura sit. Pastoris est Culpa, qui Deum Vindicem non veritus, perituram Ovem non servare cupit, cum potest.* Excitatus his SCHWENCKFELDIUS in Locum secretum abit, Officio suo defuncturus. Mox cum ille consedisset, occurrit ê Latebris alius, Homicidii perpetrandi Socius. Tum inermem strictis Gladiis excipiunt, tribusque Vulneribus conficiunt: statimque Fuga sibi consulunt.

XI. Patefacta Cædes in Suspicionem Vratislaviensis trahebat, pridie liberius contra SCHWENCKFELDIUM disertos. Ideo Rex non prius eos dimittebat, quam Juramento præstito, se tanti Facinoris nec Autores, neque conscios. Elapsis propemodum Mensibus sex, Lignicii capiebantur, qui Tormentis subjecti, hoc etiam inter alia Scelus, quô SCHWENCKFELDIUS interierit, à se patratum confitebantur. Addebant: eum ideo Dux Lignicensis Otmuchoviam eos ad PRECISLAUM, Nanckeri Successorem, Episcopum Vratislaviensem,

viensem, transmisisset, a Senatoribus quibusdam Vratislaviensibus, quorum Nomina proferebant, incitatos fuisse Nummis, ut quocunque Modo perderent SCHWENCKFELDIUM. Id Testes infames, num ex vero dixerint, an vel in Vratislaviensium Odium, vel in Pœnarum Levamentum finxerint, non habemus exploratum.

XII. Has rerum commemoratarum Circumstantias, quas ex optimis Antiquitatibus MStis protulimus, nonnulli pervertunt. SCHWENCKFELDIUM a Civibus Vratislaviensibus tumultuantibus ex S. Adalberti Monasterio extractum crudeliter in Via publica peremtum esse, Bohuslaus Balbinus in Miscellaneis Bohemicis, Decade I. Libro IV. §. LVII. ex Abrahami Bzovii Propagine S. Hyacinthi, narrat. *Wratislavienses*, ait, *per Populi Tumultum, Monasterii, in quo B. Joannes* (Schwenckfeldius) *degebat, ad S. Adalbertum Portas effringunt, B. Joanni Manus injiciunt, per Civitatis Vicos & Plateas prostratum trahunt, tandem multis Ictibus confossum, Cerebro eliso occidunt immaniter.* Quæ, cum propemodum quot Verba, tot Mendacia contineant, ibidem Balbinus ipse pro suspectis habet, num probet, an reprobet, dubius.

XIII. Certe Vratislaviensis SCHWENCKFELDIUM in Urbe commorantem, ne læserunt quidem, adeo non trucidaverunt. Ideoque Bzovius Narrationem, quam Anno 1606 in Hyacinthi Propaginem transtulerat, Veritati non respondere convictus, in Ecclesiasticis Annalibus Anno 1618 editis, ad Annum 1341 Num. VIII. mutatam refert. *His* [Pontificiam Potestatem contemnentibus Vratislaviensibus] inquit, *cum se JOANNES Inquisitor, pro suo Munere juxta & Zelo opposuisset, & una Festivitatum, in conferta Populi Multitudine, in Platea publica, malignantium Dolos retexisset, Malitiamque suffudisset Adversariorum, ac proinde Apologia pro sacris Rebus & sacratis Viris dicta, eo Rem adduxisset, ut pro conciliando Rege, & pro Sacris Urbi restituendis, proque toto Negotio conficiendo, Pragam a Clero, Senatu Populoque Vratislaviensi meliore mitteretur: Pragam veniens, in Conspectum ac Colloquium Regis adductus, Mensaque Regia semel dignatus, ubi Spem totius Controversiæ ex Sententia Animi componendæ fecisset, Mortem violentam subivit.*

XIV. Ultimis Bzovius, quibus SCHWENCKFELDIUM Pragæ, non Vratislaviæ sublatum, rectissime tradit, subjungit, de quo tamen, ut indicavimus, dubitari potest: SCHWENCKFELDIUM per

Sicarios, a quibusdam Senatoribus Vratislaviensibus subornatos, Pragæ violentam Mortem passum. *Duo*, inquit, *Sicarii, ab Hæresi infectis quibusdam Senatoribus VVratislaviensibus Pretio conducti, Mane post Convivium Regale: ad S. Clementis, ubi tunc JOANNES Inquisitor diversabatur, venientes, per Speciem secretioris Confessionis faciendæ, JOANNEM ex Cubiculo ad Claustrum evocarunt, seductumque in Partem, Gladiis & Pugionibus, primo Ictu in Mamillam sinistriorem, altero in Scapulam, reliquis in reliquas Partes Corporis datis, confoderunt.*

XV. Cœterum Anno M. CCC. XLI. Die XXVIII Septembris SCHWENCKFELDIUM Pragæ trucidatum indicat vetus Inscriptio Suidnicensium in S. Crucis Templo, ad Schwenckfeldii nostri Effigiem:

Beatus JOHANNES de SWENKINFELT, Magister in Theologia, de Conventu Suidnicensi, per WARTISLAVIENSEM & LUBICENSEM (Lubusensem) *Diœcesin Inquisitor, Processum fecit egregium contra Capputiatas Moniales, quæ Sectam struebant BECKHUARDARUM. Hic Tempore NANCER. Episcopi Wratislaviensis, propter Expulsionem Cleri de VVRATISLAVIA, & Dissensionem inter Regem & Episcopum sedandam, Pragam abiit: ubi propter Officium, quod gerebat, Martyrio coronatus est, Anno Domini M. CCC. XXXXI. In Vigilia Michaelis.*

CAPUT XVII.

Ad Annum M. CCC. LXXIII. Diem I. Aprilis.

JOANNES SCHADLANDIUS, Bregensis.

VITA.

I.

DE JOANNIS nostri neque Cognomento, neque Patria consentiunt Scriptores. Reperitur enim dictus aliis SCHADENLANDUS, aliis SCANDELANDUS, aliis SCHADEBANDUS. Ubi natus

natus sit, Albertus Krantzius sibi non esse cognitum fatetur, in Metropoli, Lib. VIII. Cap. XII. FRISLANDUM credunt, Henricus Pantaleo in Prosopographia, Parte II. ad Annum 1370. Achilles Gasserus in Augustanis Annalibus, Episcopo LI. Henricus Buntingius in Brunsvicensi Chronico, Hildesheimensi Episcopo XXVII. Quibus Caspar Bruschius, cum in Hildesheimensibus Episcopis Num. XXXVII. Joannem nostrum e COLONIA scribit ortum, contrarius est: quoniam Frisia non habet Coloniam.

II. At hos decepit veterum Codicum Scriptura deterior, ut ex SCHADLANDO facerent FRISLANDUM: & e COLONIA censerent ortum, qui provenerat e POLONIA, id est, e SILESIA: quam sub iisdem Ducibus olim Poloniæ connexam, priscis Autoribus Poloniam dici constat. Hinc vera pervertens in falsa mutavit Hippolytus Maraccius, Italus, cum Joannem nostrum Cognomento BREGENSEM, Patria SILESIUM, Natione POLONUM in Bibliotheca Mariana censet, quam Romæ publicavit Anno 1648.

III. Ingenio capacissimo, primis in Patria Studiis excultus, Philosophiam in potioribus Scholis tractabat. Theologiæ Doctor in Coloniensium ad Rhenum Academia creabatur, ibi Monachorum Prædicatorum ingressus Ordinem. Romani Pontificis Legatus Causas multas feliciter agebat: maxime Johannis Wiclefi, Angli, Doctrinam Romanis Sacris contrariam, in Germaniæ Provinciis passim approbatam, & Scriptis & Factis oppugnando, severus Hæreticorum Inquisitor. Inde non difficulter, in Præmium, diversis præficiebatur Episcopatibus.

IV. Primum in Borussia, inter Culmenses Episcopos, Jacobo, quem Annus 1359 e Vita migrare jusserat, succedebat. Cujus Mentionem faciunt, Caspar Schultzius in Rerum Prussicarum Historia, Culmensium Episcoporum Indice, Num. X. Christophorus Hartknochius in veteri & nova Prussia, Parte II. Cap. V. Num. IX. & in Prussorum Historia Ecclesiastica Lib. I. Cap. III. & in Dissertatione XIV in Prussorum Rebus §. XI. Pro *Culmensi* vocat *Tulinensem* Episcopum Leander Albertus, Italus, de Prædicatoribus Lib. III. Quem Errorem non animadvertit Abrahamus Bzovius, Polonus, in Ecclesiasticis Annalibus ad Annum 1402, (quo Vitam Schadlandius non extendit) Num. XX.

V. Deinceps in Brunsvicensium Ducatu, inter Hildesheimenses Episcopos, post Henricum III. Anno 1362 exstinctum, occupabat Sedem:

Eru-

Eruditione ſingulari promeritus. De qua, Loco dicto, Albertus Krantzius: *Hildesheimenſi deinde Eccleſiæ præfuit per ea Tempora inſignis Vir, undecunque natus, JOANNES. Nam niſi aut inſigniter doctus, aut nobiliter natus, ad illum Epiſcopatum pervenire non potuit. Præfuit autem ſolis Annis quatuor.*

VI. Hildesheimium ingreſſus, ſemper Literis addictiſſimus, ſtatim de Libris ſolicitus erat, Bibliothecam Epiſcopalem perluſtraturus. A Comitibus in Armamentarium, Inſtrumentis bellicis repletum, traductus percipiebat: *Hos Epiſcoporum Hildesheimenſium eſſe Codices, quibus ipſum oporteat deditum eſſe, contra Vicinos, Epiſcopalia Bona direpturos.* Proximi enim duo Epiſcopi, a diſſentientibus & electi, & defenſi, Bellum per XIV Annos geſſerant. Præterea diſſidentes inter ſe Duces Brunſvicenſes Hildesheimenſibus non indulgebant Securitatem.

VII. Proinde, quo appetentior Qvietis', eo impatientior Perturbationis, non diu Hildesheimii ſubſiſtebat. Romam digreſſus, omne Studiis Tempus impendebat. Ibi tranquille transactis aliquot Annis, a Pontifice Romano, tum adhuc intra Galliam, apud Avenionenſes hærente, commodiorem Lucubrationibus ſuis Locum expetebat. Talem putabat futurum, quem Anno 1368. impetrabat, Epiſcopatum ſimul & Auguſtanum, & Wormatienſem.

VIII. Auguſtam Anno 1369 pervenerat, cum præter Opinionem, jam inter Initia ſentiret Difficultates. Libertatem propugnando Eccleſiaſticam, irritabat civilem Poteſtatem: durabilemque ſuggerebat mutuis Odiis Materiam, Senatoribus & Civibus diſplicens, ipſis denique Canonicis & Monachis exoſus reddebatur. Gregorius XI. Pontifex Romanus imponebat extraordinarium Tributum: quod Archiepiſcopi, Moguntinus, Trevirenſis & Colonienſis recuſabant. Ipſe, non eorum ſecutus Exemplum, quia decernebat ſolvendum, amittebat priorem Aſſeclarum ſuorum Gratiam.

IX. Obtenturus igitur placidiorem Vitam, Rebus pretioſis tacite congeſtis aſſumtisque, Wormatiam Anno 1372 migrabat. Ibi Auguſtano depoſito, Wormatienſi retento Epiſcopatu, reſiduum Ævi Tempus breve conſumebat.

MORS.

X. Calendis Aprilis, Anno 1373 Wormatiæ mortuus, Confluentiæ ſepeliebatur in Prædicatorum Ordinis Monaſterio, ad dexteram Tem-

Templi Aram: ubi nactus eſt hoc Epitaphium: *Hic jacet Dominus JOANNES SCHADLAND de COLONIA* (legendum, POLONIA, id eſt, Sileſia) *Magiſter Theologiæ, Inquiſitor Hæreticorum, Epiſcopus Eccleſiarum, Culmenſis, Hildesheymenſis, Wormatienſis & Auguſtenſis: Ordinis Prædicatorum: qui obiit Anno Domini M. CCC. LXXIII.*

SCRIPTA.

XI. SCHADLANDIUM Opera ſcripta Poſteris reliquiſſe tradunt, Leander Albertus de illuſtribus Prædicatorum Ordinis Viris. Lib. III. & Caſpar Bruſchius in Epiſcopis Wormatienſibus.

XII. Inter illa primum eſt, *de S. Trinitate Volumen.* Secundum eſt, quod *in Sanctorum Honorem Sermones* comprehendit. Tertium eſt, quod in *Beatæ Virginis Mariæ præcipua Feſta Conciones* complectitur. Horum meminerunt, Antonius Poſſevinus in Apparatu Sacro, Parte II. & Hippolytus Maraccius in Bibliotheca Mariana, Parte I.

CAPUT XVIII.

Ad Annum M. CCC. LXXVI. Diem VI. Aprilis.

PRECISLAUS POGARELLA,

Eques Monſterbergenſis.

VITA.

I.

TAm Prænomine, quam Cognomine, diverſum in Modum formato, nuncupatus invenitur. Dicitur enim aliis *Prædislaus*, aliis *Prætislaus*, aliis *Preceslaus*, aliis *Pretislaus*: iisque diſſimiliter vel *Pogrella*, vel *Pogrellus*, vel *Pogorelecius*, vel *Pogorolecius*, vel *Pohorzelecius.*

II. Familiâ Crimalium ſtatuit Martinus Cromerus, de Polonorum Rebus Lib. XII. ad Annum 1341. Quem Abrahamus Bzovius ſequitur in Eccleſiaſticis Annalibus ad Annum 1341. Num. VII. At errant, Gentem alienam POGARELLÆ noſtro adſcribentes: quem Sileſiorum nobili

bili POGARELLARUM Genere, plus quam tribus ab hinc Sæculis claro, natum fuiſſe, Monumenta vetuſta confirmant.

III. Patrem nactus erat Habersdorfii Poſſeſſorem, in Monſterbergenſium Ducatu, intra Diœceſin Francoſteinenſem, Die V. Maji editus in Lucem. Literas in Patria cultas, in Italia conſpectioribus Incrementis perficiebat: etſi jam virilem ingreſſus Ætatem: in Bononienſium Academia Studiis adhuc deditus, quamvis Canonicus Vratislavienſis.

IV. NANKERUS, Epiſcopus Vratislavienſis (de quo egimus Cap. XIII.) e vivis abierat Die X. Aprilis, Anno 1341. Tum Canonici Vratislavienſes Suffragiis concordibus POGARELLAM, Die Maji quinto, Natali ſuo, eligebant Epiſcopum. Erat eo Tempore, propter antiquam Sileſiæ cum Polonia Connexionem, Vratislavienſis Epiſcopatus adhuc Gnesnenſi Archiepiſcopatui ſubjectus. Quamobrem Caſimirus III. Polonorum Rex, Gnesnenſi Præſuli Conſecrationem prohibere nihil veritus, id omnibus Nervis agebat, ne POGARELLA Sileſius ſedem occuparet, quam Polono deſtinabat.

V. Johannes, Imperatoris Henrici VII. Lucenburgici Filius, Bohemorum Rex, hoc, intra Sileſiam, Provinciam ſuam, Submiſſione ſpontanea nuper acquiſitam, non ferendum eſſe ratus, per Filium Carolum IV. (deinceps Imperatorem) efficiebat, ut POGARELLA Romam profectus, a Benedicto XII. Pontifice Confirmationem Anno 1342, Die V. Maji, obtineret: magno Sileſiorum, inprimis Clericorum, majore Johannis Regis Commodo. Is enim novum intra Sileſiam Imperium ſuum corroboraturus, quod neque Polonis, Societatem diſſolutam conquerentibus, neque Sileſiis, amiſſam Libertatem ingemiſcentibus, arridebat, POGARELLAM, eruditum & prudentem Virum, cujus Autoritas utroque Titulo multum valebat, Conſiliis ſuis Adjutorem, ſingulari Charitate, cui Beneficentia Pondus maximum addebat, propenſiſſimum reddebat.

VI. Primum POGARELLÆ fuit Opus, inter Johannem Bohemorum Regem eique conſentientes Vratislavienſes, cum Vratislavienſibus Canonicis, ob Arcem Milicenſem, ſub NANKERO Epiſcopo ſuſcitatum eradicare Diſſidium. Id feliciter Niſſæ componebat, cum ibi Johannes per Filium Carolum IV. reſtitueret Epiſcopatui Vratislavienſi ereptum Milicenſe Caſtrum. In ampliorem POGARELLÆ Gratiam, Johannes Epiſcopo & Eccleſiæ Vratislavienſi, non tantum Bonorum

Bonorum omnium, ab Henrico I. II. III. IV. V. & VI. aliisque Sileſiorum Ducibus, acceptorum Poſſeſſionem ſtabiliebat: verum etiam, ut Defenſor, contra omnes Adverſarios Reges, Duces, Comites, Barones, Auxilium promittebat. Id docent etiamnum exſtantes Epiſtolæ duæ: quarum priorem Pariſiis Anno 1342, Die IV. Octobris: poſteriorem Vratislaviæ, Anno 1345, Die XIII. Auguſti, maxime propitium in Modum, Johannes ſcripſit.

VII. Boleslaus III. Lignicenſium & Bregenſium Dux obæratus, Anno 1341, Diœceſin Grotkovienſem, in Bregenſi Ducatu ſitam, Epiſcopo Vratislavienſi vendebat. Huic Emtioni facilis Johannes Bohemorum Rex ſubſcribebat: cum POGARELLA Grotkovienſem Provinciam, Johannis Feudum, ſe Johannis Vaſallum, Juramento in Fidei & Obedientiæ Firmamentum, profiteretur: itaque Johannis Potentiam in Sileſia proveheret. Videantur, quæ proferemus §. XI.

VIII. Johannes Anno 1346, in Prælio adverſus Anglos pro Gallis perierat. Filius Carolus IV. Die V. Septembris, Anno 1347, coronatus Bohemorum Rex, Vratislaviam Anno 1348, Die V. Novembris, tanquam ſupremus Sileſiæ Dux, intrabat. Eum, in Cathedrali Templo Sacris vacaturum, ad Inſulæ Johannææ Pontem obvius POGARELLA cum Canonicis Oratione Latina excipiebat.

IX. Carolus IV. poſt Ludovicum Bavarum mortuum, Anno 1350 Imperator creatus, POGARELLAM, cujus Dotes ſatis perſpexerat, celſius evehebat. Hic enim, ab illo in Aulam Regiam Pragenſem receptus, poſthæc agebat Imperii Romani Cancellarium, Gerlaci, Principis Electoris, Archiepiſcopi Moguntini, per Germaniam Archi-Cancellarii, Vicarium. Id e Literis publicis patet: (I.) Anno 1382, Die XII. Maji, Pragæ ſcriptis, Archiepiſcopo Pragenſium in temporalibus Poteſtatem conferentibus: quas Bohuslaus Balbinus in Miſcellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. VI. Parte I. Num. XXXIX, edidit: *Datum Pragæ, per Manus venerabilis Preczlai, Wratislavienſis Epiſcopi, Aulæ Regiæ noſtræ CANCELLARII, Vice Venerabilis Gerlaci, Moguntini Archiepiſcopi, Sacri Imperii per Germaniam ARCHICANCELLARII. Anno M. CCC. LII. Indictione V. Quarto Idus Maji.* (II.) Anno 1355, Die 6. Octobris, Pragæ ſcriptis, nova Bohemorum Statuta irrita facientibus: quas idem Balbinus in iisdem Miſcellaneis Decade I. Lib. VIII. Volumine I. Parte I. Num. XLVI. refert: *Teſtes hujus Rei ſunt, illu-*

illuſtris Rudolphus Senior, Saxoniæ Dux, Sacri Imperii Archimarſchalcus: venerabilis PREZLAUS Wratislavienſis, Aulæ noſtræ Cancellarius.

(III) Anno 1355, Die 9 Octobris, Pragæ ſcriptis, Sileſiam & Luſatiam Provincias indiviſibiliter Bohemiæ conjunctas declarantibus: quas Melchior Goldaſtus Imperialium Conſtitutionum Tomo I. & Commentariorum Bohemicorum Appendici, conjunxit: Bohuslaus Balbinus dicto Lib. VIII. Vol. I. Parte I. Num. XLIX legendas exhibet: *Teſtes hujus ſunt, venerabilis Erneſtus Pragenſis Archiepiſcopus: illuſtris Rudolphus Senior, Dux Saxoniæ, Sacri Imperii Archimarſchallus, Avunculus noſter, ac venerabilis PRETZLAUS, Vratislavienſis, CANCELLARIUS Aulæ noſtræ.*

X. Id Cancellarii Munus POGARELLA primus è Sileſiis adminiſtravit, omnino laudabiliter. De quò Nicolaus Henelius in Sileſia Togata MSta Lib. I. Cap. III: *In quo* (Munere) *PRECISLAUS fidam Cæſari navavit Operam, multasque ac graves Reipublicæ Partes ſibi mandatas, magna cum Prudentiæ & Integritatis Laude ſuſtinuit.*

XI. Nec in eò Dignitatis Gradu POGARELLA ſubſtitit. Nam ab eodem Imperatore Carolo IV, Bohemorum Rege, cum ei tanquam Vaſallus, ob Territorii Grotkovienſis Poſſeſſionem, Homagium præſtitiſſet, SILESIÆ PRINCEPS Ligius, hoc eſt, Feudi Jure ſubjectus, declarabatur: imo, quoniam Eccleſiaſtico jam tum Politicus Status poſtponebatur, cœteris Sileſiæ Principibus præponebatur. Id nos ipſius Caroli Epiſtola docet, quam Die XIII. Decembris, Anno 1355, Vratislaviæ ſcripſit: Unde, cum nondum, quod ſciamus, edita ſit, in tanti Beneficii, quo Vratislavienſis Epiſcopus gaudet, Notitiam certiorem paulo plura proferemus. *Cum*, ibi Carolus inquit, *bonæ Recordationis, illuſtris BOLESLAUS, quondam Dux Sleziæ & Dominus Bregenſis, dum viveret, Oppidum GROTKOW cum Terra, Diſtrictu, Munitionibus, & omnibus & ſingulis Granitiis, Metis, Circumferentiis, Juribus & Pertinentiis ſuis, quod, quos, & quæ à claræ Memoriæ Illuſtri quondam JOHANNE Boemiæ Rege, Genitore noſtro cariſſimo tenebat in Feudum, Animo deliberato, ſano etiam Fidelium ſuorum accedente Conſilio, venerabili PREZLAO Wratislavienſi Epiſcopo, PRINCIPI & CANCELLARIO, nec non Capitulo ejusdem Eccleſiæ, devotis noſtris, ritè vendiderit: & ipſi, & Wratislavienſis Eccleſia prædicta, in Poſſeſſione dicti Oppidi & Pertinentium ipſius fuerint, multo jam Tempore retro acto, ac idem Oppidum & ejus*

& ejus Pertinentias à præfato Genitore noſtro, tanquam Rege Boemiæ & ſuperiore Feudi Domino, in Feudum & juſto ac legitimo Titulo Feudi, Jure, More ac Conſuetudine Feudi acceperint: ſibique, tanquam Regi Boemiæ præſtiterint Homagii, Obedientiæ & Fidelitatis Juramentum: & demum noſtris Temporibus, poſt felicem Coronationem noſtram, ad Regnum Boemiæ, præfati Epiſcopus & Capitulum Wratislavienſis Eccleſiæ, Animo deliberato, non per Errorem aut improvidè, ſed omnium communi accedente Voto pariter & Conſenſu ipſis ob hoc pluries perſonaliter in Capitulum convocatis, præfatum Oppidum GROTKOW cum Terra, Diſtrictu, Munitionibus, & omnibus, & ſingulis Juribus & Pertinentiis ſuis, ſuo & Eccleſiæ Wratislavienſis Nomine, à Nobis, tanquam ipſorum Patrono & Domino, nec non Rege Bohemiæ, & ejusdem Regni & Coronæ Hærede legitimo, & prædicti Feudi Domino, in Feudum, ac veri & juſti Feudi Titulo ſuſceperint, Nobisque & Coronæ Regni Boemiæ præſtiterint, prout veri Vaſalli, vero, ordinario, legitimo & juſto Feudi Domino, Jure tenentur obedire, Subjectionis, Homagii & Fidelitatis debitum & ſolitum Juramentum: ac etiam promiſerint, Virtute & Vigore ejusdem Juramenti, per eos ſolenniter & legitime præſtiti, pro ſe & Succeſſoribus ſuis, & Eccleſia Wratislavienſi, in perpetuum nobis, tanquam Boemiæ Regi, Hæredibus & Succeſſoribus noſtris Boemiæ Regibus, & ejusdem Regni Coronæ, tanquam veris, ordinariis, naturalibus, hæreditariis & legitimis Dominis ſuis, Occaſione dictorum, Oppidi, Terræ, Diſtrictus & Dominii GROTKOVIENSIS & Pertinentiarum ipſius, tanquam veri & legitimi Vaſalli, parere, obedire, & intendere in omnibus ſimpliciter, ad quæ Vaſalli Dominis ſuis hæreditariis, ſuperioribus & legitimis obligari noſcuntur de Conſuetudine, vel de Jure: ac etiam promiſerint, Virtute & Vigore Juramenti præfati, pro ſe & Succeſſoribus ſuis, Nobis & Regibus Boemiæ, qui pro Tempore fuerint, Dominis & Patronis eorum, quod, quotiescunque Regem Boemiæ, Dominum & Patronum ipſorum mori contiget, quod tunc Epiſcopus Wratislavienſis, qui pro Tempore fuerit, una cum melioribus Prælatis, Eccleſiæ Nomine, & Vice ſui & Capituli, ad Coronationem futuri Regis debebunt accedere, & ibidem coronato Rege, ſtatim ab ipſo Oppidum præfatum, Terras, Diſtrictum & Pertinentias in Feudum ſuſcipere, & Tempore Suſceptionis, hujusmodi innovare Juramentum expreſſatum ſuperius. Ac ipſe EPISCOPUS, qui pro Tempore fuerit, velut alii PRINCIPES LIGII: Capitulum vero, velut Vaſalli Regni

& Coronæ Boemiæ, omnia facient, quæ juxta Privilegia & Consuetudines Regni & Coronæ Boemiæ facere tenebuntur.

XII. Ita simul & Episcopus, & Princeps, & Cancellarius, incertum, Honoribus an Opibus auctior, Episcopatum Vratislaviensem Accessionibus & magnis, & multis, etiam postea splendidum beatumque reddidit. Huic enim, præter Grotkovienſem Provinciam, pro Principatu habitam, non modo Wansenam, ad Fluvium Olaviam Oppidum, eoque spectantes Villas, à Nicolao Monsterbergensium Duce consecutus: sed etiam præcelsum Castrum Javernicium, quod S. Johannis Mons hodie dicitur, eique conjunctum Oppidum, à Boleslao Svidnicensium Duce nactus, ad Rem attentus Emtor, addebat. Silentio prætermus Pagos ab Equitibus obtentos, Fundos ad Utilitatem majorem dispositos, Operum Structuras sub meliorem Formam redactas. Inde provenientibus POGARELLÆ Divitiis respondebat, non tantum in Ornamenta, verum etiam in Beneficia Proclivitas.

XIII. Omnium, quæ Cogitationibus Æstimationem, Oculis Delectationem suscitare possunt, studiosissimus, Domum Mensamque suam, potissimum Aras Ædesque sacras, Argento, Auro, Margaritis, Gemmis, aliisque nitentium Rerum Copiis mirum in Modum condecorabat.

XIV. Vratislaviæ Cathedralem Basilicam Muris aptioribus, vermiculatis Operibus nitidam fecisse non contentus, ad eam quoque parvum Ædificium condidit, quod aliis B. Virginis Sacellum, aliis Chorus posterior appellatur: in quo Sacerdotum Mansionariorum instituit Collegium, Reditibus egregiis dotatum, Psalmis cantandis destinatum. Nissæ fuit Autor Societatis Pauperum XII. Laicorum: quibus, ut Victus quotidianus, annuus Amictus porrigeretur, in Proprietatem attribuit Munificentiæ suæ Scaturiginem.

XV. Præterea, si nonnullis credimus, GOTHOFREDUM, inter Silesiorum Episcopos primum, Smogrensem, Vratislaviensium Antesignanum, cujus tenuior Felicitas deinde multò plenior, tanquam ex Fonte suo Rivus, ad cæteros transierit, dignum censuit, qui Sanctis adscriberetur: eique propterea Diem, quo peculiariter honoraretur, selegit. Hoc Jacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. II. Cap. II. Num. XXVII. & Fridericus Lucæ in Silesiæ Memorabilibus, Parte II. Cap. I. Num. XXVII. commemorant: sed errant.

XVI. POGARELLA Diem Maji quintum, quem Vetustas GOTHARDO, Trajectensi Episcopo sacrum esse voluit, Natalem suum, quò Vratislaviensis Episcopus designatus erat, ideo Memoriâ geminâ prosequendum, Officio duplici quotannis colendum, annua Donorum Distributione solennem Posteritati fecit. De quò Joannes Dlugossus in Episcoporum Vratislaviensium Vitis MStis, Num. XXVII: *Electus* (Episcopus) *fuerat quinta Mensis Maji Die: in quâ illum ferunt natum fuisse, & Genitrici suæ revelatum exstitisse, ut Beatum GOTHARDUM Puer tunc ex ea natus in speciali haberet Cultu & Veneratione, multa Bona ejus Patrocinio conseruturus.* Ibidem post quædam: *GOTHARDUM etiam, Genitricis suæ Jussioni obediens, singulari colens Devotione, Festum ejus sub duplici* [Officio] *in Vratislaviensi Ecclesia agi, & tam Prælatis & Canonicis, quam Vicariis Spirituales Distributiones illo Die ordinavit & fundavit.*

XVII. Sublimiore Spiritu, moderatiore tamen Affectu, ob Eruditionem, Prudentiam, Liberalitatem simul & amabilis, & venerabilis, tam Exteris, quam suis erat. Pro Impendiorum ingentium Copia, relinquebat Thesaurum satis magnum, ex quò Gregorius XI. Pontifex Romanus triginta Nummorum aureorum millia in Ærarium suum transtulit: ex Reditibus Episcopalibus, donec Successor (in septimum Annum dilatus) eligeretur, sibi octo Millia per singulos Annos pactus. Cæterum POGARELLÆ nostri & Laboribus perpetuis, & Successibus prosperis, EPISCOPATUS VRATISLAVIENSIS opulentissimus, post illa Præconio Famæ publico AUREUS dici consuevit.

MORS.

XVIII. Episcopatui, quem florentissimum reddiderat, conservaverat, reliquerat, feliciter Annis XXXV, providentissimus omnium Director, præfuerat, cum Otmuchoviæ, quod amœnum Regionis Grotkovienſis Oppidum, in Oblectamentum frequentare solebat, affligeretur Febre: quâ superatus, Naturæ satisfaciebat.

XIX. Anno M.CCC.LXXVI, exstinctum esse, consentiunt, quos consuluimus, omnes: præter alios, Joachimus Curæus, Jacobus Schickfusius, Nicolaus Henelius, Gothofredus Ferdinandus Buckisius, Fridericus Lucæ. Discrepant autem de Die, quo decesserit, nonnulli. Tradunt enim mortuum Die XXV. Martii: Joannes Dlugossus in Vratislaviensium Episcoporum Vitis MStis, Num. XXVII. Georgius Crugerius

rius in ſacris Pulveribus ad Martii XXV. Diem. Die XXVII. Martii mortuum narrat Vratislavienſe Jeſuitarum Collegium in Epiſcoporum Fama poſthuma, Num. XXVII. At Die Aprilis VI. defunctum ex vero ſtatuunt, Nicolaus Polius in Hemerologio, & Johannes Henricus Cunradus in Sileſia Togata. Id enim Pogarellæ confirmatur Epitaphio.

XX. Solenniter Conditorio tradebatur, quod, ex Marmore candido, in Vratislavienſium Cathedrali Templo, Beatæ Virginis Capella, (quam Manſionariorum Sacellum Matthias Michovius Lib. IV. Rerum Polonicarum, Cap. XXXIII. nominat) Reliquiis ſuis exſtruxerat. Ibi reperitur hæc Inſcriptio: *Anno Domini M.CCC. LXXVI. VI. Die Menſis Aprilis, obiit Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus PRECESLAUS de POGRELLA, Epiſcopus hujus Eccleſiæ, & Fundator Capellæ. Orate pro eo Deum.* Quibus ibidem ſub Inſignibus additur: *PRECESLAUS de POGRELLA, Epiſcopus Wratislavienſis: Temporum ſuorum Felicitas.*

SCRIPTA.

XXI. POGARELLÆ noſtri, quas invenimus, partim editas, partim ineditas *Epiſtolas Latinas*, ſecundum Temporum Ordinem, quibus compoſitæ ſunt, recenſebimus.

XXII. Primam, Anno 1342, Vratislaviæ ſcriptam: *qua Sileſiorum Duces Epiſcopusque Vratislavienſis, Johannem Bohemorum Regem, pro ſuarum Terrarum, tanquam Feudorum, Domino & Patrono ſuo agnoſcunt:* edidit Pragæ, Anno 1688, Bohuslaus Balbinus in Miſcellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. VIII. Volumine I. Parte III. Num. VI.

XXIII. Secundam, Anno 1344, Die XXIII. Novembris Vratislaviæ ſcriptam; *qua ſe, tanquam Vaſallum, Terram Grotkovienſem, tanquam Feudum, a Bohemorum Rege coronato ſuſcepturum teſtatur:* ibidem edidit Bohuslaus Balbinus Num. XIV.

XXIV. Tertiam, Anno 1358, Die XXIV Julii Vratislaviæ concinnatam, *de Caſtris duobus ad Epiſcopatum Vratislavienſem pertinentibus, Fridbergenſi emto, & Milicenſi vendito:* in Membrana ſcriptam Bibliotheca Vratislavienſis Rehdigerana poſſidet.

XXV. Quartam, A. 1358, poſt S. Martini Feſtum, Vratislaviæ compoſitam: qua *de Bonis ad Menſam Epiſcopalem pertinentibus* agit: in Membrana ſcriptam Bibliotheca Vratislavienſis eadem poſſidet.

XXVI. Quintam, A. 1358. Die XXIX Novembris ſcriptam: *qua Grotkovienſem Sileſiæ Provinciam, a Johanne Bohemorum Rege, in Feudum Epiſcopatui Vratislavienſi conceſſam teſtatur:* edidit Bohuslaus Balbinus Loco dicto, Num. XIII.

XXVII. Sextam, Anno 1358, Die XXX. Novembris Vratislaviæ compoſitam: *qua ſpeciatim Ducatum, Civitatem Eccleſiamque Vratislavienſem Regi Bohemorum inſeparabiliter ſubjectam profitetur:* in Membrana ſcriptam Bibliotheca Vratislavienſis Rehdigeriana poſſidet. Neſcio quis D.R. Anno 1619, Poſonii edidit, LXX Rationibus Polonos a Bello dehortantibus, additam Num. XI. Bohuslaus Balbinus Loco dicto edidit Num. VII. In Germanicum Sermonem converſam Friedericus Lucæ tranſtulit in Sileſiæ Memorabilium Partem II, Cap. VI.

XXVIII. Septimam, Anno 1359, Vratislaviæ compoſitam: *qua, poſt Carolum IV. Bohemorum Regem, ſine Liberis maſculis mortuum, ejus Fratri Johanni, Moravorum Marchioni, tanquam Feudorum Eccleſiaſticorum Sileſiacorum Domino, ſubjectum ſe futurum, pro ſe, ſuisque Succeſſoribus, promittit:* in Membrana ſcriptam Bibliotheca Vratislavienſis Rehdigeriana poſſidet.

XXIX. Octavam, Anno 1367, Die 17. Auguſti, Vratislaviæ ſcriptam: *qua Regem Bohemicum Ducatui, Civitati Eccleſiæque Vratislavienſi legitimum Dominum eſſe profitetur:* Bohuslaus Balbinus in Miſcellaneis Bohemicis Dec. I. Lib. VIII. Vol. I. Parte. III. Num. VIII. edidit.

CAPUT XIX.

Ad Annum M. CCC. XCVIII. Diem XII. Decembris.

HENRICUS DUX Lignicenſis.

VITA.

I.

HEnricus, Sileſiæ Ducum Wenceslai Filius, Boleslai Nepos, Henrici Obeſi Pronepos, Dux Lignicenſis, pro Sæculi Genio, ne Fratribus Hæreditates faceret nimium tenues, Sacris devotus, Studiis applicabatur. Inter Vratislavienſes Canonicos receptus, aſſequebatur Decani Munus.

II. A. 1389, Johannes CROPIDLO, Dux Sileſiorum Oppolienſis, (de quo agemus Cap. XX.) Vladislavienſem in majore Polonia Epiſcopatum cum Archiepiſcopatu Gnesnenſi permutabat. Tum, Vladislai IV Polonorum Regis, & Urbani VI Pontificis Romani Conſenſu, HENRICUS in Johannis Locum evehebatur.

III. Ad Exemplum Eorum, quibus Libertatis, Otii, Voluptatisque Fiducia per Generis Indolem connaſcitur, in ſuſtinendis Eccleſiæ Curis, potiſſimum ad Epiſcopalium Bonorum Augmenta ſpectantibus, remiſſior erat: ſæpius ad ſuos in Patriam redire ſolitus. Ideo cum minus placeret Canonicis, non nullas ad ſuam Menſam pertinentes Decimas, Anno 1393 liberaliter conferens, ſatisfacere conabatur.

IV. Eodem Anno 1393, HENRICUS ad Vladislai IV. Polonorum Regis cum Semovito Maſoviorum Duce litigantis, Partes transibat. De quo Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. XV: *Per idem Tempus HENRICUS Epiſcopus Vladislavienſis in Fidem Vladislai Regis conceſſit. Ultrone autem, an Vi adactus, non comperimus: ac ne illud quidem, cur aut quando a Rege defecerit: niſi quod veriſimile eſt, cum Cujaviam Rex & Regina Ziemovito Maſoviorum Duci, Hypothecæ Nomine tradidiſſent, eum quoque cum Cujaviis Ziemoviti Fidem ſecutum fuiſſe.*

V. Diſpendium, quod in Bello inter Vladislaum IV. Polonorum Regem & Vladislaum Oppolienſium Ducem, in Dobrynenſi Terra pertulerit Vladislavienſis Epiſcopatus, præter Martinum Cromerum, exponit Stephanus Damalevicius, Canonicus Vladislavienſis, in Vladislavienſium Epiſcoporum Vitis, Num. XXVI. Henrico noſtro maxime Bona Clericorum temporaria poſthabita parum æquus.

MORS.

VI. Inter graves Poloniæ Turbas, in Sileſiam digreſſus HENRICUS, Die XII. Decembris, Anno 1398, Vratislaviæ moriebatur. Ibi ſepulcrum conſequebatur in S. Johannis Cathedrali Templo, ad Aram magnam: propinqua condecoratum Tabula ærea: cujus hæc Inſcriptio:

Anno Domini M. CCC. XCVIII. 12. Die Menſis Decembris obiit Reverendiſſimus in Chriſto Pater, DN. HENRICUS, Dei Gratia Epiſcopus Wladislavienſis, Dux Sileſiæ Lignicenſis. Orate pro eo.

CAPUT

CAPUT XX.

Ad Annum M. CCCC. XVI. Diem XXIV. Martii.

JOANNES OTTO,

Monſterbergenſis.

VITA.

I.

URbem Monſterbergenſem, quam Ducatus ab ea dictus Monſtergenſis Caput agnoſcit, Patriam habuit. Quamobrem, pro Sæculorum ſuperiorum More, qui abjectum Familiæ Cognomentum aſſumto Patriæ Vocabulo plerique Viri docti permutabant, JOANNES aut MONSTERBERGENSIS, aut MONSTERBERGIUS non nullis appellatur. Ita vocant eum, Anonymus Autor, qui de Lipſienſis, Witebergenſis & Francofurtenſis Academiarum Scriptoribus Centuriam nobis reliquit, a Joachimo Joanne Madero editam, Cap. I. Wolfgangus Juſtus in Opuſculo de Academiis, Cap. LVII. & LXIV. Zacharias Schneiderus in Lipſienſi Chronico, Lib. VI. Samuel Meigerius in Hiſtoriarum Nucleo, Lib. I. Cap. XXX. Stephanus Ritterus in Cosmographia Proſometrica, Lib. IV. de Lipſia.

II. Natus eſt circa Sæculi decimi quarti Medium: & Bohemis Sileſiæ conterminis, & Miſnicis Bohemiæ finitimis in Emolumentum: quorum Academiis, Pragenſi Stabilimenta provexit, cujus inter Initia Spiritum primum traxit: Lipſienſi Fundamenta ſuppeditavit, cujus inter Incrementa Spiritum extremum edidit.

III. Nam, ut illius Temporis Res, ad noſtri OTTONIS Statum penitus cognoſcendum, e Principiis ſuis, rectius, quam vulgo recenſentur, breviter delineemus: Academiam Bohemorum Pragenſem Carolus IV, Romanorum Imperator, Bohemorum Rex, Anno 1347, condebat. Id Clemens V. Pontifex Romanus in Literis eodem Anno, Die XXV. Januarii, Avenione ſcriptis, eandem Academiam confirmantibus, docet: quas Martinus Volckmannus in Univerſitatis Pragenſis Gloria, Encomio III, Lectoribus exhibet.

IV. Errant igitur, qui Pragenſem Academiam tardius conditam memorant. Cui natalem conſtituunt: (I.) Annum M. CCC. XLIX: Wernerus Rolevinckius in Temporum Faſciculo ad Annum 1349. (II.) Annum M. CCC. LVII. Joannes Gualterius, ſeu, qui verus Autor eſt, Janus Gruterus in Chronici Chronicorum Tomo IV. (III.) Annum M. CCC. LX. Joannes Trithemius in Hirſaugienſis Monaſterii Chronico, ad Annum 1360. Joannes Fridericus in Academiæ Lipſienſis Panegyrico ſæculari, quem Anno 1609 edidit. Sethus Calviſius in Opere Chronologico, ad Annum 1360. Chriſtophorus Helvicus in Theatro Hiſtorico, ad Annum 1360. Joannes Henricus Alſtedius in Theſauro, Chronologia XXX. (IV.) Annum M. CCC. LXI: Matthias Michovius in Poloniæ Chronico, Lib. IV. Cap. XXI. Abrahamus Bucholcerus in Chronologico Indice, ad Annum 1361. Jacobus Gordonus in Opere Chronologico, ad Annum 1361. (V.) Annum M. CCC. LXVI: Odoricus Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis, ad Annum 1366.

V. Nec eſt, ut eandem Academiam forſan ſero inauguratam putes. Nam eodem Anno 1347, Die VI. Aprilis, Hora XXI. inauguratam refert Adamus Huberus, Pragenſium Academiæ Profeſſor, in Programmate, quod Pragæ publicavit Die XIII Januarii, Anno 1612. Et jam Conditam ipſe Conditor Anno 1348, tam doctis', quam docendis publice commendabat: ut ex ipſius Literis, eo Anno, Die VII Aprilis, Pragæ ſcriptis, conſtat.

VI. Feliciter conſtitutam, & poſt LX Annos jam in Europa florentiſſimam, gemina Diſcordiæ Materies, publicus partim Veritatis, partim Poteſtatis Amor, ad Interitum, certè ad Decrementum redigebat. Ea Mutatio mirum OTTONI Pragenſium Profeſſori Academico Fatum attrahebat.

VII. Joannes Wiclefus Anglus, Philoſophus & Theologus ſcriptis per Angliam aliasque Terras celebris, multa, quibus Eccleſia Romana communem Aſſenſum conciliaverat, Erroris damnabat. Anno 1387 [cujus Diem ultimum' habuit ſupremum] velut Optionem ſibi, Dogmatibusque ſuis Hæredem conſtituturus, Johannem Huſſum Bohemum, ne cognitam Veritatem Silentio diſſimularet, Literis admonebat. Huſſus tacitis in Conſcientia Stimulis per Annos plures agitatus, tandem Indulgentiis, quibus Bonifacius IX Pontifex Romanus, Jubilæum Feſtum Anno 1400 Pragenſibus indictum commendabat, excitatior, & Wi-

& Wiclefianis ex Anglia Libris, quos primus intra Bohemiam Hieronymus Pragenſis tum divulgabat, confirmatior: cum eſſet eodem Anno Sacerdos & Concionator Bethlemitici Pragenſium Templi creatus, ille Religionis Capita, quæ Wiclefus in medium attulerat, per Angliam preſſa, non oppreſſa, primus in publicum Anno 1401 revocabat, & in Orationibus ad Populum comprobabat: conſentientibus maximè Bohemis, diſſentientibus potiſſimum Germanis.

VIII. Hæc quò diffuſius, eò clarius exponunt, ipſe Johannes Huſſus in Operibus ſuis Anno 1558 editis. Martinus V. Pontifex Romanus in Bullâ, quâ Joannis Wiclefi & Joannis Huſſi Doctrinam damnat, Anno 1417, Conſtantiæ publicata: quæ, cum alibi, tum etiam in Bullarii magni Romani, quod Laertius Cherubinus edidit, Tomo I: & in Conciliorum, quorum Acta Philippus Labbeus & Gabriel Coſſartius ediderunt, Tomo XII invenitur. Gobelinus Perſona in Coſmodromio, Ætate VI. Cap. LXXXVI. & XCV. Henricus Knightonus de Anglicarum Rerum Eventibus Lib. V, ad Annum 1382. Tomas Walſinghamus in Hiſtoriis Anglicis ad Annum 1377. Æneas Sylvius in Hiſtoria Bohemica, Cap. XXXV. Jacobus Picolomineus in Commentariis de ſui Temporis Rebus, Lib. VI. Antonius Bonfinius de Hungarorum Rebus Decade III Lib. II. Huldericus Mutius in Germaniæ Chronico, Lib. XXVII. ad Annum 1414. Joannes Aventinus in Bojorum Annalibus Lib. VII. Joannes Lagiardus in Hiſtoriæ univerſalis Epitome, Lib. III, Capitulo 269. Joannes Cochlæus in Huſſitarum Hiſtoria, Lib. I. Joannes Balæus de Scriptoribus Britannicis, Cent. 6. Cap. I. Matthias Flacius in Veritatis Teſtium Catalogo, Num. 286. Joannes Amos Comenius in Eccleſiæ Slavonicæ Hiſtoria, Cap. XXIV. Adrianus Regenvolſcius in Slavonicarum Eccleſiarum Hiſtoria, Lib. I. Cap. IV.

IX. Hoc ipſum inter Bohemos & Germanos ex ſacrorum Diverſitate natum Odium potiores ex Jurium Diſcrepantia Vires capiebat. Diu Pragenſis Academia Germanos aut Rectores, aut Decanos coluerat, quos creandi Poteſtas Bohemica quidem unum, Germanica vero triplex Suffragium, ad Caroli Regis Conditoris Legem, habebat. Eam non ſuo, ſed Popularium ſuorum Nomine, quorum Orator erat, Huſſus Anno 1408, undecimo Die Maji, cum eſſet Academicorum Magiſtratuum ſuſcipienda Cura, cenſebat mutandam: cujus Ratio, per Temporis Rationem mutata, Germanis unum, Bohemis tres Calculos deſtinaret. Id

Æquitati par : id Æqualitati, quam inter Pragenſem & alias Academias, unicum Suffragium Exteris permittentes, Carolus eſſe voluiſſet, convenientiſſimum ſtatuebat. A diſſidentibus ad ſupremum Litis Arbitrum Wenceslaum, Caroli Filium, Bohemorum Regem, provocabatur.

X. Rege diu Reſponſum differente, Bohemiam Germani plurimi deſerebant: Pars ſub Exitum 1408, Pars ſub Initium 1409. Anni. Sexdecim Menſibus Controverſias cum Academicis Eccleſiaſticas certatim expoſitas in Aula ſpeculatus Wenceslaus Rex, cum Sophia Conjuge ſua, Joannis Bavarorum Ducis Filia, non mediocriter favebat HUSSO: cujus Sententiis Pontificiam Poteſtatem, Doctrinamque Romanam oppugnantibus ipſemet oblectabatur. Harum Sententiarum Aſſeclas è Bohemis plures, Amore dignos: Adverſarios, è Germanis plurimos, Odio digniſſimos ratus, Literis, Die XXVII Septembris, Anno 1409, exaratis, Jus trium Suffragiorum adimebat Germanis, Bohemis attribuebat. Eo Judicio, quod Octobris XIII Die publicabatur, offenſi Germani, cum Profeſſoribus Auditores, quorum Numerus ingens, XX Millium, aliis XXIV Millium, aliis XXXX Millium fuiſſe dicitur, omnes Pragâ diſcedebant.

XI. Quæ diximus, narrant Gobelinus Perſona in Cosmodromio, Ætate VI. Cap. XCV. Joannes Cuſpinianus in Romanis Cæſaribus, de Wenceslao. Joannes Aventinus in Annalibus Bojicis, Lib. VI. Joannes Dubravius in Hiſtoria Bohemica, Lib. XXIII. Wenceslaus Hagecius in Chronicis Bohemicis, ad Annum 1409. Martinus Boreggius in Chronicis Bohemicis, ad Annum 1408. Zacharias Theobaldus de Bello Huſſitico, Parte I. Cap. V. Chriſtophorus Walpurgerus in Huſſo combuſto, non convicto, Parte I. Matthæus Dreſſerus in Hiſtoriarum Millenario VI. Parte II. Bohemorum Rege XII, Wenceslao. Anonymi Autores in Hiſtoria de Bohemicis Perſecutionibus, Cap. VIII. §. VIII. Bohuslaus Balbinus in Rebus Bohemicis, Lib. IV. Cap. IV.

XII. Noſter OTTO, cui liberalium Artium Cognitio Titulum Magiſtri: Rerum Theologicarum, quibus Philoſophicæ tum miſceri ſolebant, Notitia Dignitatem Doctoris in Academia Bohemorum Carolina pepererat, fideliter ibidem omnis Generis Literas Scientiasque multis Annis profeſſus: paulò ante, quam immenſum totius Athenæi Corpus diſſolveretur, in Philoſophorum Collegio Decanus: eò Famæ progreſſus

greſſus erat, ut Eruditionis Copia, pro ſui Temporis Habitu, præcellentiſſimus diſcentium Rex, docentium Princeps haberetur. Id præter alios, Anonymus in Centuria de Scriptoribus Academicis, Cap. I. indicat, cum eum Pragâ diſcesſiſſe narrat: *ubi in Studio Pragenſi magno cum Auditorum Proventu multa & in Philoſophia, & vario Genere Scibilis docendo legendoque ſummam Gloriam aſſecutus eſſet, adeoque in Scholaſticis emineret, ut facile Pragenſium Magiſtrorum Princeps exiſtimaretur.*

XIII. Inter Academica Litigia ſtrenuus antiqui Juris Aſſertor, cum Teutones Zechicis ſuccumbere videret, quò clarior, eò plures ex Magiſtris & Doctoribus, in primis ex Auditoribus Comites adeptus, ſub Anni 1409 Principium, voluntarius Exſul in Miſniam commigrabat, ibique Studiorum ingenuorum Diverſorium intrabat, mox in Domicilium converſurus, Lipſiam.

XIV. Tum Miſnenſibus præerant Marchiones Fridericus [cui poſtea Dignitas Septemviri, Bellicoſique Cognomen accesſit] & Guilielmus, Saxonum Duces, Fratres. His opportunum Academiam excitandi Conſilium afferebat copioſus Hoſpitum Adventus: ſeu duo, ſeu tria eorum Millia fuerint.

XV. Nam priorem Numerum indicant, Joannes Nauclerus in Chronico, Generatione XLVII. Albertus Krantzius in Metropoli, Lib. XI. Cap. VIII. Joachimus Camerarius in Hiſtoria de Fratrum in Bohemia & Moravia Eccleſiis. Joannes Cochlæus in Huſſitarum Hiſtoria, Lib. II. extremo. Guolfgangus Juſtus in Opuſculo de Academiis, Cap. LVII. Georgius Fabricius in Saxoniæ Rebus Memorabilibus, à Filio Jacobo Fabricio editis, Lib. II. ad Annum 1408. Petrus Opmeerus in Opere Chronologico, ad Annum 1409. Jacobus Middendorpius de Academiis, Lib. V. Tobias Heidenreichius in Lipſienſi Chronico, ad Annum 1409. Poſteriorem Numerum indicant, Æneas Sylvius in Hiſtoria Bohemica, Cap. XXXV. Jacobus Picolomineus in Commentariis de ſui Temporis Rebus, Lib. VI. Antonius Bonfinius de Rebus Hungaricis, Decade III. Lib. II.

XVI. Id Saxoniæ Ducibus arreptum Propoſitum fortiter provehebant ex Pragenſibus Magiſtris maximè noſter OTTO & Joannes HOFMANNUS, Sileſii: quibus in Auxilii Partem Vincentius GRUNERUS Miſnicus accedebat. Horum Inſtituto facilis Alexander V. Pon-

Pontifex Romanus, per Literas Piſis nono Septembris Die ſcriptas, annuebat. Igitur exſecuturi, quod maturandum arbitrabantur, prædicti Saxonum Duces, eodem Anno 1409, RUPERTO Romanorum Imperatore, Lipſienſem Academiam Feria ſecunda, poſt Dominicam primam, quà Chriſti celebratur Adventus, Decembris altero Die, ſolenniter inaugurabant.

XVII. Hunc Inaugurationis & Annum, & Diem cognovimus ex Literarum, quibus Saxonici Duces Academiam fundaverunt, Clauſula: *Cujus Ordinationis Pronunciatio facta fuit Anno Domini M.CCCC.IX. ſecunda Feria, poſt primam Dominicam Adventus Domini, Hora quaſi nona, in Refectorio Canonicorum Regularium Cœnobii S. Thomæ in LIPZK: præſentibus ſereniſſimis Principibus prænominatis, una cum Epiſcopis, Prælatis, Magiſtris, ad hanc faciendam rogatis ſpecialiter & vocatis.* Quamobrem errant, quos ſequi noluimus, alium Inaugurationis hujus vel Annum vel Diem ſtatuentes, Georgius Fabricius in Originibus Saxonicis Lib. VII. & in Memorabilibus Saxonicis Lib. II. ad Annum 1409. Martinus Boregkius in Chronico Bohemico ad Annum 1409. Stephanus Ritterus in Coſmographia Proſometrica, Lib. IV. Petrus Cutſemius in Saxonia Catholica, de Friderico Bellicoſo Paulus Eberus in Calendario, & Nicolaus Reuſnerus in Diario Hiſtorico ad Novembris XII Diem. Matthæus Dreſſerus in Hiſtoriarum Millenario VI, Parte II. Epiſcopo Merſepurgico XXXVIII. Zacharias Theobaldus de Bello Huſſitico, Parte I. Cap. VI. Tobias Heidenreichius in Chronico Lipſienſi ad Annum 1409. Joannes Baptiſta Ricciolus in Chronologia reformata. Bohuslaus Balbinus Lib. IV. Rerum Bohemicarum, Cap. IV.

XVIII. Eadem Academia Joannem OTTONEM, quem inter XLVI Magiſtros & Doctores, è Pragenſibus receptos, Indici ſuo primum inſcripſerat, ipſo Natali ſuo primum Rectorem accipiebat.

XIX. Id docet Index Academiæ Lipſienſis Rectores continens, quem Chronicis ſuis Lipſienſibus inſeruerunt Tobias Heidenreichius & Zacharias Schneiderus. Idque confirmant Teſtimoniis ſuis, præter alios, Anonymus Autor in Centuria de Scriptoribus Academicis, Cap. I. Martinus Boregkius in Chronico Bohemico ad Annum 1409. Joannes Fridericus in Academiæ Lipſienſis Sæculari Panegyrico. Zacharias Theobaldus de Bello Huſſitico Parte I, Cap. VII. Samuel Meigerius

rius in Hiſtoriarum Nucleo, Lib. I. Cap. XXX. Martinus Volckmannus in Univerſitatis Pragenſis Gloria, Encomio X. Davides Peiferus de Lipſienſium, Rebus Lib. III. §. XV. His accedunt Ottonis Epitaphia, quæ proferemus §. XXVIII. Non igitur dubium, quin erret Bohuslaus Balbinus, cum Johannem HOFMANNUM Academiæ Lipſienſis Rectorem primum fuiſſe ſcribit, in Rerum Bohemicarum Hiſtoria, Lib. IV. Cap. IV.

XX. Eodem 1409 Anno fuit OTTO etiam in Lipſienſium Academia, prius explorandis, poſtea creandis Artium Magiſtris & Philoſophiæ Doctoribus præfectus Procancellarius primus primi Cancellarii, Waltheri Kœckritii, Epiſcopi Martisburgenſis. Romanus enim Pontifex Alexander V. in Literis Academiam Lipſienſem confirmantibus, Anno 1409. ſcriptis, Cancellarium deſignaverat Epiſcopum Martisburgenſem. Tum vero, cum Academiæ fiebat Inauguratio, Præſul Martisburgenſis erat Waltherus Kœckritius: non Nicolaus Lubecanus, Anno 1411, electus: quem primum Cancellarium fuiſſe Matthæus Dreſſerus male ſtatuit, Lipſienſem Academiam demum Anno 1411 conditam memorans in Hiſtoriarum Millenario VI. Parte II. Merſepurgenſium Epiſcopo XXXVIII.

XXI. Cæterum, in eadem Academia noſter OTTO publicus Theologiæ Profeſſor erat; ubi ſeptimum in Anum egregia Diligentiæ Doctrinæque ſuæ Documenta Germanis & Exteris, in novam Scholam novum diſcendi Fervorem afferentibus, edebat.

XXII. Anno 1410, Saxonici Duces, Lipſienſis Academiæ Conditores, ibidem majus Principum Collegium Magiſtris Doctoribusque Lipſienſibus erigebant. Hujus Collegii Collega, ſi non primus, at inter primos fuit OTTO.

XXIII. Anno 1414, Romanus Pontifex Joannes XXII, quem alii XXIV, vocant, ex Miſnenſium Epiſcopatibus Honorem Reditumque Canonicorum ſex aſſignabat totidem Profeſſoribus in Academia Lipſienſi Theologicis atque Juridicis: eosque Canonicos deſignandi Jus Collegiis non Canonicorum, ſed Academicorum committebat. In horum etiam Beneficiorum Partem aſſumtus OTTO Canonicus Miſnenſis creabatur.

XXIV. Auctas non Avaritia, ſed Temperantia Divitias, non tam privatis, quam publicis Commodis deſtinabat, in Monumentum intentus,

tus, ex quo Fructum perpetuum caperet Posteritas. Nummis ad hoc suis addebat collectos: non in Bohemia: Sicut Johannes Fridericus in Academiæ Lipsiensis Sæculari Panegyrico tradit: quem Tobias Heidenreichius in Chronicis Lipsiensibus: Martinus Zeilerus in superioris Saxoniæ Topographia: Nicolaus Henelius in Silesia Togata Lib. IV. Cap. II. sequuntur: sed in Silesia. Id enim MSta Silesiorum Chronica, quæ consuluimus, indicant: cum quibus consentiunt Zacharias Schneiderus in Lipsiensibus Chronicis, Lib. III. & VI. Davides Peiferus in Originibus Lipsiensibus Lib. III. §. XV.

XXV. Peculiari Collegio, in quinque Collegarum Silesiorum Gratiam, construendo, non tantum emtam in Lipsiensium Urbe Domum, Beatæ Virginis Sacello vicinam, præparabat: verum etiam suum in Silesiæ Ducatu Lignicensi Pagum Megalotincium [qui tandem à Collegis venditus in alia Bona conversus est] attribuebat. Id Collegium, imminente Fato supremo, cum videret, à se non absolvi posse, Joannis HOFMANNI Suidnicensis [de quo plura commemorabimus, Cap. XXV.] Industria perfici curavit. Cum Ottonianum dici posset, Beatæ Virginis est dictum: quod in Misnensium Academia Silesiis eximium & Ornamentum, & Subsidium ad nostra Tempora supereſt.

MORS.

XXVI. Ita bene meritus meriturusque vivis eximebatur Anno M.CCCC.XVI. Die Martii XXIV. Præter Monumentum illud, quo suam in Lipsiensium Academia Memoriam ipse Posteris per liberalem Manum commendavit, per alios diversis honoratus est Epitaphiis.

XXVII. Primum in Autoris Anonymi Centuria de Scriptoribus Academicis Lipsiensibus, Wittebergicis & Francofurtanis reperitur, Cap. I.

Ille ego, qui pridem Pragensi lætus in Urbe
Ingens Theologus, Doctor & Artis eram:
Quique prior Studii posui Fundamina LIPZIS,
Hic jaceo, tenui Carne sepultus Homo.

XXVIII. Secundum, quod Salomon Stepnerus Inscriptionibus Lipsiensibus inseruit, Num XCVII. extat in Lipsiensium S. Pauli Templo: Tabula lignea:

LIPSI-

LIPSIDOS en doctæ Primus fuit ille Palæstræ
RECTOR, quem facie parva Tabella refert.
Posteritas hinc grata Locum assignare Cathedræ
RECTORIS voluit pro Pietate Viro.

Anno DNI M. CCC. XVI. in Vigilia Annunciationis Virginis MARIÆ, obiit Venerabilis Dn. MGR. JOH. OTTO MUNSTERBRG. S. Theol. PROFESSOR hic sepultus. Orate pro eo.

XXIX. Tertium, quod idem Stepnerus in suis Inscriptionibus, Num. DVII. refert, in Lipsiensium S. Nicolai Æde, ad Chorum in Lapide sepulcrali supereſt:

Anno DNI M.CCCC.XVI. in Vigilia Annunciationis Beatæ MARIÆ Virginis, obiit Virvenerabilis, Magister JOHANNES de MONSTERBERG. sacræ Theologiæ PROFESSOR & CANONICUS Misnensis.

XXX. Quartum, quod ibidem Stepnerus Num. 1557. exhibet, in majore Principum Collegio invenitur:

JOHANNES OTTO de MUNSTERBERG. Silesius, SS. Theologiæ PROFESSOR, FUNDATOR Collegii Beatæ Virginis, primus hujus Academiæ RECTOR, obiit Anno Christi M.CCCC.XVI. Dn. Henningus GROSSIUS Sen. Civis & Bibliopola F. F. Anno. M.DC.XII.

SCRIPTA.

XXXI. Inter Opera, quæ Johannes OTTO scripsit, primum continet *Orationes ad Clerum.* Secundum continet *Quæstiones Magistriales.* Tertium est *Veteris Logicæ Commentariorum Liber.* Quartum est *Novæ Logicæ Commentariorum Liber.* Qvintum est *Commentariorum in Proprietates Logicas Liber.* Sextum complectitur *Commentariorum in Petri Lombardi Sententias Libros quatuor.*

CAPUT XXI.

Ad Annum M. CCCC. XIX. Diem VI. Octobris.

WENCESLAUS DUX

Lignicensis.

VITA.

I.

WENCESLAUS, Silesiæ Ducum, Wenceslai Filius: Boleslai, ex Margaretha Wenceslai Bohemorum Regis Filia, Nepos, Dux Lignicensis, Matrem habuit Annam, Casimiri Teschinensium Ducis Filiam: quæ raro Exemplo jam XXXXIII Ætatis Annum ingressa, primum Fœcunditatis Specimen edidit. Inter quatuor Fratres primogenitus, Ordini sacro destinatus, ad regendam Ecclesiam necessariis Studiis præparabat Ingenium.

II. Jam Literis, quantum pro Sæculi More satis erat, ornatus, naturali Stemmatis Beneficio evehebatur ad Episcopatum Lebusianum, olim Polonis subjectum, ad Viadrum, in Brandenburgicorum Marchia. Dissidio ibi, quod cum Polonorum Rege Casimiro III. agitaverat, Anno 1368 in Pacem converso, defungebatur.

III. Post Præcislaum Episcopum Vratislaviensem, Anno 1376. mortuum, cum Ecclesiæ Romanæ Pars Urbanum VI: à Romanis, Pars Clementem VII: ab Avenionensibus electum, pro summo Pontifice coleret, Episcopo destituebatur Vratislaviensis Ecclesia: cujus interim septimum in Annum Administrator erat Lebusiensis Episcopus WENCESLAUS.

IV. Anno 1382, WENCESLAUS noster concordibus Canonicorum Suffragiis eligebatur Vratislaviensis Episcopus. Lebusianum igitur Episcopatum Canonico Johanni Kitlitzio relinquebat. In eam Mutationem consentiebat quidem Urbanus VI. Pontifex Romanus: non autem Imperator Romanus Wenceslaus, Bohemorum Rex, Silesiorum supremus Dux. Hic enim Vratislaviensibus Episcopum, pro Silesio Duce, Baronem Bohemum Dubanum, citra probabilem Causam præponere nihil verebatur: indignantibus plerisque Silesiis, Wenceslaum

laum in Consiliis suis non Originem Potestatis, respicere, quam ipsius Avus Johannes, Bohemorum Rex, ut Silesiorum Dux summus, a Silesiæ Ducibus ex liberrimo Arbitrio acceperat: præsertim, cum tanti æstimaret Dissensum suum, ut severum in Modum Collegio Sacerdotum interdiceret, ne quid e Fundis novo Episcopo WENCESLAO cederet. Tamen in ea Re, cujus Æquitas cuique patebat, Canonicorum Pars minor Regi, major Pars Episcopo parebat. Id proximus his Temporibus Scriptor Johannes Longinus Cognomine Polonico Dlugossus, Canonicus Cracovienſis, in Chronico MSto, de Vratislaviensibus Episcopis, Num. XXIX indicat: *Provisionem* (qua Wenceslaus Vratislaviensi Ecclesiæ dabatur Episcopus) *Wenceslaus Boemiæ Rex, siquidem absque sua voluntate & Consensu procurata fuerat, plurimum odiens, & pro ea rescindenda multiplices impendebat Conatus, inhibens Prælatos & Canonicos Vratislavienses, atque interdicens sub gravissimis Pœnis, ne præfato Wenceslao Episcopo Castrorum & Civitatum Ecclesiæ Vratislaviensis Possessio quomodolibet traderetur: probisque autem Prælatis & Canonicis Vratislaviensibus Jussionem Regis implentibus: ac contra Provisionem & Censuras Wenceslai se Appellatione tuentibus: a Parte tamen majori & saniori pro Pontifice habitus, Possessionem Castrorum & Civitatum Ecclesiæ Vratislaviensis, nequicquam Rege interveniente, accepit.*

V. Tandem Wenceslaus Rex, potentiorem WENCESLAI Episcopi Patronum, Pontificem Romanum, veritus: Urbani Pontifici non inurbanus Rex futurus, desinebat exigere, quo per Regiam Potestatem Autoritas Pontificia vilesceret. Nihilo tamen secius Dignitati suæ consulturus, a Collegio Canonicorum obtinebat, ut in Pœnam, ob Contumaciam, non tantum Pecunias Patri Carolo creditas condonarent, sed his quoque magnam Æris Copiam superadderent. Vratislavienses Senatores, qui Regis Sententiam defenderant, in quoddam Doloris Lenimentum, Canonicis amissos Nummos ingemiscentibus, obligabat, ut in posterum quisque Consul novus præstaret Canonicorum Collegio Juramentum, se nihil, quo Ecclesiastica Libertas Utilitasque violetur, esse concessurum.

VI. Anno 1385, Urbanus VI. Pontifex Romanus, intra Neapolitani Regni, quod antiquis ad Insulæ Siciliæ Discrimen, Sicilia cis Pharum nominatur, Provinciam Apuliam Dauniam commorabatur. In hujus amœnissimo Castro Luceria, Consistorio publico WENCESLA-

UM noſtrum inter alios Germanos, Die VII Januarii, referebat in Cardinalium, non Diaconorum, ſed Presbyterorum Numerum. Wenceslaus autem Honorem Cardinalis, quanquam eminentiſſimum, quem multi per Preces quærunt, oblatum repudiare, quam recipere, majus eſſe judicabat. Id, huic Actui præſens Auditor, Theodoricus Niemus, Pontificis Romani Secretarius refert, in ſui Temporis Schiſmatibus, Lib. I. Cap. XLIII: *Die vero ſequenti, poſt Feſtum Epiphaniæ Domini, me præſente, ad Pronunciationem multorum novorum Cardinalium, ipſe in præfato Caſtro* (Luceria) *in publico Conſiſtorio, exorſus eſt Sermonem: & quem tunc fecit, hic erat. Lætare Germania: nominans eos, inter quos erant Colonienſis adhuc vivus, & Maguntinenſis atque Trevirenſis, Archiepiſcopi, & Arnoldus Leodicenſis, defuncti: nec non VENCESLAUS URATISLAVIENSIS, Epiſcopi: ac Dominus Petrus de Roſenberg nobilis Genere, & honeſtæ Converſationis Presbyter, de Regno Boemiæ natus. Qui tamen unanimiter poſt longam Deliberationem inter ſe habitam, omni Ambitione ſemota, hujusmodi Cardinalatus Honorem acceptare noluerunt: licet idem Dominus Papa Archiepiſcopis & Epiſcopis præfatis Eccleſiarum ſibi commiſſarum Adminiſtrationem in Spiritualibus & Temporalibus, quoad viverent, eis etiam non petentibus, conſervaſſet.* Hujus Rei meminerunt etiam nonnulli e recentioribus. Onuphrius Panvinius in Romanorum Pontificum Epitome: *Anno Chriſti M. CCC. XXCV. Pontificatus Anno ſeptimo. Die VII. Idus Januarii, Luceriæ Chriſtianorum in Regno Neapolitano, PP. Urbanus VI. fecit tertiam duodecim Cardinalium Ordinationem, Octo Presbyterorum, & quatuor Diaconorum, qui fuerunt:* (I.) *Ludovicus Archiepiſcopus Moguntinus, Germanus, Presbyter Cardinalis.* (II.) *Fridericus, Archiepiſcopus Colonienſis, Germanus, Presbyter Cardinalis.* (III.) *Cuno, Archiepiſcopus Trevirenſis, Germanus, Presbyter Cardinalis.* (IV.) *Arnoldus, Epiſcopus Leodienſis, Germanus, Presbyter Cardinalis.* (V.) *WENCESLAUS, Epiſcopus VRATISLAVIENSIS, Germanus, Presbyter Cardinalis.* (VI.) *Petrus de Roſſemburgh Boemus, Protonotarius Apoſtolicus, Presbyter Cardinalis. Hi ſex Cardinales præcedentes Dignitatem Cardinalatus accipere noluerunt.* Bohuslaus Balbinus in Miſcellaneis Bohemicis, Decade II. Lib. I. Cap. IX: *WENCESLAUS Epiſcopus WRATISLAVIENSIS, ex Proſapia Ducum Brigenſium, Cardinalis renunciatus: ſed is ad primum Nuncium recuſavit Honorem.*

VII. In-

VII. Inter Fratres, poſt Boleslaum & Henricum, amittebat Rupertum, Anno 1390, ut plerique narrant: nonnullis diſſentientibus, quibus demum circiter Annum 1406. Rupertus mortuus creditur. Nullus horum Fratrum reliquerat Prolem maſculam. Ita WENCESLAUS Lignicenſem Ducatum naturali Hæreditatis jure conſequebatur. Nolebat cum Epiſcopatu Vratislavienſi copulare Ducatum Lignicenſem: quem in Familia ſua, niſi per Filium, retinere non poterat: hunc autem procreare non permittebat imperatus etiam Epiſcopis Cælibatus. Totum igitur Lignicenſem Ducatum, non citra Wenceslai, Bohemorum Regis, tanquam Sileſiorum ſupremi Ducis, Conſenſum, donabat Ludovico, Henrici Bregenſium Ducis Filio, in Cognatis ſuis proximo. Tum Henrici Frater Ludovicus, ſe poſthabitum, & indoleſcebat, & conquerebatur: eodem Patre, quanquam non eadem Matre natus: pari Sanguinis Propinquitate, Juris Valore, conjunctus.

VIII. Hinc ad Iram concitatus Wenceslaus Ludovicum, Henrici Fratrem, durioribus excepit Verbis: quæ Vratislavienſis Epiſcopalis Cancellarius, Wenceslaus Cromerus in Epiſcoporum Vratislavienſium Vitis MStis, Partem maximam perditis, profert. *Annon*, inquiebat Epiſcopus Wenceslaus, *Fratrum meorum Hæreditatem Jure adii? An non Ducatus iſte in Bonis eſt meis? Quid igitur impediet, quo minus eum vel Fratri tuo, vel Tibi, vel alteri donem? Quod ſi negaretur, miſerrima foret Patrum familias Conditio, quibus de Facultatibus ſuis conſtituendi Poteſtas nulla eſſet. Nullo igitur Merito de Injuria, qua nulla affectus es, conquereris. Memento Sileſiæ Ducatus ampliſſimos fuiſſe, dum Lignicenſis, VVratislavienſis & Glogovienſis unius Imperio Principis ſubeſſent. Nonne in Stirpes & Capita, ſicut Occaſio & Fortunæ tulit Varietas, diſpertiti ſunt? Nonne multa ab eo Tempore in aliorum venerunt Poteſtatem? Quorum omnium, ſi Tibi, Henrice, Succeſſionem integram reſervatam ſtatuere velis, ne a toto errare Cœlo, & parum ſano regi Conſilio mihi videris. Jam quis fueris, etiam te reticente novi: nec illud clam eſt, ex æquo Hæreditatem paternam tecum Ludovicum diviſiſſe; ſed ea fuerunt Patris tui Facultates: Bona hæc mea ſunt; in quæ cur ullum Tibi concedam Jus, haud video. Quin meam hanc in Fratrem Liberalitatem Favore proſequi debebas, quo memor Stirpis, quæ me genuit, in Fratrem tuum, meam Beneficentiam teſtatus ſum. Quod ſi deceſſerit Frater, ſine Hærede maſculo, quis niſi Tu, aut Liberi tui Hæ-*

redes

des erunt? Itaque Henrice, ſi Fata velint, nil remorabitur, quin tuo factum Commodo ſentias, ubi Fortunæ exſpectato Eventu, paulo poſt te eadem, qua nunc Frater tuus gaudet, Felicitate frui animadvertes.

IX. Ad Sileſiæ Principum Monitiones tamen multo lenior WENCESLAUS ita Ludovicum & Henricum Fratres conciliabat, ut iis e Lignicenſi Ducatu Goldbergam ea Lege concederet in Proprietatem, ut ſolus Poſſeſſor alteri Fratri ſex Florenorum millia numeraret: ſine Liberis autem moriturus alteri Fratri, vel ejus Liberis, in Hæreditatem relinqueret.

X. Anno 1409, ad Concilium in Italiæ Provincia Tuſcia Piſanum, de tollendo inter duos Pontifices Maximos, Romanum quidem Gregorium XII, Avenionenſem autem Benedictum XIII, Schiſmate: quorum depoſitorum in Locum Alexander V. eligebatur: invitatus noſter WENCESLAUS non veniebat: eo tamen Legatum mittebat. Id annotatum reperimus in Actis Concilii Piſani, quæ Lucas Dacherius in Spicilegiorum Tomo VI. Pariſiis edito: & Philippus Labbeus Gabrielque Coſſartius in Conciliorum ibidem editorum Tomo XI. Parte II ad Annum 1409 repræſentant. Ubi legas, ſub Titulo: *Sequuntur Epiſcopi, qui miſerunt ſuos Ambaſſiatores & Procuratores:* poſt multorum aliorum Nomina: *LANCESLAUS* (pro WENCESLAUS) *VRATISLAVIENSIS.*

XI. Anno 1410, quemadmodum in Cognati ſui Joannis Cropidlonis, Oppolienſium Ducis, Epiſcopi Vladislavienſis Gratiam, in Senatores Civesque Vratislavienſes, inſolentior fuerit: dicemus Cap. XX. §. XIII.

XII. Splendoris, quem Liberalitas nutrit, Prodigalitas ornat, ſtudioſiſſimus priores Abundantia Pompaque vincebat, & Dux, & Epiſcopus. Nihil hoc Vitæ Modo Epiſcopalibus Reditibus decedere contentus, eos de Patrimonio ſuo adaugere ſuperſedebat: maxime propterea excuſabilis, quoniam obligabatur peculiari Pacto inter Wenceslaum I, Wenceslai II, Epiſcopi Patrem, & Ludovicum I, Ludovici II Avum inito, ne quid Fundorum ex Lignicenſi Ducatu ad alios, niſi Duces Hæredes, ullo Donationis jure tranſiret.

XIII. Anno 1417. Epiſcopatum Vratislavienſem, cui per XXXV Annos præfuerat, conſentientibus Canonicis, Martino V. Pontifici Romano, ſponte ſua reddebat, jam Senex grandævus, conſumturus reliquum

quum Ætatis in Otio, cui Oppidum Otmochoviam commodiſimum adhibebat. Ibi ad S. Nicolai Ædem, Collegium pro Canonicis, ad quod Bartholdus Fulſchluſſelius, Vratislavienſium S. Ægidii Præpoſitus, quondam ipſius Wenceslai Epiſcopi Archiater, Vir locupletiſſimus, Impendia juſtamque Redituum Copiam per Teſtamenti ſui Tabulas deſtinaverat, Anno circiter 1386 conditum, non tantum aureis gemmeisque Muneribus, ſed etiam ad Epiſcopalem Menſam pertinente Villa Henrichsdorfio ditabat.

MORS.

XIV. Biennio apud Otmochovienſes intra Quietem transacto, e vivis excedebat, Die VI. Octobris, Anno M. CCCC. XIX. ſepulcrum in S. Nicolai Templo, ſed minus ſtabile conſequebatur. Nam inde Corpus, Anno 1430, propter Huſſitarum Excurſiones, multis Ædibus Sacra Romana colentibus Interitum afferentes, Juſſu Johannis IV. Vratislavienſis Epiſcopi, transferebatur Niſſam in Suburbium, quod Urbs vetus appellari ſolet, ad S. Johannis Templum. Poſt hæc in S. Jacobi Templum, quod intra Urbem Niſſam eſt, collocabatur.

SCRIPTA.

XV. Hiſtoriarum Amator committebat Orango Canonico Laborem conſcribendi Res Sileſiorum, maxime Ducum. At is, cum ad Boleslaum usque Procerum, mediæ Sileſiæ Ducem Vratislavienſem, Anno 1169 conſtitutum, Anno 1201. mortuum, maxime Ducum Familias in Tabulas retuliſſet, eas continuandi Conſilium abjiciebat.

XVI. Inter ipſius Wenceslai Opera primum *Conſtitutiones de variis Rebus Eccleſiaſticas* complectitur. Eas in Cathedralis Vratislavienſis Eccleſiæ Statutis Synodalibus antiquis Martinus Epiſcopus Vratislavienſis edidit Vratislaviæ Anno 1585. in 4.

XVII. Secundum, quod Anno 1416 publicavit, eſt *jus Eccleſiaſticum:* Germanis *Das Kirchen-Recht:* revera non Eccleſiaſticum, ſed Politicum, aut, ſi mavis, Juridicum: quod Partem maximam de Conjugum & Liberorum Hæreditatibus in Oppidis & Prædiis Epiſcopali Jurisdictioni ſubjectis agit. Id totum Jacobus Schickfuſius in ſuum Chronicon Sileſiacum, Anno 1625, editum, tranſtulit: ubi Lib. III. Cap. XXXIII. reperitur.

CAPUT XXII.

Ad Annum M. CCCC. XXI.

JOHANNES CROPIDLO,

Dux Oppolienſis.

VITA.

I.

JOHANNES, Sileſiæ Ducum, Boleslai IV. Filius, Boleslai III Nepos, Dux Oppolienſis, ob Cæſariem luxuriantem, Aſpergillo ſimilem, Cognomine Polonico dictus CROPIDLO, imitatus Temporis ſui, cum Sileſios, tum alios Germanicos Duces, per Literas, Eccleſiaſticis Spartis ornandis conſecratas, emergere ſtudebat.

II. Adhuc intra Bononiam Studiis addictus, quanquam Scepuſienſis Hungarorum Eccleſiæ jam Præpoſitus, per legitimam Ætatem nondum Epiſcopalis Regiminis adminiſtrandi capax erat: cum Poloniæ majoris Eccleſia Posnanienſis Epiſcopo deſtitueretur. Posnanienſes Canonici concordibus Suffragiis vacuam Sedem Nicolao Nalencio, inter Canonicos Cantori Gnesnenſi, Scholaſticoque Posnanienſi deſtinabant: inconſulto Ludovico, Polonorum & Hungarorum Rege: cujus ideo perturbatum Animum Vladislaus, Sileſiorum Oppolienſium Dux, Hungarorum Palatinus, eo facilius commovebat, ut Operam Posnanienſium Canonicorum prorſus irritam declararet: ſuo unius Arbitrio deſignaturus Epiſcopum Posnanienſem.

III. Tum Romanorum Pontifex Urbanus VI. per Schiſma inter Italos & Gallos electus, (cujus Adverſarius Avenionenſium Pontifex Clemens VII. erat) id agebat, ut Regna Polonorum Hungarorumque ſub Obſequio retineret. Quamobrem Urbanus Pontifex Ludovico Regi facillimus, Anno 1382, die Junii IX, concedebat, Nicolao rejecto, Posnanienſibus Epiſcopum præficere CROPIDLONEM, Vladislai Oppolienſium Ducis, ex Fratre Boleslao IV. Nepotem: quem Urbanus ipſe Romanus Pontifex, propter Albam in Cœruleo Inſignium Campo Aquilam (cui conſimilem in ſuo Clypeo habebat) tanquam Cognatum, Nepotibus ſuis adſcripſerat.

IV. Lu-

IV. Ludovicus Hungarorum Polonorumque Rex, Anno 1382, Die XIII Septembris, exceſſerat: duas Filias Mariam & Hedwigen relinquens. Hinc Poloni Mariam, mox Hedvvigen ſibi Reginam eligebant. Ea, dum Jagellonem Lithuanum, Maritum, Polonorum Regem acciperet, interim Vladislaus Oppolienſium Dux, agebat in Polonia, non Vocabulo quidem, tamen Imperio Regem. Huic opportunus accidebat Exceſſus Sbylati, Epiſcopi Vladislavienſis in majori Polonia: quem Annus 1383. Dies XXXI Julii, ad plures abire juſſerat. Tum Canonici Vladislavienſes, Die II Auguſti, eligebant Succeſſorem Trojanum, Præpoſitum Posnanienſem. Eum Archiepiſcopus Gnesnenſis Bozenta confirmabat, ſed non conſecrabat: a Semovito Maſoviorum & Cujavienſium Duce, cujus ſine Conſenſu Trojanus ex Acervorum Familia electus erat, prohibitus. Sic Vladislao iterum patebat Occaſio ſtabiliendi regium circa Epiſcopos creandos Jus. Conſiliis enim ſuis efficiebat, ut, Trojano poſthabito, Urbanus VI Romanus Pontifex non difficulter conſentiret in CROPIDLONEM Posnanienſem, Libertate pari conſtituendum Vladislavienſem Epiſcopum, Anno 1384. Parum aberat, ne Canonicis Vladislavienſibus, Valorem Suffragiorum ſuorum propugnantibus, CROPIDLO repudiaretur: niſi Frenum injeciſſet Urbani Pontificis Romani, & Vladislai Oppolienſium Ducis, poſt Regem Ludovicum extinctum in Polonia dominantis, Autoritas. Ita primus intra Poloniam Epiſcopus ex ſuo transferebatur in alterum Epiſcopatum CROPIDLO.

V. Poloni Anno 1386. Jagellonem Lithuanum, e Pagano Chriſtianum, Hedvvigis Maritum, Die Februarii XVII, recipiebant Regem, Vladislaum IV. dictum. Sub eo Gnesnenſis Archiepiſcopus Bozenta Mortem Anno 1389, Die XXVI Decembris, obibat. CROPIDLO priores Artes, quibus & Posnanienſem, & Vladislavienſem Epiſcopatum obtinuerat, ad impetrandum Archiepiſcopatum Gnesnenſem, ſed non pari Succeſſu, adhibebat. Neglectis Canonicorum Calculis, poſthabito Regis Conſenſu, non vulgarem in Modum, ſed unius Bonifacii IX, Romani Pontificis, cui Fratres Duces Oppolienſes ſubdiderant Stimulum, Decreto efficiebant, ut ipſe quidem Gnesnenſem Archiepiſcopatum, Cognatus autem Henricus, Lignicenſium Dux Epiſcopatum Vladislavienſem occuparet.

VI. Vladislaus Rex hoc ſui Contemtu exacerbatus, Henricum admitte-

mittebat, CROPIDLONEM perſequebatur. Inde CROPIDLO nihil retinebat, niſi Titulum, quo gaudebat, Archiepiſcopi Gnesnenſis, cui nullus Canonicorum parebat. Regis juſſu, per Sbigneum Brecium, Regni Mareſcalcum, captus, omnibus Fortunis exutus, in Exſilium dimiſſus, inopem agebet Vitam: Genio indulgere ſolitus, & Dux, & Epiſcopus.

VII. In has Miſerias depreſſus, Auxiliatrice Manu Bonifacii IX, Romani Pontificis, non erigebatur: qui Polonorum obſtinatos Animos lenioribus Monitis nequicquam conatus flectere, durioribus Minis terrere non ſuſtinebat: ne multo ferociores a ſe Romano, ad Avenionenſem Pontificem Petrum Lunam deficerent. Ubique deſertus, a Crucigeris Germanis, in Boruſſia Pomeraniaque dominantibus, quos, etſi Polonorum Inimicos, dudum amaverat, Subſidia quædam Vitæ conſequebatur.

VIII. Poſt hæc, in Pomerania per Bonifacii IX. Romani Pontificis Providentiam, Epiſcopatui Caminenſi præfectus dicitur. Id tradunt, Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. XV. Abrahamus Bzovius in Eccleſiaſticis Annalibus, ad Annum 1391. Num. VI. Stephanus Damalevicius in Vladislavienſium Epiſcoporum Vitis, Num. XXV. Nicolaus Henelius in Sileſia Togata MSta, Lib. I. Cap. V. Fridericus Lucæ in Sileſiorum Memorabilibus, Parte V. Cap. I. extremo.

IX. At eſt, cur in dubium vocetur. Caminenſibus Canonicis, quem Bonifacius IX. P. R. commendaverat, non receptum commemorat Daniel Cramerus in Eccleſiaſtica Hiſtoria Pomeranica, Lib. II. Cap. XXXI. Plane Silentio præterit Johannes Micrælius in veteri Pomeriana, Lib. III. Parte II. Cap. LIII. ubi de Caminenſibus Epiſcopis agit.

X. Multis Annis Exſul CROPIDLO, cum Vladislavienſium Epiſcopus Henricus Anno 1398. e vivis abiiſſet: ejusque Succeſſor Nicolaus Anno 1402. in Archiepiſcopatum Gnesnenſem, poſt Dobrogoſtium mortuum, translocaretur: Sedem olim amiſſam Spe complecti non audebat: in ſolum Episcopatum Vladislavienſem recuperandum intentus. Hunc CROPIDLONI Vladislaus IV. Polonorum Rex invidebat: alteri Bonifacius IX. Pontifex Romanus denegabat. Ita, cum nec Bonifacio Vladislaus, neque Vlasdislao Bonifacius cederet, Vladislavienſis Eccleſia per Biennium carebat Epiſcopo.

XI. Tandem Vladislaus Rex non tam in Bonifacii Pontificis, quam in

in Boleslai & Bernhardi Ducum Oppolienſium, Capridlonis Fratrum, Gratiam, CROPIDLONI permittebat; Reditum ad recipiendum Vladislavienſem Epiſcopatum, Anno 1404.

XII. Poſt hæc CROPIDLO Alexandrum Vitoudum, magnum Lituaniæ Ducem, Jocis maxime jucundis & ingenioſis, Amicum familiarem & liberalem ſibi reddiderat. Eum quanti æſtimaret, in Convivio patefaciebat, quo Vladislaus IV. Polonorum Rex Sigiſmundum Romanorum & Bohemorum Regem brevi coronandum excipiebat. Tum omnibus tandem ad fœcundos Calices hilariter diſertis, per Occaſionem Laudis, quam & Sigismundus, & Vladislaus affectabant: *Ego*, inquiebat, *ſi tenerem divinitus conceſſam Poteſtatem, ſerendi Reges: nullos Sigismundos, nullos Vladislaos, plurimos Vitoudos ſererem.* Tantam Licentia Vini excuſabat in madido Audaciam.

XIII. Cæterum inter Polonos præcipuam Nominis ſui Memoriam Prælatis & Canonicis Vladislavienſibus perenni Lege commendavit, Autor Redituum auctiorum, ſeu præſentibus, ſeu abſentibus exhibendorum, maxime propter Doctrinarum Acceſſiones in Academia commorantibus. Qua Conſtitutione, cui Anno 1410, Dies Maji primus, Initium dedit, etiamnum Vladislavienſis Epiſcopatus gaudet. Teſtis eſt Vladislavienſis Canonicus, Stephanus Damalevicius in Vladislavienſium Epiſcoporum Vitis, Anno 1642. editis, Num. XXVII.

XIV. Anno 1411 adverſus Senatum Vratislavienſem inſolentior erat. CROPIDLONIS Frater Boleslaus & Bernhardus, Oppolienſium Duces, Curribus impoſitas Civium Vratislavienſium Merces violenter interceperant. Hujus Injuriæ nondum obliti Senatores Vratislavienſes, cum in eos acerbius loqueretur CROPIDLO [ad Regis Johannis, quem offenderat, Mentem] Die VI. Decembris, in Curia detinebatur. Id non ferendum ratus Wenceslaus Epiſcopus Vratislavienſis, Eccleſiaſticum Anathematis Fulmen, ad cœleſtia referendum, ad terreſtria deflexurus, in Vratislavienſes, Captivitatis poſtulatos, dirigebat: innocentesque Cives ab Ædium ſacrarum Aditu prohibebat; donec Anno 1412. Lis ea componeretur.

XV. In Libertatem vindicatus CROPIDLO plus Juris arrogabat ſibi matrimonialibus in Cauſis, cum Alexandrum Vitoudum, magnum Lithuaniæ Ducem, cum Affine, Sponſum, ſine Romani Pontificis Con-

Conſenſu, declararet in Eccleſia Conjuges: quod Lithuanorum Vilnenſis Epiſcopus præſtare non ſuſtinuerat.

XVI. Sileſiis Monumentum reliquit in Oppolienſium Ducatu, cognomini Oppido, ſuis Impendiis, additum inſigne Caſtrum. Exteris majorem in Modum innoteſcebat ab Anno 1414. ad 1418, inter Legatos à Polonorum Rege Vladislao IV. ad Conſtantienſe Concilium miſſos, Pars eorum, qui Romano Pontifici Johannni XXIII. depoſito Succeſſorem dabant Martinum V: Johannem Huſſum Bohemum declarabant Hæreticum, Flammis delendum.

MORS.

XVII. Honoribus auctior, Anno 1418. Vladislaviam reverſus, jam ſenex, medio Anni 1421. Vere Mortem obibat. Conditus eſt intra Sileſiam, in Oppolienſium Oppidi Templo, quod Fratrum Prædicatorum Ordinis eſt.

CAPUT XXIII.

Ad Annum M.CCCC. XXXXIIII.

HENRICUS THYMIUS,

Freiſtadienſis.

VITA.

I.

IN Glogovienſium Ducatu ſitam Urbem, à Libertate Nomen Germanicum quidem Freiſtadii, Græcum vero Elevtheropolis conſecutam, habuit Patriam. In Sileſiæ Scholis ad meliores Literas eo rectius capiendas excitatus, Miſnenſem ingrediebatur, etſi recentem, tamen florentem Academiam Lipſienſem: In ea Philoſophicis addictus, quibus Theologica Sæculum illud miſcebat, tantum proficiebat, ut, in publicum & Præmium, & Teſtimonium renunciaretur Magiſter, adeoque Jus docendi obtineret. Id quamdiu in Juventutis Utilitatem adhibuerit, non habemus exploratum.

MORS.

II. Diutius in Studiis laboraturus, ad Quietem vocabatur Anno 1444.

1444. In Lipſienſium S. Nicolai Templo ſepultus, hoc Epitaphio (quod in Salomonis Stepneri Lipſienſibus Inſcriptionibus, Num. 516. reperitur) donatus eſt:

Anno M. CCCC. XXXXIIII. Obiit Magiſter HENRICUS THYME de Freyenſtadt: cujus Anima requieſcat in Pace, Amen.

CAPUT XXIV.

Ad Annum M. CCCC. XXXXIV. Diem XI. Septembris.

NICOLAUS WEIGELIUS,

Bregenſis.

VITA.

I.

SUnt, quibus creditur, certè vocatur Polonus. Inter hos eſt Zacharias Schneiderus in Lipſienſi Chronico: ubi vero inter Philoſophici Collegii Decanos, Num. XXIV. Polonus dicitur, non quod fuerit Polonus, ſed quod Sileſii quondam cum Polonis conjuncti, propterea pro Polonis habiti fuerint: maxime quod etiamnum à Lipſienſibus Sileſii ad Polonicam Nationem referri ſoleant. Certe Sileſium fuiſſe, tum aliunde conſtat, tum etiam luculenter indicat Anonymus illius Temporis Autor in Centuria de Scriptoribus Lipſienſibus, Wittebergicis & Francofurtanis, Cap. XVIII. *Nicolaus WEIGEL*, inquiens, *SLESIUS Natione, Patria BREGENSIS.*

II. Anno circiter 1395. natus, omnium Studiorum capax, raro per illud Sæculum Exemplo, ingenium & Philoſophicis, & Theologicis, & Juridicis exornabat: quorum Specimen multiplex in Lipſienſium Academia dedit: maximè, cum Auditores ſuos pleniorem in Modum eruditurus, Diſputationibus exerceret, non tantum, quibus Materias Philoſophiæ primarias comprehendebat; verum etiam, quibus ſubtiliores Theologiæ Controverſias explicabat; ſpeciatim, quibus præcipua Jurium, tam Civilium, quam Canonicorum Momenta proponebat.

III. Tot Scientiis varias in Lipſienſium Academia Dignitates promeritus, Artium Liberalium Magiſter; cum S. Mariæ Virginis, tum etiam

iam majoris Principum Collegii Collega; Philoſophici Collegii Decanum Anno 1423: Academiæ Rectorem Anno 1421, & 1427. agebat. Intra Sileſiam erat Eccleſiæ ſimul & Vratislavienſis & Lignicenſis Canonicus. His deinceps acceſſerunt Honores alii: de quibus mox dicemus.

IV. Tum ſimul depravata Pontificum Romanorum Curia, ſimul invicta Bohemorum Huſſitarum Eccleſia multis in Europa Diſſenſionibus Materiem afferebat. His tollendis Baſileenſe Concilium deſtinabatur, Imperatoris SIGISMUNDI Præſentia, doctiſſimorum Virorum Frequentia, omnium Aſſeſſorum mira Concordia ſpectatiſſimum: aliis quoque Nominibus in Autoritate magna ponendum. De quibus agunt, Julianus Cardinalis, in Literis ad Eugenium IV. Pontificem Romanum: cujus in Baſileenſi Concilio Legatus erat, Die Junii quinto, Baſileæ ſcriptis; & Æneas Sylvius de Baſileenſis Concilii Geſtis, Lib. II.

V. In eo magni Momenti Concilio WEIGELIUS non tantum Academiæ Lipſienſis, verum etiam Ducum Saxonicorum, Friderici II. Electoris, & Gvilielmi III. Fratrum: præterea Epiſcoporum, Martisburgenſis Johannis Boſſenii, & Miſnenſis Johannis, cum is è Concilio diſceſſiſſet, Legatus erat. Quibus ibi Rebus interfuerit, Operamque ſuam impenderit, paucis delineabimus.

VI. Concilium illud Anno 1431. Die XIV. Decembris, quo prima Seſſio habebatur, inchoatum, admirabilia ſuſcipiebat. Anno 1432, Die XV. Februarii, Seſſione II. ad Concilii Conſtantienſis Exemplum, omnem Romani Pontificis & Doctrinam, & Poteſtatem generali Concilio ſubjiciebat. Quam Sententiam Romanus Pontifex Eugenius IV, Martini V. Succeſſor, non ferendam ratus, Baſileenſe Concilium vel Bononiam transponere, vel omnino diſſolvere conabatur. Sed Mandatis Pontificis Baſileenſes Patres minime parendum cenſebant, Eugenio, cum Seſſio III, Die XXIX. Aprilis haberetur, Monitores, ut Concilium nec immutare ſuſtineret, & ipſe cum Cardinalibus intraret. Accedere ſuperſedentes cum Pontifice Cardinales, Seſſione VI, Die VI. Septembris, Contumaciæ poſtulabant: & Seſſione VIII. Die XVIII. Decembris, Pœnis graviſſimis afficiendos, niſi Obſtinationem Obedientia vinceret, iterum Baſileam vocabant. At nullius, ne ipſius quidem Imperatoris Rationibus Precibusque movebatur Eugenius, Cardinalium Voluntates Arbitrio ſuo devinctas tenens.

VII.

VII. Horum Speculator WEIGELIUS, Approbator variorum Decretorum erat, quibus Baſileenſe Concilium Autoritatem & ſuam, & Conciliorum aliorum contra Pontificem Romanum muniebat: maximè cum idem Concilium, Æquitate ſingulari compulſum, per Legatos in Bohemiam miſſos, Huſſitis etiam Laicis, intra Bohemiam & Moraviam viventibus, conſecratum Euchariſtiæ Calicem, & potiſſima Religionis Capita, cum Annus 1433. Dies Novembris ultimus ageretur, Pragæ concedebat, Iglaviæ confirmabat Anno 1436. Die Julii V. De quibus agunt, Æneas Sylvius in Epiſtola CXXX. Chriſtianus Urſtiſius in Baſileenſi Chronico, Lib. I. Cap. XI. XII. XV. XVIII. XXIII. Zacharias Theobaldus in Bello Huſſitico, Parte I. Cap. LXXIX & LXXX.

VIII. Poſt hæc novum eidem Concilio Negotium objiciebatur, cui ſuam WEIGELIUS applicabat Curam. Imperium in Oriente Conſtantinopolitanum à Turcis in Anguſtias ſummas redactum Auxilia quærebat à Chriſtianis in Occidente Principibus, olim ſæpius nequicquam expetita, quoniam Græci Romanos Pontifices, quorum neque Jura, neque Dogmata probabant, ſemper in Obſtaculis habuerant. Ad Opem igitur tandem impetrandam, in extremis extrema tentaturi Conſtantinopolitani, Johannes Palæologus Imperator, & Joſephus Patriarcha cum Aſſeclis, ad Concordiam inter Græcos & Latinos Eccleſiaſticam, intra Concilium ſtabiliendam, quam eſſent ipſi præſentes amplexuri, ſe propenſiſſimos, tam Baſileenſi Concilio, quam Romano Pontifici profitebantur. Quamobrem, & illud, & hic maxime laborabat, ut Partibus ſuis Græcos attraheret.

IX. Iidem Græci ad Iter in longinquam Europæ Provinciam ſuſcipiendam ſubſidia deſiderabant. Hæc ut eo facilius Advenis exhiberi poſſent, Baſileenſe Concilium Indulgentias paſſim commendandas Anno 1436, Die XIV. Aprilis, Seſſione XXIV, ſtatuebat. *Et cum ad ipſam Synodum*, dicitur in illo Decreto, *propriis Expenſis tam procul de Partibus Orientalibus Græci proficiſci nequeant, Opus fuit, ut Expenſas in veniendo, ſtandoque & redeundo neceſſarias, & quasdam alias pro Tuitione Civitatis Conſtantinopolitanæ, ne Imperatore abſente, à Turcis forſan expugnari poſſet, pollicemur. Et, quanquam hujusmodi Impenſæ non nullis graves viderentur, nos tamen animadvertentes, quantus Dei Honor & Profectus Eccleſiæ, quanta Exaltatio Fidei Orthodoxæ, quantum Incrementum Nominis Chriſtiani, quot millium Animarum Salus, quantaque*

Utilitas & innumerabilia Bona Populo Christiano hinc forent proventura, non solum ipsas Impensas, sed & Personas proprias fore exponendas, dignum esse judicavimus, Spem ponentes in Domino, cujus Negotium agitur, & in Caritate ac Devotione fidelium, qui, dum talia intellexerint, Subsidiis & Auxiliis opportunis non deerunt. Ibidem post quædam: *Licet autem ex Debito Christianæ Professionis quisque ad hoc sanctum Negotium pro Viribus contribuere ac subvenire obnoxius sit: nihilominus, ut eo libentius omnes faciant, quo se hic & in futuro Sæculo peramplius remunerandos fore intellexerint: decrevit hæc sancta Synodus, universalem Ecclesiam repræsentans Sponsam Christi, affluenter aperire spirituales Thesauros, quos ipse Salvator ascendens in Cœlum sibi reliquit. Omnibus igitur Christi Fidelibus utriusque Sexus, qui ad hoc sanctum Opus tantum contribuerint, quantum quisque una integra Hebdomada pro suæ Personæ ac Familiæ, si eam habuerit, Refectione exponit: vel, si de propriis vixerit, exponeret; religiosis quoque, pro quibus suus Conventus, aut Superior, vel alius juxta prædictam Rationem erogaverit, omnium Peccatorum suorum, de quibus Corde contriti & Ore confessi fuerint, Autoritate omnipotentis Dei, & de ejus Misericordia confisa, illam plenariam Remissionem impartitur semel in Vita, & semel in Mortis Articulo, quam Ecclesia concedere solet omnibus euntibus Romam Tempore Jubilei, vel Cruce signatis ad Recuperationem Terræ sanctæ Passagii generalis, & in Retributione Justorum Salutis æternæ pollicetur Augmentum.* Iterum post quædam: *Jubet insuper eadem sancta Synodus, ut, habita hujus Decreti Notitia, omnes Diœcesani in Cathedralibus, Collegiatis & Parochialibus, in quibus eis visum fuerit, ac etiam generales Ordines Mendicantium in Conventualibus Ecclesiis eis subjectis, mox disponant, quatenus Verbum Dei per Prædicatores idoneos ad Populum annuncietur, prædictas Indulgentias publicando, & fideliter exhortando ad Subsidium in tam piissima Causa impendendum, quibus Prædicatoribus & Prædicationem audientibus, ac etiam omnibus aliis, qui circa prædictam Æstimationem Subsidium aliquod vel Auxilium in hac Re dederint, centum Dies de injunctis Pœnitentiis singulis Vicibus in Forma Ecclesiæ relaxat.* Iterum post quædam: *Datum in Sessione publica hujus sanctæ Synodi solenniter celebrata in majori Ecclesia Basileensi, XVIII. Kalendas Maji, Anno á Nativitate Domini M.CCCC.XXXVI.*

X. Has

X. Has pro Græcis sub Ecclesiæ Romanæ Consortium, postea Dominium, redigendis, à Concilio inventas & comprobatas Indulgentias Anno 1338. WEIGELIUS, non Friburgi, quod in Alsatiæ superioris Regione Brisgavia situm est: ut Guilielmus Eisengreinius in Testium Veritatis Catalogo, & Antonius Possevinus in Apparatu sacro indicant: Sed Freibergi, quod Misnensium est Oppidum: imo per universam Misniam Provinciamque Magdeburgensem, Legatus Concilii publicabat & commendabat. Testem habemus ipsum WEIGELIUM in Opere, quod de Indulgentiis composuit, & MStum adhuc exstat. In hujus ad Johannem HOFMANNUM, Misnensem Episcopum, [cujus ab eodem Concilii digressi Legatus erat] Prologo exstant hæc: *Reverendo in Christo Patri ac Domino, Domino JOANNI, Dei Gratia, Misnensis Ecclesiæ Episcopo, Domino suo gratioso, & Benefactori benignissimo, NICOLAUS WEYGIL, Artium Liberalium Magister immeritus, sacræque Theologiæ, Baccalaureus formatus, Ecclesiæ Wratislaviensis & sancti Sepulcri Dominici Legnicensis Canonicus, Salutarem septimplicem sperans Indulgentiam, utilisque Hominis Felicitatem de fice adipisci. Reverende Pater & Domine gratiose: Sacra Synodus Basileensis, in qua, post ejusdem vestræ Paternitatis á dicta Synodo Discessum, Locum & Vices tenui, licet indignus & insufficiens, ut Verbis utar Isaiæ Prophetæ ad annunciandam ejus sanctam intentionem mansveris & devotis Christi Fidelibus per Provinciam Magdeburgensem & vestram Misnensem Diœcesin misit me, ut mederer Consolationis Verbo contritos Corde & prædicarem captivis per Reatum Culpæ Indulgentiam: Indulgentiam, inquam, datam omnibus Corde contritis & Ore confessis, contribuentibus pro facto Reductionis Græcorum: florigera Prata Catholicæ Scripturæ peragrans, quæ egregiis Studiis latè & undique patescunt: juxta id Sapientis: Apertæ sunt Prata: scilicet Scripturarum: & apparuerunt Herbæ virentes: Oculos scilicet Cordis recreantes, ut Indulgentiis præfatis sine quacunque Ratione persæpe contradicentibus & de Autoritate quoque dandi eas per generale Concilium dubitantibus responderem, paratumque me constituerem.*

XI. WEIGELIUS, ad conquirendas pro Græcis Pecunias, per Magdeburgicas Misnicasque Terras Indulgentiis defunctus, Concilio se probabat: cujus deinde majoris Momenti Rebus consulebat, expeditus

Orator, prudentiſſimus Suaſor, adverſus Eugenium IV. Pontificem Romanum, Concilio ſemper contrarium.

XII. Eugenius enim, quemadmodum liberaliores ipſe divulgaverat Indulgentias, ita copioſiores obtinuerat Nummos, exſequendis Conſiliis ſuis applicandos. Baſileenſe Concilium ſuo unius Arbitrio ſubjecturus, Ferrariam, opportunam Græcis Urbem, transferendum Literis publicis Bononiæ ſcriptis, Anno 1437, Calendis Octobribus, indixerat: non Concilio Romanum Pontificem, ſed Pontifici Romano Concilium ſubeſſe, non Decreto, ſed Facto, Patribus Baſileenſibus demonſtraturus. Hi tamen à Sede ſua dimoveri ſe non patiebantur: Omne Conciliorum Regimen in uniùs Romani Pontificis Manu poſitum, negantes. Conſtantinopolitanorum & Imperator, & Patriarcha, cum aliis Græcis quanquam moniti, ne Ferrariam, ad ſolos Romani Pontificis Amicos, ſed Baſileam, vel aliam in Urbem, quo Baſileenſe Concilium, in Conſtantinopolitanorum Gratiam, Sponte ſua commigraturum erat, ad Occidentalis Eccleſiæ primarium Corpus accederent: tamen amplioribus a Pontifice Romano Subſidiis & Promiſſis victi, Anno 1438, Martii Die IV, Ferrariam perveniebant, ibique Concilio intererant. Id, cum Peſtilentia non diu ferret, Florentiam eodem Anno extremo translatum, Anno 1439, Die Julii VI, cum præſentibus Græcis, Romani Pontificis univerſalem in Eccleſia Principatum approbantibus, Concordiam inibat, lubrico Fundamento nixam, ideoque mox diſſolutam. Quæ diffuſius expoſita reperimus potiſſimum in Scriptoribus Græcis, Laonico Chalcocondyla de Rebus Turcicis Lib. VI: etiam iis, qui Concilio Florentino interfuerunt, Georgio Scholario de Spiritus Sancti Proceſſione adverſus Latinos, Cap. ultimo: & Sylveſtro Syropulo in Concilii Florentini Hiſtoria, Sectione IX.

XIII His irritati Factis Baſileenſes Patres, quorum Pars WEIGELIUS erat, tandem Autoritatis, quam Eugenius affectaverat, impatientes, Pontificem Romanum, Concilia ſuo Arbitrio celebrandi, transferendi, diſtrahendique Facultatem non habere pronunciabant: Eugenium Anno 1439, Die Junii XXV, Seſſione XXIV, turpiſſimorum Criminum damnabant, & ab Eccleſiæ Gubernaculis removebant: *Eadem*, inquientes, *ſancta Synodus, pro Tribunali ſedens per hanc ſuam Sententiam definitivam, quam fert in his Scriptis, pronunciat, decernit & declarat: Gabrielem prius nominatum, Eugenium IV. Papam & fuiſſe & eſſe notorium*

torium & manifeſtum contumacem, Mandatis ſeu Præceptis Eccleſiæ univerſalis inobedientem, & in aperta Rebellione perſiſtentem, Violatorem aſſiduum, atque Contemtorem ſacrorum Canonum Synodalium, Pacis & Unitatis Eccleſiæ Scandalizatorem notorium, Simoniacum, perjurum, incorrigibilem, Schiſmaticum, a Fide devium, pertinacem Hæreticum, Dilapidatorem Jurium & Bonorum Eccleſiæ, inutilem ac damnoſum ad Adminiſtrationem Romani Pontificii, omni Titulo, Gradu, Honore & Dignitate ſe reddidiſſe indignum. Quem propterea eadem ſancta Synodus a Papatu & Romano Pontificio ipſo Jure privatum eſſe declarat & pronunciat, ac ipſum ab iisdem amovet deponit, privat & abjicit; decernendo nihilo minus contra eundem, ad Exſecutionem etiam aliarum Juris Pœnarum, ad quas hæc eadem ſancta Synodus hac eadem ſua Sententia ipſum condemnat, ulterius fore procedendum: ac eidem inhibet, ne deinceps pro Papa vel Romano Pontifice ſe quovis Modo nominet, ſeu gerat: omnesque Chriſticolas ab ipſius Obedientia, Fidelitate ac Juramentis & Obligationibus eidem quomodolibet præſtitis, abſolvit, & abſolutos eſſe declarat.

XIV Inter hujus Decreti Autores (ut annotatum in Monumentis, partim MStis reperitur) WEIGELIUS, Facundiam Solertiamque ſuam crebris Orationibus, Rationibusque ſolidis oſtendens, ſe multis admirabilem, omnibus amabilem faciebat: maxime Ludovici Cardinalis, Epiſcopi Arelatenſis Sententiam ſæpius & comprobans, & illuſtrans. Quam vero Sententiam Ludovicus foverit, tum aliunde conſtat, tum ex his non inevidenter colligi poteſt, quæ conſignavit Æneas Sylvius (ipſe poſtea Romanus Pontifex Pius II.) de Baſileenſis Concilii Geſtis, Lib. I. extremo: *Neceſſariumque illud fuiſſe Decretum* (Ludovicus) *aſſeruit, ad reprimendam Romanorum Pontificum Ambitionem, qui ſe ſupra univerſalem Eccleſiam extollentes, omnia pro Libidine ſua ſe poſſe arbitrabantur, ne poſt hac Eccleſiam unus Homo, nunc Bononiam, nunc Florentiam: rurſus Bononiam, mox Ferrariam, & deinde iterum Florentiam (ut Eugenius attentavit) traduceret: utque deinceps Romani Pontifices paululum Animum a temporalium Solicitudine Rerum retraherent: qui, ut ipſe vidiſſet, nequaquam de ſpiritualibus cogitarent.* Cæterum, in Eugenii IV. Locum, eodem Anno 1439, Die Novembris XV, Felix V. Pontifex Romanus creabatur a Concilio, quod Anno 1442 finiebatur.

XV. Incertum, Concilio adhuc præsens, an ex eo jam digressus WEIGELIUS Johanni HOFMANNO Silesio, Misnensium Episcopo, suum de Indulgentiis Opus perlegendum emendandumque transmittebat, vel sub Exitum 1140, vel sub Initium 1441. Anni. Tum, etsi Professor Lipsiensis, tamen adhuc Baccalaureus erat. Quamobrem ab Hofmanno, quem Operis oblati propensissimum Æstimatorem habebat, Impendia suppeditaturo, graviter urgebatur, ut Brevi Baccalaureum in Doctorem Theologiæ converteret. Id ex Literis, quas Hofmannus ad Weigelium Anno 1441, Die Martii XXXI, intra Misniam, Stolpenæ scripsit. Eas de Indulgentiis Operi conjunctas reperimus: in quibus exstant: *JOANNES, Dei Gratia, Misnensis Ecclesiæ Episcopus, inter sacræ Theologiæ Professores postremus, venerabili Magistro NICOLAO WEYGEL, in eadem sacra Theologia Baccalaureo formato, Collegii nostri Beatæ Mariæ Virginis & almæ Universitatis Studii Lipicensis Ecclesiarum Canonico, nobis singulariter recommisso, sincerissimeque Dilecto Salutem.* Ibidem post quædam: *Hæc, inquam, Sacrosancta Synodus* (Basileensis) *pro magnis Ecclesiæ Utilitatibus, juxta Concilii Constantiensis Determinationem, in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, in vos & Personam vestram, Vices nostras pro tunc gerentem, Votum suum, jubente eodem Spiritu, securius transfudit.* Quibus ibi post multa subjungit hæc: *In Vinculo sincerissimæ Caritatis Vos admonemus, imo si fas est, Mandato paterno & Affectu Pietatis præcipimus & mandamus: quatenus in his sic studiosius, sicque operosius agatis, ut etiam sub paucorum Mensium Spatio, pro recipiendis Insignis Doctoralibus vos disponatis: atque sic Fasciculus unicus sub Gradu Baccalaureatus vestri feliciter collectus, Doctorali vestra Approbatione in multiplicatum Manipulorum felicius tenoreseat Acervum, cæterorum Doctorum in Ecclesia Dei laborantium Numero felicissime aggregaturus. Paratissimi nempe sumus, ut, sicut ad Cursum vos maturaliter olim in minoribus & magis quieti præsentavimus: ita pro capessendis Magisterii in sacratissima Theologica Scientia Apicibus per Bireti Impositionem nunc Senio confecti, Turbinibusque diversarum Adversitatum, justo Dei Iudicio, excellenter agitati, Laboribus & Expensis minime parcendis curabimus possibiliter habilitare.* Sub Finem: *Datum in Castro nostro Episcopali Stolpen, Die ultima Mensis Martii, Anno Domini M. CCCC. XLI.*

XVI. Quin

XVI. Quin WEIGELIUS Desideriis HOFMANNI mox satisfecerit, non est dubium: quoniam in antiquis Monumentis passim non tantum Theologiæ Professor, sed Theologiæ Doctor etiam dictus reperitur. Laboriosissimus Vir, Arte longa Vitam breviorem sibi reddebat: Tantus Heluo Studiorum, ut Animi Cura propemodum omne Corporis Robur enervaret, Valetudinis negligentissimus. Nam recuperatas exiguo Somno parcoque Cibo Vires mox debilitabat: cum & justo diutius post Somnum Meditationibus inhæreret, & justo citius post Cibum Libris accumberet.

MORS.

XVII. Nondum vel attigerat, vel impleverat Ætatis Annum quinquagesimum, cum apud Lipsienses e vivis excederet, Die XI. Septembris, Anno 1444. Nicolaus Carthusiensis Monachus in Carmine, quod Weigelii de Indulgentiis Operi præmisit, cum viveret, Amicus.

Hanc Collecturam NICOLAUS & ipse MAGISTER,
Collegit WEYGIL, sapiens SLESITAque DOCTOR
Apographiæ: bene custoditur in Annis
Anno Milleno, Quadringentis quoque junctis,
Et Quadragesimo quarto bene mortuus exstat.

Ibidem post quædam:

O Deus immense, cur doctos subtrahis Orbi?
Hic bene fecisset permulta docendo, legendo:
Ipse Senex non erat: melioribus is stetit Annis.

XVIII. Conditorium Lipsiæ consecutus est in S. Nicolai Templo hoc Epitaphio, quod Salomon Stepnerus in Lipsiensibus Inscriptionibus Num. 1807. exhibet: *Anno M. CCCC. XXXXIV. XI. Septembris, obiit venerabilis & eximius Vir, S. Theologiæ PROFESSOR, MAGISTER NICOLAUS WEIGIL. de Pregda, Collegii majoris Collega, Canonicus Ecclesiæ Vratislaviensis, hic sepultus.* Videatur Epitaphium Fratris Casparis Weigelii, quod proferemus Cap. XXXI. §. 3.

SCRIPTA.

XIX. Inter Opera, quæ scripsit, Primum *Orationes varias, potissimum Theologicas*, in Basileensi Concilio habitas, complectitur. Secundum est *de veteri Arte Logica Liber.* Tertium est *Commentariorum de Proprietatibus Liber.*

XX. Quar-

XX. Quartum est, cujus supra meminimus, *de Indulgentiis Tractatus, in quinque Partes, Capitula LXXIX divisus.* Eum Bessario Trapezuntinus, Archiepiscopus Nicænus, ob fidelem in Concilio Florentino pro Ecclesia Romana Operam, per Eugenium IV, Romanum Pontificem, Collegio Cardinalium additus, describi Romamque transferri curavit, suæ Bibliothecæ conjungendum. De quo Anonymus Autor in Academicis Scriptoribus Cap. XVIII: *Superat cuncta, illa, quæ inscribitur immensi Voluminis summa de Indulgentiis quæ incipit: Reverendo in Christo Patri: qua Indulgentiarum Vim Modumque ita metitur, ut in ea Materia (Pace aliorum dicam) nulli secundus de Mundo habeatur.* Idem Tractatus in Vratislaviensium Rhedigeriana Bibliotheca reperitur MStus. Multo plura composuit; quorum Argumenta nondum in Notitiam nostram pervenerunt.

CAPUT XXV.

Ad Annum M. CCCC. XXXXV. Diem XX. Aprilis.

JOANNES MASCHKO,

Sprottaviensis.

VITA.

I.

IN Glogoviensium Ducatu, ad Fluvium Boberum, sitam Urbem Sprottaviam habuit Patriam. Ex ea vicinas ingressus Scholas, cum ad celsiora præparavisset, Ingenium Academicis Studiis apud Lipsienses accommodabat. Ibi non Philosophiæ tantum Magister, etiam Theologiæ Baccalaureus declaratus, in Beatæ Virginis Mariæ Collegio diligentem utilemque Collegam agebat.

MORS.

II. Ibidem multo plura tentaturus, consumtis per Studia viribus, Fato supremo quiescere jubebatur, Die XX. Aprilis, A M.CCCC.XLV. In S. Pauli Templo sepultus, hoc Monumentum (quod Salomon Stepnerus in Lipsiensibus Inscriptionibus ad Num. 1808, retulit) nactus est:

Anno

Anno M. CCCC. XXXXV. Die XX Aprilis, obiit honorabilis Vir, Magister NICOLAUS MASCHKO de Sprottavia, S. Theologiæ Baccalaureus, Collega Collegii Beatæ Virginis.

CAPUT XXVI.

Ad Annum M. CCCC. XXXXVI.

JOANNES BRASIATOR,

Francosteinensis.

VITA.

I.

OB Patriam in Ducatu Monsterbegico Franckesteinium Oppidum, ad Amnem Steinam, quibusdam nominatur JOANNES FRANCKENSTEINIUS. Ex Patriæ Scholis ad Peregrina Lycea progressus, tandem novam eamque clarissimam Literis & humanis, & Divinis Academiam Lipsiensem, in Eruditionis, quam sibi comparaverat, Supplementum adhibebat. Ibi Studiis jam, pro Sæculi Genio, satis excultus, omnium primus Theologiæ Doctor, Anno 1410. creabatur.

II. Post hæc, Ordinis Prædicatorum Monachus, ad potiores Dignitates Ecclesiasticas evehebatur. Vratislaviam pro Sede consecutus, in S. Adalberti Monasterio Vicarium & Reformatorem agebat. Cum Wiclephitarum & Hussitarum Doctrina per Bohemiam in Silesiam propagata non nullos passim Assecias invenisset, a Romano Pontifice constituebatur Hæreticæ Pravitatis, per Diœcesin Vratislaviensem Inquisitor. Denique pluribus Industriæ Scientiæque Documentis conspicuus, Poloniæ Prior Provincialis declarabatur.

MORS.

III. Intra Poloniam Silesiamque, tum Factis, tum etiam Scriptis Famam consecutus, Vratislaviæ subibat Mortem, Anno 1446. Nactus est in Memoriam Inscriptiones. In Vratislaviensium S. Adalberti Monasterio:

Frater JOANNES de FRANCKENSTEIN, primus Doctor Theologiæ Universitatis Lipsiensis, Vicarius & Reformator hujus Vratislavien-

vislavienſis Conventus, Hæreticæ Pravitatis Inquiſitor per Diœceſin Wratislavienſem, Prior ac Provincialis Poloniæ. Scripſit ſuper Pentateuchum: ſuper Sententias: Sermones Magiſtrales, ad Clerum, de Tempore & Sanctis per totum Annum, cum pluribus aliis: Tractatum de Officio Inquiſitionis: de Imitatione Chriſti: & alia multa. Obiit Anno M. CCCC. XXXXVI.

In Suidnicenſium Cœnobiali Templo S. Crucis, ad Braſiatoris Effigiem: *Frater JOHANNES BRASIATOR, de Conventu Franckenſteinenſi, MAGISTER in Theologia, Vicarius & Reformator Conventus Wratislavienſis, Hæreticæ Pravitatis per Diœceſin Wratislavienſem Inquiſitor, ac Prior Provincialis Poloniæ. Scripſit Librum de Imitatione Chriſti, & alia plurima. Obiit Anno M. CCCC. XLVI.*

SCRIPTA.

IV. Præter illa, quorum Argumenta non habemus cognita, Poſteritati reliquit hæc Opera: quæ diſtinctius ex Antiquitatibus MStis recenſebimus. Primum *Sermones Magiſtrales*: Secundum *Sermones ad Clerum*: Tertium *Sermones in Evangelia Dominicalia & Feſtivalia de Sanctis per totum Annum*, continet. Quartum eſt *de Hæreticorum Erroribus Liber*. Quintum eſt *de Inquiſitionis Officio Tractatus*. Sextum eſt *de Chriſti Imitatione Tractatus*. Septimum eſt *in Petri Lombardi Sententiarum Libros quatuor Commentarius*. Octavum eſt *in Moſis Pentateuchum Commentarius*.

CAPUT XXVII.

Ad Annum M. CCCC. XLVII. Diem IX. Auguſti.

CONRADUS,

Dux Olsnenſis.

VITA.

I.

CONRADUS noſter, ex Boleslai Proceri, Sileſiorum Ducis, Stemmate Piaſtæo genitus, Olsnenſium Ducum Conradi Nepos, Conradi Filius, in tribus Fratribus Conradis natu major, ideoque Cognomento SENIOR,

SENIOR, ad Fratrum Conradi Albi & Conradi Junioris Diſcrimen, nuncupatus, Epiſcopatum Vratislavienſem, quem Wenceslaus Dux Lignicenſis Martino V. Pontifici Romano reſignaverat, Anno 1417, ad Imperatoris Sigismundi, Bohemorum Regis Deſiderium, obtinebat. Eodem Anno, Die S. Vincentii, XXII. Januarii, non in Vratislavienſium, ſed in Ormochavienſium Templo per ſolennem Conſecrationem Actionibus Epiſcopalibus initiabatur.

II. Literis non ultra Mediocritatem politus, tantum Eruditionis tamen poſſidebat, quantum Neceſſitas requirebat. In aliis poſthac ſupplecturus, quicquid in ſe ipſo deſiderabat, doctis, maxime Sileſiis, hactenus Æſtimationem juſtam non aſſecutis, peculiari Lege conſulebat. Tum Sileſiorum Paucitatem in omni Clericorum Ordine ſuperabat inſolentior Exterorum Multitudo. Ideo etiam in Epiſcopis eligendis, quoniam inter Canonicos tantum non ſemper Indigenas Suffragiis Alienigenæ vicerant, primum Italorum, deinde Polonorum potior Ratio in quintum Sæculum habita fuerat. Eam Conſuetudinem, quam in primis ob indignos admiſſos, iniquam judicabat, deleturus, æquum faciebat Decretum, ne quis deinceps ullam in Vratislavienſi Eccleſia Provinciam conſequeretur adminiſtrandam, niſi aut Sileſius, aut Teſtimonio Academico declaratus, ſeu Theologiæ, ſeu Juris, ſeu Medicinæ Doctor. Hanc Conſtitutionem approbabat Canonicorum Vratislavienſe Collegium, ipſumque Concilium Baſileenſe confirmabat.

III. Bohemis, non amplius Polonis, addicta Sileſia, cum Gnesnenſis Polonorum Archiepiſcopus, cui Nomen Alberti erat, Epiſcopatum Vratislavienſem, tanquam olim ſuæ Jurisdictioni ſubjectum, perluſtrare cogitaret, id CONRADUS non ferendum ratus, impediebat, ne Albertus, quanquam non Sponte ſua, ſed Martini V. Pontificis Romani Juſſu, alienum ageret Negotium.

IV. Sileſiis omnibus religioſum Sanctorum, præſertim Hedvvigis, Cultum, quem cum Huſſitis ſentientes, tanquam Deo, cujus Honori proprium maximumque Pretium, derogaret, diſplicentem, faſtidiebant, vehementiore Conatu, præcipere nihil veritus, repugnantibus Bilem graviter commovebat. Hinc multi, non tantum plebeji, verum etiam nobiles irritati, partim ſe Bohemis Huſſitis, crebras in Sileſiam Excurſiones facientibus, conſociantes, partim Marte ſuo, in Adverſarios ſæviebant:

viebant: inde, non Bellatorum, ſed Prædonum Cognomen ab Hoſtibus reportantes.

V. Cœterum, ab omni Faſtu alienus, in admittendis promtus, in audiendis patiens, ſingulari Manſuetudine faciebat ſe plurimis, imo cuivis amabilem: in quo, plus Morés Animi, quam Corporis Nævos apud æquos Cenſores valere, patebat. Erat enim Habitu minus grato, brevis & craſſus, lippus & balbus. Difficilem Principis Epiſcopique Mixturam ita ſuſtinebat, ut interdum Libertas Principis, non aboleret quidem, tamen elevaret Epiſcopi Gravitatem. Quo Pacto fiebat, ut rarius poſthabitis Voluptatibus, ad Leges, præſertim humanas, quamvis Eccleſiaſticas, Vitam ſuam non ſemper examuſſim componeret. Quo pertinet, cum Propenſionem in Fœminas præponeret Librorum Studio, qui ſuos Amatores nunquam redamant. Liberalitas, cui ſtudebat, in Abunda tiam proclivis, cum Limites ſuos egreſſa degeneraret, habebat, cur videretur circumſpectioribus excuſabilis, non deteſtabilis Prodigalitas. Certe Incommoda ſæpius temperabat Commodis.

VI. Anno 1419, Territorium Cantienſe, quod Ducum Olsnenſium erat, conſentientibus, & Imperatoris Sigismundi, Sileſiorum ſupremi Ducis, Conſenſu, pro Nummis, quos ſuis Fratribus obtulerat, Epiſcopatui attrahebat, tum reſtituendum, cum Æris Summa redderetur. Quo deinceps mutato Pacto, Cantienſis Terra in Epiſcopi Canonicorumque Proprietatem, Anno 1471, tranſiit. Præterea Ielcium Caſtrum, quod ab Olavienſium Duce Ludovico emerat, Anno circiter 1433, Bonis Epiſcopalibus addidit.

VII. Nec immunis unquam fuit a Belli Calamitatibus, quas Bohemi aliique Vindices tum Mortis, qua Concilium Conſtantienſe Johannem Huſſum exſtinxerat, tum etiam Veritatis, quam ille profeſſus erat, Flammas Flammis, Mortem Morte puniturі, partim etiam Sileſiorum Terris, potiſſimum Romanorum Sacrorum Aſſeclas Poſſeſſores habentibus, inferebant Ideo, cum mallet carere paucis, quam omnia perdere, prudenter Bonorum Eccleſiaſticorum Partem quandam aut oppignorabat, aut vendebat, ne totum amitteret Corpus.

VIII. Otmuchovienſium Arcem Anno 1429 amittebat: Eccleſiam oppreſſam Anno 1430, dolebat: Arcem Urbemque difficulter Anno 1435 recuperabat: iterum ereptam, Anno 1443, a Bohemis Pecunia victis, ad priorem cum Eccleſiaſticis Terris Connexionem revocabat.

IX. His

IX. His aliisque Modis Ærarium enervantibus defatigatus CONRADUS, neque ſuum Genium defraudaturus, & Epiſcopalia Bona conſervaturus, pro Temporum illorum Statu Reditibus non Impendiorum Oneri reſpondentibus, minime contentus, Epiſcopatum Creditoribus ſubinde pluribus faciebat obligatum.

X. Eum à tot Debitis, tot inde natis Querelis tandem liberaturus, Canonicis reddebat, Damna per novum Præſulem, præſentia quidem diſſoluturis, futura vero depulſuris. At, cum intenta Vitæ Subſidia non ad Votum aſſequi poſſet, depoſitum Epiſcopale Pedum, ſtimulantibus Fratribus, invitis Canonicis, connivente Pontifice Romano, reſumtum, quamdiu ſpirabat, retinebat.

MORS.

XI. Morti proximus, Anno 1423, magnum evadebat Periculum. Pedes à Ponte protulerat, qui trans Viadrum in Inſula poſitus erat, cum fractus complures ſubmergeret Homines, Proceſſionem continuaturos. Poſt illa diu ſuperſtes, cum Epiſcopatui per Annos XXX præfuiſſet, Vitam Anno 1447, Die Auguſti IX, in Ielciano Caſtro finiebat. Corpus in Vratislavienſium Cathedrali Templo tradebatur Conditorio.

SCRIPTA.

XII. Ingenio ſatis ad liberales Artes apto, maxime *Poetica* & *Muſica* delectabatur. Qua ductus inveniebat plurimas, easque non contemnendas Cantilenas. Quarum vero nihil in noſtram Notitiam pervenit.

XIII. Clericorum ſuorum depravatis Moribus emendandis, Anno 1446, in Vratislavienſium Epiſcopali Curia celebrabat Synodum. Hujus *Decreta* reperiuntur antiquis Eccleſiæ Cathedralis Vratislavienſis Statutis Synodalibus, quæ Martinus Epiſcopus Vratislavienſis collegit, addita, Vratislaviæ, Anno 1585, edita in 4.

CAPUT XXVIII.

Ad Annum M.CCCC. LI. Diem XXVI. Martii.

JOANNES HOFMANNUS,

Svidnicensis.

VITA.

I.

INtra Svidnicium, in Cognomine Ducatu primariam Urbem, XIV. Sæculo decurrente natus, pro Temporis sui Genio, magnam in humanioribus, majorem in sublimioribus Studiis Operam fixerat, cum Artium Liberalium Magister, cum Theologiæ Doctor in Pragensium Academia crearetur. Quibus Honoribus conspicuus ibidem Professor Juventutem virilem singulari Successu docebat.

II. Illo Ævo, cum Joannis WICLEFI Angli Doctrinam, Ecclesiæ Romanæ contrariam, Joannes HUSSUS Bohemus Literis sacris respondere, Pragensibus ostendere sustineret: Dissensus inter Viros eruditos, magis magisque Vires nactus, aliam postea dissidentibns afferebat Odii Materiam. Hinc, ab Anno 1401, Germanos Bohemi, Bohemos Germani persequebantur. Tum HOFMANNUS noster in Germanis eminens, Causam suæ Partis fortiter defendebat.

III. Præerat Athenæo Pragensi Gubernator, ultimus è Germanis, Henningus BOLDENHAGENIUS: quemadmodum Joannes Fridericus in Academiæ Lipsiensis Panegyrico Sæculari tradit: omnino in Errorem [ignoramus, quo Duce] prolapsus.

IV. Nam, si meliores audimus Testes, fuit Academiæ Pragensis, ante Multitudinem Docentium atque Discentium incredibilem, sub Anni 1408. Exitum, & 1409. Principium, Rixis fatalibus dissolutam postremus è Germanis Rector HOFMANNUS. In quam Sententiam eunt, præter alios, Joannes Cochlæus in Hussitarum Historia Lib. I. & Lib. VI. Georgius Fabricius in Originibus Saxonicis, Lib. VII. & in Saxoniæ Memorabilibus, Lib. II. ad An. 1408. & in Urbis Misnensis Annalibus Lib. II. ad An. 1413. Martinus Boregkius in Chronico Bohemico, ad Annum 1409. Matthæus Dresserus in Historiarum Millenario VI. Parte II. Misnensium Episcopo 36. Stephanus Ritterus in Cosmographia, Lib. IV. de Lipsia. Bohuslaus Balbinus in Rebus Bohemicis, lib. IV. Cap. IV. Georgius Crugerius in Regni Bohemici Pulveribus sacris, ad Diem Martii XXVI.

V. Sicut igitur HOFMANNUS Potestatem in Academicos Cives præcipuam possidebat: ita semper in suorum Auxilia vigilantissimus, nocturno periculosissimoque Motu, qui plurimis Germanis Exitium minabatur, Autoritate sua Ludolfum Meystermannum, Magistrum Saxonem, jam vulneratum, sævientium Manibus ereptum protegebat, cæterisque Germanis Securitatem reddebat.

VI. Cum Germanis, Anno 1409 Praga discedentibus, Lipsiam concedebat. Ibi, cum FRIDERICUS & GVILIELMUS Saxonici Duces, quos ipse, cum Joanne OTTONE Silesio, & Vincentio GRUNERO Misnico, prudentissimis Rationibus incitaverat, eodem Anno Academiam condidissent, Professoribus Academicis adscribebatur. Eam Provinciam, ut illa postulabat Ætas, sic administrabat, ut Facundia promtus, Doctrina copiosus, omnibus, & Philosophiam, & Theologiam tum in unum Corpus associari solitas, subtiliorem in modum percipere cupidis satisfaceret: Itaque non modo Philosophus, verum etiam Theologus consummatissimus existimaretur.

VII. Hanc ei Laudem non invident, Anonymus in Centuria de Lipsiensibus, Wittebergicis & Francofurtanis Scriptoribus, Cap. XVI: ubi vocatur Vir, *in dicendo sua Ætate singularis, Artium & Philosophiæ indefessus Perquisitor, Theologus consummatissimus.* Georgius Crugerius in Regni Bohemici Pulveribus sacris, ad Diem Martii XXVI: *Sui Sæculi in Germania, præterquam profana, divina insuper Theologiæ Scientia excultissimus habebatur.*

VIII. Lipsiensis Academiæ primus, Anno 1409, Rector, non, ut Bohuslaus Balbinus in Rebus Bohemicis, Lib. IV. Cap. IV. narrat, è Silesiis Joannes quidem, non autem HOFMANNUS Svidnicensis, sed OTTO Monsterbergius erat: ut Cap. XVIII. diximus: & Academicos Rectores complexus Index, quem Lipsiensibus Chronicis Tobias Heidenreichius & Zacharias Schneiderus inseruerunt, ostendit. Anno 1413, Rectorem ibi noster HOFMANNUS octavum agebat: mox ad Honores multo ampliores evehendus.

IX. Eodem 1413. Anno, Die Junii XXIII, ut Georgius Fabricius in Ur-

Urbis Miſnenſis Annalibus, Lib. II, ad Annum 1413. refert, claudebat Vitam Rudolphus PLAUNICIUS, Epiſcopus Miſnenſis: quem aliquanto citius, Anno 1411, mortuum, Martinus Boregkius in Bohemiæ Chronico, ad Annum 1411. narrat: longe tardius, Anno 1427, mortuum Paulus Langius in Citicenſi Chronico, ad Annum 1427. commemorat.

X. Plaunicio Miſnenſes Canonici, eum mire prius diſſenſiſſent, tandem planè conſentientes, Succeſſorem dabant JOANNEM IV. HOFMANNUM, primum ex Lipſienſibus Theologiæ Profeſſoribus Miſnenſem Canonicum, Oratione ſvaviſſimum, Actione prudentiſſimum.

XI. Sunt, quibus Anno 1413, Epiſcopus creatus ſtatuitur. Inter hos id Zacharias Schneiderus, in Lipſienſi Chronico, Lib. III. aſſerit. At eos in Errorem forſan duxit Georgius Fabricius obiter inſpectus. Is Plaunicium Anno 1413, IX. Calendas Julias, mortuum, in Urbis Miſnenſis Annalibus, ad Annum 1413, tradit. Addit poſtea de Miſnenſibus Canonicis: *Cum igitur ſeptem Menſes acerbis Animis contendiſſent, tandem Joannem HOFMANNUM, Sveidnicii in Sileſia natum, Theologiæ in Lipſienſi Academia Profeſſorem & Canonicum Miſnenſem, ſuffragiis communibus nominant.* Inde colligas HOFMANNUM, non 1413, ſed 1414, Anno, declaratum Epiſcopum.

XII. Quotus in Miſnenſibus Epiſcopis fuerit, Hiſtoricorum Narrationes diſcrepant. Fuit enim XXXVI: ut referunt, Paulus Langius in Chronico Citicenſi, ad Annum 1427. Mattthæus Dreſſerus in Hiſtoriarum Millenario VI. Parte II. Epiſcopo Miſnenſi XXXVI. Gabriel Bucelinus in Germania ſacra, Parte I. in Epiſcopis Miſnenſibus. At XXXVIII. fuit: ſicut indicant, Georgius Fabricius in Miſnenſis Urbis Annalibus, ad Annum 1413. Nicolaus Reuſnerus in Præſulum Miſnenſium Catalogo. Petrus Albinus in Provinciali Chronico Miſnenſi, Titulo XXI.

XIII. Tum Eccleſiam Romanam in tres Partes mirum in Modum diſtrahebant totidem Capita, Benedictus XIII, Gregorius XIII, Joannes XXIII, Romani Pontifices: quisque ſuos in Populis Aſſeclas nacti: de Gubernaculis, quibus univerſis ſinguli gaudebant, ſinguli cum cœteris certantes. Horum Præſulum omnium, & Doctrinam & Regimen damnantes Bohemi, Joannem Huſſum ſequentes, Sacra ſua per vicinas Provincias, in primis

mis Moraviam, longe lateque propagabant. Cujus Schiſmatis Memorabilia proferunt, Theodoricus Niemus in Hiſtoria de Joannis XXIII, Pontificis Romani Vita: quam Henricus Meibomius primum edidit. Baptiſta Platina in Pontificum Romanorum Vitis. Joannes Marius in Libro de Schiſmatibus & Conciliis, Parte III. Cap. XIII. Anonymus in Paralipomenis ad Conradi Urſpergenſis Chronicon, Annum 1415. Joannes Lydius in Caſtigationibus ad Gabrielis Prateoli Conciliorum Hiſtoriam, Concilium XC. Thomas Zechorodus in Marte Moravico, Lib. IV. Cap. IV. Ipſa Concilii Conſtantienſis Acta, quæ Philippus Labbeus & Gabriel Coſſartius ediderunt, Tomo XII. Seſſione XI.

XIV. In tot tantisque Diſſidiis, Animos Chriſtianos ad Concordiæ prioris Conſtantiam revocaturus SIGISMUNDUS Romanorum Imperator, Concilium intra Conſtantiam Urbem celebrandum indicebat: quod ipſius etiam Cæſaris Præſentia, Principum, Comitum, Baronum, Equitum, non tantum Patriarcharum, Cardinalium, Epiſcoporum, Abbatum, aliorumve numeroſiſſima Copia ſplendidiſſimum erat.

XV. Eò FRIDERICUS Saxonum Dux, Hortatu Cæſaris, mittebat Epiſcopos ſuos, NICOLAUM Martisburgenſem, GERARDUM Naumburgicum, noſtrumque JOANNEM Miſnenſem. Hic, nec ſibi, nec ſuis defuturus, in neceſſarium Impendiorum Supplementum, Henrico Oderano, Abbati Veterocellenſi Noſſam Oppidum vendebat, Collegioque ſuo Pecunias extraordinaria Promtitudine conferendas imperabat: quantas ex Miſnenſibus Epiſcopis nullus à Canonicis exegerat. Ne ſic quidem malè: quoniam reſiduas duobus Pagis, Wilsdorfio & Smolino emendis augendisque conſumſit.

XVI. Ingreſſus Concilium, cui dedit Annus 1414, Novembris XVI. Dies Initium, HOFMANNUS tanto magis Patribus congregatis eximium oſtendebat Judicium ſuum, quanto gravioribus, & Controverſiis expediendis, & Decretis condendis aderat: ex quibus in Exemplum nonnulla proferemus: quæ partim editis, partim Mstis Actis debemus.

XVII. Primum ipſe Calculo etiam ſuo approbabat Legem, qua Concilium omnem Pontificum Romanorum Doctrinam Poteſtatemque Conciliis generalibus ſubjiciebat. Eam Legem, Anno 1415, Seſſione V, Die VI. Aprilis, omnium Nomine publicabat Andreas, Poſnanienſis

Episcopus electus, Jagellonis, seu, quemadmodum Christianus vocabatur, Vladislai IV, Polonorum Regis Legatus: *Hæc*, inquiens, *sancta Synodus Constantiensis, Generale Concilium faciens, pro Exstirpatione istius Schismatis, & Unione & Reformatione Ecclesiæ Dei in Capite & in Membris ad Laudem omnipotentis Dei, in Spiritu Sancto legitime congregata, ad consequendum facilius, securius, liberius, Unionem & Reformationem Ecclesiæ Dei ordinat, definit, decernit, & declarat, ut sequitur. Et primo declarat, quod ipsa in Spiritu Sancto legitime congregata, Concilium Generale faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans, Potestatem à Christo immediatam habet, cui quilibet cujuscunque Status vel Dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur, in his, quæ pertinent ad Fidem dicti Schismatis & Reformationem dictæ Ecclesiæ in Capite & Membris. Item declarat, quod quicunque, cujuscunque Conditionis, Status, Dignitatis, etiamsi Papalis, qui Mandatis, Statutis, seu Ordinationibus aut Præceptis hujus sacræ Synodi & cujuscunque alterius Concilii Generalis legitime congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contemserit, nisi resipuerit, condignæ Pœnitentiæ subjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia Juris Subsidia, si Opus fuerit, recurrendo.*

XVIII. Præterea noster HOFMANNUS eodem Anno 1415, Die Maji XXIV, Sessione XII, præbebat Assensum Decreto, quo Concilium Pontifices Romanos, Benedictum XIII, Gregorium XII, Joannem XXIII, ab Ecclesiæ Gubernaculis prorsus removebat. Id Decretum Martinus, Episcopus Atrebatensis publicabat his Verbis: *Item statuit, decernit & ordinat dicta* [Constantiensis] *sancta Synodus pro Bono Unionis Ecclesiæ DEI, quod nullo unquam Tempore reeligatur in Papam Dominus Balthasar Cossa, nuper Joannes Papa XXIII: nec Angelus de Corario, Gregorius XII: nec Petrus de Luna Benedictus XIII, in suis Obedientiis sic nominati. Et, si contrarium fieret, id sit ipso Facto irritum & inane: nullusque cujuscunque Dignitatis vel Præeminentiæ, etiamsi Imperialis, Regalis, Cardinalatus vel Pontificali Dignitate præfulgeat, eis vel eorum alteri contra hoc Decretum ullo unquam Tempore obediat, seu adhæreat, sub Pœna fautoriæ dicti Schismatis & Maledictionis æternæ: ad quas contra Præsumtores, si qui in posterum fuerint, etiam cum Invocatione Auxilii Brachii secularis & alias rigide procedatur. Datum Constantiæ, Provincia Moguntinensis, in Sessione publica, in majori*

majori Ecclesia, solenniter celebrata, Die Mercurii XXIX, Mensis Maji, Anno Domini 1415. Indictione VIII.

XIX. Eodem 1415 Anno, Die Julii VI, Joannes HUSSUS, Ecclesiasticis Romanorum Placitis Autoritatem divinam nequicquam opponere gavisus, Hæresis à Concilio damnabatur, Flammisque consumebatur. Id noster HOFMANNUS, cum Pragæ commoraretur, ab Husso Privilegiis Germanorum Academicis Autoritatem Regiam opponente victus, incertum, quo Animo, perferebat. Cæterum, ne Joannis HUSSI, quod à pluribus Injustitiæ postulabatur, Supplicium VRATISLAVIENSIBUS, in deteriorem Partem acceptum, ab Ecclesiæ Romanæ Consortio discedendi Materiam præberet, pium justumque Synodus Constantiensis demonstrare conabatur Literis ad WENCESLAUM, Ducem Lignicensem, Episcopum Vratislaviensem, eique subditos Clericos, Anno 1415, Die Julii XXVI, exaratis. Quas Constantiæ scriptas, non universas quidem, tamen magnam, si non maximam Partem in medium profert Joannes Cochlæus, Norinbergensis, Canonicus Vratislaviensis, in Hussitarum Historia, Lib. III.

XX. Quemadmodum HOFMANNUS hoc intra Concilium, cui Annus 1418, Dies Aprilis XXII, Finem attulit, Personam suam egerit, præter alios, annotaverunt, Joannes Cochlæus in Hussitarum Historia Lib. I: *Magister Joannes HOFMAN, qui tunc Rector erat Universitatis, postea Episcopus Misnensis factus, in Concilio Constantiensi præclara Eruditione insignis inter Episcopos illius Temporis enituit.* Quibus Verbis utitur Abrahamus Bzovius in Annalibus Ecclesiasticis, Tomo XV, ad Annum 1408. Num. XIX. Matthæus Dresserus in Historiarum Millenario VI. Parte II. Episcopo Misnensi XXXVI: *Adfuit in Concilio Constantiensi, ubi Fama & Celebritate Nominis omnes Theologos superavit.*

XXI. Ita Nominis sui Claritatem majorem HOFMANNUS ad Misnicos reportabat, ad Silesios transmittebat: ex quibus in Concilio federant HENRICUS IV. Rapoldus, Henrici VIII. Passeris Filius: & RODULPHUS, Joannis Filius, Henrici VIII. Passeris Nepos, Duces Saganenses: Anno 1415, Die XVII. Aprilis, Sessione VI: Die II. Maji, Sessione VII: Die XIII Maji, Sessione IX. Die XIV Maji, Sessione X: Die XV Maji, Sesione XI: Die XXIX Maji, Sessione XII. Pro quibus eidem Concilio subscripsit Theodoricus Cintembergius, Ubra-

bracensis Episcopi Cancellarius, eodem 1415 Anno, Calendis Novembribus, Sessione XX.

XXII. Constantiâ Domum reversus HOFMANNUS frequentibus suorum Damnis experiebatur, Joannis HUSSI & HIERONYMI Pragensis, Bohemorum Vitam, non Famam, non Doctrinam exstinctam: cujus Propagatores Bohemi, Moravis aliisque Sociis freti, *se duorum Martyrum Sanguini, dum possent, Adversariorum innumerabilium Sanguine parentaturos: Ferro Servitutem à Conscientiis temerariam depulsuros: Ferro Libertatem in sacris integram defensuros, conjuraverant.* Dictis Facta respondebant, cum pro Christi Calice Christianis Laicis negato pugnantes, Duce Joanne Trosnovio, quem altero privatum oculo Ziskam, id est, Cœlitem, Bohemi vocabant, strenuis Armis ubique Locorum invaderent Hostes suos. Hanc Bohemorum ardentem Iram in acriores Ignes suscitabant, Martinus V. Pontifex, & Sigismundus I. Imperator Romanus, in Hussitarum delendum Nomen conspirantes. Pontifex quidem, Anno 1420, Calendis Martiis, omnibus Christianis Husitas opprimentibus aut oppressuris spondebat liberalem Peccatorum Veniam. Imperator autem, cum Apoplexia Wenceslaum Bohemorum Regem sustulisset, fraterni Regni cupidus, sed à Bohemis repudiatus, cujus Fidem Husso publice datam, publice violatam conquerebantur, Specimen Husitis daturus, in quos Arma præparabat, Joannem Krasam, Civem Pragensem, quia Constantiensi Concilio, tanquam in Ecclesiam: & Romano Imperatori, tanquam in Rempublicam injurio, Autoritatem audace Lingua subtrahere, nihil erat veritus, Anno 1420, intra Silesiæ Caput, Vratislaviam, quam Die Januarii VI. intraverat, Equis ex Urbe tractum Flammis redigebat in Cineres, Die Martii XXIV. Ibidem Cives, [post seditiosos Senatorum Interfectores, Suppliciis aut sublatos, aut territos] universos, ne Doctrinam Hussiticam vel amplecti, vel propagare studerent, graviter admonebat: quibus ad Hæreticos exstirpandos etiam Ferdinandus Episcopus Lucensis, Martini V. Pontificis Romani Legatus, Hortator assiduus erat. Inde Sigismundus Cæsar, ingentibus Silesiorum Auxiliis, XV Duces, in quibus Henricus Rapoldus Saganensis, Concilii Constantiensis Assessor, eminebat, continentibus, ipsisque Friderici & Guilielmi Fratrum, Marchionum Misnensium Copiis instructus, contra Husitas in Bohemiam contendebat. De quibus agunt, Æneas Sylvius in Historia Bohemica, Cap.

Cap. XXXVIII & XLIV. Joannes Cochlæus in Hussitarum Historia, Lib. IV & V. Georgius Fabricius in Originibus Saxonicis, Lib. VII. Jacobus Schickfusius in Silesiæ Chronico, Lib. I. Cap. XXXII. Zacharias Theobaldus de Bello Husitico, Parte I. Cap. XXVIII. & sequentibus. Thomas Zechorodus in Marte Moravico, Lib. IV. Cap. IV.

XXIII. Tanto Cæsaris Apparatui Propositoque Robur suum opponentes Bohemi, prospero suorum, nullo Cæsareanorum Successu, insolentiores, postea crebis Excursionibus Misnenses invadebant: & in primis Episcopum Misnensem, HOFMANNUM nostrum, HUSSI, non modo Pragensem, sed etiam Constantiensem Inimicum vehementer affligebant: qui Cladem ab Hostibus maximam, Anno 1429, sentiebat, cum Procopius Rasus & Petrus Malticius, Hussitarum Duces universam Misnensium Provinciam Cædibus, Rapinis, Flammis devastarent.

XXIV. Victores Hussitas, cum Felicitatis suæ Gloria Doctrinam Hussiticam extendentes, omnibus Adversariorum suorum Terris, Bohemicis, Moravicis, Austriacis, Hungaricis, Silesiacis, Lusaticis, Marchicis, Misnicis, Thuringicis, Variscis, Franconicis, Bavaricis, Palatinis molestissimos, tandem Viribus majoribus oppugnandos ratus Martinus V. Romanus Pontifex, per Julianum Diaconum Cardinalem Indulgentias universis Hussitarum Persecutoribus pridem oblatas, Anno 1431, Die Januarii X, renovatas exhibebat. Consimiles per eundem Julianum, in Germania Legatum suum, Eugenius IV. Pontifex Romanus, in Norinbergensibus Imperii Romani Comitiis, ubi de Bohemis Hussitis eradicandis agebatur, eodem Anno publicabat.

XXV. Is Julianus Literis eodem Anno, Die Martii XX scriptis, HOFMANNUM, Nomine Romani Pontificis Eugenii IV. admonebat, ut Indulgentias Hussitis exitiales, singulis Diebus sacris, quam diu Bellum gereretur Hussiticum, intra Misnensem Episcopatum, in Templo prælegi commendarique juberet.

XXVI. Id, quo Pacto fuerit exsecutus, hac Epistola docet HOFMANNUS. *JOANNES, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia, Episcopus Ecclesiæ Misnensis, universis & singulis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, ac eorum Loca tenentibus Prædicatoribus per Diœcesin nostram Misnensem ubilibet constitutis, Salutem & sinceram in Domino Charitatem. Literas*

ras Reverendissimi in Christo Patris & Domini, Domini JULIANI, Apostolicæ Sedis per Germaniam Legati, recepimus: quarum Tenorem Vobis una cum præsentibus transmittimus, nostro Sigillo sigillatum, earumque Vigore ac Apostolica Autoritate, nobis in hac Parte concessa, & Vobis & vestrum cuilibet, in Virtute sanctæ Obedientiæ, districtius sub Excommunicationis Pœna, præcipiendo mandamus: Quatenus quilibet vestrum, ipsius Literas, earumque Tenorem sive Mentem, singulis Diebus Dominicis & Festivis, coram Populo vestro publicare materna Linguæ curetis, Populum ad assumendum Crucem, ad proficiscendum contra damnatos Hæreticos, exhortemini: ac earundem Literarum debitæ Executioni fideliter & diligenter intendatis. Cum autem de idoneis ordinandis Confessoribus, qui Scientiam habeant debite inter Peccata discernendi, attentius circumspicere expedit, tales, de quorum Idoneitate & sufficienti Scientia verisimiliter confidimus, in Locis subscriptis ad audiendum Confessionem sibi confiteri, & Operam possibilem ad hoc sanctum Negotium exsequendum præstare volentium, & Absolutionis Beneficium, secundum Formam Ecclesiæ sanctæ, impendendum, constituimus & ordinamus: Eisdem sic ordinatis Confessoribus injungentes, ut Deum pro Oculis habentes, sic prudenter sibi injunctum, in hoc Negotio Fidei, Officium exsequantur, ut in absolvendo Formam Ecclesiæ observent, Limites sibi traditæ Potestatis non excedant, & Saluti proficiant Animarum. Datum Stolpen, Anno Domini M. CCCC. XXXI. Feria tertia post Dominicam Jubilate, nostro sub Sigillo.

XXVII. Præter Hussitas HOFMANNUS Terris suis graves Adversarios experiebatur Barones Birkios Daubanos, in Prædam & Cinerem omnia Villicorum convertere solitos: ad Arcem Lomam, Hoënsteinensi propinquam, Domicilium nactos. At eos ita coërcebat, ut è Vicinia decedentes, Mulbergum ad Albim, quod emerant, in Sedem tutiorem sibi deligerent.

XXVIII. Beatæ Virginis Collegium Lipsiense, cujus Fundamenta Joannes OTTO Monsterbergius posuerat, ab eo, cum Mortem obiturus esset, sibi commendatum. HOFMANNUS ita suis perficiebat Sumtibus, ut in eo quidam e Silesiis Ephori certis Reditibus annuis etiamnum gaudeant.

XXIX. De Silesiorum in hoc Collegium recipiendorum Numero, quem aut OTTO, aut HOFMANNUS intenderit, Dissensus reperitur.

ritur. Nam eorum sunt *Quatuor:* ut Zacharias Schneiderus in Chronico Lipsiensi narrat Lib. VI. *Quinque:* Sicut commemorant, Joannes Fridericus in Academiæ Lipsiensis Panegyrico Sæculari. Tobias Heidenreichius in Lipsiensi Chronico. Martinus Zeilerus in superioris Saxoniæ Topographia, de Lipsia. Nicolaus Henelius in Silesia Togata MSta, Lib. IV. Cap. XVIII. *Sex:* ut Stephanus Ritterus in Cosmographia, Lib. IV. de Lipsia refert.

XXX. Ecclesiasticæ Disciplinæ studiosus, non ferebat impune Mores pravos. Quamobrem, Anno 1448, cum in Lipsiensium Afrano Cœnobio Canonicus Regularis Rem Divinam, non regulariter, sed enormiter facturus, sic ad Aram accessisset, ut oculis nullum Officium Temulentia concederet: HOFMANNUS assumto in Negotii Partem Joanne Falckenhaynio, ejusdem Monasterii Præposito, neglectis Legibus sacris Observantiam instaurabat.

MORS.

XXXI. Per ipsos XXXV Annos Præsul Misnensis, admodum senex, inter Ævi sui doctissimos, Anno 1451, Die Martii XXVI, Rebus humanis eximebatur.

SCRIPTA.

XXXII. Inter Opera Literaria, quæ Posteritati reliquit, Primum est *in Dialecticam Commentarius.* Secundum est *in quasdam Philosophiæ Partes Commentarius.* Tertium est *de Christi Jesu Pueri Inventione Liber.* Quartum est *de Beatæ Virginis Mariæ Præsentatione Liber.* Quintum est *Quæstionum Theologicarum cum Solutionibus Liber.* Sextum sunt *de Missæ Officio & Actionibus omnibus Libri VI.* ad Fridericum & Guilielmum Fratres, Marchiones Misnenses. Septimum sunt *in Vincentii de Mundi Fine Tractatum Commentarii.*

XXXIII. Ad hæc Scripta, quæ, Curis aliis nimium distractus, satis elaborare non poterat, communibus Studiis absolvenda, Joannem Meleerum, Theologum Lipsiensem, in Vratislaviensium Civitate commorantem, ad se vocaverat. Sed huic Consilio non respondebat Eventus. Ad HOFMANNUM contendenti Melcero Misnenses Urbes, Stolpena Morbum, Dresda Mortem, Pirna Tumulum afferebant.

CAPUT

CAPUT XXIX.

Ad Annum M. CCCC. LII. Diem XXIV. Auguſti.

JOANNES ELGOTHUS,

Eques Namslavienſis.

VITA.

I.

IN Vratislavienſium Ducatu, Namslavienſium Diœceſi, etiamnum ſupereſt ELGOTHUM Pagus, Equitum olim Sedes, unde Cognomen ELGOTHORUM acceperunt. Ex iis JOANNES, cujus Proſapiam non invenimus annotatam, Studiis addictus, ſe, pro ſui Temporis Habitu, ſatis æſtimabilem in Modum nobilitavit: per quæ Dignitatem geminam eſt conſecutus, & Juris Canonici Doctor, & Cracovienſis Canonicus.

MORS.

II. Supremum obiit Fatum Anno 1452, Die XXIV Auguſti. Sepultus in Cracovienſium S. Stanislai Baſilica, Monumentum ibidem hoc nactus eſt: *Hic jacet venerabilis & egregius Vir, Dominus JOANNES de ELGOTH, Decretorum Doctor, Scholaſticus & Canonicus Cracovienſis. Obiit ſub Anno Domini Milleſimo, Quadringenteſimo, Quinquageſimo Secundo. XXIIII. Menſis Auguſti.*

CAPUT XXX.

Ad Annum M. CCCC. LVI. Diem III. Februarii.

PETRUS NOVACUS,

Niſſenſis.

VITA.

I.

IN Territorio Niſſenſi Pagus NOVACUM, plerisque NOVAGUM dictus, PETRUM noſtrum progenuit: unde NOVACI Cognomentum nactus eſt: humili plebejaque Familia: cui Splendorem magnum primus per Literarum conſpicuam excellentemque Culturam intulit.

II. Juris Canonici Doctor, inter Canonicos Vratislavienſes ad Præpoſiti Munus aſcenderat: quibus ſe Prudentia quoque, non tantum Eruditione, potiſſimum Induſtria commendabat.

III. CONRADUS, Epiſcopus Vratislavienſis, Dux Olsnenſis, Anno 1447, Die IX Auguſti, e vivis abierat. Tum Canonici Vratislavienſes novum deſignaturi Epiſcopum, quo ſe converterent, dubii hærebant. Epiſcopatus enim adeo grande contraxerat Æs alienum, ut ab eo niſi per Epiſcopum aut maxime divitem, aut minime prodigum, ſingulari Munificentia Prudentiaque liberari non poſſet.

IV. Sub Electionis Principium intendebant opulentum: cujus Liberalitas debitam Creditoribus Pecuniam ſolveret. Hac ſpe prius expetebant JOANNEM, Laurentii ZAREMBÆ, Poloni, Caſtellani Siradienſis, Capitaneique Vielunenſis, Filium; cujus Pater Honore gaviſus, Onere gravatus, Invitatoribus dabat Repulſam. Mox Theodoricum WEINRICHIUM, Cracovienſem, in Patria celebrem Sacerdotem, ad Suſceptionem Dignitatis ſollicitabant per Joannem Lautſchœlerum, Vratislavienſem Canonicum. At huic etiam deerat Voluntas, etſi non deerat Facultas impendendi Nummos ſuos, quos augere, quam minuere malebat. Ita, cognominatum aureum Epiſcopatum, Auro juvandum, repudiabant, quos Auri non tam Honor exornabat acquiſiti, quam oblectabat acquirendi Amor.

V. Quamobrem ab Exteris ad ſuos converſi Electores, Die V. Septembris, conſentientes, Collegam ſuum NOVACUM, tum Officialem Generalem, cenſebant dignum Epiſcopatu, a Nominibus factis per Solutionem vindicando: quam, licet non Pecunia, ſed tamen Parſimonia Curaque ſua præſtiturus ſit.

VI. Cujus, ſeu Epiſcopi, ſeu Archiepiſcopi fuerit, ad Sileſiorum Legem conſecrare NOVACUM, in dubium vocari poteſt. Nam Sileſii dudum a Polonis ſeparati, cum Bohemis Societatem inierant: quam Joannes Bohemorum & Caſimirus Polonorum Rex ſic approbaverant, ut ex eo nihil Juris amplius in Sileſiam Regi Polonorum ſupereſſet. Adhæc Vratislavienſis Epiſcopatus ſpeciatim Bohemorum Regem agnoverat Dominum Patronumque ſuum, per Literas Anno 1342,

& 1358, Vratislaviæ ſcriptas: quas Bohuslaus Balbinus edidit in Miſcellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. VIII. Volumine I. Parte III. Epiſtola VI & VII. Quare NOVACUS a Bohemorum, non a Polonorum Archiepiſcopo inaugurari debuerat.

VII. Tamen, quo Jure, non ſatis exploratum habemus, NOVACUS a Vincentio Kochio, Archiepiſcopo Gnesnenſi, tanquam Metropolitano, a quo Canonici Vratislavienſes, Andreas Schola & Jaroslaus Kanckolouskius pro Collegio ſuo Approbationem Electionis obtinuerant, per Joannem, Suffraganeum ſuum, Epiſcopum Nalurienſem, Die XXII Octobris, ſolenniter in Templo Vratislavienſium Cathedrali declarabatur Epiſcopus.

VIII. Idque conſignatum reperitur in Diplomate, quod intra Poloniam in Oppatoviano Gnesnenſis Archiepiſcopi Caſtro, Anno 1447, Die Octobris X compoſitum, exſtat. Præterea Joannes Dlugoſſus, Canonicus Cracovienſis [Anno 1480 mortuus] annotavit in MStis, tum Hiſtoriis Polonicis, Lib. XIII. ad Annum 1447. tum etiam Epiſcoporum Vratislavienſium Vitis, Num. XXXI.

IX. Hæc Canonicorum Vratislavienſium Acta minus placebant Sileſiæ Ducibus: ex quibus Hoſtem NOVACUS experiebatur Guilielmum, Oppavienſium Ducem, Armis Epiſcopalia Prædia devaſtantem: poſt Clades non paucas denique Vladislai, Teſchinenſium & Glogovienſium Ducis Auxilio Pacem adeptus.

X. Non decipiebat NOVACUS Exſpectationem: cui, per exiguum Temporis Spatium, Induſtria Solertiaque, pro virili, ſatisfaciebat, oppignoratos Pagos redimendo, Eccleſiaſticisque Bonis, quantum licebat, inſtar optimi Patris, conſulendo.

XI. Anno 1450, Vratislavienſes Jubilæum Feſtum, quod Nicolaus V. Pontifex Romanus indixerat, celebrabant. Ille, cum Baſileenſe Concilium Laicis etiam Poculum in Euchariſtiæ Sacramento porrigendum ſtatuiſſet, ſolicitus, ne plures in Sileſia Doctrinis Huſſiticis clam, quam palam, addicti, a Romana Eccleſia Defectionem partim ſtabilirent, partim proveherent: ideo ad Sileſios etiam, non tantum ad Bohemos, Polonos & Hungaros, mittebat Joannem Capiſtranum, Aprutium Italum, Monachum Franciſcanum, Bernhardini Senenſis Auditorem, cum XXX Ordinis Bernhardiniani Fratribus: Hominem diſertum, Artibus Perſuaſionem facilem efficacemque facientibus inſtructiſſimum.

Is paſ-

ſim, maxime Vratislavienſibus offerebat Criminum Veniam, non tamen niſi XII Menſibus durabilem, Pecuniis Eccleſiæ Romanæ ſacris, iisque modicis, Dimidium Sumtuum, ſi Peregrinatores Romam pervenirent, expendendorum adæquantibus, compenſandam. Tenacioribus in Levamentum ſalutare prohibebat Luxuriam, Veſtitu, Potu, Cibo, Ludisque turpiter multa conſumentem: quibus adhærentes Voluptatibus Cenſor ſeverus crebris publicisque Concionibus increpabat. Nemo Capiſtranum magis, quam NOVACUS in omnibus adjuvabat: poſt hæc Sileſiis vel parum cognitas, vel prorſus ignoratas Pietatis Formas in Eccleſiam introducens.

XII. Tales erant plurium, tandem omnium Sanctorum Feriæ: potiſſimum ad S. Hedwigis Reliquias, in Trebnicenſium Monaſterio colendas Peregrinatio: inprimis, Panem conſecratum, tanquam Salvatoris Corpus, circumportandi adorandique, ſolis antea Cænobitis uſitatus Ritus: Peccatoribus credulis Oblectamenta quidem, ſcrupuloſis Huſſitis autem Faſtidia: neutris afferentia Solatium: cum à Bohemis Huſſitis Sacra ſua defendere conantibus, Sileſia non tantum Armis oppugnaretur, verum etiam Libris erudiretur.

XIII. Turcis, poſt Conſtantinopolin Anno 1453 occupatam, longè lateque graſſantibus, & in Pannonia Sedem affectantibus, Preces publicas inſtituebat adverſus barbaros Chriſtianorum Hoſtes. Hac Pietatis Cura NOVACUS ſe Vratislavienſibus omnibus probabat.

XIV. Monetæ ſtudioſiſſimus, à Bohemorum Rege Ladislao Jus cudendæ conſequebatur. A Pontifice Romano Privilegia duo, ad S. Joannis Vratislavienſem Inſulam, Epiſcopo ſubjacentem, ſpectantia obtinebat. Prius ibi Cereviſiam Suidnicenſem vendendi Conſvetudinem confirmabat. Poſterius ibidem Habitatores, pro eſculentis, poculentis, & Materiis ad Structuras pertinentibus, liberos à Vectigalibus declarabat.

MORS.

XV. Otmuchoviæ, cum Epiſcopatui per IX Annos præfuiſſet, fato ſupremo decedebat, Anno 1456, Die III. Februarii. Solenniter eiusdem Menſis IX Die tradebatur Sepulcro in Vratislavienſium S. Johannis Cathedrali Templo: cujus in majore Choro ad Aram reperitur hoc Epitaphium: *Reverend. in Chriſto Pater, Dominus PETRUS, Dei gratia Epiſcopus Wratislavienſis, obiit Anno Domini M.CCCC.LVI. Menſis Februarii Die III.*

SCRIPTA.

XVI. Oſor Vitiorum Nævorumque paſſim etiam Clericis adhærentium, celebrabat Vratislaviæ Synodum; cujus Legibus Clericos ad Obedientiam juſtam, Forum æquum, honeſtam Vitam, poſthabendam Mulierum Societatem, præſcriptam Miſſarum Actionem & alia Officiorum Genera fideliter exſequenda revocabat. Ea *Decreta* reperiuntur in Cathedralis Eccleſiæ Vratislavienſis Statutis Synodalibus antiquis, per Martinum Epiſcopum Vratislavienſem edita Vratislaviæ, 1585. in 4.

CAPUT XXXI.

Ad Annum M. CCCC. LXII.

CASPAR WEIGELIUS,

Bregenſis.

VITA.

I.

NAtione POLONUS, à nonnullis habitus, non erat: intra Bregenſem Ducatum in Henrici Pago natus: propterea Polonis annumeratus, quoniam SILESIIS quondam Reipublicæ Polonicæ conjunctis, etiam poſtea ſeparatis Nomen Polonorum adhærebat. Nicolaum WEIGELIUM [cujus Vitam Cap. XXIII. expoſuimus] Germanum Fratrem, natu majorem, in Studiis ſecutus, conſimiles Honores conſequebatur: eò (quem Annus 1444 exſtinxerat) ſuperſtes.

II. Philoſophiæ Magiſter & Profeſſor in Academiæ Lipſienſis Collegio Philoſophico Decanum agebat Anno 1439, & 1441. Eidem Academiæ, ut Rector, præerat, Anno 1442. Ibidem poſtea Theologiæ Doctor & Profeſſor: tandem Eccleſiæ Vratislavienſis Cathedralis Archidiaconus creabatur.

MORS.

III. Cum Philoſophiæ, tum etiam Theologiæ, quas perpetuo Vinculo Ætas illa connectebat, pro ſui Temporis Statu, ſtrenuus Propagator, humanis Rebus eripiebatur Anno 1462. Cum Fratre NICOLAO com-

commune Monumentum apud Vratislavienſes in Cathedrali Templo S. Joannis, ante Sacriſtiam, ab Agnatis excitatum, adeptus eſt hoc:

CASPARI WEIGEL, hujus ſacratiſſimæ Ædis Archidiacono, & NICOLAO Canonico, Fratribus Germanis, iisdemque ſacræ Theologiæ Profeſſoribus, ex Pago, quem HENRICI Villam appellant, oriundis, Viris ſumma Virtute & Ingenio atque Doctrina ſingulari, Agnati bene merentibus Eruditionis & Pietatis Monumentum poſuerunt. Obierunt, CASPAR minor natu Wratislaviæ, M.CCCC.LXII. NICOLAUS Lipſiæ M.CCCC.XXXXIIII.

SCRIPTA.

IV. A noſtro WEIGELIO *quædam Volumina* compoſita, nonnullis è Chronicis MStis annotavimus. Cujus autem fuerint Argumenti, non ibidem additum invenimus.

CAPUT XXXII.

Ad Annum M. CCCC. LXIV. Diem III. Septembris.

ALEXIUS THYMIUS,

Freiſtadienſis.

VITA.

I.

THymiorum Freyſtadienſium plures in Eruditis fuerunt. HENRICI meminimus Cap. XXI. Alterius HENRICI faciemus Mentionem Cap. XL. ALEXIUS intra Sileſiam in Glogovienſi Ducatu non tantum natus, verum etiam Literis applicatus: intra Lipſienſem Academiam ſuperiora Studia colebat. His acquirebat ibidem Honores, quos Philoſophiæ Magiſtris & Medicinæ Baccalaureis Academica Poteſtas conferre ſolet.

MORS.

II. Aſcenſurus ad celſiora Conatibus, impediebatur Fatis: quibus concedebat Anno 1464, Die III Septembris. Apud Lipſienſes, ut Sepulcrum, ita Monumentum æreum in S. Nicolai Templo adeptus eſt hoc:

Anno Domini M.CCCC.LXIV. Die III. Menſis Septembris, obiit venerbbilis Vir, Magiſter ALEXIUS THYME, de Freyenſtat, in Medicina Baccalaureus. Orate Deum pro eo: Amen.

CAPUT XXXIII.

Ad Annum M.CCCC.LXVI.

THEODORICUS BURGSDORFIUS, Eques.

VITA.

I.

THeodoricus noſter Cognomentô in multiplices Formas converſo deſignatus reperitur. Eum vocant BURGSDORFIUM, Paulus Langius in Chronico Citicenſi, ad Annum 1463 Gabriel Bucelinus in Germania ſacra, Parte I. Epiſcopo Naumburgenſi XXXIII. BOXDORFIUM, Joachimus Fellerus in Bibliothecæ Lipſienſis Paulinæ Librorum MStorum Catalogo. BUCKENDORFIUM, Tobias Heidenreichius in Lipſienſi Chronico, Rectore LX. BUCKENSTORFIUM, Vratislavienſe MStum, cujus poſtea Mentionem faciemus. BUCKINSDORFIUM, Zacharias Schneiderus in Lipſienſi Chronico, Lib. VI. Rectore LX. BUCKSDORFIUM, Anonymus in Centuria de Scriptoribus Lipſienſibus, Witebergicis & Francofurtanis, Cap. XXI. Paulus Freherus in Virorum Eruditione clarorum Theatro, Parte II. Sectione IV. ad Annum 1439. BURCKSDORFIUM, Zacharias Schneiderus in Lipſienſi Chronico, Lib. VI, Decano III. BUXDORFIUM, Petrus Albinus in Miſnenſium Provinciali Chronico, Titulo XXI. Epiſcopo Naumburgenſi XXXVI. Cyriacus Spangenbergius in Nobilitatis Speculo, Parte II. Lib. XI. Cap. XII. Tobias Heidenreichius in Lipſienſi Chronico, ad Annum 1464.

II. Antiquum & nobile Majoribus ſuis Genus debuit. Hujus ex Armis Splendori Decus ex Literis additurus, Ingenium excellentiſſimum Philoſophicis, Juridicis, Theologicisque Studiis applicuit: unde Laudem Viri conſummatiſſimi reportavit. Anonymus ſupra citatus in Centuriæ ſuæ Cap. XXI: *Vir celeberrimæ Laudis, Ingenio præſtans, in omni Philoſophi-*

ſophico Studio conſummatiſſimus. Paulus Langius in Citicenſi Chronico, ad Annum 1464: *Vir per omnia in Sæcularibus Literis imbutiſſimus, & Divinarum Scripturarum Cognitione nobiliter inſtructus, Philoſophus & Theologus, nec non Canoniſta præſtantiſſimus.*

III. Docendis agendisque Rebus, Beneficio Naturæ magno, maximo Induſtriæ Conatu, præter cæteros habilis, jam utriusque Juris Doctor creatus, apud Lipſienſes Profeſſor, Anno 1439 Rector Academicus LX fuit. Utramque Juris Scientiam Profeſſor publicus, & Juridici Collegii Ordinarius, id eſt, perpetuus Decanus, ingente Fama, Fructu pari Auditoribus per Annos XXIV tradidit. Ibidem Argentum Fœnori locavit, ut Inopiæ Subſidium quotannis XL Florenos Miſnenſes quidam Juvenis Academicus acciperet.

IV. Anno 1463, Die Septembris XXIX, Georgius HAUGWICIUS, Eques, Naumburgenſium in Miſnia Epiſcopus electus, duodecim Dies Officio functus, Vita ipſa defungebatur. Huic, eodem Anno, intra Menſem Octobrem, BURGSDORFIUS noſter, ob Eruditionis Integritatisque Magnitudinem, Ingenii Conſiliique Copiam, Succeſſor declaratus, ſolenniter Anno 1464, Die Dominica, poſt S. Bartholomæi Feſtum, Epiſcopus Naumburgenſis conſecrabatur THEODORICUS III.

V. Sunt, quibus Citicenſis, &, quod mireris, cum Naumburgenſis, tum etiam Citicenſis Epiſcopus fuiſſe dicitur. Is Error inde ſubortus eſt, quod Epiſcopatus Citicenſis Anno circiter M.XL, Naumburgum translatus, poſtea nominatus fuerit Naumburgenſis. Quam Mutationem, vel ignorantes, vel non attendentes, ex unô geminum fecerunt Epiſcopatum.

MORS.

VI. Quo BURGSDORFIUS Anno exſtinctus fuerit, occurrit, cur dubitetur. Eum Anno 1471 deceſſiſſe ſcribit Gabriel Bucelinus in Germaniæ ſacræ Naumburgenſibus Epiſcopis. At decepit Bucelinum Langius, non, ut par erat, inſpectus: qui non omnia ſuos ad Annos refert. Hic enim, cum in Chronico Citicenſi ad Annum 1464 commemoraviſſet, Paulum II. Pontificem Romanum, Anno 1471 mortuum: additis: *ut etiam infra eodem* (1471) *Anno dicetur amplius*: mox ſubjungit, *Eodem Anno* (non 1471, ſed 1464) *Fridericum Archipræſulem Magde-*

Magdeburgenſem defunctum: tandem annectit: *Eodem Anno* (1466: cujus Mentionem in præcedentibus ad Annum 1463 & 1464 fecerat) *Theodoricus Epiſcopus noſter obiit.* De quo dixerat ad Annum 1463: *Mortuo Georgio in ejus Locum, tanquam bene meritus ſuffectus eſt, in quo præfuit eleganter & inculpate Annis tribus. Obiit enim Anno Domini 1466: de quo infra.* Eundem Annum 1466 BURGSDORFIO fatalem attribuit Matthæus Dreſſerus in Hiſtoriarum Millenario VI, Parte II. Epiſcopo Naumburgenſi XXXVI.

SCRIPTA.

VII. In Operibus Literariis, quæ compoſuit, Primum eſt, *Orationum Scholaſticarum Liber.* Secundum eſt, *Conciliorum Volumen* ingens. Tertium eſt, *Lecturarum in Decretalia Liber* grandis. Quartum eſt, *Commentariorum in Jura Municipalia Liber.* Quintum eſt, *Additionum ſuper Saxonum Speculo Liber.*

VIII. Sextum Titulis denotatur diverſis. Nam id vocat *in Saxonum Jura Repertorium* Paulus Langius in Chronico Citizenſi ad Annum 1463. *In Saxonum Speculum Remiſſorium*, Autor Centuriæ, qui Scriptores complectitur, Cap. XXI. *Regiſtrum des Land- Gerichts, Lehn-Rechts und Weichbildes*, Joachimus Fellerus in Bibliothecæ Lipſienſis Paulinæ MStorum Librorum Catalogo. Id etiam Vratislavienſium Bibliotheca publica Rehdigeriana Germanico Sermone MStum poſſidet: cujus in Clauſula reperiuntur hæc appoſita: *Collectum eſt præſens Remiſſorium per venerabilem ac egregium Virum, Dominum THEODORICUM de BUCKENSDORF, utriusque Juris Doctorem eximium, Juridicæ Facultatis in Univerſitate Liptzenſi Ordinarium, propria Manu Originalia inſpiciendo ſic*, quod *absque Dubio omnes Remiſſiones poſitæ in ſuis Locis inveniuntur.* Ibidem poſt quædam: *Finitum eſt præſens Remiſſorium per JOHANNEM KREBS de Nurmbergk, Anno Domini M. CCCC. LXVIII. in Vigilia Vigiliæ Nativitatis Chriſti.*

CAPUT

CAPUT XXXIV.

Ad Annum M. CCCC. LXXI. Diem XXV. Februarii.

BENEDICTUS HEGENWALDIUS, Boleslavienſis.

VITA.

I.

CUm in Patria, tum in exteris Locis per Literas excultus eo tandem Honoris aſcendebat, ut Cathedralis Eccleſiæ Vratislavienſis adhiberetur peragendis Officiis Canonicus Vicarius.

MORS.

II. Ne Majorem conſequeretur Dignitatem, Morte prohibebatur: quam obibat Anno 1471, Die XXV Februarii. Sepultus eſt in Vratislavienſium S. Johannis Cathedrali Templo: ubi condecoratus hoc Epitaphio fuit: *Anno Domini M. CCCC. LXXI. in Die S. Matthiæ Apoſtoli obiit honorabilis Vir, Dominus BENEDICTUS HEGENWALD, de Boleslavia, Vicarius Vratislavienſis. Orate pro eo. Deus propitius eſto mihi Peccatori.*

CAPUT XXXV.

Ad Annum M. CCCC. LXXIII.

JOANNES CANTIUS, Cantienſis.

VITA.

I.

CAntium, in Vratislavienſium Ducatu Oppidum Epiſcopale, progenuit noſtrum JOANNEM: unde, ſuppreſſo Familiæ Cognomento accepit Patriæ Vocabulum. Adoleſcens ex Sileſia in Poloniam diſcedebat, partis Studiis majus Augmentum additurus in Cracovienſium Academia. Sedulus ibi Rerum Philoſophicarum Theologicarumque Scrutator, Anno 1415, Philoſophiæ Magiſter, poſtea Profeſſor creabatur:

tur: ter Philoſophici, quod Cracovienſibus Artiſticum vocatur, Collegii Decanum agebat.

II. Declaratus Theologiæ Doctor, interpretabatur S. Pauli Epiſtolas: deinde Scholaſticam, id eſt, Philoſophiæ mixtam Theologiam, quam Petrus Lombardus in Sententiarum Libris & Thomas Aquinas in Theologiæ Summa docent, Auditoribus, quorum magnam Copiam habere ſolebat, explicabat. De quibus Conatibus Simon Starovolſcius in Scriptorum Polonicorum Centuria, Cap. XVI: *Illoque*, ait, *ſane Doctrinam ſuam nemo aut in Scholis doctius interpretatus eſt, aut copioſius in Concionibus, addam & efficacius, enarravit.*

III. Sanctimoniæ ſtudioſiſſimus, quicquid ad eam pertinere judicabat, mirabili Novitatis Studio arripiebat. Cracovienſi tum Profeſſioni, tum Parochiæ propterea renunciabat, ne, quoniam utriusque copioſis Negotiis omnibus vacare non valebat, expediendorum Partem alteri committere cogeretur. Ita liber, tum rariore Martyrii Gloria ductus, Hieroſolymam petiturus, pro Mahumede Chriſtum commendat in Via Turcis. Quo magis Corpus exerceret Patientia, non tantum quater Romam proficiſcebatur, verum etiam ſæpius Flagris ſe caſtigabat, in Laſciviæ violentum Remedium: quam excitari, non ſupprimi Flagris, ſagaciores quidam e Phyſicis contendunt.

IV. Veracitatis Amator, inſolentius a Mendacio, Mendaciique ſimulacro abhorrebat. Hinc Peregrinator Prædonibus, quicquid Bonorum habebat, offerre juſſus, dabat Nummos, quorum ſe plures non tenere conteſtabatur: oblitus eorum, quos intra Veſtem interiorem conſervabat reconditos. Horum poſtea memor, Spoliatores in Fugam converſos revocabat: Falſiloquii Veniam orabat: Reſiduo, velut in Culpæ quandam Pœnam, Sponte ſua donabat. Eo Facto in Reſipiſcentiam Fures adactos, Emendationem Vitæ pollicitos, ablata reſtituiſſe, cum narrant, tum etiam credunt, qui multis etiam mortuum Miraculis claruiſſe commemorant, Vitæ Cantianæ Scriptores, Petrus Scarga, Simon Starovolſcius, Adamus Opatovius.

MORS.

V. Apud Cracovienſes, admodum Senex, Anno 1473. exſpirabat: cui Sepulcrum in S. Annæ Templo marmoreum Jacobus Clepardienſis, Canonicus Cracovienſis condebat. Ibi leguntur hæc: *Depoſitum JOANNIS*

ANNIS CANTII, Theologiæ Doctoris: quem in Beatorum Numerum relatum, & Vita ſanctiſſime acta, & tot poſt Mortem edita Miracula teſtantur. Satis colueris, ſi fueris imitatus.

VI. Sanctum vocat Simon Starovolſcius in Polonia, de Cracovia: *Sanctus quoque JOANNES CANTIUS Academicus, Vir uti eximia Vitæ Sanctimonia, ſic & præſtanti excellens Doctrina apud S. Annam quieſcit.* De quo Joachimus Curæus in Sileſiorum Annalibus ad Annum 1473, hæc ſcribit: *Cracoviæ eo Anno mortuus eſt celebris Theologus Sileſius JOANNES CANTIENSIS. Is, & ob Doctrinam ſuæ Ætate, & Vitæ Sanctimoniam, fuit clariſſimus, ita, ut eum Polonia pro Numine poſt Mortem adoraverit, & multa ipſi Miracula, Pontificia nempe, adſcripſerit. Fuit ejus Apophthegma memorabile, commonefaciens de Modeſtia:*

Conturbare cave: non eſt placare ſuave.
Infamare cave: nam revocare grave.

SCRIPTA.

VII. Inter ea, quæ Literis conſignavit, Opus primum eſt, *Sermonum Liber.* Secundum eſt, *in S. Matthæum Commentarius tribus Libris.* Eos Cracovienſis Academiæ Bibliotheca ſuis MStis addendos, Poſteritatique conſervandos ſtatuit.

CAPUT XXXVI.

Ad Annum M. CCCC. LXXII. Diem XVIII. Auguſti.

AMBROSIUS JENCOVICIUS,

Eques.

VITA.

I.

JENCOVICIORUM, quos etiam JENCKWICIOS, JENCOVITIOS & JENCKWITZIOS dictos, antiqua Monumenta nos docent, in Sileſia Gens nobilis plus quam tribus abhinc Sæculis clara fuit. Inde progenitus LAURENTIUS, Poslanicii Dominus,

minus, ex Barbara Weigelia Filios ſuſcepit PETRUM & AMBROSIUM noſtrum. Hic tum Virtutibus egregiis, tum ingenuis etiam Studiis, tamPhiloſophicis, quam Theologicis Genus ſuum nobilitabat. In cujus Laboris Præmium creatus Philoſophiæ Magiſter, conſequebatur in Vratislavienſium S. Johannis Cathedrali Eccleſia Dignitatem Canonici: quam Meritis peculiaribus in majus provehebat.

MORS.

II. Apud Vratislavienſes Anno 1477, Die Auguſti XVIII, vivere deſinebat: in quorum Cathedrali Templo, ante hujus Valvas, Meridiem verſus, intra Columnæ Lapidem, ad Siniſtram conſpicuum, honoratus eſt hoc Epitaphio: *Magiſter AMBROSIUS JENKWITZ. H. E. C. ſub iſta Porticu, quam ipſe Tecto, Teſtudine & Picturis ornavit, Sepultus eſt. Anno. M. CCCC. LXXVII. Die XVIII. Auguſti.*

CAPUT XXXVII.

Ad Annum M. CCCC. LXXVIII. Diem. XVI. Junii.

PRIMISLAUS,

Dux Oppavienſis.

VITA.

I.

ORiginem ſuam miro Caſu ex Bohemorum Regis Ottocari Stemmate conſequebatur. Ottocarus Margaretham, Friderici, Ducis Auſtriaci Filiam, Imperatoris Henrici VI. Viduam, impotentis Animi Conjugem, cum ab ea frequenter Sterilitatis accuſatus eſſet, refutaturus, ad Experimentum, quo Litigium tandem diſſolveretur, provocabat. *Tu*, inquiebat, *è tuo Gynecæo Puellam mihi complectendam concede. Tum Prolem ex me conceptam intra Tempus Annuum ſi non ediderit, tu viceris: ego vicero, ſi ediderit.* Acceperat oblatam Virginem Auſtriacam. Inde ſuſcipiebat decimo Menſe Filium Nicolaum: quem poſtea Ducatu intra Sileſiam Oppavienſi donabat. Hujus Nicolai Filius Nicolaus, Nepos Primislaus, Pronepos PRIMISLAUS noſter inter quinque Fratres poſtremus, Animi placidi, Studiis apti, pro Paupertatis

tatis Remedio dudum invento, Sacris deſtinabatur, Honores Opesque Stirpem ſuam non dedecentes promerituris: ut eo plus Hæreditatis ad propagandum Stemma relinqueret Fratribus.

II. Ad Eccleſiaſticam igitur Stationem, in qua privatam Quietem publico Regimini præferebat, ſe, cum alibi, tum in Viennenſium Gymnaſio per multiplicem Doctrinam fideliter præparabat. Huic Spei non plane quidem, tamen inter Initia non nihil reſpondebat Eventus. Receptus inter Vratislavienſis Ædis Cathedralis Canonicos ad vicinum S. Crucis Templum Cantor, erudita Simplicitate contentus vivebat: quam ſingulari Prudentia condecorabat.

III. Jodocus Vratislavienſium Epiſcopus, Anno 1467, e Vita exceſſerat. Tum ad PRIMISLAUM, qui ſuccederet, omnium Canonicorum, apud quos Autoritate valebat, Suffragia propendebant. Ab hoc autem Propoſito revocabat illos maxime Caſimirus, Polonorum Rex: quibus per Nuncios Rudolphum Epiſcopum Laventinum [cui propter Boruſſicum Bellum, in ſuam Regis Gratiam, Ordinum Perniciem, compoſitum favebat] quamquam Exterum Beneficioque nullo Sileſiis cognitum, commendare nihil verebatur. Potiſſimum Caſimiri Deſiderio Vim addebat ipſe Romani Pontificis Pauli II. Conſenſus. Ita PRIMISLAUS, quanquam Princeps, quanquam Sileſius, quanquam dignus, poſthabebatur. Tamen hanc Exiſtimationis Jacturam æquo Animo perferebat.

MORS.

IV. Anno 1478, Die Junii XVI, vivis eripiebatur. Sepultus in Vratislavienſium S. Johannis Inſula, S. Crucis Templo, nactus eſt hoc Epitaphium. *Illuſtris Princeps, Dominus PRIMISLAUS, Dux Oppaviæ Senior, Canonicus majoris & hujus Eccleſiæ, & Cantor hic tumulatus. Obiit Anno Domini M. CCCC. LXXVIII. 16. Junii. Qui in Pace quieſcat.*

CAPUT XXXVIII.

Ad Annum M.CCCC.LXXIX. Diem XV Junii.

THEOPHILUS BERGMANNU, Glogovienſis.

VITA.

I.

JUrisconſultus, partim Eruditione, partim etiam Virtute clarus, potiſſimum Eloquentia promtus à Johanne Saganenſium Duce Conſiliariis adjungebatur. Huic Muneri per Annos in Aula multos, ut fideliter, ita feliciter præfuerat: ideo chariſſimus Principi, cujus Secretorum prope ſolus habebat omnium Conſcientiam. Id erat Invidiæ diuturnum & Irritamentum, & Pabulum in Aulicorum nobilium, quibus præferebatur, Animis. Quare tandem Inſidiis opprimendum ſtatuebant, quibus Potentia formidabilem, Honor intolerabilem fecerat.

II. Ad Matthiam, Hungarorum Regem, ob Bellum cum Alberto Marchione Brandenburgico finiendum, à Johanne Duce miſſus, in Aulam redierat. Tum ſpecioſis Accuſationibus, quas Oſores Calumniatoresque finxerant, obnoxius, importunam Principis, multa perperam, imprudenter, crudeliter agere ſoliti, ſentiebat Iram. Ne auditus quidem, adeo non convictus, in Sprottaviæ Turrim, Anno 1479, Die Junii XIII, conjiciebatur. Ita ſubito Impetu Amor Ducis ſummus in ſummum Odium convertebatur.

III. Potu Ciboque privatus, intra Noctem intempeſtam, Die Viti, hoc eſt, XV. Junii, traductus extra Oppidum, præſentibus non niſi duobus Spectatoribus, Innocentiam ſuam teſtatus, & Ducis Sævitiam deteſtatus, Carnifici Caput amputandum porrigere jubebatur. Eo Facinore Joannes Judex injuſtus, quem Adulatores ob id prædicabant, tum placebat ſibi, non placiturus, neque ſummo in Cœlis, neque juſto in Poſteris Judici: quem Principis non Facta, ſed recto facta mutant in Laudatorem.

CAPUT

CAPUT XXXIX.

Ad Annum M. CCCC. LXXXIII.

MARTINUS LINDENERUS, Leſnicenſis.

VITA.

I.

INtra Ducatum Oppolienſem, ad Viadrum, religioſis Peregrinationibus celebre jacet Oppidum, Leiſnicium, quod aliis Leisnigium dicitur. Ibi natus LINDENERUS Stirpem Literis evehebat. His acquirebat Honorem peritis Canonici Juris Doctoribus conferri ſolitum. Ei accedebat inter Canonicos Vratislavienſes in Cathedrali Templo Dignitas Archidiaconi, qvam Eruditioni ſupra multos facundiori debebat.

II. Synodi II. Vratislavienſis, quam Rudolphus Epiſcopus Vratislavienſis, Anno 1475, celebravit, Promotor erat. Id teſtatur Synodus ipſa in Statutis ſuis: *Conſtituit autem ſua Paternitas* [Rudolphus, Epiſcopus] *in eadem Synodo Promotorem Synodi venerabilem Virum, Dominum MARTINUM LINDENER, Decretorum Doctorem, Canonicum Eccleſiæ majoris Vratislavienſis: qui locavit Prælatos.*

MORS.

III. Diſertiſſimo Viro perpetuum Silentium Mors imponebat, Anno 1483. In S. Johannis tamen Cathedrali Vratislavienſium Templo hæc ad Poſteros ex Tabula etiamnum loquitur:

Ex LEISNIG genitus MARTINUS LINDNER in OPPOL.
Archidiacon & hic Canonicus jaceo.
Canonico Juri ſtudui Doctoris Honore
Clarior excolui Caſtra decora Virûm.

Mor-

Mortalis nam nemo juvat se mortuus ipsum:
Dum Locus est Meriti, ferte Salutis Opem.
Anno Domini M.CCCC.LXXXIII.

CAPUT XXXX.

Ad Annum M.CCCC.LXXXIV. Diem III. Novembris.

HENRICUS THYMIUS,

Freystadiensis.

VITA.

I.

IMitatus Nominis Generisque sui Cognatos, Vitam consecrabat liberalibus Artibus ingenuisque Scientiis colendis, quas intra Lipsiensem Academiam, ut didicerat, sic docebat Philosophiæ Magister, & Professor in S. Virginis Collegio Collega. Ibidem Anno 1472. Academicum Rectorem: Anno 1477. Philosophici Collegii Decanum agebat, S. Theologiæ Baccalaureus & in Ecclesia Lusatorum Gorlicensi ad S. Sepulcrum Canonicus: tandem in Silesiorum etiam Ecclesia Lignicensi Canonicus.

MORS.

II. Morte consumebatur in Lipsiensium Academia, cum Annus 1484, Dies III. Novembris ageretur. Ibi sepultus in S. Nicolai Templo Epitaphium nactus est æreum. *Anno Domini M.CCCC.LXXXIV. Die III. Mensis Novembris obiit venerabilis Vir, Magister HENRICUS THYME de Freyenstat, sacre Theologie Baccalaureus formatus, Collegii Sancte Virginis Collegiatus, & Ecclesie Legenicensis Canonicus hic sepultus. Orate pro eo.*

CA-

CAPUT XLI.

Ad Annum M.CCCC.LXXXIX. Diem II Junii.

MICHAEL NISSENSIS,

Nissensis.

VITA.

I.

IN Monte, Glacensem ad Urbem, olim stetit S. Virginis Mariæ Monasterium, Canonicis Regularibus Augustinianis proprium: cujus Autor fuit Ernestus, Archiepiscopus Pragensis: de quo agit Bohuslaus Balbinus non tantum in hujus Ernesti Vita, Lib. III. Cap. V. §. VI: Sed etiam in Miscellaneis Bohemicis, Decade I. Lib. III. Cap. V. §. VI.

II. Inter hujus Cœnobii Præpositos, Jacobo successit, Anno 1456, MICHAEL, intra Nissensem Civitatem natus: unde NISSENSIS Cognomentum, pro Temporum illorum More, consequebatur.

MORS.

III. Huic Muneri cum per Annos XXXIII, magna Cura præfuisset, non citra Gloriam posthumam è vivis excedebat Anno 1489, Die Junii II.

SCRIPTA.

IV. *De Glacensis Monasterii*, cui Præpositus erat, *Rebus, ab Anno 1350, ad 1488, Chronicon* [quod maxime Bohuslaus Balbinus in suis Libris sæpius allegat, interdum etiam commendat,] composuit. Id MStum vetustâ Litera supereſt in Glacensium eodem quidem Cœnobio: sed quod in Collegii Formam redactum Societas Jesuitarum jam possidet.

CAPUT XLII.

Ad Annum M.CCCC.LXXXIX. Diem -- Decembris.

JOANNES BOECKENSCHLOERUS, Vratislavienſis.

VITA.

I.

JOANNES noſter Cognomento nullo deſignatus invenitur, apud Wiguleum Hundium in Metropoli Salisburgenſi, Archiepiſcopo LVI. Dodonem Richeam, id eſt, Ottonem Aicherum, in Theatri Funebris Parte I. Scena II. Salisburgenſium Archiepiſcopo LVI.

II. VITESIUS Cognomento appellatur Ignatio Duckhero in Salisburgenſium Archiepiſcoporum Chronico, Num. LI. Errat vero Duckherus, cum ex duobus unum facit JOANNEM: quorum utrumque Matthias Hungarorum Rex, intra Hungariam ex Varadinenſi Epiſcopo, Strigonienſem Archiepiſcopum: Joannem Viteſium Hungarum Anno 1464: noſtrum Joannemm Sileſium, illius Succeſſorem, Anno 1472, conſtituit. De quo dicemus §. VII.

III. Noſtrum JOANNEM, tandem Salisburgenſem Archiepiſcopum, inter Sileſios Vratislavienſem fuiſſe, non diffitetur Ignatius Duckherus. Idque tradunt, Autor Salisburgenſis Chronici MSti, quod in Vratislavienſium Bibliotheca Rehdigeriana reperitur, ad Annum 1482. Nicolaus Polius in Sileſiæ Chronico MSto, ad Annum 1482. Nicolaus Henelius in Sileſia Togata MSta, Lib. I. Cap. XII. Quem in Togata Sileſia ſua MSta ſequitur Joannes Henricus Cunradus.

IV. Marcus, quem non nulli, vetuſtius Vocabulum retinentes, BOECKENSCHLOERUM, alii BECKENSCHLAERUM cognominant, Vratislavienſium prius Senator, poſtea Conſul, denique Ducatui Præfectus erat. In quibus poſtremam ſummamque Provinciam [quam olim Capitanei Provinciales nominati alternis Annis ſuſcipiebant] Anni 1439 paucis Menſibus primis adminiſtrabat: poſt Albertum, Marchionem Brandenburgicum, & Joannem Seidlicium, Anno 1440 recipiebat. Hunc Marcum noſtrum humilis, ſed eminentis, ſi forſan non Generis, tamen Dignitatis Virum Joannes noſter habuit Patrem: quem ad celſiora ſemper aſcenſurus imitari gaudebat.

V. Ad hunc Scopum JOANNI ſerviebat, non Armorum, ſed Literarum, neque vulgaris, ſed intentior graviorque Cultura: cui Facilitatem Promtitudinemque ſuggerebat excitatum atque ſagaciſſimum Ingenium. Idque multis, tam Scientiis, quam Linguis elaboratum inſtructumque ſatis feliciter omnibus Rebus applicabat.

VI, Hungarorum Regi Matthiæ, cum Fortitudinem, tum etiam Sapientiam in Deliciis habenti commendatus, ita ſe probabat, ut ſplendidis Muneribus, inſignem Autoritatem requirentibus, maxime dignus haberetur. Quare citra Difficultatem aliis prælatus, in Pannonia creabatur primum Quinqueccleſienſis Præpoſitus, deinceps Agrienſis, mox Varadinenſis Epiſcopus.

VII. Anno 1471, Joannes VITESIUS Hungarus Archiepiſcopus Strigonienſis ad plures abibat. De quo agunt Antonius Bonfinius in Hungarorum Rebus, Decade IV. Lib. I. & III. Gerhardus Roo in Auſtriaca Hiſtoria Lib. VI. ad Annum 1457. Huic Joanni Joannes noſter BOECKENSCHLOERUS Sileſius, Anno 1472, ab Hungarorum Rege Matthia Succeſſor dabatur: de quo ibidem Bonfinius Lib. III. ad Annum 1472: *JOANNI Metropolitæ Strigonienſi, Sclavonico Genere nato JOANNES Alemannus*, [Germanus Sileſius] *Varadienſis Antiſtes, Regi* [Matthiæ] *quam familiariſſimus plane, ſucceſſit.*

VIII. Anno 1476, Pannonicum, & Regnum, & Archiepiſcopatum deferebat: incertum, Metu Regis Hungarici Matthiæ, cui ſuſpectus videbatur, an Nutu Imperatoris Friderici III, ad quem confugiebat, impulſus. Rogatus, quamobrem id feciſſet, reſpondebat: *In Auſtriam me juſſit abire longum Syrma, quo in Hungaria Monachus caudatus Pulveres trahit.* Is erat in Epiſcopatu relicto Succeſſor Joannes Cardinalis Aragonius, Beatricis Reginæ Pannonicæ Frater: quem in Aula plus valere, non pati poterat.

IX. Divitias ex Hungaria in Auſtriam copioſiſſimas ad Imperatorem attulerat: cujus in Aula commorabatur, donec Viennenſium Epiſcopatum conſequeretur. Hinc majore Friderici III. Cæſaris Gratia provehebatur ad Salisburgenſem Archiepiſcopatum: cui Bernhardus Anno 1482, Die XIV. Januarii, renunciabat.

X. Hujus Eccleſiæ Gubernaculum ſupremum adeptus, alienum

Æs, cujus ingens Magnitudo erat, dissoluturus, Ærario Sacro per Vectigal novum ex Sale consulebat. Civibus Salisburgensibus ab Imperatore Jus singulis Annis Consules creandi obtinebat.

XI. Pacem, quam cum Canonicis coluerat, post Bernhardi Archiepiscopi supremum Fatum, Anno 1487, enervabat exstinguebatque Dissidium: quia mortui Vestes ex Consuetudinis Jure poscentibus denegabat. Hoc enim Facto irritati plerique faciebant Secessionem ad Christophorum Ebronem, olim Præpositum, id Temporis, quoniam, cum Bernhardus JOANNI Archiepiscopatum cederet, inter Fridericum Imperatorem & Matthiam Reges dissentientes, non illi, sed huic adhæserat, e Canonicorum Collegio depulsum, Mühldorfii Exsulem: eumque sibi Archiepiscopum eligebant. Quorum tamen omne Consilium, omnis Opera nihil valebat.

XII. JOANNES in Archiepiscopatu firmus, Legationem suscipiebat geminam, expediturus Causam unam. Nam ut optatum Friderico III. Imperatori Successorem Filium Maximilianum Archidiaconum Austriacum efficeret, prius ad hunc in Burgundiam, deinceps ad Imperii Romani Proceres peragebat Iter: quibus persuadebat, ut illum Anno 1486 crearent Romanorum Regem. Nihil per Impendia, quorum ingentem adhibuerat Summam, nihil Salisburgensis Ecclesiæ Bonis abstrahebat. Quin ea multiplicaturus, collapsa reparabat, nova construebat Ædificia. Præter Insulam Gemmis exornatam, & alia, præsertim aurea & argentea Vasa, quibus intra Hungariam Thesaurum suum auxerat, Ærario Archiepiscopali relicta, Crucem auream Gemmis coruscantem, cujus non Pretium, sed Aurum solum quingentos Aureos excedebat, Summi Templi Choro in gratam sui Memoriam donabat.

MORS.

XIII. Præfuerat Salisburgensium Archiepiscopatui septem Annis, undecim Mensibus, cum Ictericus & Hydropicus Morbis superatus, Anno 1489, nescio qua Decembris Luce, Mortem obibat.

CAPUT

CAPUT XLIII.

Ad Annum M. CCCC. XCII.

NICOLAUS KREULIUS,

VVartenbergensis,

VITA.

I.

PAtriæ Cognomento quibusdam WARTENBERGICUS, aliis WARTENBERGENSIS, corrupte WARTENBURGENSIS vocatur: quo modo eum appellat Æneas Sylvius in Epistola CVI. Familiæ Cognomento plerisque dicitur KREULIUS. Inter quos est Nicolaus Henelius in Silesia Togata MSta, Lib. X. Cap. I. Nonnullis mutata Litera vocatur CREULIUS. Inter quos est idem Sylvius ad Joannem Trœsterum, Epistola CCCXVIII. & CCCLXII. ad Salisburgensem Archiepiscopum, Epist. CCCLXI. ad Joannem Lauterbachium, Epist. CCCLXIII. ad Dominum Rosenbergium, Epist. CCCLXIV. ad Electum Vratislaviensem, Epist. CCCLXVI.

II. Literis tum magis magisque florentibus intra Silesiam potissimum apud Vratislavienses, insigniter excultus, per Bohemiam in Italiam progressus, se non Eruditione tantum, sed etiam Dexteritate, quibus & Industria & Promtitudo respondebat, Æneæ Sylvio, (tandem Pio II. Pontifici Romano) amabilem faciebat. Ab eo Præceptor dabatur Francisco, quem ex Æneæ Sylvii Sorore Laudomia Nannius Todeschinus, postea Picolomineus dictus, genuerat, felicis Ingenii Puero, Studiis liberalibus excercendo: quem deinde Cardinalem, denique Pontificem Romanum Pium III. Sors celsissima constituit.

III. Æneas, tum Romani Pontificis Felicis IV, mox Imperatoris Friderici III. [a quo Lauream Poeticam acceperat] Secretarius, cognitis KREULII Dotibus, eum familiariter in Amicitiam recipiebat: & aliquando Illecebras, quibus vincendis se non esse fatebatur, sentientem, a culpabilis Amoris Obsequio per Literas, Remedium optimum indicantes, revocabat: quas etiamnum reperimus in Epistolis centesimam sextam.

IV. Post hæc KREULIUS Æneæ, jam Episcopi Senensis Cardinalis, assumtus Capellanus, crebris defungebatur Expeditionibus. Anno 1457, ex Urbe Romana missus, Sigismundo Salisburgensium Archiepiscopo, a quo Æneas cum in Germania commoraretur, Beneficiis multis affectus erat, cum Romanæ Curiæ, tum etiam reliquas Italorum Res patefaciebat. Inde progressus in Bohemiam, Ulricum Rosenbergium Dynastam Senem, quem Æneas, cum Viennæ viveret, Amicum habuerat, ob Filium Henricum, Burggravium Pragensem, amissum Solatiis erigebat, secretarumque Rerum Notitia instruebat.

V. Æneæ tandem, adhuc Cardinalis, Opera KREULIUS Vratislaviensibus Canonicis adscriptus, eodem Anno 1457, ex Italia in Silesiam revertebatur Vratislaviam. Ibi Æneæ Literas, Romæ scriptas, non tantum Henrico SÆNFTLEBENIO, Silesio, Imperatoris Friderici III. Consiliario, Ecclesiæ Vratislaviensis Cathedralis Decano: verum etiam JODOCO Rosenbergio, Bohemo, Vratislaviensium Episcopo reddebat: Narrationibus, quas expositurus erat, plenam Fidem conciliantibus.

MORS.

VI. Post hæc diu superstes inter Canonicos Vratislavienses vixit: ex quorum Collegio in Sepulcrum Senex Anno 1492 transferebatur: ad quod in Vratislaviensium S. Johannis Cathedrali Templo memorabile Monumentum hoc est consecutus. *D. O. M. S. Franciscus PICOLOMINEUS, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis Senensis, Nicolao KREUL. Wartenbergensi, Canonico Wratislaviensi, Viro integerrimo, Fide erga se incredibili, Officio singulari, Charitate plus quam paterna: a quo Puer sanctissimis Moribus & Exemplis institutus, prima Literarum Rudimenta didicerat: tam raræ Pietatis memor Alumno Beatæ Memoriæ absens faciendum curavit. Anno Domini M. CCCC. LXXXXII.*

SCRIPTA.

VII. Si non fallit Chronicon Silesiæ MStum, unde nobis quædam excerpere licuit: KREULIUS *Rerum suo Tempore notabilium Breviarium* consignavit: de quo nihil amplius invenire potuimus.

CAPUT

CAPUT XLIV.

Ad Annum M. CCCC. XCII. Diem XVI. Octobris.

GEORGIUS NOVAGUS,

Eques.

VITA.

I.

NUm ex NOVACI, quem NOVAGUM etiam dictum esse constat, Vratislaviensis Episcopi Familia fuerit ortus, non habemus exploratum. Equitibus Silesiis annumeratum in quodam MSto invenimus. Certe Vir eruditus, &, quod priscis Temporibus validum Eruditionis Testimonium erat, Philosophiæ cui Theologia connecti solebat, Magister fuit. Hunc enim Titulum adeo non Equites tum fastidiebant, ut etiam Barones, imo Comites inter Ornamenta sua reponerent: ut illustria Veterum Exempla docent.

II. In Studiorum, quæ coluerat, Præmium, obtinebat, Honores Vratislaviensis Canonici, non tantum in Collegiato S. Crucis, verum etiam in S. Johannis Cathedrali Templo.

MORS.

III. Anno 1492, Die XVI. Octobris exanimabatur: cujus Epitaphium ad S. Sepulcrum in S. Johannis Æde supereſt hoc: *Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo secundo, Die XVI. Mensis Octobris obiit venerabilis Vir, Dominus Magister GEORGIUS NOVAG. S. Johannis & S. Crucis Ecclesiarum Vratislaviensium Canonicus, hic sub Rosa tumulatus. Orate Deum pro eo.*

CAPUT

CAPUT XLV.

Ad Annum M. CCCC. XCVI. Diem XIX Septembris.

JOHANNES SCHOBERUS, Lignicenſis.

VITA.

I.

LIteris addictus maxime Canonica Jura docentibus, quibus magna tunc ideò accedebat Exiſtimatio, quoniam per eas etiam vel mediocris Conditionis Homines aſcendere poterant, ex Merito creabatur Decretorum Eccleſiaſticorum Doctor. Hinc alias prius Dignitates, ad ultimum Canonici Vratislavienſis, cum ad S. Johannis Cathedrale, tum etiam ad S. Crucis Collegiatum Templum conſequebatur.

MORS.

II. Defunctus laudabiliter Officiis ſuis, Fato ſupremo perfungebatur Anno 1496, Die XIX Septembris. Sepultus in S. Johannis Templo, ad tertiam Capellam, hoc in Columna Monumentum nactus eſt: *Anno Domini M. CCCC. XCVI. Die XIX. Septembris, obiit venerabilis & egregius Decretorum Doctor, Dominus JOHANNES SCHOBER. de Legnits, majoris S. Johannis & S. Crucis Wratislavienſium Eccleſiarum Canonicus. Hic jacet ſepultus. Orate Deum pro eo.*

CAPUT XLVI.

Ad Annum M. CCCC. XCVIII. Diem II. Junii.

CHRISTOPHERUS THYMIUS, Freyſtadienſis.

VITA.

I.

INgenio ad Induſtriam, Animo ad Tranquillitatem propenſo erat. Lipſiam Studiorum Officinam nactus, ab Artibus liberalibus Diſciplinisque Philoſophicis, quibus Philoſophici Magiſtri ſibi Lauream comparaverat, ad Res Theologicas Diligentiam convertebat: in quibus acutiſſimus judicabatur. Ibi majoris Principum Collegii Collegiatus, Anno 1455, Philoſophicus Decanus XCIII: Anno 1458, Rector Academicus XCIX fuit.

II. Poſt hæc Freyſtadienſis Eccleſiæ Parochus, Eruditionem, Integritatem Modeſtiamque ſuam probabat omnibus potiſſimum Henrico X. Glogovienſium Duci, Clementiâ Civibus exoptatiſſimo, charus. Cum eum Patronum Anno 1467, Die Novembris XI, exſtinctum, amiſiſſet, ex Patria Lipſiam, quam pro Patria colebat, repetebat. Ibi Theologiæ Doctor & per Annos XXV Profeſſor, Canonicusque Ziticenſis, reliquum Vitæ Spatium conſumſit.

MORS.

III. Admodum Senex, Anno 1498, Junii II, mortuus, in Lipſienſium S. Nicolai Templo ſepultus, geminum adeptus eſt Monumentum: Ligneum quidem alterum hoc:

Heic Pietas Probitasque, Fides quæcunque per Urbem
A Superis data CRISTOFERUS ecce jacet.
Qui SLESIÆ genitus FREISTEDTI Doctor ab Urbe
THIMONUM Generis, dum ſibi Vita fuit.

Anno M. CCCC. XCVIII. Secunda Junii obiit: cujus Anima quieſcat in Pace. Alterum vero Æneum hoc: *Anno M. CCCC. XCVIII. obiit eximius Vir, Doctor CHRISTOFFERUS THYME de Freyenſtatt, Sacræ Theologiæ Profeſſor: hic ſepultus.*

SCRIPTA.

IV. Inter Opera, quæ Poſteritati reliquit, Primum eſt, *Recommendationum Liber.* Secundum eſt, *Orationum Liber ad Clerum.* Tertium eſt, *in Petri Lombardi Sententiarum Librum Secundum Commentarius* magnus: Diſtinctiones omnes in Quæſtionum Formam redactas continens. Quartum eſt, *in S. Matthæi Evangelium magnus Commentarius.*

CAPUT XLVII.

Ad Annum M. D.

BARTHOLOMÆUS SCHEUERLINUS, Vratislavienſis.

VITA.

I.

PAtre Bartholomæo SCHEUERLINO, quem Vratiſlavia Senatorem Anno 1466 accepit, ubi etiam Conſulatum geſſit, Anno circiter 1470 natus, perficiebat Ingenium Literis, tum intra Sileſiam, potiſſimum apud Vratislavienſes, Incrementa capientibus. His pro Ætate ſatis ornatus, ad Vratislavienſis Canonici Munus in S. Johannis Templo Cathedrali provehebatur: Itaque Collega fiebat Germani Fratris natu majoris Johannis; qui jam inter Vratislavienſes Canonicos Officialis, Generalisque Vicarius in Spiritualibus erat.

MORS.

II. Nondum Ætatis Annos XXX expleverat, cum amitteret Vitam, extremo Sæculi Decimi Sexti Anno, id eſt, 1500. Sepulcro fuit donatus intra S. Johannis Cathedralem Vratislavienſium Ædem: in qua Johannes Frater ipſi condidit Monumentum hac Inſcriptione ſignatum: *BARTHOLOMÆO SCHEWERLIN. Bartholomæi SCHEWERLIN. Conſularis Viri Filio, Alumnoque Wratislavienſi, ac hujus Baſilicæ D. Johannis Baptiſtæ Canonico: qui nondum XXX. Annos natus humanæ Legi parere juſſus, poſt Integritatis ſuæ Fidem & Obſequia apud Venerabile Capitulum collocata, præſidente in Epiſcopali Cathedra Reverendiſſimo Principe JOANNE IV. Antiſtite Wratislavienſi, Animam Salvatori reddidit. JOANNES SCHEWERLIN. Canonicus & Officialis Wratislavienſis, Vicariusque in Spiritualibus Generalis, Germano Fratri ſuo, bene merenti, ex Teſtamento hoc poni juſſit, Anno Salutis Chriſtianæ M. CCCCC.*

SÆCULO

SÆCULO XVI.

CAPUT XLVIII.

Ad Annum M. D. II.

JOANNES REIMBABIUS, Eques.

VITA.

I.

EX nobiliſſima REIMBABIORUM, quos non nulli REINBABIOS appellant, Proſapia, cujus Poſteritas diu in Olsnenſi Ducatu Sedem habuit, genitus, Stemmati ſuo Decus Eruditionis addebat.

II. Romam Adoleſcentiæ ſuæ Magiſtram conſecutus, in diuturnam melioris Fortunæ ſuæ Fabricam convertebat. Judicii Romani, quod Rota nominatur, Aſſeſſor, Pontificum Aulis potiſſimum Marco Barbo, Cardinali, Aquilejenſium Patriarchæ, qui Pontificis Pauli III. Nepos erat, plusquam XXX per Annos, Officia præſtiterat, cum in Patriæ Solum reverteretur. Ibi Vratislavienſium in Templis, & Cathedrali S. Johannis, & Collegiato S. Crucis Canonicum egit.

MORS.

III. Senex Anno 1502 decedebat, ab Hæredibus intra Breslenſem S. Johannis Ædem Cathedralem, Sacellum Bogurskianum, Poſteris commendatus hoc Epithaphio: *JOANNI REIMBABE, ex REIMBABENSIUM Familia oriundo, hujus ac S. Crucis Eccleſiarum Canonico, qui teneris ab Annis Curiam ſecutus Romanam, & varios ibidem volvens Caſus in Romanorum Pontificum Aulis, quarum ipſe Aſſecla fuit, deinde apud Marcum BARBUM Cardinalem S. Marci, Patriarcham Aquilejenſem, ac Pauli III. Romani Pontificis Nepotem vario Obſequiorum Ordine, triginta & amplius Annos complens, ad ſuas Fortunas perlatus, cum omni Devotione, ac Vitæ Integritate, poſt quotidianam fere Miſſarum Celebrationem, tandem hic apud ſuos Sacerdos venerabilis jam Senio confectus moritur. Executores Teſtamentarii Defuncto hoc bene merenti poni juſſere, Anno Chriſtianæ Salutis M. CCCCC. II.*

CAPUT XLIX.

Ad Annum M. D. II. Diem XVIII. Novembris.

NICOLAUS TAUCHMANNUS,

Niſſenſis.

VITA.

I.

LIteris, quas Ingenio ſequendas elegerat Puer, non ad utiles ſolum Scientias, verum ad Eccleſiaſticas etiam Dignitates emergebat Vir, Honoribus Academicis exornatus, Canonici Juris Doctor, tandem in Vratislavienſium S. Johannis Cathedrali Templo inter Canonicos Scholaſticus.

MORS.

II. Anno 1502. Die XVIII. Novembris, non inglorius Vratislaviæ mortuus, in eodem Templo ſepultus, hoc decorabatur Monumento:

Bene merito & egregie docto Domino NICOLAO TAUCHMAN. de NISSA, Juris Pontificii Doctori, Scholaſtico & Canonico Eccleſiæ huius Wratislavienſis, Viro omni Laude digniſſimo. Anno Domini M. D. II. Die Novembris XVIII. H. S. E. V.

CAPUT L.

Ad Annum M. D. IV.

BARTHOLOMÆUS MARIENSIS

Patſcovienſis.

VITA.

I.

PAtſcoviam, olim Monſterbergenſis, tum Epiſcopalis Juris Oppidum, Patriam: honeſtos, ſed tenuioris Sortis Parentes nactus, ingenuis Studiis, potiſſimum Aſtronomicis & Medicis, denique Juridicis, erat

erat deditus: quorum Ope, Vratislavienſibus in S. Joannis Cathedrali Æde Canonicis adſcribebatur.

MORS.

II. Anno 1504. humanis Rebus exemtus, in eodem Vratislavienſium Templo Sepulcrum, & hoc Epitaphium eſt adeptus, ad Imaginem Chriſti aſcendentis in Cœlum:

Qui modo cæleſtes Studiis conſcendit in Arces,
Æthereæque Plagæ ſæpe notavit Iter:
Herbarum fuerat pariter Florumque peritus,
Seminis & Medici, quo capit æger Opem:
Ex PATZKAW genitus, Cineres atque Oſſa Sepulcro
BARTHOLOMÆUS in hoc nunc MARIENSIS habet.
Sidera ſcandentem fac Te, pie Chriſte, ſequatur
Functus, ad ingeniti Regna beata Patris.

CAPUT LI.

Ad Annum M. D. IV. Diem XXX. Martii.

SEBALDUS HUBERUS,

Vratislavienſis.

VITA.

I.

INter Studia primarium ſibi delegerat Medicum, cujus in Præmium Academicos Honores reportaverat in Patriam. Huic probus, fidelis, felix Poliater, in quantum Civibus Salutem, in tantum ſibi Famam ſemper augebat.

MORS.

II. Ætatis Annum 46 agebat, cum ſentiret ipſe, non Mortem Medicis exſtirpabilem eſſe, Die XXX Martii, Anno 1504. In Eliſabethano Vratislavienſium Templo quieſcit, ubi per hanc Inſcriptionem innoteſcit Poſteris:

In Tabula.

Pectus & Ingenium cui contingit atque beati
Conjugii Soboles, Forma Domusque decens:
Libera magnifica data cui, nec inhospita Mentis
Gratia, qui potuit ferre Salutis Opem.
Quem sibi tam subito Plebes suspirat ademtum,
Primoresque dolent, & gemit æger inops.
Mole sub hac, Senii Spes ô malè fida, quiescit,
Raptus, ubi Vitæ vix Iter it medium.
Sed Deus è Terris [unde optima quæque repente
Subtrahit] hunc etiam sustulit ante Diem.
Qui legis hæc; Si charus erat, dic: Vive SEBALDE.
Sin minus: at Requiem captet ut heic, patere.
Obiit Anno 1504. 3. Calendas Aprilis.

In Saxo.

Insignis ac honoratissimus Medicinæ Doctor, SEBALDUS HILBER, de hac Urbe, deque cunctis Mortalibus, ejus Opem deposcentibus, quam optime meritus, heic situs est. Vixit Annos sex supra quadraginta. Obiit Anno Salutis. M. D. III. III. Calendas Aprilis.

CAPUT LII.

Ad Annum M. D. IV. Diem XIX Maji.

NICOLAUS KRIBELIUS,

Vratislaviensis.

VITA.

I.

KRIBELIORUM in Vratislaviensium Urbe non obscurum quondam Genus Industria redditurus magis conspicuum, liberales Artes prius in Patria, postea in Academia colebat: quarum Doctor creabatur. His accesserat Morum Honestas: quibus Vratislaviæ tandem obtinebat in S. Joannis Cathedrali Templo Dignitatem Canonici.

MORS.

MORS.

II. Non male functus Officii sui Partibus Annum 1504, Diem XIX Martii, fatalem habebat. Intra dictum Cathedrale Templum, ante Sacellum secundum, à Testamenti Exsecutoribus honorabatur hac Inscriptione:

NICOLAUS KRIBEL. Wratislaviensis, Artium Doctor, & hujus Sancti Templi Canonicus: cujus Vitæ Integritas Generis Claritudini maxime cessit. M. D. IIII, Maji XIX. Die, Hominem exuit: quem Exsecutores per venerabile Capitulum Deputati, hoc Monumento pientissime sunt prosecuti.

CAPUT LIII.

Ad Annum M. D. IV.

LUCAS EISENREICHIUS,

Vratislaviensis.

VITA.

I.

ANno 1430, Patricio Sanguine progenitus, Eruditione singulari condecoratus, Virtutibus Famam, Meritis Gratiam Procerum, ipsorum Principum, imo Regum obtinebat.

II. Anno, 1464, in Collegii Senatorii Vratislaviensis Ordinem receptus, prima Dexteritatis prudentissimæ Documenta edebat; non suis, aut solis, aut præcipuis, sed publicis Utilitatibus intentus: non liberalior Verbis, quam promtior Factis. Ob quam simul raram Juris Solertiam, simul Probitatis Constantiam, quoddam velut Oraculum habebatur.

III. Casimiro, Polonorum Regi gratus, Anno 1466, Testis assumebatur ad illud Pacis peculiare Pactum, quod Poloni cum Ludovico Erlichshausenio, Teutonici Ordinis Magistro, post Bellum Borussicum XIII. Annis gestum, apud Thorunienses inibant.

IV. Eodem 1466 Anno, cum Vratislaviensium Episcopo Rudolpho & Henrico Domnigkio Senatore, contra Georgium Podibradium, Bohemorum Regem, M. DCCC. Equites auxiliares Matthiæ Hungarorum Regi, Silesiorum supremo Duci, Olomucium in Moraviam afferebat.

V. Con-

V. Concordibus Collegarum Suffragiis, Anno 1468, eligebatur Vratislavienſium & Civitati, & Ducatui Præfectus: qui Nomen Capitanei ſuſtinere ſolet. Ea tum erat annua Poteſtas. Eandem adminiſtrandam iterum, Anno 1471, ſuſcipiebat, & 1472 retinebat. Anno 1575 acceptam, per continuos Annos XII geſtam, Anno 1487 deponebat, quam deinceps Henrico Dominigkio Senatus committebat.

VI. Anno 1479, inter ipſum & Rudolphum Epiſcopum ob Viadrum & Olaviam, circa Terrarum Vratislavienſium & Epiſcopalium Limites, conjuncta Flumina, Diſſidiô exercebatur. Imo cum Senatoribus cæteris Eccleſiaſtico Fulmine quidem, ſed Cancellos ſuos transgreſſo, ideo inani, percutiebatur.

VII. Hactenus Sileſiæ publicus Status admodum perturbatus erat. Anno 1469, pro Georgio Podibradio, Bohemorum Rege, Vratislavienſes cum plerisque Sileſiis cœteris Matthiam Hunniadem, Hungarorum, etiam quorundam Bohemorum Regem, ſibi Ducem ſupremum conſtituerant. Armis de Bohemia certaverant, præter Podibradium & Matthiam, Vladislaus, Caſimiri Polonorum Regis Filius, cui quidam Bohemi Sceptrum, Matthiæ ſubtractum, tradiderant. Ita Sileſii Clades, & ab Hungaris, & à Polonis: ab his etiam Obſidionem Vratislavienſes ſuſtinuerunt.

VIII. Inter has diuturnas Ærumnas EISENREICHIUS nunquam non Patriæ ſuæ fidus, à Rege Podibradio alienus, Anno 1487, per Literas in Vratislavienſium Curia, Die XIV. Maji, publicatas, in Præmium conſequebatur Honores, quibus Matthias Rex afficiebat Conſiliarios ſuos.

IX. Grandævus jam Senex Perſonam Capitanei, quô meliorem neque Civitas, neque Ducatus Vratislavienſis Gubernatorem inveniebat, etſi parum propenſus, in Salutem communem Precibus Votisque victus, Anno 1502, recipiebat: eundemque Magiſtratum Anno 1505, Humeris ſuis patiebatur imponi: quem decies novies geſſit.

X. Vir erat, quo intelligentior Juris, eo retinentior Æquitatis. Ad rectæ Rationis Normam, ſalutaris Legis Animam, pio Temperamento, rectè ſuſcepta Præmiis commendabat: perperam commiſſa Pœnis opprimebat: quævis ſub Cancellos ſuos redigere conſvetus. Libertatis Amicus, Imperio ſuo civiliter ſubditos, nunquam ſerviliter tractandos judicabat, amari, quam timeri, Præfectis tutius, ſubjectis ſalubrius eſſe ratus: quoniam indelebilem Amor, Timor exſtirpabilem facit Obedientiam. Ita fiebat, ut ſummis & imis charus, imitabile boni Regiminis Exemplum Poſteris relinqueret.

MORS.

XI. Annos LXXV, Menſes VI, Dies VII, transegerat, cum Ætatis ſuæ finiret Tempus: Anno 1506, Die VI Maji. Poſt Labores continuos Quieti longæ traditus jacet in Vratislavienſium Eliſabetano Templo: ubi tanto Viro plenum ingenuæ Simplicitatis Epitaphium additum:

Anno Domini M. D. VI. pridie Nonas Maji, obiit honeſtus LUCAS EISENREICH. hujus Reip. Senator. Vixit Annos LXXV. Menſes VI. Dies VII.

Omnem qui Studio ſibi Senatum
Et Plebem Probitate junxit omnem,
Hic LUCAS Patriæ Decus quieſcit.
Nemo non bonus invidet ſepulto.

XII. Id aliter diſpoſitum Initio erat tale:

Qui Reges ſibi, Principes, Senatum,
Et Plebem Studio Fideque junxit,
Hic LUCAS Patriæ Caput quieſcit,
Tutor, Deliciæ, Parens, Amorque.
Nemo non malus invidet ſepulto.

Sed, quanquam nihil à vero abhorrens continebat, tanquam glorioſius nec mortui modeſtiſſimo Genio ſatis congruens, mutari jubebant Funeris Curatores.

XIII. Et fuerunt in Poſteris Lectores, quibus capi non potuit ultimus Verſus:

Nemo non bonus invidet ſepulto.

At Senſum habere juſtum poteſt, ſi benignum habet Interpretem, *Nemo non*, id eſt, *Omnis Bonus invidet* ſepulto: id eſt, *dolet* mortuum ideoque ſepultum. Quis enim antiquæ Latinitatis gnarus neſcit, cum Invidia nulla ſit, cui non ſubſit Dolor, *invidere*, pro, *dolere*, dici?

SCRIPTA.

XIV. *De ſui Temporis Rebus*, potiſſimum à ſe geſtis quoddam ſcripſit *Diarium*. Hoc num adhuc alicubi ſuperſit, nobis haud conſtat.

CAPUT LIV.

Ad Annum M. D. VII. Diem XI. Februarii.

JOANNES GLOGOVIENSIS, Glogovienſis.

VITA.

I.

Sileſiorum Glogovienſis Ducatus, ſub Ladislao Bohemorum Rege, ſupremo Sileſiorum Duce, tranſiit a Bohemis ad Polonos, a Polonis ad Bohemos rediit. Anno 1491, ad compoſitas inter Bohemos & Polonos in Pactis Leges, Ducem accepit pro Ladislao Joannem Albertum, Ladislai Fratrem: poſt hæc Ladislaum, in cujus Poteſtatem Anno 1498 revertebatur: Anno 1500 pro Ladislao Sigismundum, Joannis Alberti Fratrem: Anno 1506, cum Sigismundus Polonorum Rex, Joannis Alberti Fratris, poſt Alexandrum Fratrem, Succeſſor electus eſſet, Ladislaum recepit. De quibus Glogoviæ Mutationibus agunt, Matthias Michovius, Lib. IV. Chronicorum Polonicorum, Cap. LXXIX. Martinus Cromerus de Polonorum Rebus, Lib. XXIX. Cap. XXX. Jacobus Schickfuſius in Chronico Sileſiaco, Lib. I'. Cap. XXXI.

II. His Temporibus, quæ Fratres, Bohemis & Polonis Reges, Glogovianis Duces, imperare viderunt, JOANNES, ab Urbe Glogovia, cui debebat Ortum, in Ducatu Glogoviano primaria, GLOGOVIENSIS cognominatus, & Factis, & Scriptis claruit. Patriæ causâ, pluribusque Nominibus Polonico Regno devinctum, Simon Starovolſcius Polonus, quanquam Sileſium agnoſcit, tamen inter Scriptores Polonos, de quibus Centuriam compoſuit, Cap. XXXIX. numerat.

III. Eruditione, pro Sæculi ſui Dotibus, rarâ, Dignitatem, Philoſophiæ Magiſtris debitam, & doctis, & indoctis tum magnam, in Cracovienſi Polonorum Academia conſecutus, ibidem publici Profeſſoris Perſonam gerebat. Id Athenæum Acumine Judicii, quo præcellebat, multis Documentis patefacto, Rerumque plurimarum Scientiis, quas ſupra Vulgus Eruditorum coluerat, feliciter divulgatis, tam illuſtrabat, ut Polonis aliisque Doctrina ſua commendatiſſimum redderet, Advenasque diu teneret, quos ſemel attraxerat.

IV. Ideo ex facili Famam ſingularem obtinebat, quâ Judice, ſi non primarius, certe primariis annumerandus, inter Literatos eminere ſtatuebatur. Simon Starovolſcius, cum JOANNIS noſtri Artes Scientiasque multiplices recenſuiſſet: *Quæ omnia*, inquit, *ille ita Calamo ſuo illuſtravit, ut omnium pene Eruditorum Oculos ſolus illa Tempeſtate in ſe converterit.* Poſt quædam: *Quicquid uno Verbo ad Philoſophiam exactè cognoſcendam ſpectare videbatur, id totum Notis illuſtravit.* Nicolaus Zoravius:

Felices quis vos Arabes non dixerit Auro,
Ture vocat claros non quis odo ifero?
Sed tamen haud ſitis Commentatore ſuperbi:
Alter AVERROES nam GLOGOVITA fuit.

V. Ex Sileſiis, publicas in Cracovienſium Civitate Perſonas ſuſtinentibus, intimum habebat Amicum, MICHAELEM Vratislavienſem, Philoſophiæ Magiſtrum, majoris Collegii, quod Artiſtarum nominatur, Collegam. Cum extrema Vitæ Spatia conficeret, Cracoviæ Sacerdos Canonicus ad S. Floriani Templum erat. Cæteris Meritis ſuis pro Faſtigio ſuperaddidit Ædificium, quod magnis Sumtibus in Juventutis Gratiam, liberalibus Artibus commodiorem in Modum addiſcendis, apud Cracovienſes à Fundamentis exſtruxit.

MORS.

VI. Conſtans Cracovienſium Amator, etſi Provinciis, ad quas evocabatur, alibi ſuſcipiendis, non deſtitutus, apud eos ſupremum obibat Diem XI. Februarii, cum Annus 1507. ageretur.

SCRIPTA.

VII. Quia non ſatis habebat, in medium afferre, quibus Auditores doceret vivus: condebat etiam Monumenta, quibus Lectores doceret mortuus: ex quibus Philologus, maxime Philoſophus, etiam Theologus, & laborioſus, & ingenioſus agnoſcitur. Inter ea

Primum: *Grammatica Latina Libris duobus.* De quâ Simon Starovolſcius: *Varia Eruditione & Judicii Acumine, inter ſui Ævi doctos Viros inclaruit, ut, ſi vel ſolam Grammaticam illius Diſcurſu, quo nemo*

ante eum usus, Libris duobus conscriptam videas, mireris Industriam, probes Laborem.

Secundum: *Interpretatio compendiosa Donati minoris de Orationis octo Partibus.* Edita est Lipsiæ per Jacobum Thannerum, A. 1510: Cracoviæ 1515. in 4.

Tertium: *de Arte Poetica Liber.*

Quartum: *de Arte Rhetorica Liber.*

Quintum: *Quæstiones in Aristotelis Artem Rhetoricam.*

Sextum: *Quæstiones in Aristotelis περὶ ἑρμηνείας, id est, de Interpretatione Liber.*

Septimum: *Quæstiones in Aristotelis & priorum & posteriorum Analyticorum Libros IV.*

Octavum: *Quæstiones in Aristotelis Topicorum Libros VIII.*

Nonum: *Quæstiones in Aristotelis Elenchorum Sophisticorum Librum.*

Decimum: *Quæstiones in Aristotelis Auscultationum Physicarum, seu de Motu Libros VIII.*

Undecimum: *Quæstiones in Aristotelis de Cælo Libros IV.*

Duodecimum: *Quæstiones in Aristotelis de Generatione & Corruptione Libros II.*

Decimum tertium: *Quæstiones in Aristotelis de Anima Libros III.*

Decimum quartum: *Quæstiones in Aristotelis parva Naturalia:* id est, parva de naturalibus Rebus Opuscula: de Sensu & Sensili Librum: de Memoria & Reminiscentia Librum: de Somno & Vigilia Librum: de Somniis Librum: de Somni Divinatione Librum: de Animalium Motu Librum: de Vitæ Longitudine & Brevitate Librum: de Juventute & Senectute, Vita & Morte Librum: de Respiratione Librum: de Animalium Incessu Librum: de Spiritu Librum.

Decimum quintum: *De Physiognomicis Opusculum.*

Decimum sextum: *De Arithmetica Opusculum.*

Decimum septimum: *Introductorium compendiosum in Joannis Sacrobusti de Sphæra Tractatum.* Editum est cum ipso Sacrobusti de Sphæra Libello, Cracoviæ, Joannis Halleri Sumtibus, Anno 1506. in 4. ibidem Anno 1513.

Decimum octavum: *Explicationes perpetuæ in Joannis Sacrobusti de Sphæra Tractatum.* Editæ sunt cum ipsius Sacrobusti Opusculo, Cracoviæ, A. 1506. in 4. ibidem 1513.

De-

Decimum nonum: *Explicationes in Joannis Sacrobusti Computum Ecclesiasticum.*

Vigesimum: *Computus Chirometralis ad unum Cyclum magnum, LXXVI Annorum: ab Anno 1482 ad 1558.* Editus est Cracoviæ A. 1513.

Vigesimum primum: *De Astrorum Judiciis Opusculum.*

Vigesimum secundum: *Quæstiones in Aristotelis Ethicam.*

Vigesimum tertium: *Quæstiones in Aristotelis Politicam.*

Vigesimum quartum: *Quæstiones in Aristotelis Oeconomiam.*

Vigesimum quintum: *Interpretationes Librorum Sacrorum Sclavonicæ:* quas in Cracovienſium Urbe Joannes Hallerus Impendiis suis edidit.

CAPUT LV.

Ad Annum M. D. X. Diem XXVII. Novembris.

JOANNES SAUROMANNUS, Vratislaviensis.

VITA.

I.

ILla vetus Nobilium Gens, quos plerique SAUROMANNOS, alii SAUROMANOS, alii vel SAUERMANNOS, vel SAURMANNOS appellant, intra Silesiam orta, præclaros, etiam ob Rem literariam Viros, in Emolumenta publica protulit.

II. JOANNES noster Vratislaviam, Silesiæ Caput, illam meliorum Ingeniorum, quemadmodum fœcundam Genitricem, ita liberalem Nutricem, adeptus Patriam, inusitatiore, pro suis Temporibus, Exemplo, ingenuus honorati Patriciique Sanguinis Puer, in Latinas, etiam Græcas Literas propensissimus, Animum non externis, sed internis credebat exornari Bonis.

III. In humanioribus Artibus maximè Poeticam, in severioribus Scientiis Philosophiam, potissimum Theologiam colebat. His Successu conspectiore promicans, ex facili meritoque Sacris initiabatur. Ecclesiam Breslensem Cathedralem Canonicus regebat, Cervimontanam Plebanus docebat; Javorensibus cæterisque Silesiis ob Eruditionem raram Vitamque probam supra multos venerabilis.

MORS.

IV. Mortem obibat, Die Novembris XXVII, Anno 1510. Sepulcrum occupabat in Vratislaviensium Æde Cathedrali, Sacello Sauermanniano, quod est Sacrario vicinum: ubi superest Epitaphium:

Venerabilis Vir, Dominus JOANNES SAUERMAN. hujus Ecclesiæ Canonicus & Plebanus Hirsbergensis hic conditus est: Anno Domini M. D. X. Die XXVII Mensis N.

SCRIPTA.

V. Inter Opera, quæ composuit, Primum: *Æschyli Tragœdiarum Græcarum omnium Latina Interpretatio.* Edita Basileæ, per Joannem Oporinum in 8.

Secundum: *Carmina, quibus Christianæ Pietatis quinque Capita:* Decalogum, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, Doctrinam de Sacramentis, Baptismo & Eucharistia, complexus est. Edita sunt Lipsiæ.

CAPUT LVI.

Ad Annum M. D. XI. Diem. XVIII. Februarii.

NICOLAUS HAUGWICIUS,

Eques.

VITA.

I.

EX antiqua Equestri, non per Saxoniam Lusatiamque tantum, verum etiam per Silesiam Literis Virtutibusque nobilissima Prosapia genitus, imitaturus Generis sui summos Viros, in Adolescentia quidem non vulgariter colebat Eruditionem, postea vero Armorum studiosus, sub Matthia Corvino, Hungarorum Rege, fortem agebat Turcarum Debellatorem. Finita Militia, Libros repetebat, creatusque Vratislaviensium ad S. Crucis Templum Canonicus, Sacris vacabat.

MORS.

II. Invictus Hosti, Morbo victus, Anno 1511, Die XVIII Februarii succumbebat Morti. Fratrem habebat Wenceslaum HAUGWICIUM,

CIUM, Equitem Auratum: a quo Epitaphium in S. Crucis Templo nactus est hoc:

Nobili Domino NICOLAO HAUGWITZ. de KRANTZ. hujus Sacræ Ædis Canonico, WENCESLAUS Frater, Eques Auratus, Germano carissimo posuit. Obiit Anno M. D. XI. Februarii XVIII.

CORVINO sub Rege tulit qui Vulnera multa
Pro Patria Cineres hic NICOLAUS habet.
SLESIACOS inter Proceres venerabilis olim.
HAUGWITZIAM renovans Strenuitate Domum.
Ad Christi tandem perrexit Transfuga Castra,
Adscriptus sacræ quam bene Militiæ.
Quæque negata fuit sibi Mors per Tela, per Enses,
Gallicus hanc tribuit Nomine Morbus ei.

CAPUT LVII.

Ad Annum M. D. XVI. Diem II. Aprilis.

JOANNES SCHEUERLINUS,

Vratislaviensis.

VITA.

I.

FAmilia, tum Norinbergensibus, tum etiam Vratislaviensibus nobili, quæ mox SCHEWERLEINORUM, mox SCHEURLIORUM dicitur, natus, Patrem BARTHOLOMÆUM, Vratislaviensium Senatorem Consularem, Anno 1466 in Curiam receptum, Fratremque BARTHOLOMÆUM, Vratislaviensium Canonicum [cujus mentionem, Cap. XLVII, fecimus] quemadmodum Studiis, sic Honoribus æquare non satis habebat, etiam superabat.

II. Scientiis cæteris Legalem præferre solitus, eo Perfectionis Habitu sibi comparaverat, ut in Notitiarum, non acquirendarum Incitamentum, sed acquisitarum Præmium, Doctor utriusque Juris declararetur. Inde multiplicem Sapientiam suam cum honesta Vita conjunctam, sentiebat Instrumentum efficacissimum, in Ecclesiasticis Provinciis

ciis emergendi ad celsiores Dignitates, non tam Genere, quam Eruditione supra multos eminens Patritius Vratislaviensis.

III. Agebat enim, non Titulis contentum, sed Curis deditissimum Canonicum Augustanum, Tridentinum, Vratislaviensem, Lignicensem: Archidiaconum Glogoviensem: tandem Episcopalis Aulæ Vratislaviensis, sub JOANNE V. Episcopo, a quo in Deliciis habebatur, Vicarium & Officialem in Spiritualibus Generalem: adeo celebrem, ut ipsius Domus, communi Fama Teste, quoddam continere videretur Oraculum.

IV. Cognatum habebat Christophorum SCHEURLIUM, Patritium Norinbergensem. J.U.D. & Professorem Witebergensem. Eum ad Vratislavienses, cum Saxonicorum Ducum Legatus Negotium in Ducis Monsterbergensis Aula jam expediviſſet, digressum, Colloquio erudito, eoque prolixo incitabat, ut de Sacerdotum & Ecclesiasticarum Rerum Præstantia Libellum conscriberet: quem, Anno 1511 in Academia Witebergensi recitatum, in Bilibaldi Pirckheimeri Operibus Anno 1610 editis additum reperimus, nostro SCHEUERLINO dedicatum.

MORS.

V. Diu Fati supremi ante suum Diem memor, Anno 1497, in S. Johannis Cathedrali Templo, ad septimæ Capellæ minorem Chorum, Sarcophagum sibi ponebat: in Tabula Posteris More simplicissimo suum Nomen agnoscendum relicturus, his Verbis:

JOH. SCHEUERLEIN. Canonicus & Officialis Vratislaviensis, Vicarius in Spiritualibus generalis hunc sibi vivens Sarcophagum constituit. Vult igitur transeuntes orare Deum, ut post Fata sua in Pace quiescat.

Hanc Tabellam Ære & Impensis suis faciendam curavit JO. SCHEWERLEIN. Wratislaviensis, Augustensis, ac Tridentinæ Ecclesiarum Canonicus sub Anno Domini M. CCCC. LXXXXVII.

Obiit sub Anno Domini M. D. XVI. Die vero secunda Mensis Aprilis.

SCRIPTA.

VI. Non ignarus Rerum ad Ecclesiam Vratislaviensem pertinentium, *de Vladislai Hungarorum & Bohemorum Regis, Silesiorum supremi Ducis, Exactionibus tributariis*, quibus Clericos Vratislavienses exercebat, cebat, *Commentarium* consignavit. In eo sacras, ut vocavit, Pecunias nullis profanis Usibus, multo minus Abusibus aulicis applicandas, potissimum Rationibus Legalibus, demonstravit.

CAPUT LVIII.

Ad Annum M. D. XVI. Diem XXIII. Augusti.

NICOLAUS ZEHLERUS,

Vratislaviensis.

VITA.

I.

COgnomento quibusdam vocatur CELER: inter quos est Salomon Stepnerus in Lipsiensium Inscriptionibus: plerisque tamen aut ZELERUS, aut ZEHLERUS nominatur: in quibus reperiuntur Lipsiensium Chronicorum Scriptores, Tobias Heydenreichius & Zacharias Schneiderus.

II. Ad Literas humaniores Fundamentis domi positis, peregri, potissimum in Lipsiensium Academia, superaddebat cum Philosophicis Theologicas Doctrinas. Ibidem propterea liberalium Artium, Philosophicarumque Scientiarum Magistris, etiam Theologiæ Baccalaureis adscriptus, agebat Nicolaitici Templi Doctorem, Philosophiæ Professorem: Anno 1493, & 1495, Philosophici Collegii Decanum: Anno 1498 Academiæ Rectorem.

III. Charus erat doctis magnisque Viris, præsertim Adolpho Martisburgensium Episcopo, Principi Anhaltino: cui non vulgarem sui Existimationem etiam mortuus debebat.

MORS.

IV. Subito Fato, Anno 1516, Die XXIII. Augusti, exstinctus, in S. Nicolai Templo Epitaphium hoc nactus est:

Venerabili Viro, Domino NICOLAO CELER, Vratislaviensi, Artium & Philosophiæ Magistro, & in Sacris Literis graviter erudito, hujus Ædis sacræ olim Prædicatori Beneficiato, cum nuper Anno M. D. XVI. XXIII Die Augusti, repentina Morte infestatus decessisset, Reverendissimus in Christo Pater & illustris Princeps Dn: ADOLPHUS, Epi-

ſcopus Merſeburgenſis, Princeps ab Anhalt, hoc Epitaphium fieri curavit: cujus Animæ Deus opt. max. propitiari dignetur.

CAPUT LIX.

Ad Annum M. D. XVIII. Diem XXXI. Januarii.

GREGORIUS MORENBERGERUS, Vratislavienſis.

VITA.

I.

IN claris Vratislavienſium Familiis olim Morenbergica ſplendebat. Eam GREGORIUS noſter duobus omnium optimis Ornamentis, Scientia & Innocentia commendabilem faciebat. In Philoſophicis Eruditione Titulum Magiſtri Academicum promerebatur. Probatus in Vratislavienſium Curia JCtus, denique Civitatis Secretarius, Induſtria, Modeſtia, Prudentia, Juſtitia, genuinis bonæ Famæ Notis, ſemper Autoritatis plus acquirebat.

II. Illa Ætate ſapiens magnanimusque Vir, Johannes HAUNOLDUS, quem Urbs Ducatusque Vratislavienſis Capitaneum habebat, Autor Senatui erat, ut conderet Literariis Studiis Academiam, Sileſiis omnibus, non Vratislavienſibus ſolis, maxime commodam. Id Conſilium pari Affectu & Succeſſu, præter alios urgebat regebatque noſter MORENBERGERUS, in majus provehendis quibusvis Doctrinarum Generibus addictiſſimus. Hujus ideo in Patriam non inanis erat Conatus, quod ei non reſponderet Eventus. Ii Culpam ſuſtinebant, quibus erat jucundius privatis, quam glorioſius publicis ſtudere Poſteritatis Utilitatibus.

III. Anno 1506, MORENBERGERUS, quibusdam Equitibus Sileſiis Comitibus Iter aggreſſus, a Chriſtophoro Schwarzio, famoſo calliditſſimoque Latronorum Capite, Vratislavienſium Hoſte jurato, captus, hac Lege cum Sociis dimittebatur, ut omnes in nigrum Montem, ad proximum Sacræ Nativitatis Feſtum redirent ſub Prædatoris Poteſtatem. Eos ſuis Promiſſis ſatisfacturos, Artem Arte ſubverſurus Carolus Monſterbergenſium Dux, Vladislai Bohemorum Regis Juſſu, Die

Die Decembris XIX, in Via præreptos Cæſareo Burgo ſub Cuſtodiam tradebat. Ex ea Libertati reſtituebantur Die Januarii VII, Anno 1507.

MORS.

IV. De ſui Temporis Rebus præclarum in Modum meritus, Die Januarii XXXI, Anno 1518, Tempus Ætatis ſuæ finiebat. In Vratislavienſium Eliſabetano ſepultus, elegantiſſimo Epitaphio cernitur honoratus. Ibi legas ex Pauli ad Corinthios Epiſt. I. Cap. XV. 23.

Ἀπαρχὴ Χριστὸς, ἔπειτα οἱ Χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ. *Primitiæ Chriſtus: deinde qui ſunt Chriſti in Adventu ipſius.*

Quas mihi, ſancte Pater, dederas ab Origine Mundi
Adduco, & Regni Sceptra reſigno tui.
Ambroſius Moibanus.

M. GREGORIUS MORENBERG: Reip. Wratislavienſis Notarius, obiit Anno M. D XVIII. XXI. Januarii.

SCRIPTA.

V. Reliquit *de variis Sileſiorum Memorabilibus Relationes* a ſe conſignatas: ignoramus, utrum ab Hæredibus reſervatas, an in Curiam receptas.

CAPUT LX.

Ad Annum M. D. XX Diem XIII. Maji.

MATTHÆUS DAMERAVIUS, Vratislavienſis.

VITA.

I.

JUvenes ſui Temporis alios imitatus, ex Patriæ Scholis ad Lipſienſem Academiam tranſierat. Ibi acquiſitis majoribus Scientiarum Copiis, Philoſophiæ Magiſter & Profeſſor, Theologiæ Doctor & Profeſſor, Collegii majoris Collega, Philoſophici Anno 1487. Decanum: Anno 1489. Academiæ Rectorem agebat.

MORS.

II. Anno 1520, Die XIII Maji, apud Lipſienſes implebat Vitæ ſuæ Curſum.

Curſum. In eorum Nicolaitico Templo æreum Epitaphium nactus eſt:

Anno M. D. XX. Dominica Die XIII Maji, obiit venerabilis MATTHÆUS DAMERAW. ex Preslavia, Sacre Theologie Profeſſor, Collegii majoris Collegiatus.

CAPUT IXI.

Ad Annum M. D. XXI.

WIGANDUS SALZA,

Eques.

VITA.

I.

EX Sileſiorum, non Luſatorum, Equitum Gente natus, Jacobi SALZÆ, Capitanei Glogovienſis, tandem Vratislavienſis Epiſcopi, Frater, Patrem habuit Nicolaum SALZAM, intra Sileſiæ Lignicenſem Ducatum, Diœceſin Lubenenſem, Schreibersdorfiii Dominum.

II. Prævius Fratri Jacobo, qui natu minor erat, Corpori ſuo formoſo elegantem Animam effecturus, in Adoleſcentia Vitam conſecrabat Virtuti & Eruditioni, potiſſimum, quæ tam civiles, quam Eccleſiaſticas Leges interpretatur. J. U. Doctor, Sacerdotem agebat Canonicus Vratislavienſis ad S. Johannis Cathedralem, & S. Crucis Collegiatam Ædem, Glogovienſis Cantor.

MORS.

III. Ævi ſui Tempus finiebat Anno 1521. In Vratislavienſium S. Crucis Templo ſepultus, a Germano Fratre Jacobo in Tabula ſuſpenſa Monumentum conſequebatur, cujus Inſcriptio:

Reverend. in Chriſto Pater & Dominus, Dn. JACOBUS de SALZA, Epiſcopus Wratislavienſis, in Memoriam & Salutem D. WIGANDI de SALZA, Ll. J. D. Canonici ambarum Eccleſiarum Wratislavienſium, & Cantoris Glogovienſis, Fratris Germani ſui, Tabulam hanc poni fecit Deo Opt. Max. M. D. XXI.

CAPUT

CAPUT XLII.

Ad Annum M. D. XXI. Diem XVIII. Julii.

PETRUS WIRTHIUS,

Leobergenſis.

VITA.

I.

ANno 1461. Menſe Julio natus, quemadmodum Patriam, illam ad Boberum Fluvium ſitam Ingeniorum egregiorum Genitricem Urbem Leobergam: ſic in ea Proſapiam Meritis & Honoribus claram Ornamentis ſuis annumerare potuit. Eam proſpero naſcendi Fato imputandam Felicitatem propriis emergendi Studiis adauxit: quorum Ope ſupra Doctorum Vulgus, ad Dignitates Eruditis peculiares aſcendit.

II. Dotes ſuas potiſſimum in Lipſienſium Academia Literario videndas Orbi exponebat, Philoſophiæ Magiſter & Theologiæ Doctor. Ibi fuit in B. Virginis Collegio Collega, Philoſophiæ Profeſſor: Anno 1510, Academiæ Rector. Anno 1514, Philoſophici Collegii Decanus, inter alios Johannem Langium, Civem ſuum, Leorinum, poſtea Medicinæ Doctorem, Palatinum Archiatrum, Conſobrinum ſuum, creabat Philoſophiæ Magiſtrum. Præterea Eccleſiæ Vratislavienſis quidem Cathedralis Lignicenſis, autem Collegiatæ Canonicus erat.

MORS.

III. Romam, incertum, qua de Cauſa, digreſſus, ibi cum Annus 1521, Dies XVIII, ageretur, Naturæ ſatisfaciebat. Ibidem in Campo Sancto marmoreum, quod ei Martinus WIRTHIUS Frater condidit, Monumentum conſpicitur:

Reverendo & Clariſſimo D. PETRO WIRTH. ex Sileſiorum Gente Germano, Patria Lembergenſi, Canonico Vratislavienſi & Lignicenſi, Collegii B. Virginis in Academia Lipſienſi Collegæ, ex hac Vita in Fide & Confeſſione Chriſti ad Cœleſtem Patriam evocato, depoſitis hoc in Loco ipſius Exuviis, MARTINUS Frater Pietatis ergo P. C. Obiit Anno Salutis M. D XXI. Die XVIII Julii, Ætatis LX.

SCRIPTA.

IV. Inter Opera, quæ condidit, Primum: *Davidis Psalterium*, Interprete vulgari *Latinum, Notis illustratum.* Id Frater Georgius Wirthius Medicinæ Doctor, Ludovici Hungarorum & Bohemorum Regis Archiater, Decanus Budissensis, aliquandiu in Bibliotheca sua retinuit. Ex ea Johannes Rhamba Typographus Lipsiæ primum Anno 1580 edidit in 12.

Secundum: *Sanctorum, Mosis, Hannæ, Esaiæ, Ezechiæ, trium Puerorum Danielis, Habacuci, S. Mariæ Virginis, Zachariæ, Simeonis Cantica: & Apostolicum Nicænum, Athanasianum, Ambrosianum, Augustinianum Symbola Scholiis explicata.*

Tertium: *Latini veterum Ecclesiæ Patrum Hymni*, Diebus festis Sacri, nonnullis *Additamentis declarati.*

Quartum: *Orationes Ecclesiasticæ, per totum Annum*, quas vulgus *Collectas* vocat, *Annotationibus expositæ.*

Quatuor hæc Scripta conjunctim publici Juris fecit recognita, Lipsiæ Typographus Abrahamus Lambergius, Jacobi Apelii sumtibus, Anno 1593. in 8.

CAPUT LXIII.

Ad Annum M. D. XXI. Diem XX. Decembris.

PETRUS JENCOVICIUS,

Eques.

VITA.

I.

AMBROSII, cujus Mentionem Cap. XXXVI. fecimus, Patruelis: PETRI ex Anna GROSSINGERIA Filius: NICOLAI, quem Vratislaviensium Curia Senatorem, Ducatus Præfectum habuit, Frater liberalis & elegantis Ingenii, præter humaniores Literas, Ecclesiastica Jura per Triennium in Urbe Roma diligenter colebat: unde Canonici Juris Doctor in Patriam redibat.

II. Ad Patrui Exemplum, Amator privatæ Quietis, nec Conjugii Tædiis, nec Publicis Negotiis oblectabatur. Proinde Sacris Animum ap-

applicabat; quibus inter literaria Studia vacabat, in Collegium Canonicorum Vratislaviensium receptus.

MORS.

III. Laudabiliter Officii sui Rebus defunctus, Mortalitatem cum Immortalitate commutabat Anno 1521, Die XX. Decembris. Simplicissimum in Vratislaviensium S. Johannis Cathedrali Templo Epitaphium adeptus est hoc:

M. D. XXI. D. XX. Decembris, obiit venerabilis & eximius Dominus, Doctor PETRUS JENCKWITZ. Canonicus Vratislaviensis.

CAPUT LXIV.

Ad Annum M. D. XXII. Diem XXIX Octobris.

HIERONYMUS SCULTETUS,

Glogoviensis.

VITA.

I.

HUmili loco, sed celso Animo natus, ad Dignitates rara Sorte comparabiles ascendit. Intra Glogoviensem Ducatum in Pago ad cognominem Urbem sito, Gramschucio, primum videbat Lucem, Patre ibidem Prætore: qui Germanis SCHULTZIUS, Latinis SCULTETUS vocari solet. Quamobrem Viri docti, quos Stemma Genitoris fugit, HIERONYMO Filio adjunxerunt SCULTETI Cognomentum. Inter hos reperitur Davides Chytræus in Saxoniæ Chronico, ad annum 1520, & 1524: & Andreas Angelus in Annalibus Marchiæ Brandenburgicis, Lib. III.

II. Ingenio excellens, Scientiis tam Philosophicis, quam Theologicis Eloquentiam conjunxerat: quarum Ope facilis Orator, Disputator subtilis, dexter Consiliarius, nulli secundus, Autoritatem Amoremque non vulgarem sibi conciliabat. Supra cæteros, Patrono gaudebat JOACHIMO I. Electore Brandenburgico, quem Academia Francofurtensis ad Viadrum habuit Conditorem. Hujus in Aula reddiderat Dotes suas plerisque cognitas.

III. Theo-

III. Theologiæ Doctor, intra Luſatiam inferiorem, quatenus Imperio Brandenburgico ſubjacet, ad Spream inter Cotbuſienſes Theologos ſuſtinebat Officium Paſtoris. Anno 1506, abibat è Vita Joachimus BREDAVIUS, Brandenburgenſis Epiſcopus. Huic Succeſſorem JOACHIMUS Elector dabat noſtrum SCULTETUM.

IV. Anno 1517, cum Martinus Lutherus Indulgentias Eccleſiæ Romanæ, quas citra Pontificis Maximi Conſenſum ex privato Clericorum non nullorum Inſtituto, venales exponi judicabat, publicè graviter oppugnare nihil vereretur: SCULTETUS noſter inprimis de juſto miræ Diſputationis excitatæ Fundamento ſolicitus, quodnam illud eſſet, certior fieri cupiebat. Ideo Lutherus SCULTETO indicabat, ſe non aliud Theologicarum Controverſiarum componendarum agnoſcere pro genuino Principio, niſi quod ſacras Literas, iisque conformes Canones, Eccleſiaſticosque Patres in Præſidium habet. Quod ait eô facilius caperet SCULTETUS, ei Lutherus ſuas de Romanis Indulgentiis Declarationes Probationesque transmittebat. *Mihi*, ut ad ipſum in Epiſtola ſub Anni 1518, Ver ſcripta, [quam Johannes Aurifaber inter alias edidit] *id ſane omnium abſurdiſſimum videtur, aliquid ſcilicet in Eccleſia Dei prædicari aut audiri; quod, cum Hæretici expoſtulaverint, unde Rationem reddamus: & nos non poſſimus: Chriſtum & Eccleſiam ejus relinquamus illis Ridiculum & Ludibrium. Porro Scholaſticis Doctoribus & Canoniſtis conſtat, nullam deberi á nobis Fidem, dum ſuas opinantur Opiniones. Et ut vulgo dicitur, turpe eſt Juriſtam loqui ſine Textu: at multo turpius eſt, Theologum loqui ſine Textu: non Ariſtotelis dico (nam hunc plus, valde, nimis, ſatis loquuntur) ſed noſtro, id eſt, Scripturæ ſacræ, Canonum, Eccleſiaſticorum Patrum.* Ibidem poſt quædam: *Cum vero tu, optime Præſul, nobis per Miſericordiam Chriſti datus ſis hujus Loci Ordinarius (ut vocant) quidem bonos & eruditos non modo diligis honorifice: quod in multis multi plurimum prædicant: Verum pro tua ſingulari Humanitate & Humilitate, prope uſque ad Periculum Pontificalis Dignitatis etiam veneraris & colis:* [*faceſſat Adulatio*; non Te, *ſed Chriſti Dona in Te prædico*] *juſtiſſimum fuit, ut tibi* [*ad quem pertinet hujus Loci Studia inſpicere & judicare*] *potiſſimum offerrem: & Pedibus Tuis primum ſubjicerem, quicquid id fuerit, quod operor.*

V. SCULTETUS editorum acceptorumque Libellorum quô intentior Lector, eô ſcrupuloſior Cenſor, non in omnibus cum Luthero ſen-

ſentiebat: potiſſimum offenſus Aſſertione, quâ ſupremum Eccleſiæ Romanæ Caput ampliſſima Poteſtatis Prærogativa ſpoliari dolebat. Sed tamen laudabili Veritatis Studio, per Occaſionem, apud Witebergenſes cum Luthero familiariter certabat. De quô Lutherus ad Georgium Spalatinum Anno 1519, die Februarii XII: *Fui cum Reverendo Domino Epiſcopo Brandeburgenſi Witebergæ: & multis mecum, familiariter tamen, expoſtulavit, quod tanta auderem. Intelligo, Epiſcopos nunc tandem ſapere, ſui fuiſſe ſcilicet Officii, quod in me vident præſertim, ideoque non nihil pudere.*

VI. Anno 1520, cum CAROLUS V. electus Romanorum Imperator, Die XXIII Octobris, ſolenniter Aquisgrani coronatus eſſet: SCULTETUS, inter JOACHIMI I. Electoris Brandenburgici, tum ægrotantis, Legatos præcipuus, ſplendidiſſimo huic Actui, non tam Inſpector, quam Comprobator aderat.

VII. Eodem Anno 1520, decedebat è Vita Joannes Slaberndorfius, Epiſcopus Marchicorum Havelbergenſis. Hanc Eccleſiam in poſterum regendam conſentientibus Suffragiis Canonicorum Collegium deſtinabat nobili facundoque Viro, Georgio Blumenthalio, Equiti Marchico Prignicenſi, J.U. Doctori. Jam Electioni peractæ ſubſcribebat quidem Leo X. Romanus Pontifex: JOACHIMUS I. autem Brandenburgicus Elector repugnabat. Is, poſthabito Leonis Decreto, Canonicorumque Collegio, per ALBERTUM Fratrem, Magdeburgenſium & Moguntinorum Archiepiſcopum Cardinalem diſpoſitis Rebus, Anno 1521, magnâ totius Aulæ Pompâ, præficiebat Havelbergenſibus Epiſcopum SCULTETUM, Brandenburgico Epiſcopatu retento, futurum Eccleſiarum duarum Caput, Conſiliarium ſuum: quem familiari Amore proſequebatur eo vehementius, quô penitius agnoverat Doctrinâ, Fide, Prudentiâ, Juſtitiâ, Induſtriâ, Modeſtiâ, Facundiâ præcellentem Virum.

VIII. Eum nihilo ſecius Havelbergenſi Pontificatu privare Blumenthalius conabatur, Litem ſuam Romano Tribunali expediendam ſubjiciens. Ibi ſubtiliter ponderatis Cauſæ Momentis, declarabatur Epiſcopus Havelbergenſis, legitime deſignatus, Jure ſuſcipiendus. Sed tamen, quanquam Victor, blandis Promiſſionibus de conſequendis Leubuſienſi & Raceburgenſi Epiſcopatibus, ad extremum placatus acquieſcebat.

IX. Anno 1521, SCULTETUS in Wormatienſibus Comitiis, coram Imperatore CAROLO V, inter Proceres, tum alios, tum etiam

Brandenburgicos, Martinum Lutherum, jam bene ſibi cognitum, ob Hæreſin à potentiſſimis accuſatam, Dogmatibus ſuis Orthodoxiam aſſerere confidenter auſum, Die XVII, & XVIII, Aprilis, partim conſentiens, partim diſſentiens Auditor admirabatur.

MORS.

X. Non diu par duobus Epiſcopatibus adminiſtrandis SCULTETUS, Havelbergenſem Coadjutorem ſibi conſociabat Buſſonem Alvenslebenium, Equitem, J. U. Doctorem. Anno 1522, Die XXIX Octobris, exſtinctus, Witſtockii ſepeliebatur: in Epiſcopatu Havelbergico quidem Buſſonem Alvenslebenium, Brandenburgico autem Theodorum Hardenbergium, Equitem, Succeſſores nactus.

CAPUT LXV.

Ad Annum M. D. XXIV. Diem IX. Martii.

GEORGIUS WIRTHIUS, Leobergenſis, VITA.

I.

PEtri WIRTHII, cujus Mentionem Cap. LXII fecimus, Frater, Anno 1470 natus, Operam Literis domi facilioribus, gravioribus peregri dedit. Philoſophiæ Magiſtrum Anno 1509 Lipſienſis, Medicinæ Doctorem, Anno 1515, Bononienſis Academia renunciavit.

II. In Sileſiam ex Italia tendebat per eam Provinciam, quæ Scriptoribus vetuſtiſſimis Liburnia, recentioribus Carnia, noviſſimis Carinthia nominari ſolet. In hac, neſcio quibus Remoris detentus, mutatis Conſiliis, & Sedem Rebus ſuis conſtituebat, & Artem Medicinæ, qua cenſebatur, exercere nihil dubitabat. Brevi nobilis Famæ ſuæ Radios in Loca vicina diffuderat, cum in LUDOVICI, Hungarorum & Bohemorum Regis, Aulam deſignatus Archiater concederet. In eâ Perſonam ſuam, felice Curas ſequente Succeſſu, laudabiliter agebat, carus Regi, cæteris etiam venerandus. Imminentis Senectutis patiens Imbecillitatem, appetebat Quietem, Aulam relinquebat, & intra Luſatiam apud Budiſſinos

nos Sacerdotale Munus Decani, quod in Meritorum Præmium Rex LUDOVICUS porrigebat, lætus accipiebat.

III. Ipſius Imaginem intuendam nobis exhibet Janus Jacobus BOISSARDUS in illuſtrium Virorum Iconibus, Parte IV. Cap. VIII. Vitam, quam Oratione ſoluta Melchior Adamus in Germanis Medicis, & Nicolaus Henelius in Togata Sileſia deſcripſerunt: Poetico Stylo repræſentat Joannes Rivius:

Magnus ut Ingenio, ſic clarus Honore Magiſtri
Egregii primum Jura Locumque capit,
Hic, ubi Muſarum Sedem Philyreus Eliſter
Alluit & rapidus Lipſidos Arva premit.
Poſthinc digrediens Italasque profectus ad Oras
Per Medicas Artes ſedulus ire parat.
Felſina Doctoris meritâ ornatumque Coronâ
Ad Patrios juſſit læta redire Lares.
Hoc Titulo fulgens agitare inglorius Artem
Noluit, Ingenii conſcius ipſe ſibi.
Tum Regi Juveni LUDOVICO Sceptra Bohemo
Qui tenuit, præſto eſt Pannoniæque ſimul.
Ergo ſalutiferæ Medicamina porrigit Artis,
Et reliquis fauſta præſtitit ille Manu.
Felix ô Hæres ex Fratre GEORGIUS Artis,
Cui parilis ſimul & Nominis alter adeſt.

IV. Gorlicii, cum diu aliis confirmaviſſet, ipſe tandem amittebat Vitam nimio Sanguinis Fluxu oppreſſus, Anno Ætatis LIV, Chriſti 1524, Die IX. Martii. Conditus apud Gorlicenſes hoc adeptus eſt Epitaphium:

Georgius WIRTH. Leobergenſis Sileſius, Ludovici Bojemiæ & Pannoniæ Regis Archiater, à quo tandem ſplendidiſſimo iſto cum Laude & Dignitate perfunctus Munere, Budiſſinæ Luſatiorum conſtitutus eſt Decanus, ſingularis Meriti ergo. Gorlicii feliciter obiit Anno M. D. XXIV. Ætatis LIV.

Carniolæ Ducibus, Regi dein Pannonis Oræ
Gratus eram medicæ Doctor in Arte bonus.

SCRIPTA.

V. Otium illud literarium, quo Temporibus extremis delectabatur, in Negotium convertebat, non nullorum *Librorum* Auctor, quos autem, quantum ſcimus, Poſteritas nondum editos vidit.

CAPUT LXVI.

Ad Annum M. D. XXVII.

GEORGIUS SAUROMANNUS,

Eques Vratislavienſis.

VITA.

I.

ANno circiter 1497, in Vratislavienſium Urbe Familia celebri natus, Pueritiam Literis, Armis Adoleſcentiam exercebat. Juvenis utrisque conſpicuus, Ab Imperatore Maximiliano I, cui Fortitudinem ſuam in Bello demonſtraverat, ad Equeſtrem Dignitatem evehebatur.

II. Animo, Studiis manſuetioribus reddito, Curas potiores ad Juris Scientiam in Italia dirigebat. In eam Diſciplinam ſupra Vulgus intelligendam, quo plus Ingenii Laborisque conferebat, eo pauciores Annos impendebat. Quantam ſibi Notitiam comparaviſſet, Honores, quos utriusque Juris Doctoribus Academica Jura tribuunt, illis Temporibus, quia non facile profanabantur, rariſſimi, patefaciebant. Suam vero Legum Cognitionem, quoniam neque totam forenſibus Litigiis applicare cogitabat, neque ſolam civilibus Negotiis publicis ſufficere ſtatuebat: Eloquentia Romana, quæ tum paulo cultior, eoque majoris Exiſtimationis erat, quo minus in Eruditorum Multitudinem, barbaræ Dictionis retinentem, cadebat, & ornandam & ſtabiliendam judicabat.

III. Non multo ante Maximiliani I. Cæſaris Exceſſum Gymnaſii Bononienſis Rectorem agebat. Tum Romam tendentes Franciſcum Sfortiam Barri Ducem, & Bernhardum Gleſſium, Epiſcopum Tridentinum, pauliſper Bononiæ commorantes, multis Benevolentiæ Documentis erga ſe propenſos experiebatur.

IV. Cæ-

IV. Cæterum in eodem Magiſtratu Seditionem Bononienſem inter Academicos & oppidanos Cives, Autoritate ſua Juvenes armatos ad moderatius Conſilium revocando feliciter comprimebat. Eam Rem notabilem Georgius Logus in Elegia commemorat, in qua noſtrum SAUROMANNUM Filius Julius Clemens Sauromannus alloquitur his Verbis:

Anne hoc præteream, Romæ qua Docta potensque
Felſina ad exigui Flumina parva jacet:
Gymnaſii Princeps illic dum nobilis eſſes,
Et magna in Populo Seditio orta foret.
Ipſe bonis junctus, ſævo gliſcente Tumultu,
Duxiſti Juvenes ad meliora bonos.
Viribus his Cives ſunt pulſi ex Urbe nefandi,
Tranquillum amplexi, Te Duce, Pacis Opus.
Concordes Proceres, Muſisque addicta Juventus
Arma mala & triſtes depoſuere Minas.

V. Maximilianus I. Cæſar Æternitate Mortalitatem Anno 1519, Die Januarii XII, commutaverat. SAUROMANNUS, qui tum adhuc Bononiæ ſubſiſtebat, Principis tanti Laudes Oratione, quam ipſis Februarii Calendis, tum Franciſco Sfortiæ, tum Bernhardo Gleſſio dedicaverat, divulgabat, in eaque Carolum & Ferdinandum, quos Philippus I. Hiſpaniarum Rex, Filios, Maximilianus I. Imperator Nepotes reliquerat, ut Germanorum Imperio maxime dignos cenſebat, ſic Auguſtos futuros augurabatur. Cui Judicio reſpondit Eventus.

VI. Maximiliano I. Succeſſorem Carolum V. Electores Principes, eodem Anno 1519, Die XXVIII. Junii, dabant. SAUROMANNUS, quemadmodum Maximiliano ſe commendaverat Manu ſtrenuus Bellator, ſic Carolum ſibi conciliabat Lingua promtus Orator. Mox Cæſaris Procurator in Romana Pontificis Aula, Res tam proſpero Succeſſu tractabat, ut ſemper Gratiam Cæſaris novam iniret, Pontificis retineret priſtinam. Eam SAUROMANNI Provinciam, Tempore Pontificis X. ſuſceptam, ſub Hadriano VI. geſtam, Clemens VII. variis Beneficiis exornabat.

VII. In Caroli V. Cæſaris Gloriam duas Orationes SAUROMANNUS ediderat. His Applauſum tantum conſequebatur, ut Chriſtophorum Longolium (non Gallum, quemadmodum nonnulli credunt,

ſed ut alii ſtatuunt, Belgam) cui magnam, potiſſimum inter Italos, Famam politior dicendi modus pepererat, ſuperare, totius Academiæ Romanæ Conſenſu, prædicaretur: Et Clementis VI. Pontificis Decreto, Jus Romanæ Civitatis adipiſceretur. Eidem Romano Præſuli Sacerdotia præclara debebat, Vratislavienſis Eccleſiæ Cathedralis quidem Præpolitus, S. Crucis autem Decanus.

VIII. Amicos habebat ſui Temporis celeberrimos Viros: inprimis Stephanum Brodericum, Eraſmum Roterodamum, Paulum Jovium, Petrum Mellinum, Stanislaum Saurum. Quibus acceſſerunt poſtea Literarum, Virtutum, Dignitatum, quibus eminebat, Præcones, Johannes Pierius Valerianus, Franciſcus Faber, Henricus Pantaleo, Johannes Latomus, Caſpar Cunradus, Nicolaus Henelius, præter alios.

IX. Ex his de noſtro SAUROMANNO Eraſmus Lib. XXIII. Epiſt. VI. quam ad Marcum Laurinum, Collegii Brugenſis Decanum, Baſileæ Calendis Februariis, ſcripſit: ubi veteres Amicos recenſet: *Georgius SAUROMANNUS, Præpoſitus Vratislavienſis, Juvenis ad Unguem doctus ac maximis Rebus natus.* Franciſcus Faber in Sabotho, Verſu 1186:

Teſtis honoratæ facundi Opulentia Linguæ
SAUROMANI, Proceres Romæ quem ſæpe loquentem
Obſtupuere, atque Indigenam optavere Quirites.

X. Imo, ſi Qualitatum in Parentibus admirabilium idonei ſeu Teſtes, ſeu Indices poſſunt eſſe Liberi: Julius Clemens SAUROMANNUS Filius naturalis, quem rara, & Corporis Pulchritudo, & Mentis Indoles commendabat, Puer [eodem Patris Laudem, naturaliter promeritam, repræſentavit Spectatoribus Cenſoribusque, quo Genitor, & Morbo, & Anno, cum Matre mortuus] de quo ſeptimeſtri Georgius Logus:

At Laus eſt eadem Pueri, quæ magna Parentis:
Nos tamen inceptum nunc repetamus Iter.
Septimus Infanti eſt Menſis, & eburneus Ordo
In teneri Dentum purpureo Ore nitet.
Dii, quantum eſt Animi in Puero & Virtutis Avitæ
Ignis agit jam tum Pectora in alta Decus.
Non illum videas Fletu, non Fronte moleſtum:
Ludit, & huic Riſus ſemper amœnus adeſt.

Et

Et ludit, ridetque & blando Murmure garrit,
Tanquam aliquid norit dicere, quod voluit.
Arridet blandum Genitori almæque Parenti,
Omnibus arridet Deliciasque facit.
Nimirum Ingenium eſt Illi & Natura benigna,
Et Generis Bonitas emicat in Puero.

Ibidem, paucis interpoſitis:

Quid memorem Formæ Decus, & pulcherrima Dona,
Et flavos Crines, purpureasque Genas?
Brachiaque & teretes Digitos, Oculosque Minervæ?
Quid Pectus niveum Purpureosque pedes?
Atque etiam ingenuas formoſo in Corpore Vires?
Plena etiam in Nervis fortia Membra vides.

XI. Steterat diu firma noſtro SAUROMANNO per florentis Ætatis Annos Felicitas. At nemo ante ſupremum Fatum beatus eſt habendus, & plerumque tanto aſperior Exitus iis contingit, quos recreavit continuus Proſperitatis Succeſſus. Quæ SAUROMANNUM tandem diſcruciaverit & ſubverterit Calamitas, ſuis e Principiis commemorabimus.

XII. Carolus V. Imperator ad Ticinum capto Galliarum Rege Franciſco Victor, Poteſtatis, quam in Italia conſecuturus erat, Oppreſſorem inclementem, Pontificem Clementem VII, a Cæſareanis Partibus ad Gallicas Defectorem expertus, in rupti Fœderis Ultionem, Romani Pontificis Autoritatem per omnes Hiſpaniæ Provincias deleverat: Etiam citra Pontificis Maximi ſupremum Regimen, ſtare Diſciplinam Eccleſiaſticam poſſe, clariſſimum Poſteris Exemplum relicturus. Quamobrem Carolus Borbonius Gallus, Cæſaris in Italia Legatus, veteranas Hiſpanorum Cohortes adventitiis Germanorum Copiis, quas Georgius Fronsbergius Germanus adduxerat, inſigniter adauctas in Neapolitani Regni Defenſionem, quod Hiſpanis eripiendum Pontifex in Beneficium Franciſco Sfortiæ, Duci Mediolanenſi deſtinaverat, impenſurus, ipſam in Tranſitu Romam, ut hoſtilem, oppugnat. Id acriore quam cautiore Studio dum agit, occumbit. Ducis Morte concitatior, adeo non remiſſior Exercitus, Imperatorem Philibertum Aurangium nactus, victis Propugnatoribus, Die VI. Maji, feliciter Urbem expugnat. Pontifex cum Cardinalibus in Arcem Angelicam profugi Deditione facta,

cum

cum semet Hostibus Die VI. Junii, permisissent, in Custodia tenentur.

XIII. Dictis faciunt Fidem, Autor, qui Conradi Abbatis Urspergensis Chronico Paralipomena subjecit: unde Narrationem de Roma expugnata seorsum Simon Schardius Tom. II. Scriptorum de Rebus Germanicis inseruit. Franciscus Guicciardinus in sui Temporis Historia, Lib. XVIII. Paulus Jovius in sui Temporis Historia, Lib. XXIV. Martinus Bellajus in Commentariis de Rebus Gallicis, Lib. III. Franciscus Belcarius in Commentariis de Rebus Gallicis, Lib. XIX. Johannes Sleidanus in Commentariis, Lib. VI. Adamus Reisnerus in Historia de Frunsbergicis Rebus, quibus ipse, cum Roma diriperetur, fuit præsens, Lib. IV. ad Annum 1526, & 1527.

XIV. Tum SAUROMANNUS, cum Roma per aliquot Menses despoliata, multis Incolarum Millibus, Clericis atque Laicis, nullo Discrimine, trucidatis, Palatiis in Cineres redactis, Sacris in profana mutatis, Religionibus in Ludibrium versis, notabilem Honoris Auctoritatisque Jacturam faceret, tantæ Cladis Spectator, ipse non expers Damni fuit. Nam in ea Licentia, quam Militibus Victoria dederat, Indulgentia permittebat, SAUROMANNUS Fortunis omnibus amissis, ab Hostium, semper plures Opes appetentium, Tormentis, ne prorsus opprimeretur, Germanorum Ope, difficulter se vindicabat.

MORS.

XV. Exiguum Tempus interceserat, cum a Cæsareanis Turmis Lues, quam Annonæ Caritas indies major comitabatur, ad Romanos Habitatores se diffunderet. Tum SAUROMANNUS, qui lacero Vestitu, precarioque Cibo Vitam non nihil prorogaverat, in maxima Rerum inopia, cum tandem ostiatim Panem frustra quæsivisset, Pestis etiam, non Famis tantum Vehementia superatus in Urbis publica Via concidebat: Anno Ætatis XXXI, Christi 1527: qui Romæ, qui multis, & illustribus & potentibus in ea Viris, crudele, miserum & humile Funeris Genus attulit, exstinctus.

XVI. Ita vero infelicibus Literatis, quorum Fata Johannes Pierius Valerianus, Italus, Infelicitatis etiam suæ Conscientia ductus, Libris duobus in felicem Posteritatis Memoriam, Ævo Clementis VII. Pontificis, consignavit, SAUROMANNUS abscribi meruit. De quo Pierius: *Miserabilis*, ait, *& Georgii SAUROMANNI Exitus: qui Vir Natione Germanus, ita Literarum Latinarum Nitore Ingenium expoliverat, ut in Academia nostra* (Romana) *Viri bene elegantis Nomen assecutus fuerit: cujus Rei Scripta ejus non pauca, quæ in Hominum Manibus habentur, Testimonium exhibent.* Tamen ad SAUROMANNI quandam etiam Felicitatem posthumam pertinet, in Famæ Constantiam, Romanum in Germanorum Templo Sepulchrum & quadruplex in Ædibus Sacris Monumentum: cujus Autores fuerunt, Stanislaus Saurus, Georgius Logus, Canonici Vratislavienses, & Valentinus SAUROMANNUS, Patruelis, Consiliarius Cæsareus.

I.

Apud VRATISLAVIENSES,
In Templo S. Crucis.
Supra Imaginem.

GEORGIUS SAUROMANNUS, J.U.D. hujus Ecclesiæ Decanus, & Cathedralis Wratislaviensis Præpositus: Divi Caroli V. Imperatoris apud Sedem Apostolicam in Urbe Procurator, tam Ipsis Romanis Pontificibus, quam cæteris illustribus ac optimis quibusque Viris, ob Virtutem eximiamque & raram Eruditionem juxta charus & jucundus: Obiit Romæ, Annos haud multum XXX egressus, a Clemente VII. Papa, Civium Romanorum Albo jam pridem adscriptus ac magnis honoratisque Sacerdotiis auctus: Ipse immortale Gentis suæ Decus & Ornamentum, M. D. XXVII. Quo Anno Miles Germanus Hispanorum Ductu nullo non Crudelitatis Genere Urbem fædavit.

Infra Imaginem.

GEORGIO SAUROMANNO, Viro celeberrimo, STANISLAUS SAURUS p. constantem ob Amicitiam.

II.

In eodem Templo.

G. LOGUS, Protonotarius Apostolicus, Imperatoris & Pontificis Autoritate Comes Palatinus, Canonicus S. Johannis, Præpositus S. Crucis Wratislaviensis, Canonicus Budissinensis doctissimo & integerrimo Viro, D. SAUROMANNO, Præposito S. Johannis, Decano S. Crucis, & Procuratori in Urbe Cæsareo, Icona hanc ex Roma secum allatam, additis, quæ vides, Ornamentis, Amico optimo & charissimo p.

Supra Imaginem.

SAUROMANNI Effigiem cernis: Si cernere posses
Eloquium, nullum pulchrius esset Opus.

Juxta Imaginem.

GEORGIUS SAUROMANNUS M.D.XXXVIII.
Tu Mihi sed Formæ fugientis Damna repende.

Infra Imaginem.

Uberibus genuit Me culta Silesia Terris,
Odera qua Breslæ Mœnia amœna rigat.
Florentem Eloquio & Studiis Oenotria Tellus
Educat: exstinctum maxima Roma tenet.

III.

In Æde S. Johannis prope Sacrarium.

D. O. M. M. XLVI.

SAUROMANI Eloquio flecti, nî surda fuisset,
Mors potuit. Nam tres flexerat Ille DEas.
Stamina Mors rupit, frustra tendentibus illis,
Et mœstas Lacrumas vidimus ire DEis.
Flevit Roma ingens inter sua Vulnera & istud,
Et Bello, & dira tunc licet icta Lue.
Nec tantum ex proprio casu sensisse Dolorem,
Funere quam tanti dicitur illa Viri.
Odera & ipse suum flavus ploravit Alumnum,
Inque tuis Nymphæ, celse Silene, jugis.
Te tamen ante alios flevit mœstissimus omnes,
Qui dedit hæc Tumulo Carmina pauca LOGUS.

Viro integerrimo, doctissimo, eloquentissimoque GEORGIO SAUROMANNO, Præposito *S. Johannis, Decano S. Crucis Vratislaviensis, & Procuratori in Urbe Cæsareo,* GEORGIUS LOGUS, Præpositus S. Crucis, Canonicus S. Johannis Wratislaviensis, Consiliarius Regius, arctissimæ Amicitiæ ergo & B. M. P. Periit Romæ in Direptione Urbis. M.D.XXVII.

IV. Apud

IV.

Apud ROMANOS.

In Germanorum Templo S. Mariæ de Anima.

D. O. M. S.

GEORGIO SAURMANNO, *Equiti Germano, Vratislaviensi Præposito, Internuncii Procuratorisque Munere, primum apud Leonem X. mox apud Hadrianum VI. ac demum Clementem VII. Pontiff. Maxx. Divi Caroli V. Augusti Nomine, magna Fidei, Integritatis, ac Sapientiæ Laude functo, cum Amicorum Incuria pluribus Annis sine Monumento fuisset,* VALENTINUS SAURMANNUS *ex Fratre Nepos, Patrui Memoriæ, Virtuti Pietatique dicavit. Anno Domini M.D.L.*

SCRIPTA.

XVII. Inter Opera, quæ condidit, Primum est: *In Epistolam S. Pauli ad Romanos Expositio*: cujus Mentionem Leo Allatius in Diatriba de Georgiis facit.

Secundum est: *Ad Carolum & Ferdinandum, Austriacos Archi-Duces, Oratio funebris in Cæsaris Maximiliani I. Laudem.* Huic Orationi præmisit *Epistolam ad Franciscum Sfortiam, Barri Ducem, & Bernardum Glesium Episcopum Tridentinum,* A. 1519. Calendis Februariis, Bononiæ scriptam. Edita est utraque cum veterum aliquot Panegyricis, quos Johannes Frobenius Typis expressit Basileæ 1520 in 4. In Rerum Germanicarum Scriptoribus, quos Marquardus Freherus publicavit, Tom. II. Francofurti ad Mœnum, 1602 in f. ibidem 1637. in f. In Orationibus, quas de Imperatorum, Regum, aliorumque Vitis Hermannus Kirchnerus emisit, Marpurgi 1610, in 8.

Tertium est: *Ad Christianos Principes de Religione Concordiâque communi Oratio.* Edita est Romæ 1524, in 4.

Quartum sunt: *De Caroli V. Cæsaris Laudibus Orationes duæ.*

Quintum est: *Imperatoris Caroli V. Nomine habita Oratio ad Hadrianum VI, Pontificem Romanum.*

Sextum est: *Ad Stephanum Brodericum Epistola Die XI. Januarii Anno 1526 Romæ scripta.* Edita est in Georgii Logi Poematibus, Viennæ, 1529. in 4.

CAPUT LXVII.

Ad Annum M. D. XXVII. Diem XXI Julii.

LAURENTIUS CORVINUS,

Novisorensis.

VITA.

I.

STudiis non tantum Philologicis, maxime Poeticis, verum etiam Philosophicis, præsertim Juridicis, excultus, inter Initia quidem in Vratislavienſium & Svidnicenſium Urbe docebat: postea Philosophiæ Magister, in Cracovienſium Academia Professorem agebat: ubi Rudolphum Agricolam Juniorem inter alios Auditorem erudiebat.

II. Ex Polonia Breslam digressus, Familiam sibi conditurus, & Domicilium figebat, & Uxorem conjungebat. Ibi non diu commoratus, in Borussiam ad Thorunienſes migrabat. Horum in Curia vix per Biennium Notarius, a Senatu & Civibus humaniter tractabatur. Post Gregorium Morenbergerum, Philosophiæ Magistrum, Reipublicæ Vratislavienſis Secretarium Anno 1518, Die XXXI. Januarii, mortuum designabatur Successor.

III. Ideo cum Conjuge Vratislaviam repetebat: de quo Itinere, quod non ineleganter descripsit, inter alia conspecto Sabotho:

Dum loquor, apparent Montis nimbosa sequacis
Culmina, & in summo Turris opaca Jugo.
Paulatim ostentat se Vratislavia celsis
Mœnibus ad Phœbes usque levata Globum.
Hinc gaudente gradu magnæ succedimus Urbi,
Lux ubi in Hesperias prona recessit Aquas.
Et postquam chari reduces gratantur Amici,
Posthabitæ petimus dulcia Tecta Domus.
Hic, ubi septenos OLAVIA piscifer Orbes
Versat, & illisis suave susurrat Aquis.
Hæc mihi Tecta pius multos illæsa per Annos
Conjuge cum chara donet habere DEUS.

IV. Hoc

IV. Hoc in Loco exoptatam consecutus Occasionem, qua Solertiam Ingenii, multarum Rerum Peritiam, & singularem in agendis Prudentiam demonstrare posset, supra Sæculi sui Genium se probabat omnibus, pius & humanus Vir.

V. Tum in Vratislavienſibus Sacris, quæ partim Pontificiorum, partim Evangelicorum Nomen sustinebant, utraque Cultoribus orthodoxa censebantur, incertum, destruendis potius, an erigendis laborare, publicum idque primarium erat Opus. Id CORVINUS, quod ad omnes pertinere videbat, ad suam quoque Conscientiam pertinere satis certus cognitam ex perspectis Erroribus Veritatem cupidus, quanquam Senex, complectebatur. Ad quem Scopum potiores Curas suas dirigebat. Autor igitur erat, ut de Christi Passione Psalmodias, quas vulgus Horas vocat, Anno 1517, institutas, Elisabetanum Templum etiamnum cantet. Ut in Scholis Juventuti salutares Scientiæ fideliter imprimerentur, nihil in se patiebatur desiderari.

MORS.

VI. Humanis Rebus eximebatur Die Julii XXI, Anno 1527: quo Cæsareanum Exercitum Roma suis exitiosum: Domum Austriacam Silesia suis gratiosam experiebatur: Cum Ferdinandum I. Hungarorum & Bohemorum Regem, pro suo Duce summo reciperet: à quo Rerum Ecclesiasticarum emendatarum Libertatem obtinebat integram. Existimationem CORVINI jacentis augebat Luctus non plurimorum tantum, etiam nobilissimorum Virorum, inusitatus: potissimum Johannis METZLERI, quem Vratislavienſium Civitas tum Senatorem in præcipuis, postea Ducatus Capitaneum habuit. Is non verebatur testari, ex Amici Excessu Dolorem suum illo majorem, quo Pater ex charissimæ Filiæ Obitu exercebatur.

SCRIPTA.

VII. In eis, quæ composuit, Primum est, *Carmen de Polonia & Cracovia.* Exstat Tom. I. Corporis, quod de Polonicis Rebus Joannes Pistorius per Sebastianum Henricpetri edidit Basileæ 1582, in f.

Secundum est, *Carmen, quo Prutenis valedicit, & susceptum Vratislaviam Iter describit.* Editum reperitur in Theophylacti Simocati Epistolis Moralibus, Ruralibus & Amatoriis, per Johannem Hallerum, Cracoviæ 1509, in 4.

Tertium eſt, *Carmen de Sileſia & Noviforo.*

Quartum eſt, *Carmen de Apolline & novem Muſis.*

Quintum eſt, *Carminum aliorum Congeries.* Quæ partim Operibus aliis, partim etiam Germanorum Poetarum Deliciis, quas Janus Gruterus collegit & per Nicolaum Hofmannum edidit Francofurti ad Mœnum, 1612, in 12, addita inveniuntur.

Sextum eſt, *Idioma Latinum,* id eſt, puerilium Colloquiorum Liber.

Septimum eſt, *Hortulus Elegantiarum pro Latinæ Linguæ Studioſis.*

Octavum eſt, *de Carminum Structura Libellus.*

Nonum eſt, *ad Claudii Ptolemæi Tabulas Geographia* (nonnullis *Coſmographia* dicta) de Circulis, Climatibus, Ventis, Terrarum Provinciis, Inſulis, Maribus, Fluviis, Montibus, aliis, agens: etiam Carmina commemorata de Polonia, Cracovia, Sileſia, Noviforo, continens. Primum editam, à Cacographo depravatam eſſe conqueritur Wolfgangus Weiſſenburgius. Emendata Lucem vidit, Dominici Marii Nigri Veneti Geographicis Commentariis per Henricum Petrum ſubjuncta, Baſileæ 1557, in f.

CAPUT LXVIII.

Ad Annum M. D. XXX. Diem XX. Auguſti.

FRANCISCUS REUSNERUS,

Leobergenſis.

VITA.

I.

EX antiqua Leobergicorum Reusnerorum Familia progenitus in Lipſienſium Academia Studiis humanioribus jam defunctus erat, cum Philoſophiæ Baccalaureus, Anno 1499, crearetur. Ex eò magis magisque Scientiis excultus, Anno 1502, Sixto Pfeffero Decano in Sedulitatis Præmium renunciabatur Philoſophiæ Magiſter. Tandem obtinebat etiam Honores Theologiæ Doctorem decentes. Tot exornatus Notitiis condecorabatur etiam Dignitatibus Eccleſiaſticis: Parochus Svidnicenſis

nicenſis, Vratislavienſis Canonicus & Officialis & Vicarius in Spiritualibus Generalis.

II. In Controverſiis, quæ tum inter Pontificos Evangelicosque magnis conatibus agitabantur, probabat eorum Sententiam, qui ſuis Operibus nihil, omnia Chriſti Meritis imputantes, ſola in DEUM Fiducia & juſtos, & beatos fieri cenſebant. Sic ad extremum deſerta, quam ipſe diu triverat, melior Paſtor, omnium tutiſſimam ſuis Ovibus monſtrabat ineundam Salutis Viam. Ideo primum in Evangelicis Doctorem Svidnicenſium ſtatuunt, Nicolaus Henelius in Sileſia Togata, Lib. VI. Cap. II. & Jacobus Schickfuſius in Sileſiæ Chronico, Lib. IV. Cap. XI. etiam Svidnicenſium MSti Annales.

MORS.

III. Ætatem traducebat ad Annum 1530, Diem Auguſti XX. Sepultus jacet in S. Johannis Templo Cathedrali apud Vratislavienſes ad Columnam à Suggeſtu ſecundam: ubi leguntur hæc:

FRANCISCO REUSNERO, *hujus Ædis Canonico & Parocho Svidnicenſi, ac Officiali Vicarioque in Spiritualibus Generali, Viro Experientia claro, Exſecutores poſuere: qui obiit Anno Domini M. D. XXX. Auguſti XX Die.*

CAPUT LXIX.

Ad Annum M. D. XXXI. Diem XVII. Januarii.

GEORGIUS LANGENICKELIUS,

Aurimontanus.

VITA.

I.

LIberalium Artium jam bene gnarus, ipſam eò felicius aggrediebatur Philoſophiam, cujus poſtea declarabatur Magiſter. Tum in Scholis & Templis Evangelici & Pontificii de juſto Religionis genuinæ Fundamento in utramque Partem acriter diſputabant. Id Nervis omnibus diu perſcrutari conatus, denique ſacras Literas interno Teſtimonio Divino ſatis efficaces, citra humanorum Inventorum Additamen-

mentorumque Traditionem, convertendis ad Christum & in Cœlum traducendis sufficere judicabat.

II. Post Annum 1517, cum per Silesiam Civitates Romanis sacris passim Nuncium remisissent, id Cervimontani statuentes imitandum, Saxonicis Protestantium Doctrinis subscribebant. Harum primum Templo suo præficiebant Doctorem LANGENICKELIUM, Anno 1524.

MORS.

III. In septimum Annum fidus Populi Antistes, ex Laboribus in Quietem avocabatur Anno 1531, Die Januarii XVII. Cum Vratislaviensium Theologo Ambrosio Moibano firmam inierat Amicitiam, à quo divulsus, consequebatur hanc Amoris Tesseram:

Testatur Lacrumis MOIBANUS Funera LANGI:
Pastor erat Populi qui bonus atque pius.
Atque utinam plures habeas nunc Slesia Testes
Christi, qualis erat LANGIUS iste meus.

CAPUT LXX.

Ad Annum M.D.XXXIII. Diem VIII. Novembr.

MICHAEL VRATISLAVIENSIS,

Vratislaviensis.

VITA.

I.

PRo Sæculi sui More, posthabentibus Familiæ Nomen, Loco peregrino, ab Urbe natali accepit VRATISLAVIENSIS Cognomentum: quô denotat eum, præter alios, Hippolytus Maraccius, in Bibliotheca Mariana, Part. II. Nicolaus Henelius in Silesia Togata, Lib. X. Cap. V. Paulus Freherus in Virorum illustrium Theatro. Johannes Henricus Cunradus in Silesia Togata.

II. Domi partam Eruditionis Supellectilem augebat potissimum in Cracoviensium Academia; cui gratissimus fuit Hospes. Ibi Artium bonarum & Philosophiæ Magister, etiam Theologiæ Doctor creatus, non

non vulgares suscepit administrandas Provincias. Agebat enim majoris Artistarum, ut vocari solet, Collegii Collegiatum, Philosophicorum Theologicorumque Dogmatum Professorem: ad S. Floriani Ædem Decanum.

III. Inter Historicos, quibus Memoriam sui debet, Simoni Starovolscio in Centuria de Scriptoribus Polonicis, Cap. XXXI dicitur *perspicacissimi & divini Ingenii.* Artes tantum non omnes humaniores præterea Logicam, Physicam, Astronomiam, aliasque Scientias, præsertim Theologiam, singulari, ut Svavitate, sic Facilitate, suis magno & Concursu & Applausu tradebat. Quibus Dotibus Meritisque Nomen inter sui Temporis eruditissimos reportabat.

MORS.

IV. Senex Morte confecit extremum Diem VIII. Novembris, Anno 1533. Sepulchrum nactus est in S. Floriani Templo ad sinistrum majoris Aræ Latus: ubi commendatus est Posteris hac Inscriptione:

Splendida quem tulerat Urbs VRATISLAVIA parvum,
Occulit hunc tandem Regia Croca Senem.
Ingenio multum præcelluit Ille: Decani
Æde hac in sacra functus & Officio.
Humanus dignas Animus quot concipit Artes,
Hic tot callebat Numine propicio.
Illius ex Studiis florens Academia gaudet,
Multos quod Fructus Commoda nuncque capit.
Artes condebat nunquam, sed vertit in Usus,
Sors fieret Domino major ut Ipsa suo.
Scripsit de variis & Commentaria Rebus,
Nunc Manibus versat quæ studiosa Cohors.
Illius utque scias Nomen, charissime Lector,
En Deus hoc dederat, quod MICHAELIS erat.
Obiit Anno Domini M.D.XXXIII. Die VIII. Novembris.

SCRIPTA.

V. Inter Opera, quæ composuit, Primum est, *Introductorium Astronomicum de Signorum Naturis & Stellarum Proprietatibus.* Id Johanni TURSONI Vratislaviensium Episcopo dedicavit. Editum est Cracoviæ, 1507, in 4.

Secundum eſt, *in Eccleſiæ Romanæ Cantilenas Commentarius.*
Tertium eſt, *Logices Inſtitutio.*
Quartum ſunt, *Naturalis Scientiæ Dubia.*
Quintum ſunt, *in Petri Lombardi Sententiarum Libros, Explanationes.*

CAPUT LXXI.

Ad Annum M. D. XXXIV. Diem XI. Septembris.

ANDREAS HOFMANNUS,

Croſnenſis.

VITA.

I.

PRimis Studiorum Fundamentis in Sileſia poſitis imponebat in Polonia potiores Eruditionis Acceſſiones. In Cracovienſium Academia Præmium Diligentiæ conſequebatur Philoſophici Magiſtri Honorem. Amore liberalis Otii, ad Scientiæ majoris acquirendam Copiam Cœnobio ad Oderam intra Sileſiæ Wolavienſem Ducatum, Leubuſienſi dabat Ordinis Ciſtercienſis Monachum. Ibi ſupra cæteros Autoritate prominens, Anno 1498, Die XXVI, Aprilis eligebatur Abbas.

II. Tum acres Huſſiticorum Sacrorum Propugnatores crebris per Sileſiam Incurſionibus graſſabantur, potiſſimum Romanæ Fidei Cultoribus obſtinatis Vim inferentes. Ita fiebat, ut gravem Moleſtiam, Ruinamque magnam pateretur Monaſterium Leubuſinum: cujus magnanimus, & Defenſor, & Inſtaurator fuit HOFMANNUS.

MORS.

III. Inter has Eccleſiaſticas Militaresque ſui Temporis Pugnas, exegerat Annos XXXVI: cum Spiritum edere jubebatur, Anno 1534, Die XI. Septembris. In Monaſterii Templo ante Presbyterium honoratus eſt hoc Epitaphio:

Abbas qui recubat hujus ſub Tegmine Saxi,
Ut Sibi, ſic Nobis Commoda multa dedit.

Id-

Idcirco memores inſignem dicimus omnes
Egregiis Meritis eſſe Patrem Patriæ.
Nomen inexſtinctum ſibi Jupiter atque perennem
Pro Meritis Vitam conferet Aſtripotens.

CAPUT LXXII.

Ad Annum M. D. XXXV. Diem XXI. Januarii.

STANISLAUS SAURUS,

Leobergenſis.

VITA.

I.

ANno 1469 natus, habuit Avum Bartholomæum SAURUM, Civitatis Leobergenſis per ipſos Annos quinquaginta Conſulem, Anno 1477. mortuum: Patrem Johannem SAURUM, ibidem Senatorem, eodem Anno exſtinctum: Patruum Georgium SAURUM, ejusdem Ordinis Virum, Anno 1497. defunctum.

II. His, quæ diximus (in Nicolai Henelii Togata Sileſia Lib. VI. cap. II. corruptis) conciliat Fidem ipſe STANISLAUS noſter in Monumento, quod Avo, Patri, Patruoque poſuit in Leobergenſium Templo, ad Columnam VII, a Choro Scholaſtico:

Honeſtis ac providis Civibus Bartholomæo SAUR. Patri, qui obiit Anno Domini M. CCCC LXXVII. Die Veneris, XXV. Aprilis, Conſulari Honore per L. continuos Annos expleto: Johanni SAUR, ejusdem Ordinis Viro, qui eodem Anno, Die Lunæ X. Martii: & Georgio SAUR, Filiis: qui Anno M. CCCC. LXXXXVII, Die Jovis XIV, Septembris, dum & ipſe Magiſtratum gereret, in hujus Eccleſiæ Gremio ſepultis: STANISLAUS SAUR, Decretorum Doctor, Canonicus Wratislavienſis, Avo, Patrique & Patruo Tabellam hanc conſtituit.

III. Academicum Doctoris Decretorum Honorem, Eccleſiaſticam Canonici Vratislavienſis Dignitatem, magna Rerum humanarum divinarumque Scientia obtinuerat: quo eruditior, eo manſuetior, eo gratior, & Collegis ſuis, & aliis Amicis.

MORS.

IV. Senex ad Annum LXVI progreſſus, Anno 1535, Die XXI. Januarii, ad Fatum ſuum veniebat. Ipſius quadruplex in Vratislavienſium S. Crucis Æde Monumentum reperitur. Primum Anno 1515, Ipſe ponebat ſibi ad Aram: *STANISLAUS SAUR D. D. Canonicus Wratislavienſis F. F. M. D. XV. TIBI CHRISTE JESU, cujus Merito uni omnia debentur ab omnibus, Tabellam hanc STANISLAUS dedicat M. D. XV. Menſe Novembri.* XRE ΣΩΤΗΡ ΕΛΕΗΣΟΝ ΕΜΕ. *Chriſte Soter, miſerere mei.* Secundum in majori Capella marmoreum, Anno 1533, ſibi excitabat: *Spes Vitæ melioris Solatium eſt Mortis. STANISLAUS SAURUS vivus ſibi F. F. M. D. XXXIII.* Tertium jacenti conſtituit Hæres Vincentius Hortenſius, Canonicus Vratislavienſis: *STANISLAO SAURO, D. D. Canonico Wratislavienſi, qui Virtutis & Eruditionis Splendore ejus Eccleſiæ præcipuum exſtitit Ornamentum, VINCENTIUS HORTENSIUS Hæres Teſtamento relictus F. F. Gratitudinis ergo.* Quartum in ſepulcrali Saxo: *LXVI. Ætatis Annum agens SAURUS obiit. Dimidium autem vel etiam minus an vixerit, mortuus etiamnum addubitat. M. D. XXXV. Die XXI. Menſis Januarii.*

SCRIPTA.

V. Hieronymi, Stridonenſis Epiſcopi, cujus omnia perlegerat opera, ſingularis Amator & Venerator, Sententias præcipuas ſub Titulos redactas in Codicis Formam digeſit.

VI. Eidem Hieronymo, Anno 1509, in eodem Vratislavienſium S. Crucis Templo peculiare Monumentum excitavit. Quod, cum nondum ſit, quantum ſcio, Typis expreſſum, ſubjungam:

D. HIERONYMO Sacrum. STANISLAUS SAUR. D. D. Canonicus Vratislavienſis F. F. M. D. VIIII.

(I.) *Trecenteſimo XXXIII. Salutis noſtræ Anno apud Stridonem, Patre Euſebio, nobili Viro, HIERONYMUS naſcitur.*

(II.) *Donato Grammatico & Mario Victorino Rhetori, Viris doctiſſimis, erudiendus Puer traditur.*

(III.) Necdum viginti natum Annos ſummum in omnibus Diſciplinis Roma Magiſtrum eligit.

(IV.) A Liberio Papa Presbyter Cardinalis ordinatus, cunctorum Judicio dignus, ſummo decernitur Sacerdotio, Ætatis Anno XXIX.

(V.) Pſeu-

(V.) Pſeudo-Clerici, ut Sanctitatis & Nominis ejus Famam diminuant, per Veſtem muliebrem fruſtra illi conantur illudere.

(VI.) Invidorum evitans Odia, in Orientem Domino militaturus navigat, ac alibi alios in divinis Scripturis doctiſſimos Magiſtros adit.

(VII.) Ad cœleſte tractus Examen pro Gentilium Lectione Librorum ſalutifero caſtigatur Verbere.

(VIII.) *Contemplatus per omnem Syriam ſanctorum Monachorum Habitacula, in vaſta Nemorum ſolitudine agit Vitam.*

(IX.) *In Monaſterium remeans, hortante Damaſo Papa, Scripturas ſacras explanat, & Leonem infrenem Sanctitate incredibili domat.*

(X.) *Incuſtoditus Aſellus abigitur, Cameli a Leone territi diſpalantur, Negotiatores, confeſſo Crimine, Jumenta Precibus redimunt.*

(XI.) *Oroſius Presbyter a Beato Auguſtino cum Quæſtionibus pro diſcenda Animæ Ratione miſſus ex Africa venit.*

(XII.) *In Bethlehem, juxta ſanctum Domini Præſepe, plenus Sanctitate & Miracalis centenarius prope moritur.*

(XIII.) *Auguſtino apud Hipponem Epiſtolam ad ſe meditanti, qua mortuus eſt, Hora ſubito Fulgore & incredibili Luce apparet.*

(XIV.) *Sylvanus Epiſcopus, Perfidia Sabiniani Hæreſiarchæ, ad Mortem compulſus, ſanctiſſimi HIERONYMI Auxilio liberatur.*

(XV.) *Sabiniani ſacrilegum Caput ejusdem Beati HIERONYMI Virtute ultro a ſua Cervice revulſum cernitur.*

Catholicæ Fidei Adſertori maximo, Divo HIERONYMO Stanislaus SAUR. Decretorum Doctor, Canonicus Vratislavienſis, faciendum curavit, Anno Domini M. D. VIIII. ob Sanctitatis Cultum.

CAPUT LXXIII.

Ad Annum M. D. XXXVI. Diem VI. Martii.

ANDREAS TREIBERUS,

Leobergenſis.

VITA.

I.

IN Sileſia Cervimontani jam Anno 1524, Evangelicam Religionem Georgio Langenickelio, Aurimontano, Paſtori ſuo commiſerant in

Templo explicandam & confirmandam. Ad eam, cum rectius cognoſcendam, tum firmius amplectendam, cui renaſcentes Literas neceſſarias judicabant, Anno 1526, Rectorem Juventuti præficiebant Andream TREIBERUM, pro ſuo Tempore, ſatis doctum Virum: per ſacras etiam Conciones Populo ſervire ſolitum.

MORS.

II. His conſociatis Laboribus Decennium laudabiliter conſumſerat, cum ſimul & docendi, & vivendi faceret Finem, Anno 1536, Die VI. Maji. Relinquebat Filium Lotharium TREIBERUM, Civem Vratislavienſem. Is Patri Monumentum in Hirſchbergenſium Parochiali Templo exegit hoc:

EPITAPHIUM honorati Viri, ANDREÆ TREIBERI, Leobergenſis; qui pie in hac Rep. obiit Anno Salutis noſtræ M. D. XXXVI. VI. Maji: cum Juventuti Scholaſticæ Annos X. fideliter præfuiſſet.

Lux Evangelii cum purior orta refulſit,
Acceſſitque Decus, quod fuit ante Scholis.
Tradidit hic Pueris Artes TREIBERUS honeſtas,
Sæpius & Populo Dogmata ſancta DEI.

LOTHAR. TREIBER. Civis Vratisl. F. Parenti cariſſ. Piet. E. P.

CAPUT LXXIV.

Ad Annum M. D. XXXVI. Diem XXIX. Septembris.

GEORGIUS HELMRICUS,

Aurimontanus.

VITA.

I.

ANno 1500, Æſtate, Patritio Genere natus, Ingenio expedito, Memoria felice, raro ſui Temporis Exemplo, Latinas, Græcas, Hebraicas Literas doctus, ita Scientias utiles imbiberat, ut in Republica Perionam & Cathedrariam, & Judiciariam feliciter agere poſſet.

II. Scholæ Patriæ, quantumvis adhuc Juvenis, Doctor Rectorque fidus, paſſim Juventutem in Lyceum ſuum e Locis peregrinis trahebat: præ-

præſertim, quem Wittebergâ ſecum Goldbergam adduxerat, exoptatum catenati Laboris Socium nactus Valentinum Trocedorfium Fridlandum. Cum eo, quem pro Fratre magis quam pro Amico diligebat, incredibiles ſuperabat & Curas & Operas, non citra promeritum Celebritatis Augmentum. Anno 1530, Trocedorfius Wittebergam reverſus Goldbergam Anno 1531 revocabatur ab HELMRICO, ſuperiorem Provinciam ſuſcepturo.

III. Satis enim perſpectis Viri Dotibus, poſt ſeptem Annos, quibus congruenter prudenterque Literario Cætui Præceptor imperaverat, dignus habebatur, qui conſimili Dexteritate Civitatem univerſam gubernaret Conſul. Eam ſic ornabat Spartam, ut Legibus commodis, accuratis Sententiis Monitis ſaluberrimis, gratioſiſſimum in Modum Populo ſe probaret: ad Concordiam Hortator aſſiduus, juſtus in lædentes & læſos, in pauperes liberalis, in Theologos propenſus, humanus in quosvis.

IV. Bono publico à primis Fundamentis conſulturus, Impendiis ſuis egregium apud Goldbergenſes Domicilium exſtruebat inter Docentes atque Diſcentes, Studiis tractandis aptiſſimum. Ita ſe Pietatis Cultorem, Animâ devotum, Linguâ diſertum, Manu ſpectabilem, Civibus in Exemplum oſtendebat.

V. Uxorem, Anno 1525, ducebat quindecim Annorum Virginem, Catharinam, Johannis Strobelii, Bohemi Nobilis, Domô Stromnicia, Glogovienſium Provincialium Cancellarii, ex Anna, veteris Emmerichiorum Civium Gorlicenſium & Laubanenſium Gentis Fœmina, Filiam. Ex eâ Georgium, Joſiam, Eliam, Annam & Marianam procreavit. Inter Amicos ſingulares, præter Trocedorfium, habebat Martinum Girbinium, Medicum Goldbergenſem, & Johannem Heſſum, Theologiæ Doctorem, Vratislavienſem Theologum.

MORS.

VI. Dyſenteriæ Malum paſſus, Langvore ſuperatus, Anno Ætatis XXXVI, Chriſti 1536, Die XXIX Decembris, excedebat. A multis iisque doctiſſimis Capitibus honorifica Monumenta conſecutus eſt. Præcipuum exſtat in Goldbergenſium Templi Parochialis Sacello, ſub Turri:

Hæc

Hac HELMRICA Domus Crypta ſua Funera condens,
Exſpectat Reditus Tempora, Chriſte, tui.

Ad Aræ ſummæ Latus dextrum, inter pulchrum quadrangulæ Figuræ Lapidem Muro incluſum:

Claro Doctrina & Pietate ornato Viro, Domino GEORGIO HELMERICO, de Eccleſia, Schola & Rep. patria bene merito, Studiorum Conſervatori pio, Anno M.D XXXVI. in Vigiliis S. Michaelis pie ac placide mortuo, agenti Annum XXXVI. GEORGIUS & JOHANNES Filii F. F.

Ejusdem Lapidis medius Circulus repræſentat Inſignium Helmericianæ Familiæ Clypeum: Literis additis: *G. H.* Supra Circulum legitur Sententia: *Juſti perpetuo vivent, & apud Deum eſt Merces eorum. Sap. V.* Ad Circuli Baſin:

Vixi, & quem dederas Curſum mihi CHRISTE, peregi,
Præripuit multis me tua Dextra Malis.

In Tabula picta, quæ Chriſtum baptizatum exhibet, prope Sacrarii Fores, ad Pilam:

Abluitur CHRISTUS gelidâ Baptismatis Undâ:
Sanguine ſic lotos nos docet eſſe ſuo.

Supra eandem Tabulam, in Coronide ſcutiformi:

Vir pius HELMRICIUS præſtansque GEORGIUS Arte,
Linguarum clarus Cognitione trium:
Hunc Patriæ Ludum Rector ſervavit & auxit:
Multa dein vera pro Pietate tulit.
Inde ſit in Patria Conſul: quo Munere functus,
Ut decuit, moritur: nunc tenet Aſtra Poli.
Cujus ut in Terris vigeat quoque Nomen Honosque,
Nati cum Generis hæc Monimenta locant.

VII. Præter hæc, non indigna, quæ proferantur, à Viris præclaris, HELMRICO ſcripta reperiuntur Epitaphia. Primum Georgius ÆMILIUS Mansfeldenſis, compoſuit:

Quisquis ad hæc CHRISTI venies Loca ſacra, Viator:
Sume, precor, parvas, dum legis iſta, Moras.
Conſulis hoc recubant Tumulo pia Membra GEORGI,
Ingenio clari Conſilioque Viri.

Qui

Qui primum tenuit Ludi Moderator Habenas,
Hic, ubi GOLDBERGÆ Mœnia clara jacent.
Inde Magiſtratum celebri Virtute capeſſens,
Perpetuus Patria Conſul in Urbe fuit.
Scilicet hanc illi tribuit Respublica Curam,
Quod Patriæ verum cerneret eſſe Patrem.
Clauſit in hoc igitur fatalem Munere Vitam,
Ætatis numerans bis tria Luſtra ſuæ.
Illius eximias qui vult cognoſcere Laudes,
Exemplum ſummi cogitet ille Viri.
Namque ſuam celebri Patriam Virtute regebat,
Omnibus & pariter Civibus æquus erat.
Non illi Lites rixoſaque Bella placebant,
Promtior ad placidæ Munera Pacis erat.
Inde fuit cunctis magno dilectus Amore,
Digna quibus juſto Conſule Jura dabat.
Quid loquar, ingenuas quo Pectore juverit Artes?
Quæ fuerit Doctos Cura fovere Viros?
Nam melius Nemo Studiorum noverat Uſum,
Quæ rude nunc Odio Vulgus habere ſolet.
Calluit Hebræa ſecreta Volumina Linguæ,
Doctaque cum Latio Græcia quicquid habet.
Præcipue Muſis magna Pietate favebat,
Atque Poetarum ſummus Amicus erat.
Condidit & magnis ſacram prope Sumtibus Ædem,
Æterna dignam Poſteritate Domum:
Diſcat ubi natas Studiis melioribus Artes,
Imbibat & Mores parvula Turba bonos.
Utque piis eſſet Domus hæc ſacrata Camœnis,
Fixit ad excelſas hoc Epigramma Fores:
AONIO LEPIDÆ VENIENTES CULMINE MUSÆ
MONTANA GAUDENT URBE DOMOQUE FRUI.
Denique non una Ratione juvabat egenos,
Et miſeris largam ſæpe ferebat Opem.
Nullus ad HELMRICI veniebat Lazarus Ædes,
Munera quin rediens ferret opima Domum.

Tantum Pauperibus præclara Mente favebat,
Maxima quos illi Cura juvare fuit.
Et, licet innumeris Curis grave Pectus haberet,
Non tamen ignarus Relligionis erat.
Præcipueque Deum sincera Mente colebat,
Illius & Verbi perstudiosus erat.
Simplicibus Votis quare te, Christe, precamur,
HELMRICI Manes ut tueare pios,
Defunctique Animam summo digneris Olympo,
Possit ut in Gremio tuta latere tuo.
Tu quoque, qui legis hæc, nostris, precor, annue Votis,
Utque Deum possis ista rogare, Vale.

VIII. Alterum, sed aliter, idem Georgius ÆMILIUS elaboravit.

Ille Ego, qui Superûm dum Munere Vita manebat,
GOLDBERGA clarus Consul in Urbe fui:
Hic jaceo, placidam capiens per Membra Quietem:
At meus in Cœli Spiritus Arce manet.
Si facit ad veras celebris Prosapia Laudes,
Hac mihi non tenuis Gloria Parte venit.
Et licet illustri natus de Gente fuissem,
Quæ vetus à GALEA DIVITE Nomen habet.
Ex Virtute tamen fueram cui deditus uni,
Moribus & sanctis Gloria major erat.
Cumque mihi Officium Respublica grande dedisset,
Ingenio cœpi clarior esse meo.
Forte rogas, tantos quæ Sors tibi fecit Honores?
Accipe, dum Vitæ Fata revolvo meæ.
Ingenuas Annis didici juvenilibus Artes,
Curaque erat Studiis invigilare bonis.
Hic fuit Hebræa Ratio mihi cognita Linguæ:
Romaque cum Grajis Martia quicquid habet.
Barba Genas nondum teneras mihi prima tegebat,
Cum mihi sunt patriæ tradita Sceptra Scholæ.
Hic ego quos tulerim, longum est narrare, Labores,
Dum regitur Studio parva Juventa meo.

Hoc

Hoc tamen Officium septem toleravimus Annis,
Visaque sunt Curis Tempora longa meis.
Inde ubi justa Virum me Tempore reddidit Ætas,
Lectus honorata Consul in Urbe fui.
Et licet invitus tam fortia Munera sumsi
Idque mihi nimium grande vererer onus:
Ipse tamen Patriæ potius prodesse volebam,
Otia quam Vitæ desidiosa sequi.
Publica sic igitur sine Crimine Munera gessi,
Ut dederim Patriæ Commoda multa meæ.
Dumque Magistratum commissaque Sceptra tenebam,
Summa fuit patriam Cura fovere Scholam.
Hujus erit Meriti Testis mihi docta Juventus,
Quæ colit Expensis structa Lycea meis.
Namque ubi Templa Deo nostri posuere Priores,
Quæ videt Hesperias Sol subiturus Aquas:
Dedita Musarum Studiis teneræque Juventæ,
Stat Domus Auspiciis ædificata meis.
Incolit hanc doctus tenera cum Plebe Magister,
Inclita qui sanctæ Nomina Pacis habet.
(Valentinus Fridlandus Trocedorfius)
Quem precor ut placido cœlestia Numina Vultu,
Ad Patriæ fervent Commoda vera meæ.
Denique non ficto venerabar Pectore CHRISTUM,
Cujus in Auxilio Spes mea tota fuit.
Doctoresque pios magna Pietate fovebam,
Cura quibus Christi spargere Semen erat.
Vana Superstitio veterum Cultusque profani,
Vindice me, Templis non habuere Locum.
Pro quibus asserui veræ Pietatis Honorem,
Quaque volunt Superi Relligione coli.
Semper enim volui Populum sincera doceri
Dogmata, de summi Cognitione Dei.
Hæc mihi Cura fuit Vitam suprema per omnem:
Hæc fuit Officii Sarcina summa mei.

Quicquid & ad CHRISTI Laudem prodesse putabam,
Effectum summa Sedulitate dedi.
Is quia sæpe sua vivum Bonitate levavit,
Orantique tulit sæpe rogatus Opem:
Nunc quoque respiciat vitali Lumine cassum
Me, precor, & Regnis asserat ipse suis:
Ut procul à Mundo, mortali Carne solutus,
Aurea perpetuæ Tempora Pacis agam.
Jamque Homines miseri, mundanaque Turba, valete:
Evocat ad Sedem me Deus ipse suam.

IX. Tertium consignavit Melchior ACONTIUS, Ursellanus.

Quisquis adhuc Manes veneraris, Amice, Priorum,
Ista, precor, summo Marmore Scripta legas.
Qui Patriæ Columen, qui Spes erat unica nuper,
Hac, subita raptus Morte, quiescit Humo.
DIVITE præclarum de CASSIDE Nomen habebat;
Civibus hoc nullum gratius ante fuit.
Consul enim patria cum sæpe creatus in Urbe,
Nec semel hic illi traditus esset Honor:
Omnia sic gessit Superisque faventibus egit,
Assiduis Curis assiduaque Fide:
Gratior ut Plebi, dubites, an Patribus esset,
Cum pariter gratus Rector utrisque foret.
Nulla sub hoc fregit socios Discordia Cives,
Quæ solet Imperiis sæpe nocere Lues.
Pax erat, & Leges, non Martia Bella, valebant:
Urbsne potest isto majus habere Bonum?
Tristis adhuc igitur passis GOLDBERGA Capillis
Luget, ut amisso Nata relicta Patre.
Dumque celer volvet numerosam CATTUS Arenam,
Egregii flebit Fata Necemque Viri.
Vos quoque, si Superos fas est flevisse, Camœnæ,
Illius Interitu condoluisse puto.
Nam fuit à Puero vestri studiosus Amator,
Ingenio multum, nec minus Arte valens.

Utque

Utque reformarèt Studiis melioribus Urbem,
Egregia pulchram condidit Arte Domum:
Atque novum tali decoravit Carmine Limen:
Qui mihi non credis, tu, licet, ipse legas:
AONIO LEPIDÆ VENIENTES CULMINE MUSÆ
MONTANA GAUDENT URBE DOMOQUE FRUI.
Neve Juventuti Præses Rectorque deesset,
Sceptra Scholæ doctum jussit habere Virum,
Quem celebrant omnes, quem tota SILESIA novit:
Clara VALENTINUS Nomina dictus habet.
Quid referam sacræ nunc Relligionis Amorem?
Laudibus hic summis Jure vehendus erat.
Verba docebatur Populus cœlestia CHRISTI,
Cum fuit huic Urbis tradita Cura Viro.
Omnia florebant tecum, venerande GEORGI.
Quæ collapsa iterum, te moriente, jacent.
Nobile propterea, Vir maxime, Nomen habebis,
Notaque erunt Patriæ tot Benefacta tuæ:
Aurea dum nitido fulgebunt sidera Cœlo,
Dumque gravis Tellus, dum levis Ignis erit.
Spiritus Ætherea verum tuus Arce fruetur,
In qua summa Pii Gaudia semper habent.
Illic Cœlicolis mixtus felicibus ibis,
Et bona speratis uberiora feres.
Irrita ne fiant, his tu, precor, annue Votis,
Qui datus es nobis unica, CHRISTE, Salus.

X. Quartum concinnavit Christophorus PREUSSIUS, Pannonius.

Hic, HELMRICE, jacent tua Membra sepulta, GEORGI,
Nobile GOLDBERGÆ qui decus Urbis eras.
Doctior aut Patria te Consul in Urbe creatus,
Dignior aut tanto nullus honore fuit.
Clarus & illustri cum sis Patre natus Avoque,
Et tuus a celebri Stirpe sit ortus Avus:
Tu tamen antiquum Virtutis Nomen Avitæ,
Ingenii superas Laude perenne tui.

Te Fama celebrat memori GOLDBERGA Patronum:
Gaudet & HELMRICO Tempus in omne suo.
Nam Puer excultus per honestas protinus Artes,
Cœpisti Linguas parvus amare sacras.
Tres igitur docili distinctas Mente Loquelas
Hausisti quovis Rhetor ab Ore potens.
Artibus hinc habilis viridi gravioribus Ævo,
Laudis eras dulci tactus Amore novæ.
Cumque novenarum dederat tibi Turba Sororum
Artes in Patria posse docere bonas:
Tu TROCEDORFIUM Sociumque Ducemque vocasti,
Fecistique tuæ Munus habere Scholæ.
Ast ubi te sanctus Populoque libente Senatus
Inter honoratos legit in Urbe Viros:
Signa reliquisti doctæ sacrata Minervæ,
Natus ad arguti Jura severa Fori.
Aurea pacifici vixerunt Sæcula Cives,
Publica Res operâ dum fuit usa tua.
Nemo Senatorum fuit observantior Æqui,
Nemo gubernavit cautior Urbis Opes.
Tranquillæ placidas Artes Tu Pacis amasti,
Summæ tibi docti Cura fuere Viri.
Pierides nostro contemtas Tempore Musas
Fovisti justa qualibet unus Ope.
Montanaque Scholam Juvenes quot in Urbe frequentant,
Consilio debent Auspicioque tuo.
Namque VALENTINUM Precio Precibusque Magistrum
Duxisti in Patriæ Mœnia celsa tuæ,
Gymnasiumque tuæ struxisti Sumtibus Urbis,
Castalides quod ament incoluisse Deæ.
Tu quoque præcipuo fueras complexus Amore,
Qui spargunt Populo Dogmata sancta rudi.
Principe quos coram tua Lingua diserta potenti
Asseruit veram rite docere Fidem.
Pro quibus Officiis cunctæ tua Tempora Vitæ
Rexerunt summi Numina dextra Dei.

Ergo

Ergo prius gelidus vertet sua Flumina CATTUS,
Inque suas Scatebras flexa redibit Aqua:
Sponte sua tacitum revocabit & ODERA Cursum,
Quam poterit Meritum Fama silere tuum.
At Tuba dum Sonitu divina resuscitet alto,
Molliter hoc recubet Corpus inane Solo.
Spiritus at pictam radiantibus Ignibus Aulam
Incolat in Gremio, maxime CHRISTE, tuo.

XI. Quintum conscripsit idem Christophorus PREUSSIUS.

HELMRICI sita sunt heic Corporis Ossa GEORGI:
Hic tegit exiguus Pectora quanta Lapis?
Quæ fuerit culti Facundia, novimus, Oris:
Quique redundantis Pectoris usque Lepos.
Ille suæ faciles Patriæ dum rexit Habenas,
Mirificus placidæ Pacis Amator erat.
GOLDBERGA fuit & communis in Urbe Patronus,
Omnibus Aonias qui coluere Deas.
Illi magna fuit sacra spargere Dogmata CHRISTI,
Magna Sacerdotes Cura fovere pios.
Quare certa suas referunt si Semina Fruges,
Terra salutiferas ista refundet Opes.

SCRIPTA.

XII. Duo, quorum Autor fuit, Hæredibus reliquit Opera. Prius est, *Orationum variarum Volumen:* posterius est, *Carminum multiplicium Liber.*

CAPUT LXXV.

Ad Annum M.D. XXXVIII. Diem X. Februarii.

BALTHASAR NECHERUS,

Eques Saganensis.

VITA.

I.

IN Saganensium Ducatu (cui Seyfridus NECHERUS, Domo Kuntzendorfius, Anno 1526, Capitaneus præfuit) e Familia Nobilissima

sima procreatus, Anno 1490, primum aspiciebat Lucem. Adolescentiam Studiis potissimum Sacris exornabat: quibus obtinebat ut J. U. Doctor renunciaretur.

II. Non magis Genere, quam Eruditione clarus, Vratislaviensi præcipuorum Sacerdotum Collegio, quod Canonicorum dicitur, adscribebatur. Sic Officiis cum in S. Crucis, tum etiam in S. Johannis Templo addictus, transigebat Vitam.

MORS.

III. Nondum Senem Mors auferebat Anno Ætatis 48, Christi 1538, Die Februarii X: Frater Necolaus NECHERUS honorabat gemino Epitaphio. Prius in S. Johannis Æde supereſt, ante Sacristiam, in orientali Angulo:

Sanctæ qui quondam Crucis, Agniferique Joannis
Et Templi Mystes hujus & hujus erat:
Præsidium Gentis NECHERÆ BALTHASAR ingens,
Sit quamvis alio conditus ipse Loco:
Hic tamen atque illic Fratri Monumenta locavit,
Fraterno Frater Pectore NICOLEUS.
Pectore, quo & Meritis dignum persolvit Honorem,
Et sancte extremum præstitit Officium.
BALTHASARIS NECHERI, Canonici utriusque Eccleſiæ Wratislaviensis, in Templo S. Crucis sepulti Cenotaphium: Ætatis suæ XXXXVIII. M. D. XXXVIII.

IV. Posterius in S. Crucis Æde, qua sepultus jacet, invenitur:

M. D. XXXVIII.
Pontificum Canones, & qui Civilia Jura
Natura sciret Consilioque bonus:
Et qui Virtutem Vita servaret in omni,
Sinceræ in primis Relligionis amans:
Quique sacer Genti Flamen Decus esset avitæ,
Atque suis Morum Regula Flaminibus:
Illius hic recubant scelerata Morte peremti
NECHERI Cineres Ossaque BALTHASARIS.
Ætatis XXXXVIII.

In

In Saxo.

Venerabili & Clarissimo Domino BALTHASARO NECHER. U. J. Doctori, ambarum Ecclesiarum Canonico, Nobilis NICOLAUS NECHER. ut Fratri carissimo. F. F.

CAPUT LXXVI.

Ad Annum M.D. XXXVIII. Diem V. Maji.

CASPAR URSINUS VELIUS,

Svidnicensis.

VITA.

I.

CAspar VELIUS, honestis, sed obscuris Parentibus, Anno circiter 1493, natus, Cognomen URSINI, quamvis alienum, ob Septentrionalem Plagam, sub URSA cælesti positam, Autore Johanne Cuspiniano, Cæsareo Consiliario, quem Vienna Præfectum, ipse Patronum habebat, eo Pacto assumebat, ut VELII gentilitium, aut omitteret, aut postponeret. De quo VELIUS ad Cuspinianum:

Natus in Arctois ego, CUSPINIANE, SELINGIS,
Asper ubi coluit Rura paterna QVADUS,
Pœne Puer cecini, tibi non nisi Nomine notus,
Carmina Judicio sæpe probata tuo.
Hac mihi Laude sacræ crevere in Carmine Vires:
Instar enim Phœbi CUSPINIANUS erat.
Quæ mihi misisti, illius divina putavi
Verba Dei, docta Verba notata Manu.
URSINI (memini) Nomen mihi dulce dedisti,
Hoc ratus Ingenium commeruisse meum.
Credo equidem non hoc Nomen sine Nomine Divum,
Auspice te, spreto rite priore tuli.
Forsitan ipsa suo natum sub sidere Vatem
Hoc dici voluit Parrhasis URSA Modo.

Eam Nominum Rationem ignoravit Paulus Jovius, cui VELIUS in doctorum Virorum Elogiis Caspar Ursinus VINDELICUS cognominatur, quasi natus in Vindelicis.

II. A domeſticis Auxiliis nudus, Beneficentia Johannis TURZONIS, Epiſcopi Vratislavienſis, Ingeniorum liberalium, quorum Conatibus anguſta Res obſtabat, celebris Nutritoris, fretus, Animum Literis excolebat. Quindecim Annorum Ephebus, Carmina etiam Græca, non Latina ſolum, ſcribebat: quæ tam immaturam Ætatem, Indiciis aut nullis, aut exiguis proderent.

III. In his Studiis acquieſcere poterat, quæ Cultoribus ſuis tum conciliabant exoptabilem Statum, jam fere tantum in reliquarum Diſciplinarum vel Ornatum, vel Inſtrumentum cedunt. Sed Academias, Viennenſem, Romanam, Bononienſem, & alias ingreſſus, præcipuas Curas in Rerum Philoſophicarum, Legumque tam Civilium, quam Eccleſiaſticarum Scientia defigebat. Ibi TURZONIS, cujus Mentionem ſupra fecimus, Autoritate ſimul & Munificentia ſubnixus, familiari doctiſſimorum Virorum Converſatione gaudebat.

IV. Sermonis, tum Latini, tum etiam Græci, qualis in elegantioribus Veterum, præſertim Poetarum Monumentis reperitur, inſtructus Notitia, Temporibus illis rara, conſequebatur Juvenis, ut inter viros Sæculi ſui maximos, quibus refloreſcentium Literarum Honor imputabatur, a multis referretur. In Poeticis exercitatiſſimus, ab Imperatore MAXIMILIANO I. Laurum in ſummorum illuſtriſſimorumque Capitum Conſpectu, capiebat. Ob inſignem Legum Peritiam, ipſis utriusque Juris Doctoribus adſcribebatur.

V. Matthæi LANGI, Suevi, quem Eccleſia Gurcenſis Epiſcopum, Cardinalem Romana coluit, Imperator MAXIMILIANUS I. expediendis graviſſimis Rebus, aut Oratorem, aut Arbitrum præfecerat, a Secretis per Biennium erat: diverſis in Locis, potiſſimum ad Epiſtolas Cæſari, Regibus, Ducibus conſignandas utiliſſimus ſemper Comes.

VI. Romæ cum LANGO erat VELIUS, cum Leo X. Pontificatum Maximum gerebat. Hinc digreſſus Oeniponte non nihil commoratus, Auguſtam Vindelicorum intrabat. Inde cum LANGO, Cæſareo Legato, ad Res cum Hungarorum & Polonorum Regibus Fratribus, Poſonii tractandas (quo Cæſar, Negotiis aliis impeditus, accedere non poterat) in Pannoniam contendebat. Hinc Anno 1515, Die XII. Februarii, profectus, Amne Lyco Neoburgum: Danubium ingreſſus, Ingolſtadio Reginoburgum, Paſſaviam, Lyncium, Viennam Die XXIII. Februarii, perveniebat. Tum Reges nondum Poſonii convenerant. Quare LANGUS, interim aliud acturus, ſuis apud Viennenſes Partem maximam relictis, inter quos VELIUS erat, in Stiriam concedebat. Auſtriæ, Carinthiæ, Stiriæ, Carniolæ Proceribus, Pruckii, quod Stiriorum eſt Oppidum, congregatis, cum Cæſaris Mentem indicaviſſet, Viennam redibat. VELIUS, porro LANGI Comes, Danubio vectus, Die Martii XXVIII, Poſonium appulit: ubi tres Reges Hungaricus, Polonicus, Bohemicus morabantur: Germani Gallis, Italis, Hiſpanis, Hungaris, Polonis, Bohemis, Turcis, Moſcis, Tartaris permixti conſpiciebantur: VELIUS tot Linguas Moresque diſſimiles admiratus, Notitiam ſuam novis Acceſſionibus perficiebat.

VII. Poſt hæc, LANGO repetente Poſonium, VELIUS ſubſiſtebat Viennæ. Mox cum LANGO, Viennenſibus reddito, Lyncium ad Cæſarem, de Rebus Poſonii geſtis certiorem faciendum proficiſcebatur: Viennam octavo Die Julii revertebatur, quam Cæſar Biduo poſt intrabat. Ita vero, cum tres Reges, Polonorum SIGISMUNDUM, Hungarorum LADISLAUM, Bohemorum LUDOVICUM, Hoſpites MAXIMILIANUS Imperator, benigno Fato, ibidem Die Julii XVII, exciperet: ſubſequentibus Diebus Amicitiam cum Præſentibus iniret, Fœderibus recentibus ſtabiliret: Annam, LADISLAI Filiam, Nepotum ſuorum alteri, ſeu CAROLO, ſeu FERDINANDO Conjugem deſtinaret: Mariam vero Neptem ſuam in Matrimonium LUDOVICO, Nuptiis ſolenniter adornatis, conferret: VELIUS ſatis opportunus Cærimoniarum maxime notabilium Spectator erat. Ea ſimul Occaſione, quam inuſitatus Procerum Congreſſus attulerat, VELIUS utendum ratus, ita ſe multiplicibus Nationibus intuendam dabat, ut Amicorum adaucto Numero, aut omnino parem, aut non multo imparem Doctrinæ Laudem a diverſis ſummorum Virorum Ingeniis reportaret. Ultima Julii Dies illuxerat, cum tres Viennâ Reges diſcederent. Diutius ibi VELIUS ob LANGUM, LANGUS ob MAXIMILIANUM Cæſarem ſubſiſtebat.

VIII. Tum liberale nactus Otium VELIUS, quæ hactenus contigerant, memorabilia pleraque conſignabat Carminibus, Hiſtoricus, & Poeta: cujus quædam producemus.

In Epistola, quam ad Paulum JOVIUM scripsit:

Ex quo me tenet incerta Germania sede,
Digressum Comite Ægidio Tiberinide Roma,
Multa tuli. Primum Pontes dum cunctor ad Æni,
Bis sua diminuit, bis auxit Cornua Phœbe.
Dehinc Urbs Augusti retinens a Numine Nomen
Vindelicis me excepit Agris: cum Principe LANGO
Arva pererravi Rhetorum & Norica vidi
Oppida: Pannonia postremo læta Vienna
Mœnia contigimus; bis sex ego Mensibus illa,
Dum sequitur Princeps Augustum, commoror Urbe.

Quo pertinet, quod ad Stanislaum SAURUM in Epistola scripsit, cum in septimum Annum se Patriam desideravisse dixisset:

Namque ubi me LANGO cum Principe pulchra Vienna
Excepit, læta tres Cæsar in Urbe volentes
Dum tenuit Reges, illo mihi tempore multum
Crevit Amicorum: queis cum mihi vivere quantum
Suave fuit, sine eis tantum nunc vivere durum est.

IX. Post hæc in Bavaria cum LANGO aliquandiu commorabatur. Ab eo prius Belgicas, deinceps per Oceanum Britannicas & Hispanicas Terras adire jubebatur. De quo VELIUS ad Fratrem Balthasarem Sacerdotem Suidnicensem:

Me tenet herbosis late Bojaria Campis
Nobilis & felix uberis Orta Soli.
Hic ubi frugiferos disterminat Ænus Agros,
Norica Bojorum Finibus Arva secans.
Languenti mœsti cum Principe vivimus omnes,
Nunc læti, quoniam fortius ille valet.
Dii melius statuere, redit vis integra Membris,
Et sua nunc solidus roborat ossa Vigor.
Hujus ad occiduos Jussu proficiscar Iberos:
Quam procul à Patria dissita Terra mea est.
Ibitur in Belgas primum, Morinosque videbo,
Et mihi Santonici est Ora legenda Maris.
Vasta per insanos visenda Britannia Fluctus,
Multa mihi Terra, multa ferenda Mari.

Immenso

Immenso errandum Pelago, Germane, priusquam
Batica conspiciam, quo feror, Arva celer.
Flecte Deos nobis, Aris jam dedite Frater,
Atque pio felix Ore precator Iter:
Ut valeam imposito prudenter Munere fungi,
Mens sit incolumi Corpore sana mihi.
Denique votiva Prece Numina sancta fatiges,
Hora revertendi ne sit adempta mihi.
Hæc facito, quoties sacris operabere Mystes,
Et totum innocuo concipis Ore Deum.

Ad Stanislaum SAURUM:

Nunc tibi sed breviter, Verbisque in pauca coactis,
Quam pote confieri, de me non nulla referre
Constitui, ne tu ignores, qua Sorte Locove,
Vitaque Resque mihi fuerint: me LANGUS Iberos
Mittit ad occiduos, Septembribus ipse Calendis
Longum Iter ingrediar: Populos Urbesque potentes
Belgarum peragrabo, dehinc & Fluctibus atris
Oceani emensis, ad Batica Litora tendam.
Ergo est in Fatis, patria procul Urbe, sub Axe
Parrhasio longe posita, ad Solem usque cadentem
SAURE, Pyreneos ultra percurrere Montes.

X. At Proposito mutato, nec in Britanniam, nec in Hispaniam discedebat. Iter autem suscipiebat in Helvetiam, Alsatiam, Provincias alias: ipsamque Silesiam peragrabat, dudum videndorum Suorum, Patris, Matris, Sororis, etiam Johannis TURZONIS, Episcopi Vratislaviensis, benefici Patroni sui, Desiderio stimulatus. De quo ad eundem SAURUM:

Me Patriæ Desiderium non vilius urget,
Me canum PATRIS Caput admonet, allicit usque
Et GENITRIX, & blanda SOROR: tum quicquid ad unum
Sanguinis est nostri: magnusque ante omnia THURZO,
Integer & purus Sceleris: cui debeo primum
Hanc Animam dum quicquid ero, non immemor uni
Acceptum referam. Nobis Duce contigit illo

Aonias pulsare Fores, & Lumina Phœbi
Tangere.

XI. Rursus in Austriam reversum, quem MAXIMILIANUS I. Imperator dilexerat, Ferdinandus I. Cæsaris Caroli V. Frater, Hungarorum & Bohemorum Rex amabat. Ab eo VELIUS in Aulam receptus, Orator & Historicus Regius declaratus, variis Legatus adhibebatur Expeditionibus. Ita exercitatus, semperque majoribus habilis, FERDINANDI I. Filio, MAXIMILIANO II. Indole summa prædito, quem Posteritas non immerito inter optimos Imperatores numerat, Fidei suæ commisso, Literis erudiendo, Virtutibusque condecorando præficiebatur. Omnibus in Muniis Exspectationi satisfaciens, clarus Negotiis parvis, Curis magnis clarissimus evadebat.

XII. Neque mireris hanc singularem Prærogativam. Eminebat enim multiplicibus Viri æstimabilis Dotibus, quibus omnium Ordinum Homines in sui vel Amorem, vel etiam Venerationem trahebat: Ingenio excellens, acutus, multiscius: Animo placidus, comis, affabilis: cum Tempus & Locus ferebant, ad edendum Salis & Leporis Specimen, quanto per Solertiam aptior, tanto per Hilaritatem pronior: præterea formoso delectabilique Corporis Habitu. De quo Erasmus Roterodamus Lib. XVII. Epist. IX. ad Stanislaum Turzonem, Olomucensem Episcopum, Anno 1521, scripta: *Ipse VELIUS mihi factus est longe charior, quam ante fuerat ex degustatis Ingenii Monumentis, ob incredibilem Morum Comitatem: cum hoc fere Genus Hominum soleat alienius esse à Sensu communi. Visus est & multo felicior, quam existimaram. Primum ipse Cultus magnificus ac nitidus Fortunam arguit satis lautam. Deinde Corporis Species declarat, rara Numinis Indulgentia, Ingenio felicissimo Domicilium æque felix contigisse.* Joannes ROSINUS:

Ut quondam fuerint vestri Virtute Priores,
Ast dabis & nostris nunc quoque Roma Locum.
URSINI pridem Vatis tibi cognita Virtus.
Vidisti: nullus Corpore Nævus inest.

XIII. Cogitari facilius, quam dici potest, tot in Locis versatus, tot Occasiones aut oblatas arripiens, aut quæsitas inveniens, quantam sibi, cum illustrissimorum Patronorum, tum Amicorum doctissimorum conciliaverit Copiam. Ut alios transeamus in præcipuis, quos colebat, &à quibus colebatur, erant, præter Matthæum *Langum*, Petrus *Bembus*, & Jacobus *Sa-*

Sodaletus, Cardinales: Petrus *Bonhomus*, Tergestinorum: Bernhardus *Glessius*, Tridentinorum: Paulus *Jovius*, Nucerinorum: Sebastianus *Speranzius*, Brixinensium: Joannem *Turzonem*, Vratislaviensem, Stanislaum *Turzonem*, Olmucensem: Marcum Hieronymum *Vidam*, Albanorum, Episcopos. Quibus accesserant, Rudolphus *Agricola* Junior, Bonifacius *Amerbachius*, Franciscus *Arsillus*, Richardus *Bartholinus*, Philippus *Beroaldus* Junior, Ludovicus *Blosius*, Lazarus *Bonamicus*, Hermannus *Buschius*, Joannes Capnio *Reuchlinus*, Joannes Maria *Catanæus*, Georgius *Tanstetterus* Collimitius, Johannes *Coritius*, Laurentius *Corvinus*, Valens *Crautwaldus*, Joannes *Cuspinianus*, Johannes *Dantiscus*, Desiderius *Erasmus* Roterodamus, Johannes *Faber*, Johannes *Fruticenus*, Pierius *Graccus*, Johannes *Hessus*, Matthias *Lamprichtius*, Wolfgangus *Lazius*, Georgius *Logus*, Ægidius *Remus*, Beatus *Rhenanus*, Johannes *Rosinus*, Stanislaus *Saurus*, Pamphilus *Saxus*, Maximilianus *Sevenbergius*, Jacobus *Spigelius*, Johannes *Stabius*, Andreas *Stiborius*, Joachimus *Vadianus*, Janus *Vitalis* Panormitanus, Udalricus *Zasius*, Janus *Zuola* Moravus.

XIV. Quanti fuerit ab his æstimatus, eorum Judicia, quibus seu vivum seu mortuum honoraverunt, testantur. Nonnulla proferemus in Medium. ERASMUS Roterodamus (secundum Londinensem Editionem) Lib. I. Epist. XXXVII: ad Ricardum Bartholinum, Perusinum: Anno 1516. scripta: *Mirum, quam ceperint Hendecasyllabi GASPARIS VELII, doctissime Bartholine. Tam erudita Facilitate fluunt omnia, ut facile deprehendas Ingenii Venam, non elegantem esse modo, verum etiam divitem ac benignam.* Lib. V. Epist. XXXIV. ad Joannem Turzonem, Episcopum Vratislaviensem, Anno 1519, scripta: *VELII Carmen legens, quod proxime mihi redditum est, Lucani Tubam audire videor: dignus ille, qui magnos Reges decantet, non Erasmum.* Rudolphus Agricola in Literis ad Ladislaum Bozkovicium, Anno 1517. scriptis: *Nos CASPARUM URSINUM Germanum, Ingenii Acumine, Verborum Copia & Nitore, Literarum tum Græcarum, tum Latinarum Peritia insigniter præstantem cur non Jure laudaverimus?* Franciscus ARSILLUS, Medicus Romanus, in Catalogo de Claris Urbis Poetis:

Alta supervolitans URSINUS Tecta Quirini,
GASPAR Parrhasii fertur ab Axe Poli.
Barbariem incultam patriis à Sedibus arcet,
Ducit & Aonias in nova Templa Deas.

Hoc

Hoc Duce Germanas late fluxere per Oras
Attica Romano confiua Mella Favo.

Hermannus BUSCHIUS:

Naturam fruſtra querimur ſenuiſſe tot Annis,
Effœtamque olim Viribus eſſe ſuis:
Indole nec priſca ſpirantes ferre Poetas,
Quique immortali Nomine digna canant.
VELIUS hoc Linguam callens URSINUS utramque
Æmulus en Veterum, Pectore & Arte probat.
Qui, ſeu forte Elegos, Thalamos ſeu Carmine Regum,
Seu Satyram, cultum ſive Epigramma canit:
Candidius nihil eſt, nihil eſt exactius illo:
Felix Deliciis Pagina mille fluit.
Seria ſic blandis, ſic dulcia miſcet amaris,
Urbanus, mollis, ſalſus, amansque Liber.
Attica huic Pellex, nec non Acheloia Siren
Ceſſerit & Phœnix, & moribundus Olor,
Græcia Phœbæum Smyrnæ modo jactet Alumnum
Dum libet, & Cygnum Mantua docta ſuum.
URSINO cantata ferox Germania plaudet,
Finibus immenſis, qua populoſa ſedet.

Georgius LOGUS, Canonicus Vratislavienſis:

URSINUM Muſæ, niſi magnus adeſſet Apollo,
Pierii vellent Agminis eſſe Ducem.

Alio in Carmine:

Hic URSINUS erit (Phœbei cedite Vates)
Cujus Appollineum Nectar ab Ore fluet.
Hoc Duce Romuleis Germania Vatibus obſtat,
Nata Meduſæo dum canit Oſſa Lacu.
Dicite Pierides caſtæ: Pataræia felix,
Quo Duce tam fauſto contigit Arva Pede?
Næ Phœbus Pater eſt, Genetrix prius innuba Pallas,
Ubera lactenti Calliopæa dedit.
Mortales certe ſublimi Carmine vincit:
Dicite nunc Phœbo, dulcius ille canat.

Jo-

Johannes ROSINUS:

O Decus, ô noſtri Vates doctiſſime Sæcli,
Ornamentum ingens, ô Columen Patriæ.
Tu Latias Germanus Homo ſic Carmine Muſas
Ornaſti, ut Latium debeat omne Tibi.
Gloria Germanis ea rurſus parta Camenis,
Concedant magnis ut nihil Auſonidis.

XIV. Parem in Modum exponere ſupersedemus, quibus VELIUM commendant, Georgius LOGUS in Literis ad Ferdinandum I. Hungarorum & Bohemorum Regem, Anno 1529 ſcriptis. Paulus Iovius in doctorum Virorum Elogiis. Henricus Pantaleo de Viris Germaniæ illuſtribus, Parte III. Richardus Bartholinus in Hodœporico, quod de Matthæi Langi Cardinalis Rebus geſtis compoſuit. Georgius Ederus in Rectorum Archigymnaſii Viennenſis Catalogo, ſub Rectore 324, ad Annum 1538. Janus Gualterius, id eſt, Janus Gruterus, in Chronici Chronicorum Tomo II. Caſpar Cunradus in Proſopographia Melica, Millenario I. Johannes Petrus Lotichius in Bibliotheca Poetica, Parte III. Num. IX. Gerardus Joannes Voſſius Lib. I. de Sermonis Latini Vitiis, Cap. XVII. Nicolaus Henelius & Johannes Henricus Cunradus in Sileſia Togata.

MORS.

XV. Nec quando, nec quomodo deceſſerit, extra Controverſiam eſt. Nam Scriptores Die quidem Maji quinto, mortuum eſſe, conſentiunt: diſſentiunt autem de fatali Anno: quem plerique ſtatuunt 1539. Inter hos ſunt, Caſpar Cunradus, ejusque Filius, Johannes Henricus Cunradus, Johannes Petrus Lotichius, Nicolaus Henelius. Alii non 1539, ſed 1558 Anno, exſtinctum commemorant. Inter quos præ cæteris Fidem meretur Georgius Ederus, Cæſaris Ferdinandi I. Conſiliarius, cui debemus de Viennenſis Academiæ Rectoribus, & ſub unoquoque notabilibus Rebus Catalogum, apud Viennenſes Anno 1559, Typis expreſſum: in quo, ſub Rectore CCCXXIV, ad Annum 1538, relata invenitur VELII Mors.

XVI. Etiam, quodnam ſupremi Fati Genus obierit, dubium eſt. Ab invidis Veneno ſublatum non nulli crediderunt; quemadmodum Georgius Ederus commemorat.

XVII. Sicut Fama communior asseruit: Mane, sub Horam VI. Die V. Maji, ex Urbe Vienna digressus, in Danubio periit. Gerhardus Faustus Confluentinus, id est, Georgius Fabricius Chemnicensis in Poetis Germanis:

Antiquis, VELI, non inferiora secute,
Morte tua magnum Dedecus Ister habet.

XVIII. Quâ id Ratione contigerit, dubium est. Sunt, quibus ob inemendabiles asperi Matrimonii Mores, ultimo pessimoque Consilio, mori, quam vivere maluerit. Hadrianus Marius Belga, Geldriæ Zutphaniæque Cancellarius:

Conjugis impatiens Morum se jecit in Istrum,
Et Mortem cupido VELIUS Ore bibit.
Siccine semper eris sacris infesta Poetis
Fœmina, & Orphea non satiata Nece es?
Nec sat erat Sceleris vestri, quod conscius Hebrus
Erubuit, Lacrumis intumuitque suis:
Ni nunc URSINI infames Nece volveret Undas
Opprobrium vestri Danubius Generis?

XIX. At interitus VELII an non etiam potuit Originem habere Casum: cui vehementior intentiorque Cogitatio Ansam dederit; quoniam dormienti, quam vigilanti non nunquam similior, vel stetit, vel incessit? Idque non abhorret à vero: si meditabundus cum quadam Litoris avulsi Parte correptus involutusque fuit Undis. Gilbertus Cognatus in Narrationum Sylva, Lib. VIII. Cap. XXVII: *GASPAR URSINUS Vir optimus & doctissimus, nuper magna bonarum Literarum Jactura, & ingenti totius Aulæ Ferdinandicæ Mœrore & Luctu, apud Viennam Pannoniæ, dum Animi Gratia, in Litore Istri Fluvii, qui & Danubius dicitur, deambulat, Parte Ripæ avulsus, absorptusque est.* Huic Sententiæ subscribit Nicolaus Polius in Silesiæ Chronico MSto, ad Annum 1538.

XX. Fortassis alio Casu, vehementiorem Solis Calorem sibi defensurus, Danubium Natator ingressus, periit. Thomas Schramus Suidnicensis, Patriæ Civitatis Prætor, postea Senator, tandem Consul:

Heu mihi! Majus erat, Phœbusque in Corpus anhelum
Plus solito ardentes sparsit ab Axe Comas.

VE-

VELIUS impatiens tum ferventissimus Æstu
Ad rapidas Istri, quam pote, pergit Aquas:
Omniaque exutus, pro Velo & Remige Ligno
Usurus gemina, fecit ut ante, Manu:
Insilit: at Veli haud ultra Remique potentem
Unda furens (an amans Nympha?) repente rapit.
Ah miser, & Vitæ nimium male prodigus aurêæ,
Tene Animam infidis credere Vorticibus?

XXI. Ita, cum vera Mortis Causa non explorari posset, FERDINANDI I. Hungarorum & Bohemorum Regis, quod tutius in dubiis est, sequendum statuentis Jussu, repertum VELII Corpus per honestas Exsequias illatum est Terris.

SCRIPTA.

XXII. Multa, sed pleraque parva scripsit. Opusculum Primum est, Anno 1515, ad Joannem Turzonem, Episcopum Vratislaviensem scripta *Epistola, de Maximiliani I. Cæsaris, Sigismundi Polonorum, Ladislai Hungarorum, Ludovici Bohemorum Regis, intra Hungariam prius Posonienſi, deinde Viennenſi Conventu.* Edita est in Richardi Bartholini Hodœporico, Viennæ 1515. in 4. In eodem Hodœporico inter Germanicarum Rerum Scriptores, quos Marquardus Freherus collegit, Tomo II. Francofurti ad Mœnum, 1602. in f. ibidem 1637. in f. In Velii Poematibus, per Joannem Frobenium, Basileæ 1522 in 4. In Nicolai Reusneri Itinerario, per Conradum Waldkirchium Typis expresso, Basileæ 1592, in 8.

Secundum est, *ad Mariam Virginem, Dei Matrem, Votum.* Editum est Viennæ per Hieronymum Vietorem, 1517. in 4. Basileæ per Joannem Frobenium, 1522. in 4.

Tertium est, *in Maximiliani I. Cæsaris Mortem, Epicedium.* Editum est Viennæ per Johannem Singrenium, 1519. in 4. In Velii Poematibus, Basileæ 1522. in 4.

Quartum est, *in ejusdem Cæsaris Mortem aliud Epicedium:* quod anniversariam *Næniam* vocat. Editum est, per eundem Singrenium Viennæ 1520, in 4. In Velii Poematibus, Basileæ 1522, in 4.

Quintum est, *ad Erasmum Roterodamum, Genethliacum.* Editum

tum est in Velii Poematibus, Basileæ 1522, in 4. In Erasmi Epistolis (Lib. I. Epist. XXXVI.) Basileæ 1540. in f. (Lib. I. Epist. XXXVI) Londini 1642 in f.

Sextum est, *Sigismundo Polonorum Regi scriptum Epithalamium.* Septimum est, *Ferdinando Austriacorum Archi-Duci scriptum Epithalamium.* Octavum est, *Leopoldus*, id est, *Pæan in Leopoldum Austriacorum Archi-Ducem.* Nonum est, *Maximiliani I. Cæsaris, & Henrici VIII. Britannorum Regis Laus.* Decimum est, *De Caroli V. Cæsaris in Germaniam Reditu Carmen.* Edita sunt hæc V. Opuscula in Velii Poematibus, Basileæ 1622. in 4.

Undecimum est, *Variorum Carminum Liber:* quorum (I.) Ad Sigismundum Polonorum Regem de Moschis debellatis. (II.) De Turzonum Familia. (III.) Ad Stanislaum Turzonem de Fratris Johannis Turzonis Obitu. (IV.) Ad Joachimum Silesiæ Ducem. (V.) Ad Jesum Salvatorem, Matrem Virginem, Johannem Baptistam. (VI.) Ad Janum Zuolam de edendo Libro Microcosmo. (VII.) Ad Johannem Turzonem Episcopum Vratislaviensem. (VIII.) Ad Nicolaum Præsulem. (IX.) Invitatio ad Sodalitatem. (X.) Invitatio Sodalitatis ad Cœnam Quo referri (XI.) potest, Christi Profectio in Hierosolymam: ex Lucæ Cap. XVIII. Conjunctim edita sunt in Velii Poematibus Basileæ 1522, in 4.

Duodecimum est, *Variorum Carminum Liber*, quæ vocat *Epistolas*: (I.) Ad Johannem Turzonem, Episcopum Vratislaviensem de Erasmo Roterodamo. (II.) Ad Paulum Jovium. (III.) Ad Stanislaum Saurum. (IV.) Ad Janum Zuolam Moravum. (V.) Ad Balthasarem Velium, Fratrem Sacerdotem. (VI.) Ad Theclam Sororem, & Hedvvigin Neptem. (VII.) Ad Joannem Dantiscum Poetam. Hunc Epistolarum Librum (inter quas etiam, quam Velius ad Valentinum Krautvvaldum Nissensem scripsit, reperitur) edidit Rodolphus Agricola, per Johannem Singrenium Viennæ 1517, in 4. Joannes Frobenius (Epistolâ illâ, quoniam deinde Caspari Schvvenckfeldii Dogmatibus fanaticis Krautvvaldus fuit addictus, ideo forsan omissa) in Velii Poematibus Basileæ 1522, in 4.

Decimum tertium est, *Variarum Elegiarum Liber*: quarum (I. II. III. IV.) ad Joannem Turzonem, Episcopum Vratislaviensem. (V.) Pro eodem ægroto ad Deum: (VI. VII.) Ad Johannem Cuspinianum. (VIII.) Ad Marianam. (IX.) De Georgii Tanstetteri Collimitii Ædibus. (X.) Andreæ Stiborii Tumulus. Editus est in Velii Poematibus, Basileæ 1522, in 4.

Deci-

Decimum quartum est, *Epigrammatum de variis Rebus Liber.* Hunc edidit Rodolphus Agricola, per Johannem Singrenium Viennæ 1517. in 4. & Joannes Frobenius in Velii Poematibus; ex quibus Selectiora quædam in Poetarum Germanicorum Deliciis, Parte VI, Janus Gruterus edidit Francofurti ad Mœnum 1612, in 12.

Decimum quintum est, *Epigrammatum Græcorum in Latinum Sermonem versorum Liber.* Editus est in Velii Poematibus, Basileæ 1522, in 4.

Decimum sextum est, *Monostichorum Liber.* Qui agit, (I.) *De Aborigine*, id est, primis in Italia *Regibus:* à Jano, qui Regnum in Aborigines orsus est, Anno ante Romam conditam, 577, ante Christum natum 1686: ad Æneam, qui cum Lavinia, Latini Aboriginum Regis Filia Regnum consecutus, in Prælio periit, ante R. C. 424. ante C. N. 1174. (II.) *De Albanorum in Italia Regibus:* ab Ascanio, Æneæ Filio, qui Regnum in Aborigines, Nomine mutato Latinos, nactus Albam Longam in Italia condidit, Anno ante R. C. 399. ante C. N. 1149: (unde Latinorum consuevit Albanorum Regnum dici) ad Numitorem, qui Regnum Albanum amissum recuperabat Anno ante R. C. I. ante C. N. 751. (III.) *De Romanorum Regibus:* à Romulo, qui cum Roma suum Imperium orsus est, Anno ante C. N. 750: ad Tarquinium Superbum, cui Roma subtraxit Imperium, Anno Urbis 245, ante C. N. 506. (IV.) *De Romanorum Viris illustribus:* à L. Tarquinio Superbo, quem Roma primum Consulem creabat Anno Urbis 245, ante C. N. 506: ad M. Catonem Uticensem, qui seipsum occidit Anno Urbis 707, ante C. N. 44. (V.) *De Romanorum Cæsaribus:* a C. Julio Cæsare, qui Romanum Imperium Armis consequebatur Anno Urbis 705, ante C. N. 46: ad Augustulum, qui Romanum Imperium intra Occidentem amittebat Anno Urbis 1228, Christi 476. (VI.) *De Gothorum in Italia Regibus:* ab Odoacro, qui primus è Germanis Rex Italiæ factus est Anno Urbis 1228: ad Thejam, qui Prælio victus a Romanis trucidabatur Anno Urbis 1306, Christi 554: ad Desiderium, quo victo Carolus Magnus Imperator Regnum Longobardorum in Italia destruxit A. C. 774. (VII.) *De Romanorum Imperatoribus Constantinopolitanis:* Ab Anastasio, qui Romanum in Oriente suscepit Imperium A. C. 491: ad Constantinum XII: cui Muhamedes Turcarum Tyrannus, & CPolin & Vitam ademit A. C. 1453. (VIII.) *De Romanorum Imperatoribus Germanis:* a Carolo Magno, qui Romanus

Imperator creabatur A. C. 800: ad Carolum V. qui Cæsar renunciabatur A. C. 1519. (IX.) *De Turcarum Imperatoribus*: a Mahumede II. quem Othomannum vocat, illo CPoleos Expugnatore, qui Turcarum Sultanus evasit, A. C. 1450: ad Bajazetem II. quem Bosletem nominat, A. C. 1512, exstinctum. (X.) *De Romanis Pontificibus*: a Petro ad Clementem VII. qui Pontifex Romanus creatus est, A. C. 1523. Hic Monostichorum Liber editus est per Johannem Singrenium, Viennæ 1528, in 4. & (Monostichis exceptis de Pontificibus) in Eliæ Reusneri Genealogico Romano, Francofurti ad Mœnum, 1589. in f.

Decimum septimum est, *Distichorum de Romanorum Imperatoribus Latinis, Græcis & Germanis, a C. Julio Cæsare, ad Carolum V, Liber.* Editus est per Hieronymum Vietoren Viennæ 1528. in 4.

Decimum octavum est, *Austriæ Querela de Turcis opprimendis*, ad Germaniam. Edita est Augustæ Vindelicorum per Alexandrum Wissenhornium, 1531.

Decimum nonum est, *Carminum ad Joachimum, Caroli Filium Silesiæ Ducem Monsterbergensem, Libellus*, nondum editus.

Vigesimum est, *Epistolarum*, (non poeticarum, sed Oratoriarum) *Liber.* Quo pertinent Epistolæ scriptæ: (I.) Ad Lazarum Bonamicum. (II.) Ad Jacobum Spiegelium & Johannem Coritium: Anno 1517, D. 1. Octobris. (III.) Ad Erasmum Roterodamum: A. 1518, D. 20. Junii. (IV.) Ad Matthæum Cardinalem Gurcensem: A. 1519. (V.) Ad Maximilianum Sevenbergium: A. 1520. (VI.) Ad Stanislaum Turzonem: A. 1522. D. 1. Februarii. (VII.) Ad Ferdinandum I. Austriacorum Archiducem: A. 1522. (VIII.) Ad Sebastianum Sperantium: A. 1522. D. 1. Martii. (IX.) Ad Joachimum, Silesiæ Ducem: A. 1522. D. 1. Martii. (X.) Ad Petrum Bonhomum: A. 1522. D. 1. Aprilis. (XI.) Ad Bernardum Glessium: A. 1528. D. 20. Martii. (XII.) Ad Antonium Mendossam: A. 1528. D. 20. Octobr. Editas reperimus in Velii Poematibus recensitis, Viennæ 1517. 1519. 1520. 1528. in 4. Basileæ 1522. in 4. In Erasmi Epistolis (Lib. VI. Epist. XXX) Basileæ 1540. in f. Londini 1641. in f.

Vigesimum primum est, *Oratio*, quam in Alba Regali, *cum Ferdinandus Hungarorum Rex coronaretur*, Anno 1527, Die III. Novembris, habuit. Edita est Basileæ 1528. in 4.

Vigesimum secundum est, *Interpretatio Latina Sermonis, quem de*

de Animæ Discessu & altera Vita Cyrillus Alexandrinus Episcopus Græce composuit.

Vigesimum tertium est, *Luciani Samosateni quorundam Græcorum Epigrammatum Latina Interpretatio.* Eam in Luciani Operibus edidit Joannes Bourdelotius per Petrum Ludovicum Feburierum, Parisiis 1615. in f. & Huldericus Frœlichius, per Sebastianum Henricpetri, Tom. IV. Basileæ 1619. in 8.

Vigesimum quartum est, *Epitome Chronicorum Mundi.*

Vigesimum quintum est, *de Rebus Austriacis Historia Decadibus* VII: quam Cæsarea Bibliotheca Viennensis MStam possidet. Hujus fortassis est Pars de Ferdinando I. Historia: cujus meminit Erasmus Roterodamus ad Bilibaldum Pirkheimerum, Lib. XIX. Epistol. L. Anno 1528, scripta. *Regis*, ait, *FERDINANDI Res sat pulchre habent in Ungaria, si liceat per Turcam. Ursinus VELIUS jam conscripsit Librum de Rebus ab eo gestis.*

CAPUT LXXVII.

Ad Annum M. D. XXXVIII. Diem II. Octobris.

JOHANNES METZLERUS,

Vratislaviensis.

VITA.

I.

DIversa Cognominis Forma, quibusdam MEZLERUS, aliis vero MECELERUS dicitur. Vratislaviæ, quo Parentes ex Pannonia commigraverant, Patre nobili honoratoque Viro, Johanne METZLERO, nascebatur. Adhuc tener, Anno 150 , illo Die, qui Lucem Margaretæ sacram præcedebat, hoc est, XII. Julii, amittebat simul & Genitorem, & Genitricem: quos unum in Sepulcrum Opportunitas utriusque Fati reponebat.

II. Nescio quibus Ætate prima in optimam Educationem commissus, liberales Artes Puer Amore, mox etiam Industria prosequebatur. Domi præparatus Incrementis peregri acquirendis, in Italiam discedebat.

bat. Inde cum Richardo Croco, Britanno, suo in Græcis Magistro, (quem inter antiquissimos in Germania Literas Græcas Adolescentibus tradidisse constat) Lipsiam perveniebat. Ibi Latinis Græcisque Juridica Studia bono Successu conjungebat. Ibidem Anno 1519, publicus Sermonis Græci Professor, inter Auditores Joachimum Camerarium, multiplici præsertim Græca Literatura præcellentem postea Virum, erudiebat. Is, quanti METZLERUM æstimaverit, Parte II. Lib. IV. Epistola XV, quam ad Joannem Gratonem Anno 1561. scripsit, testatur. *Ego*, inquit, *Literas METZLERI, quas nudius tertius accepi, missas abs te, inter primas collocari studuissem, si ad me perlatæ fuissent citius, adjectas illas quidem uni, quam de compluribus ad me scriptis reperi solam. Sed Loci nullum erit Detrimentum, legenturque illæ etiam in postremis Pagellis non incommode: neque ideo quicquam detrahetur de Existimatione præclarissimi & Splendoræ summi Viri, Præceptoris & Amici mei observandi, dum vixit: & cujus mortui, cum Reverentia, ut par est, semper soleo meminisse.*

III. Non exiguam Legum Peritiam consecutus, ideoque solenniter J. U. Doctor renunciatus, ex Lipsiensi Academia in Urbem patriam, Anno circiter 1525, revertebatur. Ibi nunquam otiosus, partim forensibus Negotiis, partim Laboribus Gymnasticis addictus erat. Nam, cujus Generis Exemplum ingenuus illius Sæculi Genius admirandum Posteritati relinquere non verebatur: METZLERUS ab Anno 1626, Sponte sua, in Elisabetano Lyceo, aut Scriptores Latinos & Græcos interpretabatur, aut potiores politioresque scientias explicabat. Id præstabat extraordinarius Professor, nulla Præmii Exspectatione, quod vel Civitatis Ærarium, vel discentis Manus, seu porrigeret, seu promitteret: erat enim Patrimonio amplissimo præditus: nulla Eruditionis, cujus nobiliora Documenta dudum ediderat, Ostentatione compulsus. Neque solum Juvenes etiam sæpe Viros, etsi doctos, a doctiore tamen doceri, nequaquam turpe judicantes, in Auditoribus habebat. Quo inusitatioris Humanitatis Specimine, tantum aberat, ut Existimationem suam imminui, ut potius augeri sentiret.

IV. Dictis, ne quis deneget, confirmabimus per idoneos Testes Fidem. Joannes Crato in Joannis Baptistæ Moibani Medici Vita: *Incitabatur autem* (Joannis Baptistæ Pater Ambrosius Moibanus Theologus

gus) *ad hanc Diligentiam, non solum Naturæ Bonitate, & Charitate Patriæ, sed Viri summi, Scientia Juris Civilis, & Dignitate excellentis, ac Græcarum Literarum in primis eruditi Johannis METZLERI Exemplo: qui in occupata Vita aliquod Tempus Juventuti erudiendæ dabat, quo vel Rudimenta Græcæ Linguæ, quæ profuerunt plurimis vel Auctores Græcos & Latinos interpretabatur. Conveniebant ad istas liberales Exercitationes non modo Pueri, verum provecta Ætate Viri, Consulares atque Reip. Administratione florentes: quos, cum Adolescentes viderent, solicitè de quibusdam inquirere (non enim, tanquam Calvisius ille, cujus Seneca meminit, doctos se existimabant, quod Eruditione præsentes illis subjecti essent, nec turpe tunc erat fateri, se qvædam ignorare) ad Observationis & Attentionis Diligentiam incitabantur. Ac erat ea Beatitudo illius Sæculi & illorum Hominum ista Prudentia, ut nulli facilius publicum aliquem Locum obtinere possent, quam quos Literarum Scientia commendabat. Intelligebant enim optimi & præstantissimi Senatores, quid Momenti ad Res bene administrandas mediocris Doctrinæ Cognitio atque Usus afferrent.*

Ipse METZLERUS in Literis ad Joannem Crotum, Italum, Anno 1527, apud Vratislavienses, die XX. Augusti scriptis: *Cupio Vratislavienses meos ad Literas alacriores reddere. Hæc mihi commodissima visa est Via. Et, ne qua in Parte Rei Literariæ deesset Labor meus, Æstate ista interpretatus sum Orationem pro Dejotaro: Hyeme Libellum de Senectute prælecturus.* Et in Præfatione, quam ad Joannem Rullum & Andream Wincklerum Ludimagistros Vratislavienses, Calendariis Januariis, Anno 1529, scriptam, suis Græcæ Grammaticæ Rudimentis præmisit: *Bonæ Literæ Studiaque item liberalia omnia cum passim egregie contemnerentur: ita ut non in infimo Pietatis Gradu constitisse censeretur, qui ab his alienissimum Animum haberet, his ipsis Temporibus Reliquiæ Studiosorum Vratislaviæ Precibus à me maximis petierunt, sibi ut meæ opitularetur Opera, Rudimentis Græcarum Literarum tradendis. Visi sunt mihi nequaquam iniqua petere; sed, quia dudum ei Professioni valedixeram, subdubitavi aliquandiu, quid facerem. Occurrebat etiam illud, Ridiculo me multis futurum, quod ego fere unus Literas adhuc fovendas ostenderem. Tandem tamen Studiosorum & justa potentium Voluntati obsequi, consultius est visum. Secutus itaque Ricardi CROCI, Præceptoris mei Rationem docendi Nominum & Verborum*

Declinationes Auditoribus excipiendas dictavi, sæpe interim ab aliorum Rationibus discedens. Quod sciens & prudens feci, docendi simul & discendi Facilitatem quærens. Ibidem post quædam: *Calumniabuntur, scio, nonnulli Institutum meum, indecorum Jurisperito, & in Foro quotidie versanti, & ad hæc levicula sese demittere, dictitantes. Id ego non magnifacio, qui sic Animum induxi meum, nihil indecorum esse, docere, quod didicisse, sit utile & honestum. Quam meam Sententiam complurибus bonis ante placuisse video, qui etiam Theologi Grammaticam tractavere. Neque enim Grammatices Præstantiam, quodque majus quiddam & plane augustius sit, quam vulgo, etiam ab his, qui suo Judicio valde sapiunt, putetur, ignoraverunt.*

V. Nimirum erat illis Temporibus omnis humaniorum Literarum Notitia plenior, præsertim Virtuti connexa, Possessoribus suis, etsi Dotes Honoresque nobiles jam adeptis, non tantum venerabilis, verum ad consequendas etiam sublimiores Dignitates conducibilis. Idque monstravit Exemplo suo METZLERUS, qui propter raram Disciplinarum mansuetiorum Intelligentiam, Ingeniorumque Liberalium Culturam Liberalem in Deliciis a Vratislaviensibus habebatur. Ab iis Anno 1532, Die Cinerum, qui XIV. Februarii erat, in Senatorium Ordinem ea Prærogativa recipiebatur, ut statim Consularibus adscriberetur, optimo Eventu. Has enim Muneris sui Partes sic agebat, ut Spem Collegarum Civiumque non impleret tantum, sed & superaret.

VI. Biennium transierat, cum inter Senatores supremus, Vratislaviensem, simul in Civitatem, simul in Ducatum acciperet Gubernaculum, utriusque Capitaneus, Anno 1534. Die 18. Februarii, creatus. Tum ampliorem illustrioremque Locum, & Proceribus, & Subditis bene consulendi nactus, Vratislaviensis Urbis Populo peculiarem in Modum salutaria solerter invenire, fortiter provehere, singulariter gaudebat. Omnia, cum Senatusconsulta, tum etiam Plebiscita justum in Corpus redigebat, emendabat, Collegis suis proponebat, ut Capita singula succisivis Horis ad Æquitatis Prudentiæq; Principia revocarent, &, quicquid Suffragiis pluribus comprobavissent, in Legem converterent. Hoc aliisque Modis patefaciebat, imperitis Experientiam formare Judicium multo rectius, tandem videntibus, exercitatissimum in Rebus Literariis Caput posse non tantum Juvenes in Schola feliciter, verum etiam in Curia Provinciaque fideliter docere Viros, quæ faciunt ad obtinendam conservandamque civilem Beatitudinem.

VII. Po-

VII. Postremis quatuor Annis Podagra sic fractum habebat Corpus, infracti Hospitium Animi, ut Ædes suas, nisi Lectica portatus, egredi non valeret. Hunc tamen in Pedibus Morbum, in Capite sanus Patientia mira perferre solitus, eo minoribus Molestiis obnoxius sentiebat, quo majoribus abundabat Fortunis. Hinc rogatus aliquando: *Si tuis Votis Optio Potestasque fiat, ut eligas, utrum malis: cum Paupertate Sanitatem, an cum Opulentia Podagram:* cum diu Rem in Animo secum volutavisset, ad extremum, ex Indigentia Curas deteriores suis ex Ægrimonia Doloribus se passurum ratus, confidenter Amicis respondebat: *Valetudine firma, sed egena tolerabilior mihi Podagra dives.*

VIII. Ex nobilissima Uxore Catharina suscepit quidem Anno 1517, Die Januarii VI. Filiam Catharinam, sed altero Die amisit: præterea Filium Modestinum, Anno 1528, Die Januarii IV: nescio, quamdiu superstitem. Filium e Liberis natu maximum habebat, quem & Chiliarchum, & Lacherium a Patre dictum reperimus. Huic, in quo decenter educando Spem Curamque ponebat singularem, Præceptores dabat Gymnasii Elisabetani Professores, Andream Winckelerum, Rectorem, & Hadrianum Albinum, Lusatum. Hoc (cum Gymnasticæ Professioni renunciavisset) Ephoro, magis magisque Studiis Juridicis præparandum mittebat Witebergam: postea in Italiam digressurum.

IX. Ille Chilianus, Patre vivo, an mortuo: apud Witebergenses, an Italos fuerit mortuus, incertum videri potest. Patre mortuo, in Italia mortuum credentibus persuasit Christophorus Neander in Oratione, qua dicto Hadriano Albino, J. U. D. Neomarchiæ Cancellario parentavit. *Johannes MECELERUS*, inquit, *U. J. D. Consularis Ordinis in Rep. ista* (Vratislaviensi) *Senior Collega, adjunxit ADRIANUM Filio suo unico, quem unice amabat.* Ibidem post quædam, cum Adrianum cum Meceleri Filio Witebergam venisse narravisset: *Cum in hac Academia aliquandiu vixisset, & a Latere Philippi aliorumque doctissimorum, quos ista Ætas tulit, Virorum nunquam discessisset: Animum tandem induxit, jubente & volente D. D. MECELERO, mutato Solo patrio Terras longinquas peragrare.* Iterum post quædam: *ADRIANUS Itineri se accinxit: & in Italiam, Regionem celebrem & copiosam, atque in eruditissimis Hominibus Studiisque Liberalibus adfluentem, profectus est: in eaque celeriter omnibus Ingenii Gloria antecellere cœpit. Sed dum in Discipulo expoliendo omnem Lapidem movet: moritur.*

tur is præter omnem Opinionem Æstu Febrique consumtus. Concidit Spes unica Parentis: Oleum & Opera, quod ajunt, periit. Quibus deinde subjicit, unde Matrem, non Patrem Chiliani, cum moreretur, superstitem fuisse colligas.

X. Contra, mortuo quidem Patre, (cujus Obitus in Annum 1538, Diem II. Octobris, incidit) non tamen in Italia, sed in Saxonia, cum adhuc Witebergæ subsisteret, Chilianum exstinctum indicat Philippus Melanchthon Lib. III. Epist. CXXVII. Anno 1539, Die 11. Julii apud Witebergenses ad Johannem Hessum, Theologum Vratislaviensem exarata: *Amisimus*, ait, *MEZELERI Filium, optimæ spei Puerum, sed admodum imbecilli Corpore, ut Eventus ostendit. Invaserat eum Morbus Ictericus: Medici adhibiti sunt, sine Periculo eum ægrotare judicarunt: sed subsecuta Colica & Epilepsia ita afflixit Corpus, ut paulo post Adolescens exstinctus sit. Scio, te & multos bonos Viros in magno Luctu fore. Mihi quoque magnum Dolorem affert hic Casus. Nam & propter Memoriam Patris, & propter ipsius Adolescentis Ingenium diligebam Adolescentem: meque studiose amabat, ac feliciter promovebat.* Ibidem post pauca: *Committo vobis Matrem, ut eam consolemini.*

XI. Hæc cum iis, quæ Chiliani de Morte Nicolaus Henelius, in Silesia Togata, Lib. III. Cap. VI. tradit, quemadmodum concilianda sint, non capere satis possum. Fortassis MStum nostrum non nihil eo Loco depravatum est: neque tanti est Lis, ut eidem diutius immoremur.

MORS.

XII. Ipse Chiliani Pater Johannes METZLERUS, cum se candidum Eruditionis Propagatorem, Virtutis Statorem satis ostendisset, Anno Christi 1538, secundo Mensis Octobris Die, finiebat Ætatem: quo hujus Anno, incertum: XXXIV, si credimus Johanni Henrico Cunrado in Togata Silesia. Ergo METZLERUS Anno 1504 natus, Anno 1519, quo jam Lipsiensis Græcarum Literarum Professor erat, quindecim fuit Annorum Ephebus: ut alia Silentio premamus, quæ Probabilitatis parum habent.

XIII. In Elisabetano Templo nactus est suum Conditorium, & in Tabula prope supremam Aram suspensa, cum Insignibus, quorum Clypeus Leonem partim album, partim nigrum continet, hoc Epitaphium:

CLA-

CLARISS. D. JOANNES METZLER. J.U.D. CONSULARIS ORDINIS IN HAC REP. SENIOR COLLEGA. VIR PRUDENS, FIDELIS ET IN UTRIUSQUE ORATIONIS FACULTATE, LATINÆ ET GRÆCÆ CELERIS DOCTISS. OBIIT ANNO DOMINI M. D. XXXVIII. D. II. OCTOBR.

SCRIPTA.

XIV. Operum, quæ composuit, Primum est, *Grammatica Græca.* Edita est Vratislaviæ, 1529, in 8. Haganoæ per Johannem Secerium, 1533, in 8. Editio utraque continet Johannis METZLERI ad Johannem Rullum & Andream Winckelerum in omnibus consimilem Præfationem, apud Vratislavienses scriptam: nisi quod eidem primum 1529, deinceps 1533, Annus est additus. Ipsa Grammatica porro edita est per Antonium Nigrum, Medicum Brunsvicensem, olim METZLERI Auditorem, locupletata, Francofurti ad Viadrum, Typographo Andrea Eichornio, 1554, in 8. Lipsiæ Typographo Johanne Rhamba, 1580, in 8. Ibidem, Abrahami Lambergit Typis, 1597, in 8. Vratislaviæ, sub Privilegii Cæsarei Prærogativa, in Georgii Baumanni Officina, 1598. in 8.

Secundum est, *Libellus Scholiorum ad Ciceronis Catonem*, id est, de Senectute Librum. Editus est Johannis Secerii Typis, Haganoæ, 1531, in 8.

Tertium est, *Interpretatio Latina Libri, quem Plutarchus de Liberorum Educatione scripsit.* Edita est Francofurti ad Viadrum, 1554, in 8.

Quartum est, *Interpretatio Latina Orationum Olynthiacarum*, quas Demosthenes scripsit. De quibus METZLERUS in Literis ad Philippum Melanchthonem apud Vratislavienses, Anno 1527 exaratis: *Illud, mi Philippe, mihi ægre est: quod Olynthiacas meas nullibi castigaris. Nequeo adduci, ut credam, in eis te nihil reperisse, quod Obelisco confodi debuerit.*

Quintum est, *Epistolarum ad diversos Libellus.* In quibus reperitur Vratislaviæ scripta (I.) Anno 1526, Die XXV. Octobris, ad Joachimum Camerarium, Professorem Norinbergensem. (II.) Eodem Anno, Die XXIII. Decembris, ad Philippum Melanchthonem. Ubi, nescio quis, perperam Vocibus: *Johannes Metzlerus:* adjecit, *Senator primarius.* Tum enim nondum Senator erat. (III.) Anno 1527. Die II. Aprilis, ad eundem. (IV.) Eodem Anno, Die XX. Augusti, ad Johannem

Crotum Italum, (V.) Sine Anno & Die, ad eundem. (VI.) Anno 1628. Die VII. Januarii, ad eundem. (VII.) Anno 1529, Die XV. Maji, ad eundem. (VIII.) Anno eodem, Die XVIII. Maji, ad Anonymum, Ferdinandi I. Hungarorum & Bohemorum Regis, Aulicum. (IX.) Anno 1530, Die XXVI. Julii, ad Julium Pflugium, Equitem Saxonem, tum Canonicum, postea Episcopum Naumburgensem. Hæ omnes editæ supersunt in Eobani Hessi Epistolarum Libro III, quem Joachimus Camerarius Typis Ernesti Vœgelini publicavit, Lipsiæ, 1561, in 8.

CAPUT LXXVIII.

Ad Annum M. D. XXXIX. Diem XXIV. Augusti.

JACOBUS SALZA,

Eques.

VITA.

I.

ANtiquæ magnæque Dignitatis Prosapia est SALZARUM: ex quibus Hermannus SALZA, cum Annus 1210 ageretur, Eques Hierosolymitanus, Ordinis Teutonici per Borussiam inter supremos Magistros quartus, primus Borussorum Paganorum ad Christum convertendorum Oppugnator, Anno 1240 decessit. Hujus Res gestas, & multas, & laudatissimas commemorant, Petrus Dusburgus in Prussiæ Chronico, Parte I. Cap. V. Caspar Schulzius in Rerum Prussicarum Historia, Parte I. ad Annum 1211. & 1240. Johannes Caspar Venator de S. Mariæ Hierosolymitanæ Teutonico Equestri Ordine, Lib. I. Cap. II.

II. Idem Hermannus SALZA, quemadmodum, præter Schulzium & Venatorem, Cyriacus Spangebergius in Nobilitatis Speculo, Parte I. Lib. XI. Cap. IV. narrat, fuit Eques Misnensis. Unde colligas, SALZAS vel Silesios Misnicis, vel Misnicos Silesiis debere suam Originem.

III. Noster SALZA fuit Ortu Silesius Eques, Patre Nicolao SALZA, intra Ducatum Lignicensem, Diœcesin Lubenensem, Schreibersdorfii Domino, e quinque Liberis postremus, Anno 1481, Augusto Mense natus. Ingenio Sapientiæ studiosissimo Juvenis Eloquentiam imprimis colebat: cui adjungebat Cæsarei Pontificiique Juris Scientiam: ob quam J. U. Doctor creabatur.

IV. Ad Res aulicas provinciales que tractandas jam satis erat habilis, cum se miris Modis LUDOVICO, Hungarorum & Bohemorum Regi probaret. Ab eo Glogovienſium Ducatui gubernando præfectus, strenuum, æquum, & prudentem Administratorem agebat. Hoc per aliquot Annos Regimine laudabiliter functus, abdicabat se, cum Ver Anni 1511 decurreret. Post illa, non tantum Politicarum, etiam Theologicarum Rerum peritissimus, renunciabatur Ecclesiæ Vratislaviensis inter Canonicos Scholasticus.

V. Anno 1519, LUDOVICI Regis Legatus, Ladislao Stenbergio adjunctus, in Francofurtanis Comitiis electum Imperatorem CAROLUM V. Eloquentia Eruditioneque sua non vulgariter afficiebat, præstitisque fideliter Officiis in Amorem sui peculiarem trahebat.

VI. Anno 1520, amittebat Fratrem suum Wigandum SALZAM, J. U. D. Vratislaviensium Ecclesiarum S. Johannis & S. Crucis Canonicum, Cantorem Glogoviensem. Ei ponebat in S. Crucis Æde Monumentum: quod Cap. LXI. §. 3. Lectoribus exhibuimus.

VII. Johannes TURZO, Episcopus Vratislaviensis, Anno 1520, Die Augusti II, vivis eximebatur. Tum Mitram Episcopalem duo expetebant Principes: JOACHIMUS, Silesiæ Dux Monsterbergensis, & ALBERTUS, Dux Cracoviensis Tutelaris, Marchio Brandenburgensis: cui Rex Ludovicus favebat. Canonici, quorum plerique Vratislavienses Ortu erant, Die II. Septembris, eligebant nostrum SALZAM. Eum cœteris, non Stemmatis, sed Eruditionis Gloria præferendum Anno 1521, Die VII. Julii, censebat LEO X. Romanus Pontifex. SALZA Die Julii VII, Vratislaviam, per Svidnicensem Portam cum Pompa ingressus, Friderico Lignicensium Duce, Georgio Marchione Brandenburgensi Comitibus in Cathedrale S. Johannis Templum traducebatur. Ita fiebat, ut concordibus Canonicorum Calculis electus SALZA, Episcopus Vratislaviensis à Suffraganeo Henrico Fulstenio, Die I. Septembris, solenniter consecraretur.

VIII. Anno 1527, à Silesiis pro LUDOVICI Hungarorum & Bohemorum Regis Successore, summum Ducem FERDINANDUM I. Austriacorum Archiducem, recepturis, neque pauca, & ardua desiderantibus, primus inter Legatos, GEORGIUM Marchionem Branden-

denburgicum, Ducem Carnovienſem, & FRIDERICUM, Ducem Lignicenſem mittebatur: Regique placebat Orator facundiſſimus, modeſtiſſimus Svaſor.

IX. Eodem 1527. Anno, Calendis Majis, FERDINANDUS I. Hungarorum & Bohemorum Rex, tanquam Sileſiorum Dux omnium ſupremus, Homagium à Sileſiis præſtituris auditurus, Breslam intrabat. Tum etiam Sileſiorum Orator SALZA noſter FERDINANDUM Alloquio pulcherrimo excipiebat. Qua Occaſione ſuum iterum Regi de Nota meliore commendabat Ingenium & Judicium.

X. Anno 1529. cum à Turcis Vienna obſideretur, Sileſii Patriam defenſuri, Provincias ſuas dividebant in Partes quatuor: ex quibus tertio Circulo, Terras Svidnicenſes, Franckenſteinenſes, Monſterbergenſes, Niſſenſes, Nimicenſes, Strelenſes complexo, præponebatur ſupremus Director.

XI. Poſt CAROLUM, Ducem Sileſiæ Monſterbergenſem Anno 1536, Die XXXI, mortuum, SALZA noſter à FERDINANDO I. Hungarorum & Bohemorum Rege ſupremus Sileſiorum conſtituebatur Capitaneus. Ita Perſonam ſimul Eccleſiaſticam, ſimul Civilem adeptus, utramque magna Prudentia, Dexteritate, Juſtitia, nunquam non agebat.

XII. Aulam Epiſcopalem Niſſenſem Anno 1525, cum apud LUDOVICUM, Hungarorum & Bohemorum Regem, intra Budenſem Pannoniæ Civitatem hæreret, funditus Igne conſumtam, prorſus novam Impendiis ſuis effecit. Inter FERDINANDI I. Hungarorum Bohemorumque Regis Filiam Eliſabetam, & SIGISMUNDUM AUGUSTUM, Polonorum Regem Conjugiale Pactum in Polonorum Urbe Poſonio, ſtabilivit.

XIII. Majores in ſuis Operibus Virtutes Sileſiis colendas exhibebat. Anno 1527, FERDINANDUS I. Bohemorum Rex, Sileſiorum Dux, Sileſiis præſens, maxime poſt Annum 1530, qui Pontificiorum Evangelicorumque Diſcrimen magnum in Comitiis Auguſtanis patefecerat, non futurus Controverſiarum Judex, quas Concilio Oecumenico dirimendas relinquebat, utrisque Sacrorum diſſidentium Aſſeclis Concordiam præceperat. Tum SALZA, per ſe manſuetus, Regi obſequioſus, Veritatis, Oppugnatores graviſſimos ſentientis, ſupra Clericorum Vulgus, intelligens Præſul, Proteſtantes Sileſios, præſertim Vratislavienſes, licet Incrementa ſemper ampliora ſumentes, ad quos aut tranſire doctos,

doctos, aut propendere dociles notabat, nunquam vel Inſidiis vel Opprobriis læderet: tantum aberat, ut ſævus opprimi juberet: in Animarum Certaminibus indecoram, imo impiam eſſe ratus adhibitæ Violentiæ, non Scientiæ Victoriam.

XIV. Sic autem, quò æquior & mitior, eo charior & honoratior Proteſtantibus, Odium ſuorum Adverſariorum, inhumana etiam, adeo non Chriſtiana Conſilia Irritamentaque ſuggerentinm, nihil formidabat: ſecretâ Conſcientiæ Fiducià, ſuam in dubiis tutiorem Lenitatem Deo Regique ſuo Pacis Amatoribus, placere contentus. Neque tamen Romanam Eccleſiam ideo deſerebat: cujus acerrimis perpetuisque Cultoribus, quicquid Libertatis, Poteſtatis, Exiſtimationis, Defenſionis, Poſſeſſionis tueri poterat, & juſta & conceſſa Regiminis ſui Lege conſervabat: cum cædere nefas eſt, cedere par eſſe, perſvaſiſſimus.

MORS.

XV. Primum Paralyſi, poſtea Febri ſuperatus, extremum Diem Auguſti XXIV, Morte conſumebat, Anno 1539, in Urbe Niſſa. Ibi omnium primus ex Epiſcopis in S. Jacobi Æde condebatur Calendis Septembribus: quo Die, Cathedram Epiſcopalem ante XIX Annos aſcenderat: marmoreoque Monumento deinde condecorabatur. Poſt Triennium etiam in Vratislavienſium S. Crucis Templo ad Imaginem conſecutus eſt hanc Inſcriptionem:

Reverendiſſ. olim Patris & Domini, Domini JACOBI de SALZA, Epiſcopi Wratislavienſis, Effigiem ad vivum expreſſam, pone Fraternum Monumentum Executores poſuere: ipſo Niſſæ ſepulto: M.D.XLII.

JACOBUS à SALTZA, Epiſcopus Vratislavienſis: Anno M.D.XXXIX. Ætatis LVIII.

Principis à SALTZA ſi Pectus, ut Ora JACOBI,
Artificis poſſet pingere docta Manus:
Ut nunc ſpectato nil cernis honeſtius Ore,
Cernere ſic poſſes Pectore nil melius.

CAPUT LXXIX.

Ad Annum M.D.XLII. Diem IX Januarii.

FRANCISCUS ZYGLERUS,

Javernicenſis.

VITA.

I.

PRimus obſcuro Stemmati ſuo ex Literis Claritudinem attraxit: quarum Auxilio, Virtutibus corroborato, & peritus, & ingenuus evaſit Juris-Conſultus. Inter Canonicos Vratislavienſes & Miſnenſes Scholaſticus & Decanus, non ſolum Collegarum favorem, ipſius etiam Epiſcopi Vratislavienſis Balthaſaris PROMNICII Gratiam peculiarem promeruit.

MORS.

II. Vir humaniſſimus, nihil humani à ſe alienum ratus, Anno 1542, Die IX. Januarii, ex humanis abibat. Exſtat in S. Johannis Cathedrali Vratislavienſium Templo geminum ad ipſius Memoriam Monumentum.

In ſepulcrali Saxo.

FRANCISCI ZYGLERI, Scholaſtici & Canonici hujus Ædis Depoſitum, ſub hoc Saxo univerſæ Carnis humanæ Reſurrectionem exſpectantis. BALTHASAR à PROMNITZ, Epiſcopus Wratislavienſis Amico individuo, Pietatis, Amicitiæ memor poni curavit. Obiit Anno M.D.XLII. IX. Januarii.

In Tabula ſuſpenſa.

Reverendo, Nobili Domino, FRANCISCO ZYGLERO à Javernitz, Juriſconſulto, Scholaſtico, Canonicoque Wratisl. & Miſnenſ. ad S. Crucis Eccleſiarum Decano, ut integerrimo, ita humaniſſimo, Executor, Amicitiæ ergo P.P. Obiit Anno M.D.XLII. IX. Januar.

CAP.

CAPUT LXXX.

Ad Annum M.D. XLII. Diem XII. Septembris.

PETRUS PROCKENDORFIUS,

Vratislavienſis.

VITA.

I.

JOhannes PROCKENDORFIUS, Familia priſca genitus, ob egregias Virtutes, Anno 1510, Senatoribus Breslicis adſcriptus, Conjugem duxerat ex Patricia Gente Catharinam Stœnichiam, Fœcunditate rara celebrem. Ex ea, præter Filias novem, ſuſceperat ſex Filios, Johannem, Dominicum, Matthæum, Petrum, Hieronymum, Sigismundum.

II. PETRUS Anno 1508 natus, Fratrem DOMINICUM imitatus, Cœlibatum inter Clericos quietum Conjugio inter Politicos negotioſo præferebat. Exoptato igitur Statui Animum præparaturus, in Patria Literis humanioribus pro Tempore ſatis exercitatus, in Lipſienſium Academia ſerioribus Scientiis applicabat Ingenium. Ob eas J.U. Doctor creatus, & Profeſſoribus adjunctus, Anno 1532, Rectorem Academicum agebat.

III. Breslam reverſus, inter Canonicos in duobus Templis S. Johannis & S. Crucis, Amicitiæ ſtudens, Pacis amans, ſe non patiebatur à Viris bonis ſeparari, quorum Religio quidem diverſa, ſed tamen Chriſtiana, reprobat, quod altera probat. Certè, ut Silentio cœteros tranſeam, inviolabilem conſervabat initam ſemel cum Johanne HESSO, qui Pontificius olim fuerat, Theologo Evangelico: quod ex utriusque familiaribus Epiſtolis etiamnum ſuperſtitibus patet.

MORS.

IV. Indolem Doctrinamque ſuam diutius laudabiliter patriis Terris oſtenſurus, Fato præmaturo impediebatur. Huic enim ſuccumbebat Anno Ætatis XXXIV, Chriſti 1542, Die XII. Septembris. Sepulcrum in S. Johannis Cathedrali Templo nactus eſt: ubi ſupereſt à Germanis Fratribus exſtructum Monumentum:

Eximii Petri PROCKENDORF. Conſulis olim Wratislavienſis, Filii, U. J. Doctoris Epitaphium:

Hoc tibi Defuncti Nomen & Stemma Sepulcrum,
Commonſtrat Lector: cætera pauca tene.
Doctor clarus erat, Lipſenſis Sceptra Paleſtræ
Nam tenuit: magnis fultus Amicitiis.
Quem, dum divinas meditatur ſcandere ad Aras,
Mors rapit, & Campos duxit in Elyſios.

Nobili, egregio, & undecunque inſigni Doctrina prædito Domino PETRO à PROCKENDORF. U. J. Doctori conſultiſſimo, hujus & S. Crucis Eccleſiarum Canonico, Fratres ipſi ex Germana Fide & Poſteris hoc imitandæ Virtutis Monumentum poſuerunt. Obiit in Pago hæreditario Schosnitz. Anno 1542. XII. Septembris. Anno Ætatis ſuæ XXXIV. Tu eum, pie Lector, Precibus juva.

SCRIPTA.

V. Supereſt *Epiſtolarum*, quas ad Johannem HESSUM, Theologum Vratislavienſem & alios exaravit, *Volumen* MStum.

CAPUT LXXXI.

Ad Annum M.D. XLV. Diem IV. Septembris.

JOHANNES THIELIUS,

Vratislavienſis.

VITA.

I.

HUmilis Ortu per Literas diligenter cultas, Succeſſu altus evaſit: non inuſitato Sæclis præſertim vetuſtioribus Exemplo, quibus pretia Rerum aliter ponderabantur: Hominum Virtute Sanguis, non Sanguine Virtus cenſebatur. Civis Lanionisque Filius, Anno 1485, natus, ſupra multos eruditus, ſemper unam Dignitatem experiebatur alterius Inſtrumentum.

II. Præ-

II. Præmonſtratenſis Ordinis Monachus, Cœnobii Zernovvaſenſis, in Oppolienſium Ducatu ad Malpondam Fluvium, Viadro vicinum Præpoſitus, Anno 1528 conſtituebatur Ordinis ejusdem Abbas XXIX, in Vratislavienſium Monaſterio Vincentino, quod tum extra Urbem Muris Ornamentisque ſuis Arx ſplendidiſſima videri poterat. Id, cum ingens Turcarum Exercitus, Anno 1529, Viennam obſideret, ne Vratislaviam oppugnaturis Hoſtibus in commodiſſimum Præſidium converteretur, è Fundamentis univerſum deſtruebatur. Quamobrem THIELIUS Abbatum Suburbanorum poſtremus, mox Urbanorum in S. Jacobi Monaſterio, quod Fratrum Ordinis Franciſcanorum erat, & S. Vincentii recipiebat Nomen, fiebat primus.

III. Præterea Nicopolitanus Epiſcopus, Vratislavienſis Suffraganeus, in utroque tum S. Johannis Cathedrali, tum S. Crucis collegiato Templo Canonicus, Strelenſis Monaſterii Præpoſitus, ſatis Honorum poſſidebat, quibus alios antecellebat.

MORS.

IV. Ætatem traduxit ad LX, Chriſti 1545 Annum, Septembris XXIV Diem: quô Gangræna periit, quinque Digitorum in dextero ſede Jacturam paſſus. In Monaſterii Vincentini Templo ſepultus duabus Inſcriptionibus eſt ibidem honoratus.

Prior eſt:

JOHANNES THIEL. D.G. Epiſcopus Nicopolitanus, Suffraganeus & Abbas vigeſimus nonus & ultimus electus Monaſterii D. Vincentii extra Urbem Vratislavienſem, Præpoſitus Strelenſis: admirandæ Vetuſtatis, quod horum Temporum Turbine nuper ex Fundamento demolitum eſt: in cujus Locum ſurrogati Cœnobii D. Vincentii, intra Mœnia Vratislaviæ primus Abbas confirmatus, Anno ſuſceptæ Curæ XV. Ætatis ſuæ LX. mortuus M.D.XLV.

Poſterior eſt:

Anno M.D.XLV. Die IV. Septembris, obiit Reverendus in Chriſto Pater D. JOHANNES THIEL. Suffraganeus Vratislavienſis, Abbas XXIX. Monaſterii S. Vincentii, Ordinis Præmonſtratenſis, & utriusque Eccleſiæ Canonicus.

SCRIPTA.

V. In Operibus, quæ consignavit, reliquit de *Monasterio* suo *Vincentino*, & Suburbano & Urbano *Latinam Narrationem.*

CAPUT LXXXII.

Ad Annum M. D. XLVI. Diem XVIII. Octobris.

JOHANNES FUHRENSCHILDIUS,

Nissensis.

VITA.

I.

ANon nullis Cognomento Germanico in Latinum mutato ÆGIFER dictus, in Patria prius, tandem in Academia Literis, potissimum Legibus cognoscendis addictus, ad suos J. U. Doctor revertebatur. Inter Canonicos Vratislavienses cum in S. Crucis collegiato, tum etiam in S. Johannis Cathedrali Templo, & in hoc quidem Cantor, Ætatem suam consumsit.

MORS.

II. Anno 1546. Die XVIII. Octobris implebat Vitæ Cursum. In Templo S. Johannis Cathedrali sepultus has est consecutus Inscriptiones:

Prior est:

JOHANNES FUHRENSCHILD. Nissensis, Juris Doctor, Cantor & Canonicus Ecclesiæ Wratislaviensis hoc condor Sarcophago. Pensum meum absolvi: Lampada aliis trado: Resurrectionem Judiciumque futurum exspecto. Obiit Anno M. D. XLVI. XVIII. Octobris.

Posterior est:

Epitaphium Domini D. FUHRENSCHILD. Cantoris hujus & ambarum Ecclesiarum Canonici. Obiit A. D. 1546. D. XVIII. Mensis Octobris. Orate Deum pro eo.

CAPUT

CAPUT LXXXIII.

Ad Annum M. D. XLVIII. Diem XV. Septembtis.

JOHANNES LANGERUS,

Bolckenhanensis.

VITA.

I.

ANno 1494, & 1495, Presbyterum Vratislaviensem agebat. Philosophiæ Magister in Lipsiensium Academia Professor: Anno 1515 Philosophici Collegii Decanus: Anno 1516, totius Academiæ Rector erat. A Pontificiis ad Evangelicos digressus, Anno circiter 1528 suscipiebat Ecclesiam in Franconia Coburgensem, & docendam & regendam, ut Pastor, Inspector, Præsul, qui Superintendens nominari solet.

II. Quo Ingenio, qua Doctrina fuerit, Johannes Trithemius, Abbas Spanheimensis, indicat in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, Cap. 926. & in illustrium Virorum Catalogo, Cap. 204: *Johannes LANGER de Bolckenhan, Presbyter Ecclesiæ Vratislaviensis, Vir in divinis Scripturis studiosus, & eruditus, & sæcularis Literaturæ non ignarus, Ingenio excellens, Sermone compositus, Metro exercitatus & Prosa.*

MORS.

III. Admodum Senex, miris Fatis passim agitatus, cum Ecclesiæ satisfeciisset, Naturæ satisfaciebat apud Coburgenses, Anno 1548 Die XV. Septembris.

SCRIPTA.

IV. Inter Opera, quæ composuit, Primum est, de *Censibus & Redemtionibus Liber:* cujus Initium: *Ingenti hodie premor:* ad Georgium Steinium, Steinaviæ Dominum, Svidnicensium in Ducatu Capitaneum scriptus, Anno 1489. Id quod ipse Chronodisticho, sed quo Literam D. inter reliquos Numerorum Indices non retulit:

CeLsa tenens RegnI VngarIæ ReX sCeptra MathIas
TunC Co(d)eX præsens spargitVr Arte foras.

Hujus Codicis Exemplar MStum Thorunio a Martino Opitio missum Nicolaus Henelius accepit.

Se-

Secundum est, *Epistolarum ad diversos exaratarum Liber.*
Tertium est, *Carminum variorum Liber.*

V. Dicitur etiam Fastorum in Pergameno artificialium, qui Computationes multiplices ad Annum 1834 continent, Anno 1500 elaboratorum Autor. De quibus agit Fridericus Lucæ in Silesiacorum Memorabilium Parte II. Cap. II. Num. III.

CAPUT LXXXIV.

Ad Annum M. D. L.

WOLFGANGUS BOCKIUS,

Eques.

VITA.

I.

EX antiquissima Equestri Familia, cui natalis fuit Hermansdorfia Domus, Alberti Filius, Sigismundi Frater, Indolem bonam secutus, non Generis Honore contentus, ad Eruditionis progrediebatur Gloriam. Hujus in Testimonium Academicum recipiebat Titulum, quo J. U. Doctores gaudere solent.

II. Jam Rebus etiam gerendis, non tantum capiendis aptus, FRIDERICO II. Silesiorum Lignicensi Duci receptus inter Consiliarios, tandem Cancellarius, rara simul & Peritia, & Eloquentia multum Laudis, plus Utilitatis attrahebat: ideo Silesiorum Pericles doctis vocatus.

III. Anno 1546, inter Silesios & Bohemos, parem sub uno Capite Societatem colentes, exoriebatur Dissidium. Silesiis Jus erat, non alium patiendi Præfectum Silesiæ supremum, nisi natum Silesium: non admittendi exterum, itaque nullum Bohemum. Id, præter alias Res, uno eodemque Privilegio comprehensas, Bohemi oppugnabant, quoddam in Silesios, Regibus Bohemorum non Bello subactos, sed Pacto addictos, Imperium affectare non veriti. Coram Bohemorum Rege FERDINANDO I. Causam Bohemorum agebat Philippus Gundelius Patavinus. Libertatem Silesiorum defendebat Wolfgangus BOCKIUS. Gundelius jam dudum præmeditato Sermone Bohemis patrocinaturus, Silesiis dominandi revera non justum Privilegium, sed magnum

gnum Desiderium esse, monstrabat. BOCKIUS extemporali Oratione, qua contrariorum Argumentorum Vim supprimebat, nervosa & diserta FERDINANDUM commovebat, ut Potestatem suam relinqueret inviolatam Silesiis.

IV. Præter alios, Testem habemus Franciscum Fabrum, in Notis ad Sabothum, in quo Bockium nostrum appellat Lycotragum, id est, Lupicaprum, Versu 232. *Anno 1546*, inquit, *præsente FERDINANDO Rege, Oratores olim Bohemiæ conati sunt Silesiæ Privilegium a Vladislao Rege Anno 1498 impetratum, in præcipuis summæ Jurisdictionis, Libertatemque Patriæ attinentibus Articulis convellere. Egit Bohemorum superbam Contentionem D. Philippus Gundelius Patavienſis, Oratione a multis Annis præmeditata. Silesiorum Partes tutatus est D. Wolfgangus BOCK, Eques, Ducis Lignicensis Cancellarius præter omnem Exspectationem ex Tempore, graviter & feliciter, subministrantibus Actioni & Defensioni Vratislaviensibus Argumenta & Privilegia.* Præterea Nicolaum Henelium in Silesiographia Renovata, Cap. X. §. 2. 3. & 4. & in Silesia Togata Lib. II. Cap. XIV. ubi nescio cujus Poëtæ profert hoc Carmen:

SLESIA Servitio quod nostra adserta pudendo,
Est, WOLFGANGE, tuum: facundo Flumine Linguæ
Dum Patriæ Causam supremaque Jura tueris:
Atque Ore intrepido Sermoni obsistis iniquo.
Nec tanti voluit BOIEMA Potentia, SLESUS
Imperio ut vellet ZECHI audivisse superbo.

MORS.

V. Hoc aliisque Modis de Patria universa non vulgariter meritus Vir, Anno 1550, quo Pestis multos exstinguebat, inter Conjugis & Liberorum Lacrumas, in medio Ætatis Flore discedebat.

CAPUT LXXXV.

Ad Annum M.D. L. Diem XII. Martii.

ANDREAS RUPERTUS,

Saganenſis.

VITA.

I.

IN Patria Literis applicatus Puer, reliquam conſecrabat Ætatem, Ingenio capiendis apto. Juvenis tam divinorum, quam humanorum intelligens, ducebatur Amore Sacrorum, quæ cum Cœlibatu Quietem, in Negotiis Otia Cultoribus afferunt. Hunc vitæ Scopum in Patriæ Monaſterio aſſequebatur, quod eſt Ordinis Canonicorum Regularium Auguſtinianorum, Anno 1217, apud Naumburgenſes, Boberi Amnis Accolas, ab HENRICO Barbato, Sileſiorum Duce, conditum: deinceps ad Saganenſes translatum.

II. In eo diu commoratus Canonicus, poſt Abbatem Simonem PEZOLDUM, Anno 1544, vivis exemtum, ad conſpectiorem Dignitatem aſſurgebat. Tum Saganenſium Ducatus, MAURITIO Saxonum Duci erat ſubjectus: qui Saganenſibus Evangelicis præſens Anno 1540 liberum Religionis Exercitium jam olim permiſſum confirmaverat: ex quo Templum Saganenſe, quod Canonicorum antea fuerat, poſſidentes, Pontificiis prævaluerant. Quamobrem Canonici, varias ſub Anguſtias redacti, Abbatem ſibi præficere non ſuſtinentes, Gubernacula ſui Monaſterii ſub Prioris Nomine, committebant RUPERTO, quem & Eruditionis Copia, & Dominationis Prudentia fecerat ſuis Fratribus commendabilem.

III. Anno 1549. Saganenſis Ducatus ex Poteſtate Saxonica ſub Auſtriacum Imperium redibat. Ideo FERDINANDUS I. Bohemorum Rex, Sileſiorum Dux, Legatos Saganum mittebat, Homagium Civium ſolenniter aduturos, Statumque Civitatis aliter diſpoſituros. Ab his præter alia, RUPERTUS Saganenſes Evangelicos, Oppido, incer-

incertum, an Ducatu etiam eliminari cupiebat. Id vero Legati præſtare nolebant, ſeu veriti, ſeu cauſati, metuendum, ne Populus ſub Rege pio, Clementiæ ſtudioſiſſimo, primis Præceptis exacerbatus, novo Regimini & Dedecus & Damnum attraheret.

IV. In Solatium tamen Canonici a Regiis Saganenſium Rerum Curatoribus obtinebant Jus conſtituendi Abbatem: cujus Potentia donabant RUPERTUM, præterito Quinquennio Priorem. Huic Electioni, quam Die Septembris XXIV. Canonici peregerant, ſubſcribebat, & FERDINANDUS Bohemorum Rex, & Balthaſar PROMNICIUS, Vratislavienſium Epiſcopus. RUPERTUS aliquandiu quietus, mox importunus Stimulator FERDINANDI & PROMNICII Mandatum impetrabat, quo Saganenſium Capitaneus Fabianus SCHOENAICHIUS, Templum Parochiale Proteſtantibus Saganenſibus eripere, prioribus Poſſeſſoribus reſtituere jubebatur. At ille Fidei, cujus Aſſeclas perſequi debebat, ipſe Confeſſor, imperatam Rem Oblivione voluntaria conterebat.

V. Poſt illa FERDINANDUS Rex jam multo pleniorem Controverſiarum inter Pontificios & Evangelicos Notitiam conſecutus, ambiguum eſt, illis, an his propenſior, iterum iterumque parem utrisque Concordiam præcipiebat. Hinc Saganenſes Evangelici, a Pontificiis ejiciendi, confidentiores, a FERDINANDO expetebant, ut in ſolidius Pacis Stabilimentum, RUPERTO Priori, magis magisque Canonicis deficientibus, non niſi quatuor reſiduos habenti, Abitum in Urbem Naumburgenſem vicinam, unde Canonicorum Ordo ille Saganum pervenerat, præſcriberet, Domicilium Canonicorum Saganenſium vetus occupaturo.

VI. Hoc majoris Momenti Negotium FERDINANDUS Rex Filio ſuo FERDINANDO, Bohemorum Præfecto expediendum committebat. Is vero etiam Moræ Cauſas juſtas prævidens, Judicii ſui Sententiam differebat, quam acceleraturus Canonicorum Votis credebatur.

MORS.

VII. RUPERTUS partim Senio, partim adeo diuturnis Ærumnis, quales Timor & Spes inter se colluctari gaudentes, excitare consveverunt, fractus, Anno 1550, Die Martii XII, exspirabat.

SCRIPTA.

VIII. Inter Acta, quæ consignavit, nescimus, an superstit adhuc *De Monasterii Saganensis Juribus*, adversus novos Hæreticos *Commentarius:* cujus in non nullis Chronicis MStis Mentio fit.



SILE-

SILESIORUM INDIGENARUM ERUDITORUM *INDEX I. PRÆNOMINUM.*

A.

Alexius Thymius, Freystadiensis. Cap. 32.
Ambrosius Jencovicius, Eques. Cap. 60.
Andreas Hofmannus, Crosnensis. Cap. 71.
Andreas Rupertus, Saganensis. Cap. 85.
Andreas Treiberus, Leobergensis. Cap. 73.

B.

Bathasar Necherus, Eques Saganensis. Cap. 75.
Bartholomæus Mariensis, Patscoviensis. Cap. 50.
Bartholomæus Scheuerlinus, Vratislaviensis. Cap. 47.
Benedictus Hegenwaldus, Boleslaviensis. Cap. 34.

C.

Caspar Rohravius, Eques. Cap. 11.
Caspar Ursinus Velius, Suidnicensis. Cap. 76.
Caspar Weigelius, Bregensis. Cap. 31.
Ceslaus Odrovasius, Steinensis. Cap. 5.
Christophorus Thymius, Freystadiensis. Cap. 46.
Conradus, Dux Olsnensis. Cap. 27.

F.

Franciscus Praudita, Eques. Cap. 3.
Franciscus Reusnerus, Leobergensis. Cap. 68.
Franciscus Zyglerus, Jauernicensis. Cap. 79.

G.

Georgius Helmricus, Aurimontanus. Cap. 74.
Georgius Langenickelius, Aurimontanus. Cap. 69.
Georgius Novagus, Eques. Cap. 44.
Georgius Sauromannus, Eques Vratislavienſis. Cap. 66.
Georgius Wirthius, Leobergenſis. Cap. 65.
Georgius Morenbergerus, Vratislavienſis. Cap. 59.

H.

Henricus Craſſus Dux, Vratislavienſis. Cap. 9.
Henricus Dux Lignicenſis. Cap. 19.
Henricus Thymius Freyſtadienſis. Cap. 23.
Henricus Thymius Freyſtadienſis. Cap. 40.
Henricus Wirbenus, Comes. Cap. 12.
Hieronymus Scultetus, Glogovienſis. Cap. 64.
Hyacinthus Odrovaſius, Cantienſis. Cap. 6.

I.

Jacobus Salza, Eques Lignicenſis. Cap. 78.
Jaroslaus, Dux Vratislavienſis. Cap. 4.
Johannes Boeckenſchlöerus, Vratislavienſis. Cap. 42.
Johannes Braſiator, Francoſteinenſis. Cap. 26.
Johannes Cantius, Cantienſis. Cap. 35.
Johannes Cropidlo, Dux Oppolienſis. Cap. 22.
Johannes Elgothus, Eques Namslavienſis. Cap. 29.
Johannes Fuhrenſchildius, Niſſenſis, Cap. 82.
Johannes Glogovienſis, Glogovienſis. Cap. 54.
Johannes Hermannus, Lignicenſis. Cap. 10.
Johannes Hofmannus, Suidnicenſis. Cap. 28.
Johannes Langerus, Bolckenhanenſis. Cap. 83.
Johannes Maſchko, Sprottavienſis. Cap. 25.
Johannes Metzlerus, Vratislavienſis. Cap. 77.
Johannes Muſcata, Eques Vratislavienſis. Cap. 13.
Johannes Otto, Monſterbergenſis. Cap. 20.
Johannes Reimbabius, Eques. Cap. 48.

Johannes Sauromannus, Vratislavienſis. Cap. 55.
Johannes Schadlandus, Bregenſis. Cap. 17.
Johannes Scheuerlinus, Vratislavienſis. Cap. 57.
Johannes Schoberus, Lignicenſis. Cap. 45.
Johannes Schwenckfeldius, Eques Svidnicenſis. Cap. 16.
Johannes Thielius, Vratislavienſis. Cap. 81.

L.

Laurentius Corvinus, Noviforenſis. Cap. 67.
Lucas Eiſenreichius, Vratislavienſis. Cap. 53.

M.

Martinus Lindenerus, Lesnicenſis. Cap. 39.
Martinus Strepus Polonus, Troppavienſis. Cap. 8.
Matthæus Dameravius, Vratislavienſis. Cap. 60.
Michael Niſſenſis, Niſſenſis. Cap. 41.
Michael Vratislavienſis, Vratislavienſis. Cap. 70.

N.

Nankerus Oxius, Eques Oppolienſis. Cap. 15.
Nicolaus Haugwicius, Eques, Cap. 56.
Nicolaus Kreulius, Wartenbergenſis. Cap. 43.
Nicolaus Kribelius, Vratislavienſis. Cap. 52.
Nicolaus Tauchmannus, Niſſenſis. Cap. 49.
Nicolaus Weigelius, Bregenſis. Cap. 24.
Nicolaus Zehlerus, Vratislavienſis. Cap. 58.

P.

Petrus Jencoviccius, Eques. Cap. 63.
Petrus Novacus, Niſſenſis. Cap. 30.
Petrus Prockendorfius, Eques Lignicenſis. Cap. 80.
Petrus Wirthius, Leobergenſis. Cap. 62.
Precislaus Pogarella, Eques Monſterbergenſis. Cap. 18.
Primislaus, Dux Oppavienſis. Cap. 37.

S.

Sebaldus Huberus, Vratislavienſis. Cap. 51.
Stanislaus Saurus, Leobergenſis. Cap. 72.

T.

Theodoricus Burgsdorfius, Eques. Cap. 33.
Theophilus Bergmannus, Glogovienſis. Cap. 38.

V.

Vitus Habdanckius, Eques. Cap. 14.
Vladislaus, Dux Vratislavienſis. Cap. 7.

W.

Wenceslaus, Dux Lignicenſis. Cap. 21.
Wigandus Salza, Eques. Cap. 61.
Wolfgangus Bockius, Eques. Cap. 84.

SILESIORUM INDIGENARUM ERUDITORUM *INDEX II. COGNOMINUM.*

B.

Theophilus *Bergmannus*, Glogovienſis. Cap. 38.
Wolfgangus *Bockius*, Eques Cap. 84.
Johannes *Bœckenſchloerus*, Vratislavienſis. Cap. 42.
Johannes *Braſiator*, Francoſteinenſis. Cap. 26.
Theodoricus *Burgsdorfius*, Eques. Cap. 33.

C.

Joh. *Cantius*, Cantienſis. Cap. 35.
Conrandus, Dux Olsnenſis. Cap. 27.
Laurentius *Corvinus*, Noviforenſis. Cap. 67.
Johannes *Cropidlo*, Dux Oppolienſis. Cap. 22.

D.

Matthæus *Damravius*, Vratislavienſis. Cap. 60.

E.

Lucas *Eiſenreichius*, Vratislavienſis. Cap. 53.
Johannes *Elgothus*, Eques Namslavienſis. Cap. 29.

F.

Johannes *Fuhrenſchildius*, Niſſenſis. Cap. 82.

G.

Johannes *Glogovienſis*, Glogovienſis. Cap. 54.

H.

Vitus *Habdanckius*, Eques. Cap. 14.
Nicolaus *Haugwicius*, Eques. Cap. 56.
Benedictus *Hegenwaldus*, Boleslavienſis. Cap. 34.
Georgius *Helmricus*, Aurimontanus, Cap. 74.

Henricus Craſſus, Dux Vratislavienſis. Cap. 9.
Henricus, Dux Lignicenſis. Cap. 19.
Johannes *Hermannus*, Lignicenſis. Cap. 10.
Andreas *Hofmannus*, Crosnenſis. Cap. 71.
Johannes *Hofmannus*, Svidnicenſis. Cap. 28.
Sebaldus *Huberus*, Vratislavienſis. Cap. 51.

I.

Jaroslaus, Dux Vratislavienſis. Cap. 4.
Ambroſius *Jencovicius*, Eques. Cap. 60.
Petrus *Jencovicius*, Eques. Cap. 63.

K.

Nicolaus *Krenlius*, Wartenbergenſis. Cap. 43.
Nicolaus *Kribelius*, Vratislavienſis. Cap. 52.

L.

Georgius *Langenickelius*, Aurimontanus. Cap. 69.
Johannes *Langerus*, Bolckenhanenſis, Cap. 83.
Martinus *Lindenerus*, Lesnicenſis. Cap. 39.

M.

Bartholomæus *Marienſis*, Patſcovienſis. Cap. 50.
Johannes *Maſchko*, Sprottavienſis. Cap. 25.
Johannes *Metzlerus*, Vratislavienſis. Cap. 77.
Georgius *Morenbergerus*, Vratislavienſis. Cap. 59.
Johannes *Muſcata*, Eques Vratislavienſis. Cap. 13.

N.

Balthaſar *Necherus*, Eques Saganenſis, Cap. 75.
Michael *Niſſenſis*, Niſſenſis. Cap. 41.
Petrus *Novacus*, Niſſenſis. Cap. 30.
Georgius *Nonagus*, Eques. Cap. 44.

O.

Ceslaus *Odrovaſius*, Steinovienſis. Cap. 5.
Hyacinthus *Odrovaſius*, Cantienſis. Cap. 6.

Johannes *Otto*, Monſterbergenſis. Cap. 20.
Nancerus *Oxius*, Eques Oppolienſis. Cap. 15.

P.

Precislaus *Pogarella*, Eques Monſterbergenſis. Cap. 18.
Martinus Strepus *Polonus*, Troppavienſis. Cap. 8.
Franciſcus *Praudita*, Eques, Cap. 3.
Primislaus, Dux Oppavienſis. Cap. 37.
Petrus *Prockendorfius*, Eques Lignicenſis. Cap. 80.

R.

Johannes *Reimbabius*, Eques. Cap. 48.
Franciſcus *Reusnerus*, Leobergenſis. Cap. 68.
Caſpar *Rohravius*, Eques. Cap. 11.
Andreas *Rupertus*, Saganenſis. Cap. 85.

S.

Jacobus *Salza*, Eques Lignicenſis. Cap. 78.
Wigandus *Salza*, Eques. Cap. 61.
Georgius *Sauromannus*, Eques Vratislavienſis. Cap. 66.
Johannes *Sauromannus*, Vratislavienſis. Cap. 55.
Stanislaus *Saurus*, Leobergenſis. Cap. 72.
Joh. *Schadlandus*, Bregenſis. Cap. 17.
Bartholomæus *Scheuerlinus*, Vratislavienſis. Cap. 47.
Johannes *Scheuerlinus*, Vratislavienſis. Cap. 57.
Johannes *Schoberus*, Lignicenſis. Cap. 45.
Johannes *Schwenckfeldius*, Eques Svidnicenſis. Cap. 16.
Hieronymus *Scultetus*, Glogovienſis. Cap. 64.
Martinus *Strepus* Polonus, Troppavienſis. Cap. 7.

T.

Nicolaus *Tauchmannus*, Niſſenſis. Cap. 49.
Johannes *Thielius*, Vratislavienſis. Cap. 81.
Alexius *Thymius*, Freyſtadienſis. Cap. 32.
Chriſtophorus *Thymius*, Freyſtadienſis. Cap. 46.
Henricus *Thymius*, Freyſtadienſis. Cap. 23.

Henricus *Thymius*, Freyſtadienſis. Cap. 40.
Andreas *Treiberus*, Leobergenſis. Cap. 73.

V.

Caſpar Urſinus *Velius*, Suidnicenſis. Cap. 76.
Vladislaus, Dux Vratislavienſis. Cap. 7.
Michael *Vratislavienſis*, Vratislavienſis. Cap. 70.

W.

Caſpar *Weigelius*, Bregenſis. Cap. 31.
Nicolaus *Weigelius*, Bregenſis. Cap. 24.
Wenceslaus, Dux Lignicenſis. Cap. 21.
Henricus *Wirbenus*, Comes. Cap. 12.
Georgius *Wirthius*, Leobergenſis. Cap. 65.
Petrus *Wirthius*, Leobergenſis. Cap. 62.

Z.

Nicolaus *Zehlerus*, Vratislavienſis. Cap. 58.
Franciſcus *Zyglerus*, Jauernicenſis. Cap. 79.

SILESIORUM INDIGENARUM ERUDITORUM *INDEX III. PATRIARUM.*

AURIMONTANI.

GEorgius *Helmricus*, patriæ ſcholæ Rector, Curiæ Conſul. Cap. 74.
Georgius *Langenickelius*, Philoſophiæ Magiſter, Eccleſiæ Cervimontanæ Paſtor. Cap. 69.

BOLCKENHANENSIS.

Johannes *Langerus*, Philoſophiæ Magiſter, Lipſienſis Profeſſor: Coburgenſis Eccleſiæ Paſtor, Inſpector, Superintendens. Cap. 83.

BOLESLAVIENSES.

Benedictus *Hegenvvaldus*, Canonicus Vratislavienſis Vicarius. Cap. 34.

Franciſcus, *Reusnerus*, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor, Suidnicenſis Parochus, Vratislavienſis Canonicus, Epiſcopalis Officialis & Vicarius in Spiritualibus generalis. Cap. 68.

Stanislaus *Saurus*, Decretorum Doctor, Canonicus Vratislavienſis. Cap. 72.

BREGENSES.

Johannes *Schadlandus*, Theologiæ Magiſter, Prædicatorum Ordinis Monachus, Hæreticorum Inquiſitor, Epiſcopus Culmenſis, Hildesheimenſis, Wormatienſis, Auguſtanus. Cap. 17.

Caſpar *Weigelius*, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor, Lipſienſis Profeſſor, Vratislavienſis Cathedralis Templi Archidiaconus. Cap. 31.

Nicolaus *Weigelius*, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor Lipſienſis Profeſſor, Canonicus Vratislavienſis & Lignicenſis, Epiſcoporum Martisburgenſis & Miſnenſis, Academiæque Lipſienſis in Baſileenſi Concilio Legatus. Cap. 24.

CANTIENSES.

Johannes *Cantius*, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor, utriusque Profeſſor Cracovienſis. Cap. 35.

Hyacinthus *Odrovaſius*, Canonicus Cracovienſis, Prædicatorum Ordinis Monachus, per Poloniam Provincialis. Cap. 6.

CROSNENSIS.

Andreas *Hofmannus*, Philoſophiæ Magiſter, Ciſtertienſis Monaſterii Leubuſienſis, intra Sileſiæ Wolavienſem Ducatum, ad Viadrum, Abbas. Cap. 71.

FRANCOSTEINENSIS.

Johannes *Brasiator*, Ordinis Prædicatorum Monachus, in Vratislavienſium S. Adalberti Monaſterio Vicarius & Reformator, Hæreticorum per Diœceſin Vratislavienſem Inquiſitor, Poloniæ Prior Provincialis. Cap. 26.

FREYSTADIENSES.

Alexius *Thymius*, Philoſophiæ Magiſter, Medicinæ Baccalaureus. Cap. 32.

Chriſtophorus *Thymius*, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor, Lipſienſis Profeſſor, Freyſtadienſis Parochus, Ziticenſis Canonicus. Cap. 46.

Henricus *Thymius*, Philoſophiæ Magiſter. Cap. 23.

Henricus *Thymius*, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Baccalaureus, Profeſſor Lipſienſis, Canonicus Lignicenſis. Cap. 40.

GLOGOVIENSES.

Theophilus *Bergmannus*, Saganenſium Ducis Conſiliarus, Cap. 38.

Johannes *Glogovienſis*, Philoſophiæ Magiſter, Cracovienſis Profeſſor & Canonicus. Cap. 54.

Hieronymus *Scultetus*, Theologiæ Doctor, Cotbuſienſis Eccleſiæ Paſtor, Epiſcopus Brandenburgicus & Havelbergenſis. Cap. 64.

JAUERNICENSIS.

Franciſcus *Zyglerus*, Vratislavienſis Canonicus, Scholaſticus Decanus. Cap. 79.

LEOBERGENSES.

Franciſcus *Reuſnerus*, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor, Suidnicenſis Parochus, Vratislavienſis Canonicus, Epiſcopalis Officialis & Vicarius in Spiritualibus generalis. Cap. 68.

Stanislaus *Saurus*, Decretorum Doctor, Canonicus Vratislavienſis. Cap. 72.

Andreas *Treiberus*, Aurimontanæ Scholæ Magiſter. Cap. 73.

Georgius *Wirthius*, Philoſophiæ Magiſter, Medicinæ Doctor, Ludovici,

dovici, Hungarorum & Bohemorum Regis, Archiater, Budiſſinenſium Eccleſiæ Decanus. Cap. 65.

Petrus *Wirthius*, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor, Lipſienſis Profeſſor. Cap. 62.

LESNICENSIS.

Martinus *Lindenerus*, Juris Canonici Doctor, Vratislavienſis Canonicus Archidiaconus. Cap. 39.

LIGNICENSES.

Henricus Dux, Canonicus Vratislavienſis, Epiſcopus Vladislavienſis. Cap. 19.

Johannes *Hermannus*, Juris Canonici Doctor, Canonicus Vratislavienſis. Cap. 10.

Petrus *Prockendorfius*, Eques, Juris utriusque Doctor, Profeſſor Lipſienſis, Canonicus Vratislavienſis. Cap. 80.

Jacobus *Salza*, Eques, J. U. D. in Glogovienſium Ducatu Capitaneus, Vratislavienſis Canonicus, Epiſcopus: Sileſiæ ſupremus Præfectus. Cap. 78.

Johannes *Schoberus*, Juris Canonici Doctor, Canonicus Vratislavienſis. Cap. 45.

Wenceslaus Dux, Epiſcopus Sileſiorum Lebuſienſis, poſtea Vratislavienſis. Cap. 21.

MONSTERBERGENSES.

Johannes *Otto*, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor, Academiarum Pragenſis & Lipſienſis Profeſſor, Procancellarius, Canonicus Miſnenſis, Collegii B. Virginis Mariæ Conditor. Cap. 20.

Precislaus *Pogarella*, Eques, Vratislavienſium Canonicus, Epiſcopus: Imp. Caroli IV. Bohemorum Regis Cancellarius Aulicus: Gerlaci, Principis Electoris, Archiepiſcopi Moguntini per Germaniam Archicancellarii Vicarius, Dux Grotkovienſis. Cap. 18.

NAMSLAVIENSIS.

Johannes *Elgothus*, Eques, Juris Canonici Doctor, Canonicus Cracovienſis. Cap. 29.

NISSENSES.

Johannes *Fuhrenſchildius*, Juris utriusque Doctor, Canonicus Vratislavienſis. Cap. 82.

Michael

Michael *Niſſenſis*, Monaſterii Glacenſis Auguſtiniani Præpoſitus. Cap. 41.

Petrus *Novacus*, Juris Canonici Doctor, Vratislavienſis Canonicus, poſtea Epiſcopus. Cap. 30.

Nicolaus *Tauchmannus*, Philoſophiæ Magiſter, Canonicus Vratislavienſis. Cap. 49.

NOVIFORENSIS.

Laurentius *Corvinus*, Philoſophiæ Magiſter, Cracovienſis Academiæ Profeſſor, Thorunienſis Curiæ Notarius, Reip. Vratislavienſis Secretarius. Cap. 67.

OLSNENSIS.

Conradus, Dux, Epiſcopus Vratislavienſis. Cap. 27.

OPPOLIENSES.

Johannes *Cropidlo*, Dux, Scepuſienſis Præpoſitus, Epiſcopus Posnanienſis, poſtea Vladislavienſis. Cap. 22.

Nankerus *Oxius*, Eques, Cracovienſis Canonicus, Decanus, Epiſcopus: poſtea Epiſcopus Vratislavienſis. Cap. 15.

PATSCOVIENSIS.

Bartholomæus *Marienſis*, Aſtronomus, Medicus, Canonicus Vratislavienſis. Cap. 50.

SAGANENSES.

Balthaſar *Necherus*, Eques, Juris utriusque Doctor, Canonicus Vratislavienſis. Cap. 75.

Andreas *Rupertus*, Canonicorum Regularium Auguſtinianorum Saganenſium Prior, tandem Abbas. Cap. 85.

SPROTTAVIENSIS.

Johannes *Maſchko*, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Baccalaureus, in Lipſienſium B. Virginis Mariæ Collegio Collega. Cap. 25.

STEINOVIENSIS.

Ceslaus *Odrovaſius*, Canonicus Cracovienſis, Ordinis Prædicatorum Monaſterii Vratislavienſis Adalbertini Prior: per Bohemiam, Sileſiam, Moraviam Provincialis. Cap. 5.

SUIDNICENSES.

Johannes *Hofmannus*, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor, Academiæ prius Pragenſis, deinde Lipſienſis Profeſſor, Miſnenſis Canonicus, tandem Epiſcopus, Concilii Conſtantienſis Aſſeſſor. Cap. 28.

Johannes

Johannes *Schwenckfeldius*, Eques, Theologiæ Magiſter, Ordinis Prædicatorum Monachus, Hæreticorum Inquiſitor. Cap. 16.

Caſpar Urſinus *Velius*, Juris utriusque Doctor, Ferdinandi I. Hungarorum & Bohemorum Regis, Orator, Hiſtoricus, & Filii Maximiliani II. Præceptor. Cap. 76.

TROPPAVIENSES.

Martinus Strepus *Polonus*, Ordinis Prædicatorum Monachus, Pontificis Romani Pœnitentiarius & Cappellanus, tandem Archiepiſcopus Gnesnenſis. Cap. 8.

Primislaus Dux, Canonicus Vratislavienſis. Cap. 37.

VRATISLAVIENSES.

Johannes *Bœckenſchloërus*, Præpoſitus Quinqueccleſienſis: Epiſcopus Agrienſis, Varadinenſis, Viennenſis: Archiepiſcopus Strigonienſis, Salisburgenſis. Cap. 42.

Matthæus *Dameravius*, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor, utriusque Profeſſor Lipſienſis. Cap. 60.

Lucas *Eiſenreichius*, Patriæ Senator, Vratislavienſium Ducatui præpoſitus Capitaneus. Cap. 53.

Henricus Craſſus, Dux. Cap. 9.

Sebaldus *Huberus*, Medicinæ Doctor, Patriæ Poliater. Cap. 51.

Jaroslaus Dux, Vratislavienſium Canonicus, tandem Epiſcopus. Cap. 4.

Nicolaus *Kribelius*, Philoſophiæ Magiſter, Canonicus Vratislavienſis. Cap. 52.

Johannes *Metzlerus*, Juris utriusque Doctor, Profeſſor Lipſienſis, Vratislavienſium Senator, & Ducatui Præfectus Capitaneus. Cap. 77.

Gregorius *Morenbergerus*, Philoſophiæ Magiſter, JCtus, patriæ Civitatis Secretarius. Cap. 59.

Johannes *Muſcata*, Eques, Philoſophiæ Doctor, Archidiaconus Lancicienſis, Epiſcopus Cracovienſis. Cap. 13.

Georgius *Sauromannus*, Eques, Juris utriusque Doctor, Imp. Caroli V. apud Romanos Pontifices Orator & Procurator: Vratislavienſium Eccleſiarum Præpoſitus & Decanus. Cap. 66.

Johannes *Sauromannus*, Eccleſiæ patriæ Cathedralis Canonicus, Hirſchbergenſis Plebanus. Cap. 55.

Bartholomæus *Scheuerlinus*, Patriæ Canonicus. Cap. 47.

Johannes *Scheuerlinus*, Juris utriusque Doctor, Canonicus Augustanus, Tridentinus, Vratislaviensis, Lignicensis: Archidiaconus Glogoviensis: Episcopalis Vratislaviensis Officialis & Vicarius in Spiritualibus Generalis. Cap. 57.

Johannes *Thielius*, Ordinis Præmonstratensis Monachus, Cœnobii Zarnowasensis Præpositus, Vratislaviensis Monasterii Vincentini Abbas, Nicopolitanus Episcopus, Vratislaviensis Suffraganeus: Strelensis Præpositus. Cap. 81.

Vladislaus, Dux, Præpositus Pragensis Weissengradensis, electus Episcopus Passaviensis, Archiepiscopus Salisburgensis. Cap. 7.

Michael *Vratislaviensis*, Philosophiæ Magister, Theologiæ Doctor, Cracoviensis Collegiatus, Decanus, Professor. Cap. 70.

Nicolaus *Zeblerus*, Philosophiæ Magister, Theologiæ Baccalaureus, Professor Lipsiensis. Cap. 58.

WARTENBERGENSIS.

Nicolaus *Kreulius*, Æneæ Sylvii Cardinalis (postea Pii II. Pontificis Romani) Capellanus: Francisci Picolominei (postea Pii III. P. R.) Præceptor: Canonicus Vratislaviensis. Cap. 43.



SILE-

SILESIORUM INDIGENARUM ERUDITORUM *INDEX IV. TEMPORUM.*

Mortem obierunt

SÆCULO XII.

Anno 1198.

FRanciscus PRAUDITA, Eques, Boleslai Proceri, Silesiorum Vratislaviensis Ducis Cancellarius, Ecclesiarum Episcopus. cap. 3.

SÆCULO XIII.

Anno 1201. Die 22. Januarii.

JAROSLAUS, Vratislaviensium Dux, Canonicus, Episcopus. cap. 4.

Anno 1241.

Ceslaus ODROVASIUS, Steinoviensis, Canonicus Cracoviensis, Ordinis Dominicanorum [qui Prædicatorum etiam dicitur] Monachus, Monasterii Vratislaviensis Adalbertini Prior, per Bohemiam, Silesiam, Moraviam inter Provinciales Secundus. cap. 5.

Anno 1257. Die 16. Augusti.

Hyacinthus ODROVASIUS, Cantienſis, Canonicus Cracovienſis, Ordinis Prædicatorum Monachus, per Poloniam Provincialis. cap. 6.

Anno 1270. Die 24. Aprilis.

VLADISLAUS, Vratislaviensium Dux, Præpositus Pragensis Weissengradensis, electus Episcopus Passaviensis, Archiepiscopus Salisburgensis. cap. 7.

Anno 1281.

Martinus STREPUS, Cognomine vulgari POLONUS, Troppaviensis, Ordinis Prædicatorum Monachus, Pontificis Romani Pœnitentiarius & Capellanus, Archiepiscopus Gnesnensis. cap. 8.

Anno 1296. Die 22. Februarii.

HENRICUS Crassus, Vratislaviensium Dux. cap. 9.

SÆCULO XIV.

Anno 1305.

Johannes HERMANNUS, Lignicenſis, Juris Canonici Doctor, Canonicus & Cuſtos Vratislavienſis. cap. 10.

Anno 1318.

Caſpar ROHRAVIUS, Eques, Conradi Olsnenſium Ducis Cancellarius. cap. 11.

Anno 1319. Die 23. Septembris.

Henricus WIRBENUS, Comes, Canonicus, Epiſcopus Vratislavienſis. cap. 12.

Anno 1320. Die 8. Februarii.

Johannes MUSCATA, Eques Vratislavienſis, Philoſophiæ Doctor, Archidiaconus Lancicienſis, Epiſcopus Cracovienſis. cap. 13.

Anno 1326.

Vitus HABDANCKIUS, Eques, Canonicus, Epiſcopus Vratislavienſis. cap. 14.

Anno 1341. Die 10. Aprilis.

Nankerus OXIUS, Eques Oppolienſis, Cracovienſium Canonicus, Decanus, Epiſcopus: Vratislavienſium Epiſcopus. cap. 15.

Anno 1341. Die 28. Septembris.

Johannes SCHWENCKFELDIUS, Eques Suidnicenſis, Theologiæ Magiſter, Ordinis Prædicatorum Monachus, Hæreticorum Inquiſitor. cap. 16.

Anno 1373. Die 1. Aprilis.

Johannes SCHADLANDUS, Bregenſis, Theologiæ Magiſter, Ordinis Prædicatorum Monachus, Hæreticorum Inquiſitor, Epiſcopus Culmenſis, Hildesheimenſis, Wormatienſis, Auguſtanus. cap. 17.

Anno 1376. Die 6. Aprilis.

Precislaus POGARELLA, Eques Monſterbergenſis, Canonicus, Epiſcopus Vratislavienſis: Imperatoris Caroli IV. Bohemorum Regis Cancellarius Aulicus: Gerlaci Principis Electoris, Archiepiſcopi Moguntini, per Germaniam Archicancellarii, Vicarius: Dux Sileſiorum Grotkovienſis. cap. 18.

Anno 1398. Die 12. Decembris.

HENRICUS, Lignicenſium Dux, Vratislavienſium Canonicus, Decanus: Vladislavienſium Epiſcopus. cap. 19.

SÆ-

SÆCULO XV.

Anno 1416. Die 24. Martii.

Johannes OTTO, Monſterbergenſis, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor: Pragenſium Profeſſor: Lipſienſium Academiæ condendæ Suaſor, conditæ primus Rector, Theologiæ Profeſſor: majoris Principum Collegii Collega: Collegii Beatæ Virginis Conditor: Canonicus Miſnenſis. cap. 20

Anno 1419. Die 6. Octobris.

WENCESLAUS, Lignicenſium Dux, Epiſcopus prius Lebuſienſis, deinde Vratislavienſis. cap. 21.

Anno 1421.

Johannes CROPIDLO, Oppolienſium Dux, Præpoſitus Scepuſienſis, Epiſcopus Posnanienſis, Vladislavienſis, ab Archiepiſcopo Gnesnenſi depulſus: iterum Epiſcopus Vladislavienſis. cap. 22.

Anno 1444.

Henricus THYMIUS, Freyſtadienſis, Philoſophiæ Magiſter. cap. 23.

Anno 1444. Die 11. Septembris.

Nicolaus WEIGELIUS, Bregenſis: Artium Liberalium Magiſter, Theologiæ Doctor: Lipſienſium in Academia Profeſſor: in S. Mariæ Virginis & majore Principum Collegio Collega: Sileſiacarum Eccleſiarum Vratislavienſis & Lignicenſis Canonicus: Saxonicorum Ducum Epiſcoporum Martisburgenſis & Miſnenſis, Academiæque Lipſienſis i Baſileenſi Concilio Legatus. cap. 24.

Anno 1445. Die 20. Aprilis.

Johannes MASCHKO, Sprottavienſis, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Baccalaureus, in Lipſienſium B. Virginis Mariæ Collegii Collega. cap. 25.

Anno 1446.

Johannes BRASIATOR, Francoſteinenſis, Ordinis Prædicatorum Monachus, Vratislavienſium in S. Adalberti Monaſterio Vicarius & Reformator: Hæreticorum per Diœceſin Vratislavienſem Inquiſitor: Poloniæ Prior Provincialis. cap. 26.

Anno 1447. Die 9. Auguſti.

CONRADUS, Olsnenſium Dux, Vratislavienſium Epiſcopus. cap. 27.

Anno 1451. Die 26. Martii.

Johannes HOFMANNUS, Svidnicenſis, Philoſophiæ Magiſter

Theologiæ Doctor: Academiæ prius Pragenſis, poſtea Lipſienſis Profeſſor: Miſnenſis Canonicus, poſtea Epiſcopus: Conſtantienſis Concilii Aſſeſſor. cap. 28.

Anno 1452. Die 24. Auguſti.

Johannes ELGOTHUS, Eques Namslavienſis, Juris Canonici Doctor, Canonicus Cracovienſis. cap. 29.

Anno 1456. Die 3. Februarii.

Petrus NOVACUS, Niſſenſis, Juris Canonici Doctor, Vratislavienſis Canonicus, poſtea Epiſcopus. cap. 30.

Anno 1462.

Caſpar WEIGELIUS, Bregenſis, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor, Lipſienſis Academiæ Profeſſor: Vratislavienſis Templi Cathedralis Archidiaconus. cap. 31.

Anno 1464. Die 13. Septembris.

Alexius THYMIUS, Freyſtadienſis, Philoſophiæ Magiſter, Medicinæ Baccalaureus. cap. 32.

Anno 1466.

Theodoricus BURGSDORFIUS, Eques, utriusque Juris Doctor, Lipſienſis Profeſſor, Naumburgenſis Epiſcopus. cap. 33.

Anno 1471. Die 25. Februarii.

Benedictus HEGENWALDUS, Boleslavienſis, Canonicus Vicarius Vratislavienſis. cap. 34.

Anno 1473.

Johannes CANTIUS, Cantienſis, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor, utriusque Profeſſor Cracovienſis. Cap. 35.

Anno 1476. Die 18. Auguſti.

Ambroſius JENCOVICIUS, Eques, Philoſophiæ Magiſter, Canonicus Vratislavienſis. cap. 36.

Anno 1478. Die 16. Junii.

PRIMISLAUS, Oppavienſium Dux, Canonicus Vratislavienſis. cap. 37.

Anno 1479. Die 15. Junii.

Theophilus BERGMANNUS, Glogovienſis, Saganenſium Ducis Conſiliarius. cap. 38.

Anno 1483.

Martinus LINDENERUS, Lesnicenſis, Juris Canonici Doctor, Vratislavienſis Canonicus Archidiaconus cap. 39.

Anno

Anno 1484. Die 3. Novembris.

Henricus THYMIUS, Freyſtadienſis, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Baccalaureus: Lipſienſis Profeſſor: Canonicus Lignicenſis. cap. 40.

Anno 1489. Die 2. Junii.

Michael NISSENSIS, Niſſenſis, Monaſterii Glacenſis Auguſtiniani Præpoſitus. cap. 41.

Anno 1489. Die -- Decembris.

Johannes BOECKENSCHLOERUS, Vratislavienſis: Præpoſitus Quinqueccleſienſis: Epiſcopus Agrienſis, Varadinenſis, Viennenſis: Archiepiſcopus Strigonienſis, Salisburgenſis. cap. 42.

Anno 1492.

Nicolaus KREULIUS, Wartenbergenſis: Æneæ Sylvii Cardinalis, [poſtea Pii II. Pontificis Romani] Capellanus: Franciſci Picolominei [poſtea Pii III. P. R.] Præceptor. cap. 43.

Anno 1492. Die 18. Octobris.

Georgius NOVAGUS, Eques, Philoſophiæ Magiſter, Canonicus Vratislavienſis, cap. 44.

Anno 1496. Die 19. Septembris.

Johannes SCHOBERUS, Lignicenſis, Juris Canonici Doctor, Canonicus Vratislavienſis. cap. 45.

Anno 1498. Die 2. Junii.

Chriſtophorus THYMIUS, Freyſtadienſis, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor: Lipſienſis Collegiatus & Profeſſor: Freyſtadienſis Parochus, Ziticenſis Canonicus. cap. 46.

Anno 1500.

Bartholomæus SCHEUERLINUS, Vratislavienſis, Patriæ Canonicus. cap. 47.

SÆCULO XVI.

Anno 1502.

Johannes REIMBABIUS, Eques, Romanæ Rotæ Aſſeſſor, Aulæ Cauſidicus, Marci Barbi Cardinalis Secretarius: Vratislavienſium Eccleſiarum S. Johannis, & S. Crucis Canonicus. cap. 48.

Anno 1502. Die 18. Novembris.

Nicolaus TAUCHMANNUS, Niſſenſis, Philoſophiæ Magiſter, Canonicus Vratislavienſis. cap. 49.

An-

Anno 1504.

Bartholomæus MARIENSIS, Patſcovienſis, Aſtronomus, Medicus, Canonicus Vratislavienſis. cap. 50.

Anno 1504. Die 30. Martii.

Sebaldus HUBERUS, Vratislavienſis, Medicinæ Doctor, Patriæ Poliater. cap. 51.

Anno 1504. Die 19. Maji.

Nicolaus KRIBELIUS, Vratislavienſis, Philoſophiæ Magiſter, Patriæ Canonicus. cap. 52.

Anno 1506. Die 16. Maji.

Lucas EISENREICHIUS, Vratislavienſis, Patriæ Senator, Ducatui Vratislavienſi præfectus Capitaneus. cap. 53.

Anno 1507. Die 11. Februarii.

Johannes GLOGOVIENSIS, Glogovienſis, Philoſophiæ Magiſter, Cracovienſis Academiæ Profeſſor, & S. Floriani Canonicus. cap. 54.

Anno 1510. Die 27. Novembris.

Johannes SAUROMANNUS, Vratislavienſis, Eccleſiæ patriæ Cathedralis Canonicus, Hirſchbergenſis Plebanus. cap. 55.

Anno 1511. Die 28. Februarii.

Nicolaus HAUGWICIUS, Eques, Turcarum Debellator, Canonicus Vratislavienſis. cap. 56.

Anno 1516. Die 2. Aprilis.

Johannes SCHEUERLINUS, Vratislavienſis, Juris utriusque Doctor, Canonicus Auguſtanus, Tridentinus, Vratislavienſis, Lignicenſis: Archidiaconus Glogovienſis: Epiſcopalis Vratislavienſis Officialis & Vicarius in Spiritualibus Generalis. cap. 57.

Anno 1516. Die 23. Auguſti.

Nicolaus ZEHLERUS, Vratislavienſis, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Baccalaureus, Lipſienſis Profeſſor. cap. 58.

Anno 1518. Die 31. Januarii.

Gregorius MORENBERGERUS, Vratislavienſis, Philoſophiæ Magiſter, ICtus, Reip. patriæ Secretarius. cap. 59.

Anno 1520. Die 13. Maji.

Matthæus DAMERAVIUS, Vratislavienſis, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor, utriuſque Profeſſor Lipſienſis. cap. 60.

Anno

Anno 1521.

Wigandus SALZA, Eques, Juris utriusque Doctor, Canonicus Vratislavienſis & Glogovienſis. cap. 61.

Anno 1521. Die 18. Julii.

Petrus WIRTHIUS, Leobergenſis, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor, Lipſienſis Profeſſor. cap. 62.

Anno 1521. Die 20. Decembris.

Petrus JENCOVITIUS, Eques, Juris utriusque Doctor, Canonicus, Vratislavienſis. Cap. 63.

Anno 1522. Die 29. Octobris.

Hieronymus SCULTETUS, Glogovienſis, Theologiæ Doctor. Cotbuſienſis Eccleſiæ Paſtor: Epiſcopus Brandenburgicus & Havelbergenſis. Cap. 64.

Anno 1524. Die 9. Martii.

Georgius WIRTHIUS, Leobergenſis, Philoſophiæ Magiſter, Medicinæ Doctor, Ludovici Hungarorum & Bohemorum Regis Archiater: Eccleſiæ Budiſſinenſis Decanus. cap. 65.

Anno 1527.

Georgius SAUROMANNUS, Eques Vratislavienſis, Juris utriusque Doctor, Imp. Caroli V. apud Romanos Pontifices, Leonem X. Hadrianum VI. Clementem VII. Orator & Procurator: Eccleſiarum Vratislavienſium S. Iohannis Præpoſitus, & S. Crucis Decanus. cap. 66.

Anno 1527. Die 21. Julii.

Laurentius CORVINUS, Noviforenſis, Philoſophiæ Magiſter, Cracovienſis Academiæ Profeſſor, Thorunienſis Curiæ Notarius, Reip. Vratislavienſis Secretarius. cap. 67.

Anno 1530. Die 20. Auguſti.

Franciſcus REUSNERUS, Leobergenſis, Philoſophiæ Magiſter, Theologiæ Doctor, Parochus Suidnicenſis, Vratislavienſis Canonicus, Epiſcopalis Officialis & Vicarius in Spiritualibus Generalis. cap. 68.

Anno 1531. Die 17. Januarii.

Georgius LANGENICKELIUS, Aurimontanus, Philoſophiæ Magiſter, Eccleſiæ Cervimontanæ Paſtor. cap. 69.

Anno 1533. Die 8. Octobris.

Michael VRATISLAVIENSIS, Vratislavienſis, Philophiæ

Magiſter, Theologiæ Doctor, utriusque Profeſſor, Templi Floriani Decanus Cracovienſis. cap. 70.

Anno 1534. Die 11. Septembris.

Andreas HOFMANNUS, Crosnenſis, Philoſophiæ Magiſter, Ciſtercienſium Monaſterii Leubuſienſis, intra Sileſiæ Wolavienſem Ducatum Abbas. cap. 71.

Anno 1535. Die 21. Januarii.

Stanislaus SAURUS, Leobergenſis, Decretorum Doctor, Canonicus Vratislavienſis. cap. 72.

Anno 1536. Die 6. Maji.

Andreas TREIBERUS, Leobergenſis, Aurimontanæ Scholæ Magiſter. cap. 73.

Anno 1536. Die 29. Septembris.

Georgius HELMRICUS, Aurimontanus, patriæ Scholæ Rector, poſtea Curiæ Conſul. cap. 74.

Anno 1538. Die 10. Februarii.

Balthaſar NECHERUS, Eques Saganenſis, utriusque Juris Doctor, Vratislavienſium in S. Johannis Cathedrali, & in S. Crucis Collegiato Templo Canonicus. cap. 75.

Anno 1538. Die 5. Maji.

Caſpar Urſinus VELIUS, Suidnicenſis, Poeta Cæſareus, Juris utriusque Doctor, Ferdinandi I. Hungarorum & Bohemorum Regis Orator & Hiſtoricus: Filii Maximiliani II. Præceptor. cap. 76.

Anno 1538. Die 2. Octobris.

Johannes METZLERUS, Vratislavienſis, utriusque Juris Doctor, Profeſſor Lipſienſis: Vratislavienſium Senator: Ducatui præfectus Capitaneus. cap. 77.

Anno 1539. Die 24. Auguſti.

Jacobus SALZA, Eques Lignicenſis, utriusque Juris Doctor, Glogovienſium Capitaneus Provincialis: Vratislavienſium Canonicus, poſtea Epiſcopus: denique Sileſiorum ſupremus Capitaneus. cap. 78.

Anno 1542. Die 9. Januarii.

Franciſcus ZYGLERUS, Jauernicenſis, Canonicus, Scholaſticus, Decanus Vratislavienſis. cap. 79.

Anno

Anno 1542. Die 12. Septembris.

Petrus PROCKENDORFIUS, Eques Lignicenſis, utriusque Juris Doctor, Lipſienſis Profeſſor, Vratislavienſis Canonicus. cap. 80.

Anno 1545. Die 24. Septembris.

Johannes THIELIUS, Vratislavienſis, Ordinis Præmonſtratenſis Monachus, Cœnobii Oppolienſium Zarnowaſenſis Præpoſitus, Vratislavienſium tam Suburbani, quam Urbani Monaſterii Vincentini Abbas: Epiſcopus Nicopolitanus, Suffraganeus Vratislavienſis: in Vratislavienſium S. Johannis Cathedrali & S. Crucis Collegiato Templo Canonicus: Strelenſis Monaſterii Præpoſitus. cap. 81.

Anno 1546. Die 18. Octobris.

Johannes FUHRENSCHILDIUS, Niſſenſis, utriusque Juris Doctor: Vratislavienſium Canonicus in S. Johannis, & in S. Crucis Templo etiam Cantor. cap. 82.

Anno 1548. Die 15. Septembris.

Johannes LANGERUS, Bolckenhanenſis, Philoſophiæ Magiſter, Academiæ Lipſienſis Profeſſor: Coburgenſis Eccleſiæ Paſtor, Inſpector, Superintendens. cap. 83.

Anno 1550.

Wolfgangus BOCKIUS, Eques, utriusque Juris Doctor, Friderici II. Lignicenſium Ducis Conſiliarius & Cancellarius: Sileſiorum Orator. cap. 84.

Anno 1550. Die 12. Martii.

Andreas RUPERTUS, Saganenſis, Canonicorum Regularium Auguſtinianorum Saganenſis Monaſterii Prior, tandem Abbas. cap. 85.

SILESIORUM INDIGENARUM ERUDITORUM *INDEX V. SCRIPTORUM.*

THEOLOGICA.

Exegetica.

Johannis *Glogovienſis* Interpretationes Librorum Sacrorum Slavonicæ.
Johannis *Braſiatoris* Commentarius in Moſis Pentateuchum.
Petri *Wirthii* Notæ in Davidis Pſalterium.
Johannis *Cantii* Commentarius in S. Matthæum tribus Libris.
Chriſtophori *Thymii* Commentarius in S Matthæi Evangelium.
Georgii *Sauromanni* Expoſitio in S. Pauli ad Romanos Epiſtolam.

Dogmatica.

Johannis *Sauromanni* Carmina: quibus Chriſtianæ Pietatis quinque Capita: Decalogum, Symbolum Apoſtolicum, Orationem Dominicam, Doctrinam de Sacramentis, Baptiſmo & Euchariſtia complexus eſt.
Johannis *Schadlandi* de S. Trinitate Volumen.
Johannis *Hofmanni* de Chriſti Jeſu Pueri Inventione Liber.
Johannis *Braſiatoris* de Chriſti Imitatione Tractatus.
Petri *Wirthii* Scholia in Sanctorum, Moſis, Hannæ, Eſaiæ, Ezechiæ, trium Puerorum Danielis, Habacuci, S. Mariæ Virginis, Zachariæ, Simeonis Cantica.
Ejusdem Scholia in Apoſtolicum, Nicænum, Athanaſianum, Ambroſianum, Auguſtinianum, Symbola.
Ejusdem Annotationes in Orationes Eccleſiaſticas per totum Annum, quas Vulgus Collectas vocat.

Homiletica.

Martini Strepi *Poloni* Sermonum de Tempore Opus.
Ejusdem de Sanctis ſuper Epiſtolas & Evangelia Liber.
Johannis *Schadlandi* Sermones in Sanctorum Honorem.
Ejusdem in Beatæ Virginis Mariæ præcipua Feſta Conciones.

Johannis

Johannis *Braſiatoris* in Evangelia Dominicalia & Feſtivalia de Sanctis per totum Annum Sermones.
Johannis *Cantii* Sermonum Liber.
Johannis Hofmanni ad *Cantilenas Commentarius.*
Johannis *Hofmanni* de B. Virginis Mariæ Præſentatione Liber.
Ejusdem in Vincentii de Mundi Fine Tractatum Commentarius.
Caſparis Urſini *Velii* Latina Interpretatio Sermonis, quem Cyrillus Alexandrinus de Animæ Diſceſſu & altera Vita, Græce ſcripſit.
Michaelis *Vratislavienſis* in Eccleſiæ Romanæ Cantilenas Commentarius.

Oratoria.

Johannis *Ottonis* Orationes ad Clerum.
Nicolai *Weigelii* Orationes, potiſſimum in Baſileenſi Concilio habitæ.
Johannis *Braſiatoris* Sermones ad Clerum.
Chriſtophori *Thymii* Orationum Liber.
Georgii *Sauromanni* ad Chriſtianos Principes de Religione Concordiaque communi Oratio.

Polemica.

Johannis *Ottonis* Commentariorum in Petri Lombardi Sententias Libri IV.
Johannis *Braſiatoris* in Petri Lombardi Sententiarum Libros IV. Commentarius.
Chriſtophori *Thymii* ommentarius in Petri Lombardi Sententiarum Librum Secundum.
Michaëlis *Vratislavienſis* Explanationes in Petri Lombardi Sententiarum Libros IV.
Johannis *Hofmanni* Quæſtionum Theologicarum cum Solutionibus Liber.
Franciſci *Prauditæ* Opuſculum de Clericorum & Laicorum Matrimoniis.
Nicolai *Weigelii* de Indulgentiis Tractatus, in quinque Partes, Capitula LXXIX diviſus.
Johannis *Braſiatoris* de Hæreticorum Erroribus Liber.
Ejusdem de Inquiſitionis Officio Tractatus.

Johannis *Hofmanni* de Miſſæ Officio & Actionibus omnibus, Libri VI.

Legalia.

Henrici *Wirbeni* Conſtitutiones Synodales Vratislavienſes.

Nankeri *Oxii* Conſtitutiones Synodales Vratislavienſes.

Wenceslai, Ducis & Epiſcopi, Conſtitutiones Vratislavienſes de variis Rebus Eccleſiaſticis.

Ejusdem Jus Eccleſiaſticum: das Kirchen-Recht.

Conradi, Ducis & Epiſcopi, Decreta Synodalia Vratislavienſia.

Petri *Novaci* Decreta Synodalia Vratislavienſia de Vitiis Clericorum abolendis.

Theodorici *Burgsdorfii* Conciliorum Volumen.

PHILOSOPHICA.

Univerſalia.

Johannis *Ottonis* Quæſtiones Magiſteriales.

Johannis *Braſiatoris* Sermones Magiſteriales.

Johannis *Hofmanni* Commentarius in quasdam Philoſophiæ Partes.

Logica.

Johannis *Ottonis* Commentariorum in veterem Logicam Liber.

Ejusdem Commentariorum in novam Logicam Liber.

Ejusdem Commentariorum in Proprietates Logicas Liber.

Johannis *Hofmanni* Commentarius in Dialecticam.

Nicolai *VVeigelii* de veteri Arte Logica Liber.

Ejusdem Commentariorum de Proprietatibus Liber.

Johannis *Glogovienſis* in Ariſtotelis de Interpretatione Librum Quæſtiones.

Ejusdem Quæſtiones in Ariſtotelis priorum & poſteriorum Analyticorum Libros IV.

Ejusdem Quæſtiones in Ariſtotelis Topicorum Libros VIII.

Ejusdem Quæſtiones in Ariſtotelis Elenchorum Sophiſticorum Librum.

Michaelis *Vratislavienſis* Logica Inſtitutio.

Phyſica

Phyſica.

Johannis *Glogovienſis* Quæſtiones in Ariſtotelis Auſcultationum Phyſicarum, ſeu de Motu Libros VIII.

Ejusdem Quæſtiones in Ariſtotelis de Cœlo Libros IV.

Ejusdem Quæſtiones de Generatione & Corruptione Libros II.

Ejusdem Quæſtiones in Ariſtotelis de Anima Libros III.

Ejusdem Quæſtiones in Ariſtotelis parva Naturalia: id eſt, parva de naturalibus Rebus Opuſcula: de Senſu & Senſili Librum: de Memoria & Reminiſcentia Librum: de Somno & Vigilia Librum: de Somniis Librum: de Somni Divinatione Librum: de Animalium Motu Librum: de Vitæ Longitudine & Brevitate Librum: de Juventute & Senectute Librum: de Animalium Inceſſu Librum: de Spiritu Librum

Ejusdem de Phyſiognomicis Opuſculum.

Ejusdem de Aſtrorum Judiciis Opuſculum.

Michaelis *Vratislavienſis* Dubia ſcientiæ naturalis.

Mathematica.

Johannis *Glogovienſis* de Arithmetica Opuſculum.

Ejusdem Introductorium compendioſum in Johannis Sacrobuſti de Sphæra Tractatum.

Ejusdem Explicationes in Johannis Sacrobuſti de Sphæra Tractatum.

Ejusdem Explicationes in Johannis Sacrobuſti Computum Eccleſiaſticum.

Ejusdem Computus Chirometralis ad unum Cyclum magnum LXXVI. Annorum, ab Anno 1482, ad 1558.

Laurentii *Corvini* Cosmographia: id eſt, ad Claudii Ptolemæi Tabulas Geographia: de Circulis, Climatibus, Ventis, Terrarum Provinciis, Inſulis, Maribus, Fluviis, Montibus.

Michaelis *Vratislavienſis* Introductorium Aſtronomicum de Signorum Naturis, & Stellarum Proprietatibus.

Moralia.

Johannis *Glogovienſis* Quæſtiones in Ariſtotelis Ethicam.

Ejusdem Quæſtiones in Ariſtotelis Politicam.

Ejusdem Quæſtiones in Ariſtotelis Oeconomiam.

Johan-

Johannis *Metzleri* Latina Interpretatio Libri, quem Plutarchus Græce de Liberorum Educatione ſcripſit.

Ejusdem Scholia in Ciceronis de Senectute Librum.

JURIDICA.

Communia.

Martini Strepi *Poloni* Margarita Decreti, hoc eſt, Tabula Decretorum Alphabetica.

Johannis *Langeri* de Cenſibus & Redemtionibus Liber.

Theodorici *Burgsdorfii* Commentariorum in Jura Municipalia Liber.

Saxonica.

Theodorici *Burgsdorfii* Additionum ſuper Saxonum Juris Speculo Liber.

Ejusdem in Saxonum Jura Repertorium: quod aliis, vel Remiſſorium in Saxonum Speculum, vel Regiſtrum des Landgerichts, Lehnrechts und Weichbildes, nominatur.

Sileſiaca.

Johannis *Scheuerlini* de Vladislai, Hungarorum & Bohemorum Regis, Sileſiorum Ducis, Exactionibus Tributariis a Clericis Vratislaviensibus, Commentarius.

PHILOLOGICA.

Grammatica.

Johannis *Glogovienſis* Grammatica Latina Libris duobus.

Ejusdem Interpretatio compendioſa Donati minoris, de Orationis octo Partibus.

Laurentii *Corvini* Latinum Idioma, id eſt, puerilium Colloquiorum Liber.

Ejusdem Hortulus Elegantiarum pro Latinæ Linguæ Studioſis.

Johannis *Metzleri* Grammatica Græca.

Rhetorica.

Johannis *Glogovienſis* de Arte Rhetorica Liber.

Ejusdem

Ejusdem Quæſtiones in Ariſtotelis Artem Rhetoricam.

Oratoria.

Theodorici *Burgsdorfii* Orationum Scholaſticarum Liber.

Chriſtophori *Thymii* Recommendationum Liber.

Georgii *Sauromanni* Oratio ad Hadrianum V. Pontificem Romanum, Nomine Caroli V. Cæſaris habita.

Ejusdem Epiſtola ad Franciſcum Sfortiam, Barri Ducem, & Bernardum Gleſſium, Epiſcopum Tridentinum.

Ejusdem Epiſtola ad Stephanum Brodericum.

Georgii *Helmrici* Orationum Volumen.

Caſparis Urſini *Velii* Auſtriaca Querela de Turcis opprimendis.

Ejusdem ad diverſos ſcriptarum Epiſtolarum Liber.

Ejusdem Oratio ad Ferdinandum I. Hungarorum Regem habita.

Johannis *Metzleri* Latina Interpretatio Orationum Olynthiacarum, quas Demoſthenes Græce ſcripſit.

Petri *Prockendorfii* Epiſtolarum ad Johannem Heſſum & alios ſcriptarum Volumen.

Johannis *Langeri* Epiſtolarum ad diverſos ſcriptarum Liber.

Poëtica.

Johannis *Glogovienſis* de Arte Poëtica Liber.

Laurentii *Corvini* de Carminum Structura Libellus.

Ejusdem de Apolline & novem Muſis Carmen.

Henrici Craſſi, Ducis, Germanicorum Verſuum Volumen: Liebes-Lieder.

Johannis *Sauromanni* Latina Interpretato omnium Græcarum Æſchyli Tragœdiarum.

Georgii *Helmrici* Carminum Liber.

Caſparis Urſini *Velii* Genethliacum ad Eraſmum Roterodamum.

Ejusdem Epithalamium Ferdinando Auſtriacorum Archiduci ſcriptum.

Ejusdem Leopoldus, id eſt, Pæan in Leopoldum Auſtriacorum Archiducem.

Ejusdem variorum Carminum Liber.

Ejusdem alius variorum Carminum, quæ vocat Epiſtolas, Liber.

Ejusdem variarum Elegiarum Liber.

Ejusdem Epigrammatum de variis Rebus Liber.

Ejusdem Epigrammatum in Sermonem Latinum verſorum Liber.

Ejusdem Epigrammatum Luciani Samoſateni Græcorum Latina Interpretatio.

Ejusdem Carminum ad Joachimum Ducem Monſterbergenſem ſcriptorum Liber.

Johannis *Langeri* variorum Carminum Liber.

HISTORICA.

Univerſalia.

Martini Strepi *Poloni* Chronicon a C. N. an Annum 1280.

Ejusdem de variis Miraculis Liber.

Nicolai *Kreulii* te Rebus ſuo Tempore notabilibus Breviarium.

Lucæ *Eiſenreichii* de ſui Temporis Rebus Diarium.

Caſparis Urſini *Velii* Epitome Chronicorum.

Ejusdem Diſtichorum de Romanorum Imperatoribus Latinis, Græcis & Germanis Liber.

Judaica.

Martini Strepi *Poloni* Deſcriptio Terræ Sanctæ.

Conſtantinopolitana.

Caſparis Urſini *Velii* Monoſtichorum de Romanorum Imperatoribus Conſtantinopolitanis Libellus.

Turcica.

Ejusdem Monoſtichorum de Turcarum Imperatoribus Libellus.

Italica.

Martini Strepi *Poloni* Memorabilia Romæ.

Caſparis Urſini *Velii* Monoſtichorum de Aboriginum in Italia Regibus Libellus.

Ejusdem Monoſtichorum de Albanorum in Italia Regibus Libellus.

Ejusdem Monoſtichorum de Romanorum Regibus Libellus.

Ejusdem Monoſtichorum de Romanorum Viris illuſtribus Libellus.

Ejusdem Monoſtichorum de Romanorum Cæſaribus Libellus.

Ejus-

Ejusdem Monoſtichorum de Gothorum in Italia Regibus Libellus.

Ejusdem Monoſtichorum de Langobardorum in Italia Regibus Libellus.

Ejusdem Monoſtichorum de Romanis Pontificibus Libellus.

Polonica.

Laurentii *Corvini* de Polonia & Cracovia Carmen.

Germanica.

Georgii *Sauromanni* Oratio funebris de Imp. Maximiliano I.

Ejusdem de Imp. Carolo V. Orationes.

Caſparis Urſini *Velii* de Imp. Maximiliano I. & Henrico VIII. Britannorum Rege Carmen.

Ejusdem de Maximiliani Cæſaris, Sigismundi I. Polonorum, Ladislai Hungarorum, Ludovici Bohemorum Regis, intra Hungariam, prius Poſonienſi, deinde Viennenſi Conventu, Epiſtola.

Ejusdem in Maximiliani I. Cæſaris Mortem Epicedia duo.

Ejusdem de Imp. Caroli V. in Germaniam Reditu Carmen.

Ejusdem de Rebus Auſtriacis Hiſtoria Decadibus VII.

Sileſiaca.

Gregorii *Morenbergeri* de Sileſiorum variis Memorabilibus Relationes.

Precislai *Pogarellæ* de Vratislavienſium Terrarum Epiſcopalium, tanquam Feudorum, Domino & Patrono Johanne Bohemorum Rege, Epiſtola Anno 1342. ſcripta.

Ejusdem de ſuo [Epiſcopi Vratislavienſis] tanquam Regii Vaſalli Bohemici, Feudo, Grotkovienſibus Terris, Epiſtola Anno 1344 ſcripta.

Ejusdem de Caſtris duobus ad Epiſcopatum Vratislavienſem pertinentibus, Friedbergenſi emto, & Militenſi vendito, Epiſtola Anno 1358 ſcripta.

Ejusdem de Bonis ad Menſam Epiſcopalem Vratislavienſem pertinentibus Epiſtola Anno 1358.

Ejusdem de Grotkovienſibus Terris, a Johanne Bohemorum Rege, in Feudum Vratislavienſi Epiſcopo conceſſis, Epiſtola Anno 1358. ſcripta.

Ejusdem de Vratislavienſi Ducatu, Civitate, Epiſcopatu, Regi Bohemorum inſeparabiliter ſubjectis, Epiſtola Anno 1358 ſcripta.

Ejusdem de Vratislavienſis Epiſcopi Subjectione, poſt Carolum IV. Bohemorum Regem, ſine Liberis maſculis mortuum, ejus Fratri Johanni, Moravorum Marchioni, tanquam Feudorum Eccleſiaſticorum Sileſiacorum Domino, præſtanda, Epiſtolium Anno 1359 ſcriptum.

Ejusdem de Bohemorum Rege, Dominium legitimum in Ducatum, Civitatem, Eccleſiamque Vratislavienſem habente, Epiſtolium Anno 1367 ſcriptum.

Johannis *Scheuerlini* Commentarius de Vladislai Bohemorum Regis, Sileſiorum ſupremi Ducis, Exactionibus Tributariis a Clericis Vratislavienſibus.

Laurentii *Corvini* de Sileſia & Noviforo Carmen.

Ejusdem de ſuo ex Boruſſia in Sileſiam Reditu Carmen.

Michaelis *Niſſenſis* Chronicon de Glacenſis Monaſterii Rebus ab Anno 1350, ad 1488.

Johannis *Thielii* de Vratislavienſium Monaſterio Vincentino, & Suburbano, & Urbano.

Andreæ *Ruperti* de Monaſterii Saganenſis Juribus, contra novos Hæreticos Commentarius.



SILE-

SILESIORUM INDIGENARUM ERUDITORUM *INDEX VI. MEMORABILIUM.*

Numerus Romanus Caput, Barbarus Periodum indicat.

A.

MElchior *Acontius*, Urſellanus. LXXIV. 9.

Melchior *Adamus*. LXV. 3.

Johannes *Adlzreiterus*. VII. 12.

Adolphus Martisbusgenſium Epiſcopus, Princeps Anhaltinus. LXV. 3.

Georgius *Æmilius*, Mansfeldenſis. LXXIV. 7. 8.

Rudolphus *Agricola*. LXVII. 1. LXXVI. 12. 13. 22.

Agrienſium Epiſcopus Petrus Bœckenſchloërus. XLI. 6.

Otto *Aicher*. VII. 12.

Albertus, Gnesnenſium Archiepiſcopus, Adverſarium habet Conradum Epiſcopum Vratislavienſem. XXVII. 3.

Leander *Albertus*, Ordinis Prædicatorum Monachus. VI. 1. 4. VIII. 8. 24. XVII. 4. 11.

Albertus, Marchio Brandenburgenſis, Dux Carnovienſium Tutelaris, expetit Vratislavienſem Epiſcopatum. LXXVIII. 7.

Albertus, Marchio Brandenburgenſis, Vratislavienſium Capitaneus Provincialis. XLII. 4.

Hadrianus *Albinus*. LXXVII. 8.

Petrus *Albinus*, XXVIII. 12. XXXIII. 1.

Aldona, Lithuanorum Ducis Filia Sponſa fit Chriſtiana. XV. 5.

Alexander V. Pontifex Romanus. XX. 16. 20.

Alexander Vitoudus, Lithuaniæ Dux, quanti fuerit æſtimatus, XXII. 12.

Leo *Allatius*. VIII. 44. 68. LXVI. 17.

Johannes Henricus *Alſtedius*. VIII. 24. 27. XX. 4.

Buſſo *Alvenslebenius*, Epiſcopus Havelbergenſis. LXIV. 10.

Ambroſius, Mediolanenſium Epiſcopus. IV. 9.

Bonifacius *Amerbachius*. LXXVI. 12.

Anaſtaſius Bibliothecarius. VIII. 70.

Andreas *Angelus*. LXIV. 1.

Antonius Florentinus, Archiepiſcopus. VIII. 21 23. 37. 41.

Apetzko, Canonicus Vratislavienſis. XV. 13.

Franciſcus *Arſillus*. LXXVI. 12. 13.
Johannes *Aventinus*. VIII. 11. 15. 46. XX. 8. 11.
Auguſtanorum Epiſcopus, Johannes Schadlandus. XVII. 7.
Aurimontanorum Scholæ Rector, Georgius Helmricus, Domicilii pro Schola Conditor. LXXIV. 2. 4. Valentinus Trocedorfius. LXXIV. 2.
Autor Centuriæ de Lipſienſis, Witebergenſis, Francofurtanæ Academiarum Scriptoribus. XX. 12. 19. 27. XXIV. 1. 20. XXVIII. 7. XXXIII. 1. 2.
Autor Chronici Salisburgenſis MSti. XLII. 3.
Autor Famæ poſthumæ Vratislavienſium Epiſcoporum. XV. 24. XVIII. 19.
Autor Paralipomenorum ad Conradi Urſpergenſis Chronicon. XXVIII. 13. LXVI. 13.
Autor Suidnicenſium Annalium MStorum. LXVIII. 2.

B.

Johannes *Baleus*. VIII. 5. 56. XX. 8.
Bohuslaus *Balbinus*. VI. 8. VII. 3. 7. 12. XV. 24. XVIII. 9. 22. 23. 26. 27. 29. XX. 11. 12. 19. XXI. 6. XXVIII. 4. 8. XXX. 6. XLI. 1.
Cæſar *Baronius*. VIII. 27. 63. 65. 68.
Richardus *Bartholinus*. LXXVI. 12. 14. 22.
Baſileenſis Concilii Magnitudo & Autoritas. XXIV. 4. Decreta ſingularia. XXIV. 6.
Ludolphus *Bebenburgius*. VIII. 37.
Beguinarum Monialium Ordo quid ſtatuerit. XVI. 4.
Franciſcus *Belcarius*. LXVI. 13.
Martinus *Bellajus*. LXVI. 13.
Robertus *Bellarminus*, VIII. 9. 24. 27. 50. 59. 66.
Petrus *Bembus*. LXXVI. 12.
Benedictus XII. Pontifex Romanus Sileſios à Romana Eccleſia diſſentientes ſub Obſequium ſuum revocare conatur. XVI. 6.
Theophilus *Bergmannus*, Saganenſium Ducis Conſiliarius, Invidiam patitur. XXXVIII. 1. 2. innocens accuſatus occiditur. XXXVIII. 3
Philippus *Beroaldus*. LXXVI. 12.
Beſſario Trapezuntinus. XXIV. 20.
Bieciam Wenceslaus Polonorum Rex Epiſcopo Cracovienſi donat. XIII. 4. eripit. XIII. 5.
Severinus *Binius*. VIII. 68.
Biscupia Tractus Terræ Cracovienſis. XIII. 3.
Davides *Blondellus*. VIII. 27. 51.
Ludovicus *Blaſius*. LXXVI. 12.
Georgius *Blumentholius*, Eques Marchicus. LXIV. 7. 8.
Albertus *Bockius*, Eques. LXXXIV. 1.

Si-

Sigismundus *Bockius*, Eques. LXXXIV. 1.
Wolfgangus *Bockius*, Eques, Lignicenſium Ducis Cancellarius. LXXXIV. 2. Sileſiorum ad Ferdinandum I. Bohemorum Regem miſſus Orator optime Cauſam agit. LXXXIV. 3.
Thomas *Bodlejus*. VIII. 61.
Marcus *Bœckenſchloerus*, Senator, Conſul, Capitaneus Provincialis Vratislavienſis. XLI. 4.
Petrus *Bœckenſchloerus*, Cognomento Viteſius per Errorem dictus XLII. 2. Matthiæ Hungarorum & Bohemorum Regi gratus. XLII. 6. Imp. Friderici III. Legatus. XLII. 12. Præpoſitus Quinqueccleſienſis: Epiſcopus Agrienſis, Varadinenſis, Viennenſis. XLII. 6. ex Pannonia in Auſtriam migrat. XLII. 8. Archiepiſcopus Salisburgenſis. XLII. 3. 9. cum Salisburgenſibus Canonicis habet Diſſidium. XLII. 11. Archiepiſcopatum ſuum exornat. XLII. 12.
Janus Jacobus *Boiſſardus*. LXV. 3.
Henningus *Boldenhagius* an Academiæ Pragenſis, ante graviſſimam Diſcordiam, ultimus ex Germanis Rector. XXVIII. 3. 4.
Boleslai Proceri, Sileſiorum Ducis, Cancellarius Franciſcus Praudita. III. 4. Filius Jaroslaus. IV. 2. Filius Henricus Barbatus. IV. 3. Frater Conradus Loripes, cujus Terras ſolus affectat: cum Fratre Mieslao, cum Filio Jaroslao Bellum. IV. 4.
Boleslao, Oppolienſium Duci Cracovienſes ſe ſubjiciunt. XIII. 8.
Boleslaus III. Lignicenſium & Bregenſium Dux, Terras Epiſcopi Vratislavienſis quas poteſt, ſubPoteſtatem ſuam, Johanne Bohemorum Rege connivente, redigit. XV. 20. Diœceſin Grotkovienſem Vratislavienſi Epiſcopo vendit. XV. 20.
Lazarus *Bonamicus*. LXXVI. 12. 22.
Antonius *Bonfinius*. XX. 8. 15. XLII. 7.
Petrus *Bonhomus* Epiſcopus Tergeſtinus. LXXVI. 12 22.
Carolus *Borbonius* Gallus, Imp. Caroli V. Legatus Romam expugnat & devaſtat. LXVI. 12.
Johannes *Bourdelotius*, LXXVI. 22.
Martinus *Boregkius*. XX. 11. 17. 19. XXVIII. 4.
Marcus Zuerius *Boxhornius*. VIII. 27.
Bozenta, Gnesnenſium Archiepiſcopus, moritur. XXII. 5.
Brandenburgenſium Epiſcopi: Ioachimus Bredavius. LXIV. 3. Theodorus Hardenbergius. LXIV. 10. Hieronymus Scultetus. LXIV. 3.
Brandenburgenſium Marchio Albertus, Vratislavienſis Capitaneus Provincialis. XLII. 2. Albertus alius Epi-

Episcopatum Vratislaviensem expetit. LXXVIII. 7.
Sbigneus *Brecius* Archiepiscopum Gnesnensem capit. XXII. 6.
Joachimus *Bredavius*, Episcopus Brandenburgensis, moritur. LXIV. 3.
Brixinensium Episcopus Sebastianus Speratius. LXXVI. 12. 22.
Stephanus *Brodericus*. LXVI. 8.
Andreas *Brunnerus*. VII. 17.
Caspar *Bruschius*. XVII. 1. 11.
Gabriel *Bucelinus*. XXVIII. 12. XXXIII. 1. 6.
Abrahamus *Bucholcerus*. VII. 24. XX. 4.
Gotfridus Ferdinandus *Buckisius*. III. 2. VII. 15. XV. 24. XVIII. 19.
Henricus *Buntingus*. XVII. 1.
Theodoricus *Burgsdorfius*, Eques. XXXIII. 2. J. U. D. Professor Lipsiensis. XXXIII. 3. Episcopus Naumburgensis. XXXIII. 4. Cur Episcopus Ziticensis dicatur. XXXIII 5. quando mortuus. XXXIII. 6
Hermannus *Buschius*. LXXVI. 12. 13.
Abrahamus *Bzovius*. V. 1. 8. VIII. 21. 30. 32. 36. 68. XV. 24. XVI. 3. 5. 13. 14. XVII. 4. XVIII. 2. XXII. 8. XXVIII. 20.

C.

Vincentius *Cadlubco*, Episcopus Cracoviensis. V. 6.
Cœlestinus III. Pontifex Romanus, Sacerdotibus Silesiis adimit legitimas Uxores. III. 8. 9. 10.
Johannes *Cæsarius*. XIII. 13.
Michael *Cæsenas*. XVI. 2.
Georgius *Calixtus*. VIII. 19. 24. 27.
Sethus *Calvisius*. XX. 4.
Joachimus *Camerarius*. XX. 15.
Johannis Metzleri Auditor in Græcis. LXXVII. 2. 5. 14.
Caminensis Pomeranorum Episcopus an Johannes Cropidlo, Dux Oppoliensis. XXII. 8. 9.
Henricus *Canisius*. VII. 7.
Thomas *Cantipranus*. XVI. 4.
Cantium in Vratislaviensi Ducatu Oppidum. VI. 3. XXVII. 6. XXXV. 1. Conradus Episcopatui suo Vratislaviensi attrahit. XXVII. 6.
Johannes *Cantius*, Professor Academiæ Cracoviensis. XXXV. 1. 2. miræ Sanctitatis mator. XXXV. 3. Mendacii Osor. XXXV. 4.
Melchior *Canus*. VIII. 63.
Johannes *Capistranus*, Pontificis Romani Legatus, Silesiis publicat Indulgentias. XXX. 11.
Johannes *Capnio*: videatur Reuchlinus,
Petrus *Capuanus*, Cardinalis, ad Romani Pontificis Mandatum, Silesiis Sacerdotibus adimit legitimas Uxores. III. 8. 9. 10.
Ludovicus Jacobus *Carolus*. VIII. 1. 6. 21. 54.

Carolus Magnus Imperator Silesios Romano Germanorum Imperio tributarios facit. I. 22.
Carolus IV. Imperator. XV. 19. Silesiorum Dux Vratislaviam ingreditur. XVIII. 8. Precislaum Pogarellam, Episcopum Vratislaviensem, creat Principem Grotkoviensem Ligium. XVIII. 11.
Carolus V. Imperator Pontificiam Potestatem per omnes Hispaniæ Provincias abolet. LXVI. 12.
Carolus, Monsterbergensium Dux Latroni obstrictos Stratagemate liberat. LIX. 3.
Carsula, Cascina Italiæ Urbs. VIII. 5.
Casimirus, Polonorum Rex Vratislaviensibus commendat recipiendum Episcopum Exterum, non Silesium. XXXVII. 3.
Casimirus inter Silesiorum Duces primus Eruditionis Cultor. II. 4.
Johannes Maria *Catanæus*. LXXVI. 12.
Catualda, Silesiorum Rex, Druso Imperatoris Tiberii Filio, familiaris. I. 6. (21. 33.
Guilielmus *Cavius*. VIII. 1. 5. 9. 10.
Cervimontanorum Theologus inter Protestantes primus, Georgius Langenickelius. LXIX. 2.
Ceslaus: videatur Odrovasius.
Laonicus *Chalcocondylas*. XXIV. 12
Angelus Maria *Cherubinus*. VI. 2.
Laertius *Cherubinus*. VI. 2. XX. 8.
Christianissimum Silesii recipiunt. II. 1.
Davides *Chytræus*. LXIV. 1.
Alfonsus *Ciaconius*. VIII. 59.
Theodoricus *Cintembergius*, Concilii Constantiensis Assessor. XXVIII. 22.
Citicensis cur etiam Naumburgensis Episcopus. XXXIII. 5.
Clemens IV. Pontifex Romanus. VII. 7. Hedwigen, Henrici I. Barbati, Ducis Vratislaviensis Uxorem Sanctis adscribit. VII. 9.
Clemens V. P. R. XX. 3.
Clemens VII. P. R. Imperatoris Caroli V. Adversarius. LXVI. 12.
Clemens VIII. P. R. Hyacinthum Odrovasium Episcopum Cracoviensem adscribit Sanctis. VI. 10.
Johannes *Clepardiensis*, Canonicus Cracoviensis. XXXV. 5.
Jodocus *Coccius*. VIII. 53.
Johannes *Cochlæus*. XX. 8. 15. XXVIII. 4. 19. 20. XXVIII. 22.
Petrus *Coens*. XVI. 4.
Gilbertus *Cognatus*. LXXVI. 19.
Johannes Tanstetterus *Collimitius*. LXXVI. 12. 22.
Radulphus *Columna*. VIII 8. 24. 37.
Johannes Amos *Comenius*. XX. 8.
Conradus Loripes Silesiorum Dux eruditus. III. 8.
Conradus, Glogoviensium Dux, ab Henrico Probo Hæres institutus, à Vratislaviensibus repudiatur. IX. 3. Henricum Crassum Ducem Vratis-

tislavienſem tenet captivum : non niſi Territoriis octo privatum dimittit. IX. 4.

Conradus Olsnenſium Dux, Epiſcopus Vratislavienſis. XXVII. 1. in Officiis Eccleſiaſticis Sileſios Exteris præferendos ſtatuit. XXVII. 2. Archiepiſcopo Gnesnenſi Dominatum in Sileſios Clericos affectanti reſiſtit. XXVII. 3. religioſum S. Hedwigis Cultum Sileſiis præcipiens plerisque moleſtus eſt. XXVII. 4. quibus fuerit Virtutibus amabilis. XXVII. 5. Cantienſe Territorium Epiſcopatui ſuo attrahit. XXVII. 6. Calamitatibus bellicis obnoxius. XXVII. 7. Arcem Otmuchovienſem amiſſam recuperat. XXVII. 8. moritur. XXVII. 11.

Conſtantienſe Concilium tres Pontifices Romanos damnat & rejicit. XXVIII. 18. Johannis Huſſi Combuſtionem Vratislavienſibus excuſat. XXVIII. 19.

Vincentius *Contarenus*. VIII. 59.

Leonardus *Coquæus*. VIII. 19.

Johannes *Coritius*. LXXVI. 12.

Andreas *Corvinus*. VIII. 3.

Laurentius *Corvinus*. LXXVI. 12. Profeſſor Academiæ Cracovienſis. LXVII. 1. Thorunienſis Curiæ Notarius: Vratislavienſis Reip. Secretarius. LXVII. 2. Religionem Pontificiam Evangelica permutat: Paſſionales Pſalmodias inſtituit cantandas. LXVII. 5.

Gabriel *Coſſartius*, VIII. 7. VII. 68. XX. 8. XXI. 11. XXVIII. 13.

Cracovienſes Oneribus preſſi, a Polonorum Rege Vladislao deficiunt ad Boleslaum Oppolienſium Ducem. XIII. 8.

Cracovienſium Academiæ Profeſſores: Johannes Cantius. XXXV. 1. Johannes Glogovienſis. LIV. 3. Laurentius Corvinus. LXVII. 1. Michael Vratislavienſis. LXX. 1.

Cracovienſium Canonici: Ivo Odrovaſius. V. 5. Ceslaus Odrovaſius. V. 5. Hyacinthus Odrovaſius. VI. 5. Nankerus Oxius. XV. 2. Johannes Elgothus. XXIX. 1. Johannes Clepardienſis. XXXV. 5. Johannes Glogovienſis. LIV. 5.

Cracovienſium Epiſcopatui Ladislaus Hungarorum Rex Arcem Terramque Plochenſem donat. XIII. 6.

Cracovienſium Epiſcopi: Petrus II. Franciſcum Epiſcopum Vratislavienſem conſecrat. III. 6. Fulco IV. 3. Vincentius Gadlubco. V. 6. Hyacinthus Odrovaſius, a Pontifice Romano Sanctis adſcribitur. VI. 10. Procopius Ruthenus. XIII. 2. Johannes Muſcata. XIII. 2. Nankerus Oxius. XV. 2. Cathedrale Templum in melius & majus reparat. XV. 4.

Cracovienſis Terræ Tractus Biſcupia dictus. XIII. 3.

Daniel *Cramerus*. XXII. 9.

Johannes *Crato*. LXXVII. 4.

Valens *Crautvvaldus*. LXXVI. 12. Schvvenckfeldianus. LXXVI. 22.

Richardus *Crocus* Britannus, Græcarum Literarum in Germania Doctor. LXXVII. 2.

Martinus *Cromerus*. III. 10. V. 10. 13. 31. XVIII. 2. XIX. 4. 5. XXII. 8. LIV. 1.

Wenceslaus *Cromerus*. XXI. 8.

Johannes *Cropidlo*, Oppolienſium Dux, Scepuſienſis Præpoſitus, Epiſcopus Posnanienſis. XXII. 2. 3. Vladislavienſis. XXII. 4. Archiepiſcopus Gnesnenſis. XXII. 5. Archiepiſcopatum amittit: capitur. XXII. 6. num Epiſcopus Caminenſis in Pomerania fuerit. XXII. 8. 9. iterum Epiſcopus Vladislavienſis. XXII. 11. Alexandrum Vitoudum Lithuaniæ Ducem ſibi facit Amicum. XXII. 12 Redituum auctiorum pro Canonicis Vladislavienſibus Autor. XXII. 13. in Vratislavienſium, quos offenderat, Curia detinetur captivus. XXII. 14. in Matrimonialibus Cauſis ſolito plus Juris arrogat ſibi. XXII. 15. Caſtrum Oppolienſe condit. XXII. 16. Conſtantienſis Concilii Regius Polonicus Aſſeſſor. XXII. 16. moritur. XXII. 17.

Johannes *Croto*, Italus. LXXVII. 14.

Georgius *Crugerius*. IV. 9. 11. 12. VII 3. 14. XV. 24. XVIII. 19. XXVIII. 4. 7.

Culmenſis Boruſſorum Epiſcopus Johannes Schadlandus. XVII, 4.

Caſpar *Cunradus*. LXVI. 8. LXXVI. 14. 15.

Johannes Henricus *Cunradus*. XVIII. 19. XLII. 1. LXX. 3. LXXVI. 14. 15.

Joachimus *Curæus*. III. 2. 10. IV. 2. 9. V. 9. VII. 13. 15. XVIII. 19. XXXV. 5.

Petrus *Cuſemius*. XX. 17.

D.

Lucas *Dacherius*, VIII. 37. XXI. 11.

Stephanus *Damalevicius*. VIII. 21. 34. 66. XIX. 5 XXII. 13.

Johannes *Dantiſcus*. LXXVI. 12. 22.

Antonius Monchiacenus *Demochares* Reſonæus. VIII. 74.

Johannes *Dlugoſſus*. II. 5. III. 1. 9. IV. 4. 12. V. 1. X. 1. XV. 24. XVIII. 16. 19. XXI. 4. XXX. 8.

Dominicus Hiſpanus, novi Monachorum Ordinis Conditor. V. 6.

Otto *Dominus*, Canonicus Vratislavienſis. XV. 13.

Henricus *Domnigkius*, Senator Vratislavienſis, affert Matthiæ Hungarorum Regi auxiliares Equites contra Georgium Podibradium, Bohemorum Regem. LIII. 4.

Matthæus *Dreſſerus*. XX. 11. 17. 20. XXVIII. 4. 12. 20. XXXIII. 1.

Johannes *Dubravius*. XX. 11.

Franciſcus *Duckherus*. VII. 12. XLII. 2. 3.

Andreas *Duſauſajus*. VIII. 66.

Petrus *Dusburgus*. LXXVIII. 1.

E.

Paulus *Eberus* XX. 17.

Chriſtophorus *Ebro*, Salisburgenſium Præpoſitus, eligitur Archiepiſcopus. XLII. 11.

Georgius *Ederus*. LXXVI. 14. 15. 16.

Lucas *Eiſenreichius*, Senator Vratislavienſis. LIII. 2. Caſimiro Polonorum Regi gratus. LIII. 3. Equites auxiliares affert Matthiæ Hungarorum Regi contra Georgium Podibradium Bohemorum Regem. LIII. 4. Vratislavienſium Capitaneus Provincialis LIII. 5. 9. cum Rudolpho Epiſcopo Vratislavienſi ob Viadrum & Olaviam certat. LIII. 6. Patriæ fidus etiam in turbulento Sileſiæ Statu. LIII. 8. juſtus Vir. LIII. 10. moritur. LIII. 11.

Electores Imperii Romani ſeptem conſtitutos primus indicavit Martinus Polonus. VIII. 75.

Eleuteropolis, Freyſtadium. XXIII. 1.

Deſiderius *Eraſmus* Roterodamus. LXVI. 8. 9. LXXVI. 12. 13. 22.

Erneſtus, Archiepiſcopus Pragenſis, Conditor Monaſterii Glacenſis. XLI. 1.

Eugenius IV. Pontifex Romanus Decreta Concilii Baſileenſis, Poteſtatem Pontificiam Concilio generali ſubjicientia, damnat. XXIV. 6. deſtruere conatur. XXIV. 11. Poteſtate Pontificia privatur. XXIV. 13.

F.

Franciſcus *Faber*. LXVI. 8. LXXXIV. 4.

Johannes *Faber*. LXXVI. 12.

Georgius *Fabricius*. XX. 15. 17. XXVIII. 4. 9. 11. 22.

Jacobus *Fabricius*. XX. 15.

Johannes *Fabricius*. VIII. 21. 24. 40. 44. 45. 68.

Carolus Annibal *Fabrotus*. VIII. 70.

Conradus *Falckenhanius*, Vratislavienſium Capitaneus Provincialis. XVI. 9.

Johannes *Falckenhaynius*, Cœnobii Lipſienſis Præpoſitus. XXVIII. 30.

Gerardus *Fauſtus* Confluentinus: [Georgius Fabricius Chemnicenſis.] LXXVI. 16.

Joachimus *Fellerus*. XXXIII. 1. 8.

Ferdinandus I. Hungarorum & Bohemorum Rex, Sileſiorum Dux ſupremus, Homagium auditurus, Vratislaviam ingreditur. LXXVIII. 9.

Ferdinandus Epiſcopus Lucenſis, Romani Pontificis Legatus, Vratislavienſium Monitor, ne Huſſiticam Doctrinam probent. XXVIII. 22.

Michael Joſephus *Fibiger*. V. 2.

Matthias *Flacius*. VIII. 24. 64. XX. 8.

Johannes Carolus *Florimondus* Rœmundus. VIII. 53.

Jacobus

Jacobus Philippus *Foreſtus*: videatur Bergomenſis.

Franciſcus: videatur Praudita.

Marquardus *Freherus*. LXVI. 17. LXXVI. 22.

Paulus *Freherus*. VIII. 9. 21. 34. XV. 18. XXXIII. 1. LXX. 1.

Johannes *Fridericus*. XX. 4. 19. 24. XXVIII. 3. 29.

Fridericus, Lignicenſium Dux. LXXVIII. 7.

Fridericus, Saxonum Dux, Lipſienſium Academiæ Conditor. XX. 14.

Huldericus *Frœlichius*. LXXVI. 22.

Georgius *Fronsbergius*. LXVI. 12.

Johannes *Fruticenus*. LXXVI. 12.

Fulco, Epiſcopus Cracovienſis. IV. 3.

Bartholdus *Fulſchhuſſelius*, Vratislavienſium S. Ægidii Præpoſitus, Otmuchovienſe Canonicorum Collegium condit. XXI. 13.

Henricus *Fulſteinius*, Epiſcopus Suffraganeus Vratislavienſis LXXVIII. 7.

Furtio Rege quid Sileſii egerint. I. 9.

G.

Achilles *Gaſſerus*. XVII. 1.

Gilbertus *Genebrardus*. VIII. 50.

Georgius Brandenburgenſium Marchio, Carnovienſium Dux. LXXVIII. 7. Sileſiorum ad Ferdinandum I. Bohemorum Legatus. LXXVIII. 8.

Georgius: videatur Podibradius.

Johannes *Gerhardus*. VIII. 9. 24. 27. 50.

Gerlacus, Elector Moguntinus, per Germaniam ArchiCancellarius, Vicarium accipit Precislaum Pogarellam, Epiſcopum Vratislavienſem XVIII. 9.

Germani a Bohemis offenſi Pragenſem Academiam deſerunt. XX. 10.

Martinus *Gerſtmannus*. XV. 28.

Conradus *Gesnerus* VIII. 57.

Chriſtophorus *Gevvoldus* VIII. 27. 51.

Martinus *Girbinius*. LXXIV. 5.

Glacenſium Monaſterii Conditor Erneſtus Archiepiſcopus Pragenſis XLI. 1.

Bernardus *Gleſſius*, Epiſcopus Tridentinus. LXVI. 3. 5. LXXVI. 12. 22.

Glogovienſium Ducatus a Bohemis ad Polonos tranſit: ab his ad illos redit. LIV. 1.

Gnesnenſium Archiepiſcopatui olim Vratislavienſis Epiſcopatus erat ſubjectus. VIII. 31.

Gnesnenſium Archiepiſcopi: Petrus II. Franciſcum Prauditam Epiſcopum Vratislavienſem conſecrat. III. 6. Martinus Strepus, Cognomine Polonus. VIII. 25. Jacobus Stympha conſecrat Henricum Wirbenum, Epiſcopum Vratislavienſem. XII. 3. Bozenta moritur. XXII. 5. Johannes Cropidlo captus in Exilium

um ejicitur. XXII. 6. Albertus Dominatum in Clericos Silesios affectans sentit Adversarium Conradum Episcopum Vratislaviensem. XXVII. 3. Vincentius Kochius. XXX. 7.

Gobelinus Persona. XX. 8. 11.

Melchior *Goldastus*. IX. 7. X. 8. XVI. 2. XVIII. 9.

Goldberga: videatur Aurimontium.

Jacobus *Gordonus*. VIII. 53. XX. 4.

Gotfridus *Viterbiensis* Presbyter. VIII. 71.

Gothofredus, Silesiorum Episcopus primus primam iis Scholam excitat. II. 2. num à Precislao, Episcopo Vratislaviensi, quotannis, peculiari Die, tanquam Sanctus, fuerit cultus. XVIII. 15. 16.

Pierius *Graccus*. LXXVI. 12.

Græcæ Ecclesiæ cum Romana Consensus mox dissolutus. XIV. 11.

Gregorius Aquilejensis Patriarcha. VI. 8.

Gregorius IX. Pontifex Romanus. X. 1.

Gregorius XI. P. R. Clericis extraordinarium Tributum imponit. XVII. 8.

Jacobus *Gretserus*. XVI. 4.

Grotkovienſium Diœcesin Boleslaus III. Lignicensium & Bregensium Dux Episcopo Vratislaviensi vendit. XVIII, 7. Princeps Precislaus Pogarella, Episcopus Vratislaviensis. XVIII.

Vincentius *Grunerus*. XX. 16.

Janus *Gruterus*. LXVII. 7.

Johannes *Gualterius* (Janus Gruterus) VII. 15. 24. XX. 4. XXXVI. 14.

Franciscus *Guicciardinus*. LXVI. 13.

Guilielmus, Troppaviensium Dux, Adversarius Petri Novaci, Episcopi Vratislaviensis. XXX. 9.

Philippus *Gundelius* Patavinus, Actor Causæ contra Silesios LXXXIV. 3.

H.

Habdanckorum, antea Scarbeciorum dictorum, Equestris Familia. XIV. 1.

Luticus *Habdanckus*, Henrici Crassi, Vratislaviensium Ducis, Consiliarius. IX. 4. Ducem suum in Balneo captum Hosti Patmo Conrado Glogoviensium Duci tradit. IX. 4.

Pacoslaus *Habdanckus*, Homicidii Reus, Supplicio subjicitur. IX. 4.

Vitus *Habdanckus* eligitur Vratislaviensis Episcopus. XV. 7.

Hæreticorum Inquisitores: Caspar Schwenckfeldius, Eques Suidnicensis. XV. 22. Johannes Schadlandus, Bregensis. XVII. 3. 10.

Wenceslaus *Hagecius*. XX. 11.

Johannes *Hallervordius*. VIII. 19. 27. 33. 61.

Martinus *Hankius*. I. 1.

Theodorus *Hardenbergius*, Episcopus Brandenburgensis. LXIV. 10.

Christophorus *Hartknochius*. XVII. 4.

Havelbergenſium Episcopi: Hieronymus Scultetus. XIV. 7. Busso Alvenslebenius. LXIV. 10.

Haugwiciorum Equestris Familia vetus. LVI. 1.

Georgius *Haugwicius*, Episcopus Naumburgensis. XXXIII. 4.

Nicolaus *Haugwicius*. LVI. 1.

Wenceslaus *Haugwicius*. LVI. 2.

Johannes *Haunoldus*, Vratislaviensium Capitaneus Provincialis, Academiæ condendæ Svasor. LIX. 2.

Hedwigis, Henrici Barbati, Vratislaviensium Ducis, Uxor à Pontifice Romano Sanctis adscribitur. VII. 1. 9.

S. *Hedwigis* Sacellum in Trebnicensium Monasterio. VII. 11. Cultus Silesiis non omnibus probatur. XXXVII. 4.

Tobias *Heidenreichius*. XX. 15. 17. 19. 24. XXVIII. 8. 29. XXXIII. 1. LVIII. 1.

Georgius *Helmricus*, Aurimontanæ Scholæ Rector. LXXIV. 2. Suis Sumptibus pro Schola Domicilium condit. LXXIV. 4.

Christophorus *Helvicius*. XX. 4.

Nicolaus *Henelius*. III. 2. VII. 3. 15. XV. 24. XVIII. 10. 19. XX. 24. XXVIII. 29. XLII. 3. XLIII. 1. XLV. 3. LXVI. 8. LXVIII. 1. LXXII. 2. LXXV. 14. 15. LXXVII. 11. LXXXIV. 4.

Henrichsdorfium Pagum Canonicis Otmuchoviensibus donat Wenceslaus, Dux Lignicensis, Episcopus Vratislaviensis. XXI. 13.

Henricus V. Imperator quid cum Boleslai III. Silesiorum Ducis Legato egerit. XIV. 1.

Henricus Barbatus, Vratislaviensium Dux, Monasterii Naumburgensis intra Silesiam Conditor. LXXXV.

Henricus Crassus, Vratislaviensium Dux, Henricum Probum Patruum, & Conradum Glogoviensem Ducem, Hostes experitur. IX. 3. 4. Pacoslaum Habdanckum capitaliter punit. IX. 4. in Balneo capitur, Conrado traditur, misere tractatur, ægrè dimittitur. IX. 4. Studiis Poeticis addictus. IX. 5. moritur. IX. 6.

Henricus Probus, Vratislaviensium Dux, posthabitis Cognatis, Ducatum suum Episcopo Vratislaviensi donat. IX. 3.

Henricus III. Vratislaviensium Dux. VII. 9. 14.

Henricus X. Glogoviensium Dux. XLVII. 2.

Henricus, Lignicensium Dux, Canonicus Vratislaviensis. XIX. 1.

Epi-

Episcopus Vladislavienſis. XIX. 2. quibus Rebus addictus. XIX. 3. ad Vladislai IV. Polonorum Regis Partes, contra Semovitum, Maſoviorum Ducem, tranſit. XIX. 4. moritur. XIX. 6.

Henricus Rapoldus, Saganenſium Dux, Concilii Conſtantienſis Aſſeſſor. XXVIII. 21. Huſſitarum armatus Oppugnator. XXVII. 22.

Chryſoſtomus *Henriquezius*. VIII 19.

Johannes *Hermannus*, Juris Canonici Doctor, Canonicus Vratislavienſis. X. 1.

Baſilius Johannes *Heroldus*. VIII. 17. 48. 52. 64.

Johannes *Heſſus*, Theologus Vratislavienſis. LXXIV. 5. LXXVI. 12.

Hieronymi Stridonenſis Presbyteri Monumentum, à Stanislao Sauro, in Vratislavienſium S. Crucis Templo exſtructum. LXXII. 6.

Hieronymus Pragenſis probat propagatque Joannis Wiclefi Dogmata. XX. 7.

Hildesheimenſium Epiſcopus Johannes Schadlandus. XVII. 5.

Johannes Jacobus *Hofmannus*. VIII. 21. 34.

Johannes *Hofmannus* Pragenſium Academiæ Profeſſor. XXVIII. 1. ante Diſcordiam inter Germanos & Bohemos ultimus è Germanis Rector. XXVIII. 4. Praga Lipſiam ſecedit: ibi Academiæ Suaſor, fit Profeſſor. XXVIII. 6. an primus Rector. XXVIII. 8. fit Epiſcopus Miſnenſis. XXVIII. 10. 11. 12. Concilii Conſtantienſis Aſſeſſor. XXVIII. 15. ob Impendia Noſſam Oppidum Henrico Oderano Abbati Veterocellenſi vendit. XXVIII. 15. trium Romanorum Pontificum Rejectionem probat. XXVIII. 18. Huſſitarum Inimicus, ab iis Clades patitur. XXVIII. 23. Indulgentias offert Huſſitarum Perſecutoribus. XXVIII. 25. 26. Adverſarios experitur Barones Birkios Daubanos. XXVIII. 27. Lipſienſe Collegium B. Virginis auget Reditibus XXVIII. 28. 29. Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſtudioſus. XXVIII. 30.

Thomas *Holthuterus*. VIII. 3.

Vincentius *Holtenſius*. LXXII. 4.

Johannes Henricus *Hottingerus*. VIII. 51.

Adamus *Huberus*. XX. 5.

Wigulejus *Hundius*. VII. 12. LXII. 1.

Huſſitæ ſuam Doctrinam Armis defendentes, Damna inferunt & perferunt. XXVIII. 22.

Johannes *Huſſus* probat propagatque Joannis Wiclefi Dogmata. XX. 7. 8. Wenceslaum Bohemorum Regem habet Fautorem. XX. 20. à Conſtantienſi Concilio juſtè damnatus ſcribitur Sileſiis. XXVIII. 19.

Hyacinthus: videatur Odrovaſius.

I.

Ludovicus *Jacobus:* videatur Carolus.

Jagello Lithuanus fit Polonorum Rex. XXII. 5.

Thomas *Jameſius*. VIII. 61.

Jaroslaus, Vratislavienſium Dux, quos habuerit Progenitores. IV. 1. 2. cum Patre Boleslao Procero Bellum gerit. IV. 3. ab Armis ad Literas revocatus, prius Canonicus, poſtea Epiſcopus Vratislavienſis. IV. 6. Niſſenſem Provinciam Epiſcopo Vratislavienſi dat hæreditariam. IV. 8. Canonicis parum gratus. IV. 7. gratior IV. 10.

Jauernicium, antea Boleslai Suidnicenſium Ducis, fit Epiſcopi Vratislavienſis Caſtrum & Oppidum. XVIII. 12.

Jenckwiciorum Equeſtris Familia. XXXVI. 1.

Laurentius *Jencwicius*, XXXV. 1.

Nicolaus *Jenckwicius*, Vratislavienſium Senator, Capitaneus Provincialis. LXIII. 1.

Petrus *Jenckwicius*. LXIII. 1.

Joachimus I. Brandenburgenſium Elector. LXIV, 2. 6. 7.

Joachimus, Monſterbergenſium Dux. LXXVI. 22. Epiſcopatum Vratislavienſem expetit. LXXVIII. 7.

Jodocus, Vratislavienſium Epiſcopus, moritur. XXXVII. 3.

Johannes, Autor Chronici Polonici MSti. VII. 14.

Johannes XXII. Pontifex Romanus. XVI. 4. Sileſiis Epiſcopum Indigenam Extero præferendum ſtatuit. XIV. 5. Pontificatum amittit. XVI. 2.

Johannes Cardinalis Aragonius. XLII. 8.

Johannes Epiſcopus Nalurienſis. XXX. 7.

Johannes Lucenburgicus, Bohemorum Rex, quibus Artibus Sileſios ſub Obſequium ſuum traxerit. XV. 9. Arcem Milicenſem Epiſcopalem per Stratagema occupat. XV. 11. Epiſcopo Vratislavienſi ereptam reddit. XV. 12. Nankero Epiſcopo Vratislavienſi Audientiam denegat. XV. 13. ab eo graviter increpatur: Inſolentiam perfert. XV. 14. eam Senatores Vratislavienſes improbant. XV. 15. cur à Nankero non Rex, ſed Regulus dictus. XV. 16. Nankerum cum Aſſeclis Vratislavia depellit. XV. 17. Nankeri Bona occupandi Jus dat Sileſiorum Ducibus. XV. 20. Anathema & Nankeri Epiſcopi, & Pontificis Romani deridet. XV. 21. Sileſiis fert Legem, ne quis Fundus ad Clericum tranſeat Emtionis Jure. XV. 21. Vratislavienſibus Notam Hæreſis defendit. XVI. 9. Caſparem Schwenckfeldium, Hæreticorum Inquiſitorem evocat Pragam in Judicium. XVI. 9. Precislaum Pogarellam ad Epiſcopatum Vratislavienſem evehit. XVIII. 5. Epiſco-

ſcopalium Bonorum redditorum ſit Defenſor. XVIII. 6. Grotkovienſem Dioeceſin emtam Vratislavienſi Epiſcopo, deinceps Vaſallo ſuo, permittit. XVIII. 7. moritur. XVIII. 8.

Johannes Saganenſium Dux. XXXVIII. 2. 8.

Johannis VIII. Papiſſæ Narrationem num Martinus Polonus Chronico ſuo primus inſeruerit. VIII. 66. 67. 68. 69. 70.

Paulus *Jovius*. LXVI. 8. 12. LXXVI. 1. 12. 14. 22.

Julianus Cardinalis, Concilii Baſileenſis Aſſeſſor. XXIV. 4. Indulgentias Perſecutoribus Huſſitarum divulgat. XXVIII. 24. Johanni Hofmanno, Epiſcopo Miſnenſi, commendat. XXVIII. 24.

Wolfgangus *Juſtus*. XX. 1. 15.

K.

Jaroslaus *Kanckolouskius*, Canonicus Vratislavienſis. XXX. 7.

Chriſtophorus *Katskius*. XIII. 13.

Hermannus *Kirchnerus*. LXVI. 17.

Johannes *Kitlicius*, Epiſcopus Lebuſianus. XXI. 4.

Henricus *Knightonus*. XX. 8.

Vincentius *Kochius*, Gneſnenſium Archiepiſcopus. XXX. 7.

Waltherus *Kœckritius*, Martisburgenſium Epiſcopus. XX. 20.

Albertus *Kranzius*. VII. 31. XVII. 1. 5. XX. 15.

Johannes *Kraſa*, Civis Pragenſis, Dogmatum Huſſiticorum Defenſor, crudeliter Vratislaviæ trucidatur. XXVIII. 22.

Krautwaldus: videatur Crautwaldus.

Nicolaus *Kreulius*, Æneæ Sylvii (poſtea Pii II. Pontificis Romani) Amicus. XLIII. 2. 3. Capellanus: ad Archiepiſcopum Salisburgenſem: & Ulricum Roſenbergium miſſus. XLIII. 4. Franciſci Picolominei (poſtea Pii III. P. R.) Præceptor. XLIII. 2. Canonicus Vratislavienſis. XLIII. 5.

L.

Philippus *Labbæus*. VII. 7. VIII. 7. 10. 21. 35. 45. 61. 65. 74. XXVIII. 13.

Ladislaus, Hungarorum Rex, Cracovienſi Epiſcopatui Arcem Terramque Plocenſem donat. XIII. 6.

Petrus *Lambecius*. VIII. 15. 33. 44. 45. 47. 61. 68. 74.

Matthias *Lamprichtius*. LXXVI. 12.

Johannes *Langerus*, Profeſſor Lipſienſis. LXXXIII. 1.

Johannes *Langius*. LXII. 2.

Paulus *Langius*. VIII. 3. 19. 28. XXVIII. 9. 12. XXXIII. 1. 6. 8.

Matthæus *Langus*, Epiſcopus Gurcenſis, Cardinalis. LXXVI. Legatus Regius in Itineribus Expeditionibusque ſuis Comitem habet Caſparem

Caſparem Urſinum Velium. LXXVI. 5. 6.

Thomas *Lanſius*. VIII. 9.

Angelus *Lantuſca*. VI. 2.

Johannes *Latomus*. LXVI. 8.

Ludovicus *Lavaterus*. VIII. 24.

Laurentius Vratislavienſium Epiſcopus, Vratislavienſe Monaſterium S. Virginis mutat in S. Adalberti Cœnobium. V. 8. Suidnicenſe Monaſterium conſecrat. XII. 2.

Marcus *Laurinus*. LXVI. 9.

Johannes *Lautſchœlerus*, Canonicus Vratislavienſis. XXX. 4.

Johannes *Laziardus*. VIII. 37. XX. 8.

Wolfgangus *Lazius*. LXXVI. 12.

Lebuſiorum Epiſcopus Johannes Kitlicius. XXI. 4.

Leſcus Albus, Caſimiri Sileſiorum Ducis Filius, Polonorum Dux. IV. 5.

Lignicenſium Schola Sæculo XIII. floret. X. 1.

Lipſienſium Academiæ Conditor Fridericus Saxonum Dux. XX. 14. conditæ Tempus. XX. 16. majus Principum Collegium. XX. 22. Profeſſores Honoribus & Reditibus Canonicorum donati. XX. 23. Johannes Otto XX. 21. Nicolaus Weigelius. XXIV. 3. Johannes Hofmannus. XXVIII. 6. Caſpar Weigelius. XXXI. 2. Theodoricus Burgsdorfius XXXIII. 3. Henricus Thymius. XL. 1. Chriſtophorus Thymius. XLVI. 1. Nicolaus Zehlerus. LVIII. 2. Matthæus Dameravius. LX. 1. Petrus Wirthius. LXII. 2. Johannes Metzlerus. LXXVII. 2. Petrus Prockendorfius. LXXX. 2. Johannes Langerus. LXXXIII. 1.

Literariam Rem cur Sileſii ſero coluerint. I. 1.

Lithuanorum Dux Alexander Vitoudus quanti fuerit æſtimatus. XXII. 12.

Georgius *Logus*. LXVI. 3. 10. 16. LXXVI. 12. 13. 14.

Johannes *Longinus*: videatur Dlugoſſus.

Chriſtophorus *Longolius*, non Gallus, ſed Belga. LXVI. 7.

Johannes Petrus *Lotichius*. LXXVI. 14. 15.

Stanislaus *Lubienskius*. VIII. 31.

Fridericus *Lucæ*. VII. 15. XVIII. 15. 19. 26. XXII. 8.

Johannes *Lucenburgicus*: videatur Johannes.

Ptolemæus *Lucenſis*. VIII. 48.

Ludolphus Lavantinorum fit Vratislavienſium Epiſcopus. XXXVII. 3.

Ludovicus Cardinalis, Epiſcopus Arelatenſis. XXIV. 14.

Ludovicus Hungarorum Rex. XXII. 4. LXV. 2.

Ludovicus IV. Bavarus Imperator, ob Anathema, Pontificatu Romano Johannem XXII depellit, Nicolaum V. donat. XVI. 2.

Martinus *Lutherus* Indulgentias Romanas oppugnat. LXIV. 4.

Johannes *Lydius*. XXVIII. 13.

M.

Joachimus Johannes *Maderus*. XX. 1.

Petrus *Magiſter*, Canonicus Vratislavienſis, fit Epiſcopus Paſſavienſis. VII. 5.

Petrus *Malticius*, Huſſitarum Dux, Miſniam oppugnat. XXVIII. 23.

Sebaſtianus *Mammerotius*. VIII. 41.

Hippolytus *Maraccius*. VIII. 6. 10. 34. XVII. 2. 12. LXX. 1.

Samuel *Mareſius*. VIII. 24.

Hadrianus *Marius*. LXXVI. 18.

Johannes *Marius*. XXVIII. 13.

Marobodnus, Sileſiorum Rex, à Romanis aliquid Eruditionis capit. I. 5.

Marſilius: videatur Menandrinus.

Martinus V. Pontifex Romanus. XX. 8.

Martisburgenſium Epiſcopi: Waltherus Kœckritius. XX. 20. Nicolaus, Concilii Conſtantienſis Aſſeſſor. XXVIII. 15. Adolphus Princeps Anhaltinus. LXIII. 3.

Chriſtianus *Matthias*. VIII. 24.

Matthias Hungarorum Rex, non omnium, nec Bohemorum Rex, nec Sileſiorum Dux ſupremus. LIII. 7.

Mauricius Saxonum Dux Saganenſem in Sileſia Ducatum poſſidet. LXXXV. 2.

Henricus *Meibomius*. XXVIII. 13.

Samuel *Meigerius*. XX. 1. 19.

Philippus *Melanchthon*. LXXVII. 10. 14.

Johannes *Melcerus*. XXVIII. 33.

Petrus *Mellinus*. LXVI. 8.

Marſilius *Menandrinus* Patavinus. VIII. 8. 37. 59. XVI. 2.

Antonius *Mendoſſa*. LXXVI. 22.

Johannes *Metzlerus*, Stirpe nobili. LXXVII. 1. ingenuis Studiis addictus, Roberti Croci Auditor. LXXVII. 2. Græcæ Linguæ Profeſſor Lipſienſis: Joachimi Camerarii Præceptor. LXXVII. 2. Juris utriusque Doctor: Vratislavienſium in Eliſabetano Gymnaſio voluntarius & honorarius Profeſſor: Auditores etiam Viros habet. LXXVII. 3. fit Senator. LXXVII. 5. Provincialis Capitaneus. LXXVII. 6. Podagricus. LXXVII. 7. Filium Chilianum erudiri curat. LXXVII. 8. Patre vivo dubitatur, an mortuo, mortuum. LXXVII. 9.

Ludolphus *Meyſtermannus*. XXVIII. 5.

Matthias *Michovius*. III. 10. IV. 9. V. 10. VIII. 31. XIII. 8.

Johannes *Micrælius*. XXII. 9.

Jacobus *Middendorpius*. XX. 15.

Mieslai Senis, Sileſiorum Ducis, cum Fratre Boleslao Procero Bellum. IV. 4.

Mieslaus I. Sileſiorum Dux ſit Chriſtianus. II. 1.

Milicenſis Arcis Poſſeſſor Nankerus Epiſcopus Vratislavienſis: Defenſor Henricus Wirbenus: per Inſidias Poſſeſſor fit Johannes Lucenburgicus Bohemorum Rex. XV. 11. Poſſeſſio Epiſcopatui Vratislavienſi redditur. XVIII. 6.

Aubertus *Miræus*. VIII. 5. 21. 24. 27. 50. 75.

Misnenſium Epiſcopus Rudolphus Plaunicius, XXVIII. 9. Johannes Hofmannus. XXVIII. 10. 14. 12.

Ambroſius *Moibanus*. LXIX. 3.

Monetæ cudendæ Jus obtinet Vratislavienſis Epiſcopus, Petrus Novacus. XXX. 14.

Monialium Beguinarum Ordo quid ſtatuerit. XVI. 4.

Johannes *Monſterbergenſis*: videatur Johannes Otto.

Conradus *Montanus* Puellaris. XVI. 4.

Gregorius *Morenbergerus*, ICtus pius & juſtus. LIX. 1. Suaſor Academiæ Vratislavienſis. LIX. 2. a Latrone captus, Arte mira Libertatem conſequitur. LIX. 3. LXVII. 2.

Philippus *Mornæus*. VIII. 24.

Johannes *Muſcata*, Eques, Philoſophiæ Doctor, Archidiaconus Lancicienſis, Epiſcopus Cracovienſis. XIII. 2 Bona & Jura Epiſcopatui ſuo adauget. XIII. 3. Bieciam univerſam a Wenceslao Polonorum & Bohemorum Rege in Donum accipit. XIII. 4. amittit XIII. 5. Terram Plochenſem a Ladislao Hungarorum Rege in Donum accipit. XIII. 6. diſſidentibus Polonis & Bohemis varias experitur Vices. XIII. 8. a Vladislao Polonorum Rege captus, in Exilium ejicitur. XIII. 9. in Gratiam receptus a Rege Bonis augetur. XIII. 10. moritur. XIII. 11.

Henricus *Mutius*. XX. 8.

N.

Nicolaus *Nalencius*, Canonicus Gnesnenſis. XXII. 2.

Nankerus Oxius, Jurium Provincialium & Eccleſiaſticorum intelligentiſſimus. XV. 8. tenaciſſimus. XV. 9. Epiſcopus Cracovienſis Templum cathedrale combuſtum reparat. XV. 4. Aldonam Lithuanorum Ducis Filiam Sponſam Chriſtianam baptizat. XV. 5. Vladislai Polonorum Regis Colaphum patitur. XV. 6. fit Epiſcopus Vratislavienſis. XV. 8. Arcis Milicenſis ad Sileſiæ Fines Poſſeſſor. XV. 10. contra Johannem Lucenburgicum, Bohemorum Regem Defenſor, ereptæ facit Jacturam. XV. 11. ab eodem audiendus non admittitur. XV. 13. eum admiſſus graviter increpat. XV. 14. 5. ab eo cum Aſſeclis Vratislavia depellitur. XV. 17. publicum Dei Cultum Vratislavienſibus, ſed non parentibus, prohibet. XV. 19. Epiſcopalium Bonorum maximam Portionem amittit. XV. 20.

Johannes *Nauclerus*. XX. 15.

Gabriel *Naudæus*. VII. 45.

Naumburgenſium in Sileſia Monaſterii Abbas Simeon Pezoldus. LXXXV. 1. 2.

Chriſtophorus *Neander* LXXVII. 9.

Balthaſar *Necherus*, Eques Saganenſis. LXXV. 1. Juris utriusque Doctor. Canonicus Vratislavienſis. LXX. 2.

Seyfridus *Necherus*, Eques, Capitaneus Saganenſis Provincialis. LXXV. 1.

Salomon *Neugebauerus*. III. 10.

Nicolaus Martisburgenſium Epiſcopus, Concilii Conſtantienſis Aſſeſſor. XXVIII. 15.

Nicolaus Monachus Carthuſienſis. XXIV. 17.

Nicolaus III. Pontifex Romanus. VIII. 21.

Nicolaus V. Pontifex Romanus Indulgentias Sileſiis per Joannem Capiſtranum publicat. XXX. 11.

Nicopolitanorum Epiſcopus, Johannes Thielius. LXXXI. 2.

Theodorus *Niemus*. XXI. 6. XXVIII. 13.

Antonius *Niger*. LXXXVII. 4.

Dominicus Marius *Niger*. LXVII. 7.

Niſſenſem Provinciam Jaroslaus Dux & Epiſcopus Vratislavienſis facit Epiſcopatui ſuo hæreditariam. IV. 8. 9.

Noſſam Oppidum vendit Epiſcopus Miſnenſis Abbati Veterocellenſi. XXVIII. 15.

Novacum, Novvagum', Pagus Sileſiorum Niſſenſis. XXX. 2.

Petrus *Novacus*, Canonicus Vratislavienſis. XXX. 2. Epiſcopus Vratislavienſis. XXX. 6. 7. Adverſarium habet Guilielmum, Ducem Oppavienſem. XXX. 9. Epiſcopatui Vratislavienſi bene conſulit. XXX. 10. Preces contra Turcas inſtituit. XXX. 13. Monetæ cudendæ Jus a Ladislao Bohemorum Rege obtinet: Privilegiis aliis a Romano Pontifice pro ſuo Epiſcopatu donatur. XXX 14. Synodo Vitia Clericis prohibet XXX. 16.

Georgius *Novagus*, Eques, Canonicus Vratislavienſis. XLIV. 2.

Johannes *Nuſſienſis*. VII. 8. 24. 37.

O.

Guilielmus *Occamus*. XVI. 2.

Henricus *Odoranus*, Abbas Veterocellenſis emit Oppidum Noſſam. XXVIII. 15.

Ceslaus *Odrovaſius* non Polonus, ſed Sileſius. V. 2. quando natus. V. 3. Pariſienſis & Bononienſis Literarum Cultor, V. 4. Canonicus Cracovienſis. V. 5. Ordinis Prædicatorum Monachus, Epiſcopus Cracovienſis. V. 6. Bohemiam & Sileſiam peragrat. V. 7. Ordinis ſui per Bohemiam, Sileſiam, Moraviam Provincialis. V. 8. Miraculis clarus. V. 9. 10.

Euſtachius *Odrovaſius*. V. 3. VI. 4.

Hyacinthus *Odrovaſius*, Epiſcopus Cracovienſis, a Pontifice Romano Sanctis adſcribitur. VI. 10.

Ivo *Odrovaſius*, Canonicus Cracovienſis. V. 5. 7. VI. 5. Leſconis Albi, Cracovienſium Ducis, Cancellarius. V. 5. Epiſcopus Cracovienſis. V. 6.

Simon *Okolskius* III. 2. V. 1.

Auguſtinus *Oldoinus*. VIII. 21.

Johannes Gotfridus *Olearius*. VIII. 7. 10. 21.

Petrus Johannes *Olivus* Eccleſiam Romanam Dogmatibus ſuis graviter oppugnat. XVI. 3. quosdam Sileſios in Sententiam ſuam trahit. XVI. 5.

Olomucenſium Epiſcopus Stanislaus Turzo. LXXVI. 22.

Martinus *Opitius*. X. 8.

Petrus *Opmeerus*. XX. 5.

Oppolienſium Caſtrum condit Dux Johannes Cropidlo, Epiſcopus Vladislavienſis. XXII. 16.

Henricus *Oræus*. VIII. 3.

Ormuchovienſe Canonicorum Collegium Henrichsdorfio Villa donat Wenceslaus Dux Lignicenſis, Epiſcopus Vratislavienſis. XXI. 13.

Ormuchovienſem Arcem Conradus Epiſcopus Vratislavienſis amiſſam recuperat. XXVII. 8.

Otto Friſingenſis Epiſcopus. VIII. 71.

Johannes *Otto*, etiam Johannes Monſterbergenſis dictus. XX. 1. inter eruditos Pragenſis Academiæ Viros excellens. XX. 12. multis Comitibus Lipſiam migrat. XX. 13. 14. Academiæ Lipſienſis Profeſſor, primus Rector. XX. 18. Procancellarius. XX. 20. dives, unde. XX. 24. B. Virginis Collegium condit. XX. 25. moritur. XX. 26.

Otto Paſſavienſis Epiſcopus. VII. 5.

Oxiorum Familia nobilis Oppolienſis. XVI. 1.

Nankerus *Oxius*: videatur Nankerus.

P.

Janus Vitus *Panormitanus*. LXXVI. 12.

Henricus *Pantaleo*. XVII. 1. LXVI. 8. LXXVI. 14.

Onuphrius *Panvinius*. VIII. 18. 19. 24. 27. 50. 66. 79. XXI. 6.

Papæ Fœminæ Johannis VIII. Narrationem num Martinus Polonus Chronico ſuo primus inſeruerit. VIII. 66. 67. 68. 69. 70.

Paſſavienſium Epiſcopus Petrus Magiſter. VII. 5.

Patſcovia, quondam Monſterbergenſis, poſtea Epiſcopalis Juris Oppidum. L. 1.

Johannes *Paulus* Romanus. VI. 2.

Davides *Peiferus*. XX. 19. 24.

Gobelinus *Perſona*, videatur Gobelinus.

Suffridus *Petrus*. VIII. 15. 21. 24. 38. 39. 48. 53. 62. 64.

Petrus II. Gnesnenſium Archiepiſcopus, Franciſcum Prauditam, Epiſcopum Vratislavienſem conſecrat. III. 6.

Simon *Pezoldus*, Naumburgenſium intra Sileſiam Monaſterii Abbas. LXXXV. 12.

Sixtus *Pfefferus*. LXVIII. 1.

Julius *Pflugius*. LXXVII. 14.

Jacobus *Picolomineus*. XX. 15.

Johannes *Picolomineus*. XX. 8.

Johannes *Pierius* Valerianus. LXVI. 8. 16.

Bilibaldus *Pirckheimerus*. LVII. 7. LXXVI. 22.

Johannes *Piſtorius*. IV. 2. (13.

Baptiſta *Platina*. VIII. 37. XXVIII.

Rudolphus *Plauicius*, Epiſcopus Miſnenſis. XXVIII. 9.

Plochenſem Arcem, Urbem, Terram Epiſcopus Cracovienſis ab Hungarorum Rege Ladislao in Donum accipit. XIII. 6.

Georgius *Podibradius* non ab omnibus, nec Bohemis Rex, neque Sileſiis ſupremus Dux, agnoſcitur. LIII. 7.

Precislaus *Pogarella* Eques. XVIII. 1. 2. Canonicus Vratislavienſis. XVIII. 3. Romam proficiſcitur. XVIII. 5. Johannis Lucenburgici, Bohemorum Regis Auxilio, fit Epiſcopus Vratislavienſis. XVIII. 4. 5. inter Johannem Regem & Vratislavienſes Canonicos Diſſidium, ob Arcem Milicenſem, componit. XVIII. 5. emtam Grotkovienſem Terram Epiſcopatui ſuo addit. XVIII. 7. Carolum IV. Bohemorum Regem, Sileſiorum Ducem, Vratislaviam ingreſſum, Orator excipit. XVIII. 8. ſit ejusdem Caroli Cæſaris Cancellarius Aulicus. XVIII. 9. laudabiliter agit. XVIII. 10. fit Princeps Grotkovienſis Ligius. XVIII 11. Epiſcopatum ſuum Acceſſionibus ditat & ornat. XVIII. 12. 13. Sacelli Manſionariorum Conditor: Laicorum 12. pauperum Niſſenſis Societatis Autor. XVIII. 14. an Gothofredum Epiſcopum Sileſiorum primum, inſtar Sancti, coluerit. XVIII. 15. 16. amabilis & venerabilis. XVIII. 17. Epiſcopatum ſuum facit aureum. XVIII. 17. quando mortuus XVIII. 19. 20.

Nicolaus *Polius*. III. 2. V. 9. VII. 15. XVIII. 19. XLII. 3.

Polonorum cum Sileſiis ſocietas qualis. XV. 10.

Martinus *Polonus*: videatur Martinus Strepus.

Posnanienſium Epiſcopus Johannes Cropidlo. XXII. 3.

Antonius *Poſſevinus* VIII. 59. XVII. 12.

Pragenſium Academiæ quis natalis Annus. XX. 3. 4. Diſcordia. XX. 6. 9. 10. XXVIII. 2. Profeſſores: Johannes Otto. XX. 6. Johannes Hofmannus. XXVIII. 1. num ante Bohemorum & Germanorum Diſcordiam ultimus e Germanis Rector fuerit Henningus Boldenhagius. XXVIII. 3. 4.

Pragenſium Archiepiſcopus Erneſtus

Gabriel *Prateolus*. XXVIII. 13.

Franciſcus *Prauditа*, non Polonus, ſed Sileſius. III. 1. Literis excellens. III. 3. 11. Boleslai Proceri, Sileſiorum Ducis, Cancellarius. III. 4. Exiſtimatione magna. III. 5. Epiſcopus Vratislavienſis. III. 7. moritur. III. 12.

Chriſtophorus *Preuſſius*, Pannonius. LXXIV. 10. 11.

Primislaus, Troppavienſium Dux, unde ſuam Originem traxerit. XXXVII. 1. Literis deditus, Vratislavienſium Canonicus. XXXVII. 2. cur non factus Epiſcopus. XXXVII. 3.

Johannes *Prockendorfius*, Senator Vratislavienſis. LXXX. 1.

Petrus *Prockendorfius*, Juris utriusque Doctor, Profeſſor Lipſienſis. LXXX. 2. Vratislavienſis Canonicus, Concordiæ ſtudioſus. LXXX. 3.

Balthaſar *Promnicius*, Epiſcopus Vratislavienſis. LXXIX. 1. LXXXV. 4

Q.

Johannes Andreas *Quenſtedtius*. VIII. 24. 27.

Joſephus *Quesnelius*. VIII. 61.

Quinquecclesienſium Præpoſitus Petrus Bæckenſchlöerus. XLII. 6.

R.

Procopius *Raſus*, Huſſitarum Dux, Miſniam oppugnat. XXVIII. 23.

Odoricus *Raynaldus*. VIII. 48. 64. XV. 24. XX. 4.

Adrianus *Regenvolſcius*. XX. 8.

Regulus, non Rex, cur Johannes Lucenburgicus Bohemorum Rex ab Epiſcopo Vratislavienſi Nankero dictus. XV. 16.

Reimbabiorum, aliis Reinbabiorum dictorum, Stirps nobilis. XLVIII. 1.

Adamus *Reisnerus*. LXVI. 13.

Ægidius *Remus*. LXXVI. 12.

Johannes Capnio *Reuchlinus*. LXXVI. 12.

Elias *Reusnerus*. VIII. 24.

Nicolaus *Reusnerus*. XX. 16. XXVIII. 12. LXXVI. 22.

Beatus *Rhenanus*. LXXVI. 12.

Petrus *Ribadeneira*. V. 1. VI. 6. 7. 8.

Johannes Baptiſta *Riccioluſ*. VIII. 18. 51. 59. XX. 16.

Otto *Richea* [Otto Aicher] VII. 12. XLII. 1.

Stephanus *Ritterus*. XX. 1. 17. XXVIII. 4. 29.

Caſpar *Robravius*, Eques, Glogovienſium Ducis Cancellarius. XI. 1. moritur. XI. 2.

Wernerus *Rolevinckius*. XX. 4.

Romam expugnat & devaſtat Carolus Borbonius Gallus, Imp. Caroli V. Legatus. LXVI. 12.

Romanæ & Græcæ Eccleſiæ Conſenſus mox diſſolvitur. XXIV. 12.

Romanam Eccleſiam graviter oppugnat Petrus Johannes Olivus

XVI. 3. tres simul Pontifices distrahunt. XXVIII. 30. eos removet Constantiense Concilium. XXVIII. 18.

Romanorum Pontificum Potestatem Concilio generali subjicit Basileense Concilium. XXIV. 6.

Johannes *Romka*, Canonicus Vratislaviensis. XII. 3.

Gerhardus *Roo*. XLII. 7.

Antonius *Roscellus*. VIII. 37.

Jodocus *Rosenbergius*, Bohemus. XLIII. 5.

Ulricus *Rosenbergius*, Bohemus. XLIII. 4.

Johannes *Rosinus*. LXXVI. 12. 15.

Hieronymus *Rubeus*. VIII. 54.

Rudolphus, Episcopus Vratislaviensis affert Equites auxiliares Regi Hungarorum Matthiæ, contra Georgium Podibradium, Bohemorum Regem. LIII. 14.

Rudolphus, Saganensium Dux, Assessor Concilii Constantiensis. XXXVIII. 21.

Johannes *Rullus*. LXXVIII. 14.

Rupertus, Lignicensium Dux. XXI. 7.

Andreas *Rupertus*, Saganensium Monasterii Abbas. LXXXV. 2. Saganenses ob Protestantium Religionem affligit. LXXXV. 3.

Procopius *Ruthenus*, Episcopus Cracovienſis. XIII. 2.

S.

Jacobus *Sadoletus*, Cardinalis. LXXVI. 12.

Henricus *Sænftlebenius*, Imp. Friderici III. Consiliarius. XLIII. 5.

Saganense Ducatum possidet Mauricius Dux Saxonicus. LXXXV. 2. Austriacis reddit. LXXXV. 3. Civitatem in alium Statum disponit Ferdinandus I. Bohemorum Rex, Silesiorum Dux. LXXXV. 3.

Saganenses ob Protestantium Religionem affliguntur. LXXXV. 3.

Saganense Dux Rudolphus Assessor Concilii Constantiensis. XXVIII. 21.

Caspar *Sagittarius*. VIII. 33. 42. 61.

Salisburgenſium Archiepiscopi: Bernhardus. XLII. 9. Johannes Bœckenschloerus. XLII. 9. Christophorus Ebro. XLII. 11. Sigismundus XLIII. 4. Vladislaus Dux Vratislaviensis. VII. 5.

Salzarum Familia Equestris antiqua LXI. 1. LXXVIII. 1.

Hermannus *Salza*, supremus Ordinis Teutonici per Borussiam Magister. LXXVIII. 1.

Jacobus *Salzá*, Eques, Glogovienſi Ducatui præfectus Capitaneus. LXI. 1 LXXVIII. 4. Canonicus Vratislaviensis. LXXVIII. 4. Ludovici Hungarorum & Bohemorum Regis ad Comitia Francofurtana Legatus. LXXVIII. 4. Episcopus Vratislaviensis. LXI. 1. LXXVIII. 6. Silesiorum ad Ferdinandum I. Hungarorum & Bohemorum Regem Legatus. LXXVIII. 8. eundem, Silesiorum

Silesiorum Ducem supremum, Breslam ingressum, ad Homagium audiendum, Orator excipit. LXXVIII. 9. Silesiorum supremus Capitaneus. LXXVIII. 9. Aulam Nissensem combustam reparat suis sumtibus. LXXVIII. 12. Pactum inter Ferdinandi I. Hungarorum & Bohemorum Regis Filiam Elisabetham, & Sigismundum Augustum Polonorum Regem matrimoniale stabilit. LXXVIII. 12. in Silesios Protestantes mitis. LXXVIII. 13. nihilo secius Romanis Sacris addictus. LXXVIII. 14. moritur. LXXVIII. 15.

Nicolaus *Salza*. LXI. 1. Schreibersdorfii Dominus. LXXVIII. 3.

Wigandus *Salza*, Canonicus Vratislaviensis. LXI. 1.

Sandecia, Polonorum Urbs, Causa Dissidiorum. XIII. 4.

Stanislaus *Sarnicius*. III. 10.

Georgius *Sauromannus*, Eques. LXVI. 1. Juris peritus. LXVI. 2. Academiæ Bononiensis Rector. LXVI. 3. Patronos habet Franciscum Sfortiam, Barri Ducem, & Bernardum Glessium, Episcopum Tridentinum. LXVI. 3. Imp. Maximiliano I. parentat. LXV. 5. Imp. Caroli V. Procurator in Aula Romana. LXVI. 6. Jus Romanæ Civitatis adipiscitur. LXVI. 7. Vratislaviensis Ecclesiæ Cathedralis Præpositus: S. Crucis Decanus. LXVI. 7. Amicos habet clarissimos Viros. LXVI. 8. extremam subit Calamitatem. LXVI. 12. 13. 14.

Julius Clemens *Sauromannus*. LXVI. 10. 14. 15. 16. (16.

Valentinus *Sauromannus*. LXVI.

Bartholomæus *Saurus*. LXXII. 1

Georgius *Saurus*. LXXII. 1.

Johannes *Saurus*. LXXII. 1.

Stanislaus *Saurus*. LXVI. 8. 16. LXXII. 1. LXXVI. 8. 9. 10. 12. 22.

Pamphilus *Saxus*. LXXVI. 12.

Sbylutus, Episcopus Vladislaviensis. XXII. 4.

Scarbeciorum, tandem Habdanckorum dictorum, Equestris Familia. XIV. 1.

Johannes *Schadlandus* ubi natus. XVII. 1. Ordinis Prædicatorum Monachus: Theologiæ Doctor: Causas Romani Pontificis feliciter agit. XVII. 3. Johannis Wiclefi Dogmata oppugnat. XVII. 3. Hæreticorum Inquisitor. XVII. 3. 10. Episcopus Culmensis. XVII. 4. Hildesheimensis. XVII. 5. Wormatiensis & Augustanus. XVII. 7. Literis addictissimus. XVII. 6. Quietis appetens, inquietus redditus ob Dissidium. XVII. 7. 8.

Simon *Schardius*. VIII. 24. XVI. 2. LXVI. 13.

Hartmannus *Schedelius*. VIII. 3. 3. 28

Bartholomæus *Scheuerlinus*, Canonicus Vratislaviensis. LVII. 1.

Bartholomæus *Scheuerlinus*, Senator Vratislaviensis. XLVII. 1. LVII. 1

Christophorus *Scheuerlinus*, Professor Lipsiensis. LVII. 4.

Johannes *Scheuerlinus*, Canonicus Vratislaviensis.

Jacobus *Schikfusius*. III. 2. IV. 2 9. VII. 13. 15. 31. XVIII. 15. 19. XXI. 12. XXVIII. 22. LIV. 1. LVIII. 2.

Zacharias *Schneiderus*. XX. 1. 19. 24. XXIV. 1. XXVIII. 8. 11. 29. XXXIII. 1. LVII. 1.

Bartholomæus *Schobingerus*. IX. 7.

Fabianus *Schænaichius*, Saganensium Capitaneus Provincialis. LXXXV. 5.

Andreas *Schola*, Canonicus Vratislaviensis. XXX. 7.

Georgius *Scholarius*. XXIV. 12.

Johannes *Schrammius*. IV. 2.

Thomas *Schramus*. LXXVI. 20.

Caspar *Schutzius*. XVII. 4. LXXVIII. 1.

Christophorus *Schwartzius*, famosus Latro. LIX. 3.

Johannes *Schwenckfeldius*, Eques Ordinis Prædicatorum Monachus, Theologiæ Magister. XVI. 1. Hæreticorum per Silesiam Inquisitor. Anathema in Vratislavienses dicit. XVI. 6. iis cum Nankero Episcopo Pacem suadet. XVI. 7. durus extrema comminatur. XVI. 8. in Judicium a Johanne Lucenburgico Bohemorum Rege Fragam vocatur. XVI. 9. per Insidias a Percussore trucidatur. XVI. 10. 11. Pragæ, dubitatur, an Breslæ. XVI. 13. 14. 15.

Marianus *Scotus*. VIII. 4. 71.

Hieronymus *Scultetus*, Germanis Schultzius; Cotbusiensium Theologus: Brandenburgensium Episcopus. LXIV. 3. de Indulgentiis Romanis cum Martino Luthero agit. LXIV. 4. 5. Joachimi I. Electoris Brandenburgici ad Imp. Caroli V. Coronationem Legatus. LXIV. 6. Episcopus Havelbergensis. LXIV. 7. Martinum Lutherum in Comitiis Wormatiensibus disputantem audit. LXIV. 9.

Petrus *Seguinus*. VIII. 75.

Johannes *Seidlicius*, Vratislaviensium Capitaneus Provincialis. XLII. 4.

Nicolaus *Serarius*. VIII. 59.

Maximilianus *Sevenbergius*. LXXVI. 11. 22. (LXVI. 3.

Franciscus *Sfortia*, Barri Dux.

Sido, Silesiorum Rex, Imp. Vespasiani contra Vitellium Auxiliator. I. 8.

Sigebertus Gemblacensis. VIII. 71.

Sigismundus Archiepiscopus Salisburgensis. XLIII. 4.

Sigismundus Imperator Constantiense Concilium indicit. XXVIII. 14. Vratislavienses ab Hussitis aversurus, in Johannem Krasam sævit. XXVIII. 22. Ducum Silesiacorum Auxiliis Hussitas oppugnat. XXVIII. 22.

Sigismundus III. Polonorum Rex Hyacinthum Odrovasium, Episcopum Cracovienſem Sanctis adscribendum curat. VI. 10.

Silesii cur in Rei Literariæ Notitiam sero pervenerint. I. 1. II. 7. Nomine Quadorum & Lygiorum jam Alexandri Magni Temporibus celebres. I. 2. sub Marco Antonino Silesiam in Pannoniam extendunt. I. 9. Rege Furtio quid egerint. I. 9. Rege Semnone Cladem a Romanis patiuntur.

untur. I. 10. Styriam, Pannoniam, Bulgariam depopulantur. I. 11. Romanorum Legiones duas delent. I. 12. à Romanis nunquam penitus subacti. I. 14. Societatem cum Slavis Polonis ineunt. I. 17. Ducem Cracum recipiunt. I. 21. Imp. Carolo Magno tributarii fiunt. I. 22. Christiani fiunt. II. 1. quando Eruditionem colere cœperint. II. 1. 7. Episcopo Gothofredo Autore, Urbano Propagatore. II. 11. nonnulli cognitam tum Olivorum, tum Beguinarum Religionem amplectuntur. XVI. 5. non omnes Georgium Podibradium Bohemorum Regem pro suo Duce supremo recipiunt. LIII. 7.

Silesiis Romanus Pontifex per Johannem Capistranum Indulgentias publicat. XXX. 11. novas Pietatis Formas præscribendo excitat Odium. XXX. 12. Sacerdotibus legitimas Uxores adimit. III 8. 9. 10. Petrus Novacus Episcopus Vratislaviensis Preces adversus Turcas præcipit. XXX. 13.

Silesiorum Rex Maroboduus Romanis aliquid Eruditionis debuit. I. 5. cum Polonis Societas qualis. XV. 9. Duces, Boleslaus Procerus, Mieslaus, Conradus Loripes, eruditi. I. 8. Schola prima Smogrensis. II. 2. Lis cum Bohemis ob Silesiæ Capitaneum supremum, non Exterum, sed Indigenam recipiendum. LXXXIV. 3.

Silesios Imp. Carolus Magnus Romano Germanorum Imperio tributarios facit. I. 21. quibus Artibus Johannes Lucenburgicus, Bohemorũ Rex, sub Obsequium suum traxerit. XV. 9. Petrus Johannes Olivus, Ecclesiæ Romanæ contrarius, efficit Dogmatibus suis Asseclas. XVI. 5. ab Ecclesia Romana dissentientes, ad eam Benedictus XII. Pontifex Romanus revocare conatur. XVI. 6. Exteris præferendos in Officiis Ecclesiasticis Conradus Episcopus Vratislaviensis censet. XXVII. 2.

Josias *Simlerus*. VIII. 57.

Johannes *Slaberndorfius*, Episcopus Havelbergensis. LXIV. 7.

Johannes *Sleidanus*. LXVI. 13.

Smogrensium prima Silesiorum Schola. II. 2.

Cyriacus *Spangenbergius*. XXXIII. 2.

Fridericus *Spanheimius* VIII. 61. 78.

Sebastianus *Sperantius*, Episcopus Brixinensis. LXXVI. 12. 22.

Jacobus *Spigelius*. LXXVI. 12. 22.

Henricus *Spondanus*. XV. 24. XVI. 3.

Johannes *Stabius*. LXXVI. 12.

Simon *Starovolscius*. V. 1. VIII. 1. 9. 21. 30. 34. 64. XIII. 11. XV. 4. 24. XXXV. 5. LIV. 2. 4. 7. LXX. 3.

Steina Oppoliensium & Amnis, & Urbs. V. 2. VI. 1.

Johannes *Steinheuserus*. VII. 12.

Salomon *Stepnerus*. XX. 28. 29. 30. XXIII. 2. XXIV. 18. XXV. 2. LVIII. 1.

Ladislaus, *Sternbergius*. LXXVIII. 5
Henricus *Stero*. VII. 7. 15.
Andreas *Stiborius*. LXXVI. 12. 22.
Richardus *Streinius*. VIII. 15.
Strelensium Præpositus Johannes Thielius. LXXXI. 3.
Martinus *Strepus*, vulgari Cognomine Polonus. VIII. 8. Scotus. VIII. 3. 4. Carsulanus. VIII. 5. Cartulanus. VIII. 6. Corsulanus. VIII. 7. Bohemus. VIII. 11. cur Polonus habitus. VIII. 13. 14. Patriâ nec Polonus, nec Bohemus, sed Silesius Troppavienſis. VIII. 15. 16 17. Monachus Cistercienſis. VIII. 18. 19. non Cistercienſis, sed Dominicani seu Prædicatorum Ordinis VIII. 20. 21. Romani Pontificis Pœnitentiarius. VIII. 22. 23. 23. Episcopus, Archiepiscopus. VIII. 24. Archiepiscopus Consentinus. VIII. 24. non Consentinus, sed Gnesnenſis designatus. VIII. 25. quando vixerit. VIII. 26. 27. Bononiæ moritur. VIII. 31. quando mortuus. VIII. 33. 54. 35. 51. 54. scripsit Chronicon, à Librariis corruptum. VIII. 38. per se satis bonum. VIII. 62. 64. 65. conversum in Linguam Gallicam. VIII. Germanicam VIII. 42. unde incipiat: ubi desinat, dubitatur. VIII. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. Homo simplex, nimium credulus. VIII. 59. Vir sagax, eruditus, prudens. VIII. 60. 61. 73. an primus Chronico suo Narrationem de Johanne VIII. Papissa inseruerit. VIII. 66. ab hac Injuria vindicatur. VIII. 67. 68. 69. 70. 71. 72.
Strigoniensium Archiepiscopi: Johannes Vitesius: Johannes Bœckenschloerus. XLII. 7.
Johannes *Strobelius*. LXXIV. 5.
Suidnicense Monasterium Comites Wirbeni condiderunt. XII. 2.
Jacobus *Stympha*, Gnesnenſis Archiepiscopus, consecrat Henricum Wirbenum, Episcopum Vratislaviensem. XII. 3.
Æneas *Sylvius*. XX. 8. 15. XXIV. 4. XXVIII. 22. XLIII. 1.
Sylvester *Syropulus*. XXIV. 12.

T.

Georgius *Tanstetterus*: videatur Collimitius.
Tartari Arcem Vratislaviensem obsidentes Flammis Cœlo delapsis abiguntur. V. 9.
Zacharias *Theobaldus*. XX. 11. 17. 19. XXVIII. 22.
Johannes *Thielius* ad celsiora semper ascendit: Monachus Præmonstratensis: Præpositus Zernowaensis, Strelensis: Canonicus, Abbas Vratislaviensis: Episcopus Nicopolitanus, Vratislaviensis Suffraganeus. LXXXI. 1. 2. 3.
Thomas II. Episcopus Vratislaviensis, oblatum ab Henrico Probo Ducatum Vratislaviensem recipere non vult. IX. 3.
Trebnicensium in Monasterio Sacellum S. Hedwigis. VII. 11.
Andreas *Treiberus*. LXXIII. 1.
Lotharius *Treiberus*. LXXIII. 2.

Johannes *Trithemius*. VIII. 21. 24. 53. 70. 77. 80. XX. 4. LXXXIII. 2.
Nicolaus *Trivetus*. VIII. 37.
Valentinus Fridlandus *Trocedorfius*. LXXIV. 2.
Trojanus Posnanienſium Præpositus eligitur Episcopus Uladislavienſis. XXII. 4.
Johannes *Trosnovius* cur Ziska dictus. XXVIII. 22.
Johannes *Turzo*, Episcopus Vratislavienſis. LXX 5. in Casparem Ursinum Velium beneficus. LXXVI. 2. 3. 10. 22.
Stanislaus *Turzo* Episcopus Olomucensis. LXXVI. 22.

V.

Joachimus *Vadianus*. LXXVI. 12.
Valdomirus Dux Kiovienſis. VI. 7
Varadinensium Episcopus Johannes Bœckenschloerus. XLII. 6.
Balthasar *Velius*. LXXVI. 9. 22.
Caspar Ursinus *Velius*, Suidnicensis, unde Nomen Ursini acceperit. LXXVI. 1. Philosophus. LXXVI. 3. Latinè & Græcè doctus. LXXVI. 4. ab ipso Imperatore Maximiliano I. Poeta coronatus. LXXVI. 2. 4. Juris utriusque Doctor: Matthæi Langi, Episcopi Gurcensis, Cæsarei Legati per Itinera multa Comes Secretarius. LXXVI. 5. 6. 7. Imp. Ferdinandi I. Orator & Historicus: Filii Maximiliani II. Præceptor. LXXVI. 11. egregiis iisque multis excellens Dotibus: plurimis magni æstimatus Amicus. LXXVI. 12.
Johannes Caspar *Venator* LXXVIII. 1.
Ferdinandus *Ughellus*. VIII. 57. 63. 68.
Marcus Hieronymus *Vida*, Episcopus Albanus. LXXVI. 12.
Vincentius *Bellovacensis*. VIII. 3.
Polydorus *Virgilius*. VIII. 18. 27.
Carolus *Vischius*. VIII. 19. 24. 27. 50. 57.
Janus *Vitalis*: videatur Panormitanus.
Johannes *Vitesius*, Archiepiscopus Strigonienſis. XLII. 7.
Alexander *Vitoudus*, Dux Lithuanus, quanti æstimatus, XXII. 12.
Johannes Ludovicus *Vives*. VIII. 63.
Vladislaviensium Episcopi: Henricus, Dux Lignicensis. XIX. 2. Sybylutus. XXII. 3. Trojanus. XXII. 4. Johannes Cropidlo, Dux Oppoliensis. XXII. 4. Henricus. XXII. 10.
Vladislaus Loëticus, Polonorum Rex, Cracovienſes ad Defectionem adigit. XIII. 8. Cracovienſem Episcopum Johannem Muscatam affligit. XIII. 8. Afflictionis Pœnitentiam sentit. XIII. 10. Nankero Cracovienſium Episcopo incutit Colaphum. XV. 6.
Vladislaus II. Silesiorum, Cracovienſium, Siradienſium, Lanciciensium Dux, II. 8.
Vladislaus Vratislaviensium Dux quos habuerit progenitores. VII. 1. eruditus, singulariter castus. VII. 3.

Pra-

Pragenſis Præpoſitus. VII. 4. Canonicus Paſſavienſis. VII. 5. Archiepiſcopus Salisburgenſis. VII. 6. 7. 8. in Sileſiam revertitur, Henrici IV. Vratislavienſium Ducis Tutor. VII. 9. quo Fato ſit exſtinctus. VII. 12. 13. 14. 15.

Raphael Maffæus *Volaterranus*. VIII. 5. 23 53.

Martinus *Volckmannus*. XX. 3. 19.

Gerardus Joannes *Voſſius*. VIII. 9. 27. 33. 54. LXX. 14.

Vratislaviam Imp. Carolus IV. Bohemorum Rex, Sileſiorum Dux, ingreditur. LXVI. 12.

Vratislavienſes Conradum ab Henrico Proboducem Vratislavienſem in Teſtamento deſignatum repudiant. IX. 3. Johannem Lucenburgicum, Bohemorum Regem, ab Epiſcopo Nankero inverecundius habitum ægre ferunt. XV. 15. Caſparo Schwenckfeldio Hæreticorum Inquiſitori aſperrimo repugnant. XVI 8. Defenſorem habent Johannem Regem. XVI. 9. ad publicum Dei Cultum in Templis ab Epiſcopo prohibitum adigunt Clericos, magis Senatui & Populo, quam Epiſcopo parentes. XV. 19. Johannem Regem, Ducem ſuum imitati, Pontificium Anathema nequicquam curant. XV. 22. XVI. 6.

Vratislavienſibus Pacem cum Nankero Epiſcopo ineundam Caſpar Schwenckfeldius Hæreticorum Inquiſitor ſuadet. XVI. 7. ejus Mors imputatur. XVI. 10. 11. per incertam Suſpicionem. XVI. 12. 13. 14. ne Johannis Huſſi Dogmata ſequantur, Conſtantienſe Concilium exponit Damnationis Cauſas. XXVIII. 19.

Imper. Sigismundus, Bohemorum Rex, Sileſiorum Dux, Terrorem injicit: Pontifex Romanus per Ferdinandum Epiſcopum Lucenſem Monitor & Hortator eſt. XXVIII. 22.

Vratislavienſium Arcem obſidentes Tartari Flammis Cœlo delapſis abiguntur. V. 9. Epiſcopatus olim Gneſnenſi Archiepiſcopatui ſubjectus. VIII. 31. quam diu ſubjectus. XXXVI. Bonis augetur & ornatur ab Epiſcopo Precislao Pogarella. XVIII. 7. 12. 13. Monaſterium S. Adalberti, antea S. Virginis Cœnobium, habet Priorem Ceslaum Odrovaſium. V. 8.

Vratislavienſium Duces: Jaroslaus. IV. 1. Vladislaus. VII. 1. Henricus Craſſus. IX. 1.

Vratislavienſium Capitanei Provinciales: Lucas Eiſenreichius. LIII. 5. 9. Johannes Metzlerus. LXXVII. 6.

Vratislavienſium Epiſcopi: Urbanus. II. 2. Franciſcus Praudita. III. 1. Laurentius. V. 8. XII. 2. Henricus Wirbenus. XII. 1. Johannes Muſcata. XIII. 1. Vitus Habdanckus. XIV. 1. Nankerus Oxius. XV. 1. Precislaus Pogarella. XVIII. 5. Rudolphus Jodoci Succeſſor. XXXVII. 3. Balthaſar Promnicius. LXXIX. 1. LXXXV. 4. Johannes Turzo. LXX. 5. Jacobus Salza. LXXVIII. 8. Thomas ſecundus. LXXXI.

Vratislavienſium Epiſcopi Suffraganei: Johannes Thielius. LXXI. 2. Henricus Fulſteinius. LXXVIII. 2.

Vratislavienſium Canonici: Apetzko. XV. 13. XVI. 9. Petrus Bilacus. XV. 13. Otto Dominus. XV. 13. Johannes Fuhrenſchildius. LXXXII. Vitus Habdanckus. XIV. 3. Nicolaus Haugwicius. LVI. 1. Henricus, Dux Lignicenſis. XIX. 1. Hermannus X. 1. Jaroslaus, Dux Vratislavienſis. IV. 6. Ambroſius Jencovicius. XXXVI 1. Petrus Jencovicius. LXIII. 2. Jaroslaus Kanckolouskius. XXXIII. 7. Nicolaus Kreulius. XLIII. 5. Nicolaus Kribelius. LII. 1. Johannes Lautſchælerus. XXX. 4. Petrus Magiſter VII 5. Bartholomæus Marienſis. L. 1. Balthaſar Necherus. LXXV. 2. Petrus Novacus. XXX. 2. Georgius Novagus. XLIV. 2. Precislaus Pogarella. XVIII. 3. Primislaus, Dux Troppavienſis. XXXVII. 1. Petrus Prockendorfius. LXXX. 3. Franciſcus Reusnerus. LXVIII. 1. Johannes Romka, XII. 3. Jacobus Salza. LXXVIII. 4. Wigandus Salza. LXI. 1. Johannes Sauromannus. LV. 3. Stanislaus Saurus. LXXII. 3. Conradus Schalcovius. XV. 13. Bartholomæus Scheuerlinus. XLVII. 1. Johannes Scheuerlinus. LVII. 1. Johannes Schoberus. XLV. 1. Andreas Schola. XXX. 7. Nicolaus Tauchmannus. XLIX. 1. Johannes Thielius. LXXXI. 2. Nicolaus Weigelius. XXIV. Henricus Wirbenius, XII. 1.

Urbanus V. Pontifex Romanus. XXI. 4. Wenceslaum, Ducem Lignicenſem, Epiſcopum Vratislavienſem, Ordini Cardinalium Presbyterorum adſcribit. XXI. 6. Johannem Cropidlonem, Oppolienſem Ducem, permittit Epiſcopum Posnanienſem fieri. XXII. 3.

Urbanus Sileſiorum Epiſcopus, Eruditionis Propagator. II. 2.

W.

Lucas *Waddingus*. XVI. 3.

Chriſtophorus *Walpurgerus*. XX. 1.

Thomas *Walſinghamus*. XX. 8.

Wanſena prius Monſterbergenſium, poſtea Epiſcopi Vratislavienſis Oppidum. XVIII. 12.

Nicolaus *Weigelius*, Sileſius cur dicatur Polonus. XXIV. 1. Jurium & aliorum peritiſſimus. XXIV. 2. Lipſienſium in Academia Decanus, Rector: Canonicus Vratislavienſis, & Lignicenſis. XXIV. 3. Saxonicorum Ducum, Epiſcoporum Martisburgenſis & Misnenſis, Academiæque Lipſienſis, in Baſileenſi Concilio Legatus. XXIV. 5. Decreta Pontificiam Poteſtatem generali Concilio ſubjicientia probat. XXIV. 7. Græcis contra Turcas Auxilium expetentibus patrocinatur. XXIV. 8.

Concilii Legatus Indulgentias, ad Pecuniam pro Græcis obtinendam, in Misnia publicat. XXIV. 10. Eugenio IV. Pontifici Romano ſemper contrarius. XXIV. 11. Orationibus crebris Eruditionem ſuam oſtendit. XXIV. 14. Suum de Indulgentiis Opus Johanni HofmannoEpiſcopo Miſnenſi emendandum committit. XXIV. 25.

Theodoricus *Weinrichius*, Cracovienſium Sacerdos, Vratislavienſem Epiſcopatum oblatum repudiat. XXX. 4.

VVolfgangus *Weiſſenburgius*. LXXVII. 7.

Wenceslaus Bohemorum Rex Johanni Huſſo favet. XX. 10. in Sileſios iniquior. XXI 4. Vratislavienſes Conſules Canonicis obligat. XXI. 5.

Wenceslaus Lignicenſium Dux. XXI. 1. Epiſcopus Lebuſienſis Marchicus. XXI. 2. 3. Vratislavienſis. XXI. 4. Cardinalium Presbyterorum Ordini adſcribitur. XXI. 6. Ducatum Lignicenſem donat Ludovico, Henrici Bregenſium Ducis Filio. XXI. 7. Ludovicum Fratem ſuum offendit, querulum increpat. XXI. 7. 8. Diſſidium Fratrum ſuorum extinguit. XXI. 9. ad Concilium Piſanum invitatus mittit Legatum. XXI. 10 ſplendidè liberaliterque vivit. XXI. 11. Epiſcopatum Vratislavienſem Martino V. Pontifici Romano ſponte ſua reddit. XXI. 13. Otmuchovienſi Canonicorum Collegio Villam Henrichsdorfium donat. XXI. 13. moritur. XVI. 14.

Johannes *Wiclefus*, Anglus, Eccleſiam Romanam errare ſtatuit. XX. 7. Dogmatum ſuorum habet Aſſeclas, ab inimicis oppugnatos, etiam inter Sileſios. XVII. 3. inter Bohemos Propugnatorem, Johannem Huſſum. XXVIII. 2. quando mortuus. XX. 7.

Albertus *Widmanſtetterus*, VII. 15.

Johannes *Wigandus*. VIII. 3.

Andreas *Wincklerus*, Gymnaſii Vratislavienſis ElisabetaniRector. LXXVII. 8.

Wirbenorum Comitum Nomen unde. XII 1. Liberalitas Suidnicenſe Monaſterium S. Virginis condit. XII. 2.

Henricus *Wirbenus* Comes. XII. 1. Sileſius. XII. 2. Canonicus Vratislavienſis. XII. 3. Milicenſis Arcis Defenſor. XV. 10. Epiſcopus Vratislavienſis. XII. 3. trium Sileſiæ Ducum Tutor. XII. 4. VVenceslai Bohemorum Regis Uxorem Eliſabetam coronat Reginam. XII. 5.

Johannes *Wirbenus* de Sileſiorum Ducibus bene meretur. XII. 2.

Stephanus III. *Wirbenus* Comes, in Prælio adverſus Tartaros perit. XII. 2.

Lutholdus *Wirſus*, Polonus. XIV. 2. eligitur Vratislavienſis Epiſcopus, XV. 7.

Georgius *Wirthius*, LXV. 1.

Martinus *Wirthius*. LXII. 3.

Petrus *Wirthius*. LXII. 1. 2.

Johannes *Wolfius*. VIII. 24.

Wormatienſium Epiſcopus Johannes Schadlandus. XVII. 7.

Z.

Johannes *Zarembæ* recuſat ſuſcipere Vratislavienſem Epiſcopatum. XXX. 4.

Udalricus *Zaſius*. LXXVI. 12.

Thomas *Zechorodus*. XXXVIII. 13. 22.

Martinus *Zeilerus*. VIII. 24. 27. XX. 24. XXVIII. 29.

Ziska Bohemis dictus Trosnovius, Cocles, unius Oculi Poſſeſſor. XXVIII. 22.

Ziticenſis: videatur Citicenſis.

Johannes Ludovicus *Zolmannus*. VIII. 42.

Janus *Zuola*, Moravus, LXXVI. 22.

)o(

MARTINI HANKII DE SILESIIS ALIENIGENIS ERUDITIS

AB ANNO CHRISTI 1170 AD 1550.

LIBER SINGULARIS.

Additi ſunt ſex INDICES.

LIPSIÆ,
Sumtibus CHRISTIANI BAUCHII,
Bibliopolæ Vratislavienſis. M. DCC. VII.

WBP
Opole



NOBILISSIMO DOMINO

CASPARI QUESTELIO,

VRATISLAVIENSI,

ICTO,

CELSISSIMI HOLSATORUM DUCIS

PLOENENSIS

CONSILIARIO AULICO & ECCLESIASTICO,

INTER SCRIPTORES SILESIOS

THEOLOGICIS JURIDICISQUE MONUMENTIS

ACQUISITAM PATRIÆ FAMAM EXTENDENTIBUS,

IN EXTERIS ETIAM TERRIS CLARO:

FAUTORI MULTIS DE CAUSIS HONORABILI,

OLIM ET AUDITORI ET CONVICTORI SUO,

MAGNIS STUDIORUM INCREMENTIS ÆSTIMABILI,

HUNC DE SILESIIS ERUDITIS ALIENIGENIS LIBRUM

IN VETERIS PROPENSIONIS CONSTANTIAM,

AMORISQUE SINGULARIS MEMORIAM,

SINCERO MENTIS AFFECTU

CONSECRAT

MARTINUS HANKIUS,

PRÆFATIO ad LECTOREM.

I.

SILESIIS eos adjungere par fuit, quos non Patria, ſed Vita reddidit monſtravitque SILESIOS. Patriæ naſcimur, ut vivamus Patriæ. Tum verò etiam Patriæ vivimus, cum non propriæ quidem, tamen communi Patriæ vivimus: id eſt, ſervimus noſtris Popularibus, quorum univerſalis omnium Patria Mundus eſt. Quô naturali Jure fit, ut ubicunque natus, quemque Locum, in cujus Salutem vivit, ſuam efficiat Patriam. Tales SILESIOS, id eſt, ALIENIGENAS ERUDITOS jam Lectoribus exhibemus.

II.

Inter SILESIOS vero ERUDITOS, quemadmodum INDIGENAS ab Anno 1165, ad 1550, peculiaris Codex: Sic ALIENIGENAS hoc Opuſculum ab Anno 1170, ad 1550, recenſet. Idque conſimili Forma, quâ illud de Indigenis, compoſitum, videri poterit EXERCITATIONUM noſtrarum de SILESIORUM REBUS, quas ab Anno 550, ad Annum 1170 produximus, quædam velut Continuatio.

III.

Cætera huc ſpectantia, quæ fortaſſis deſiderabit, Benevolus Lector plenius expoſita reperiet in Præfatione, quam SILESIIS ERUDITIS INDIGENIS præmiſimus. A quibus ALIENIGENAS ideo ſeparavimus, ut Lectoribus eo facilius evidentiusque pateat utriusque SILESIORUM Ordinis & Numerus, & Status. Plus Humanæ Societatis habet Provincia, cujus ſimul Indigenis Alienigenæ, ſimul Alienigenis Indigenæ, concorditer ad communes Utilitates intenti, parem in Modum ſerviunt. Vratislaviæ Sileſiorum, Die Februarii XVIII. Anno M.DCC.VII.

DE SI-

DE

SILESIIS ALIENIGENIS ERUDITIS.

Poſt CHRISTUM natum

SÆCULO XII.

CAPUT I.

Ad Annum M.C.LXXXI. Diem III. Aprilis.

ZYROSLAUS ROSA,

Eques Polonus.

VITA.

I.

WAltherus ZADORA Polonus Joanni GRYPHO Epiſcopo Vratislavienſi ſuccedebat Anno 1148: ut in noſtris Exercitationibus de Sileſiorum Rebus, cap. XI. ad Annum 1148. §. LXV. indicavimus. Quando Waltherus è vivis abierit, non ſatis certum eſt. Non, quemadmodum commemoravimus, aut Anno 1170; ut Johannes Dlugoſſus refert: aut Anno 1176: ut Joachimus Curæus, Jacobus Schickfuſius, Fridericus Lucæ, Georgius Crugerius tradunt, emigravit. Nam in vivis adhuc erat Anno 1278: quo Boleslaus Procerus Dux Sileſiorum Vratislavienſis & Lignicenſis Leubuſinum Cœnobium, Monachis olim Benedictinis proprium, Ciſtertienſibus conferebat: non Vratislavienſi Epiſcopo Zyroslao [ut, præter alios, Gotfridus Ferdinandus Buckiſius in Hiſtoriæ Sileſiorum Eccleſiaſticæ Prolegomenis, Cap. I. §. III. narrat] ſed, ut ipſe Boleslaus in eodem Privilegio [quod MStum habemus] teſtatur: *Annuente, nec non rogante Domino WALTHERO, Epiſcopo Wratislavienſi & ejus Capitulo.*

Quantum igitur perſpicere poſſumus, Waltherus ſub Anni vel 1178 Exitum, vel 1179 Principium, mortuus eſt.

II. Tum inter Canonicos Vratislavienſes ab Anno 1170, ob Eruditionem, Prudentiam Liberalitatemque ſingularem clarus, ZYROSLAUS ROSA, Eques Polonus, Walthero, per Electionem Die XII Martii peractam Succeſſor dabatur: quem Petrus II. Gneſnenſis Archiepiſcopus intra Poloniam in Caliſſienſium Templo Cærimoniis ſolennibus conſecrabat Epiſcopum.

III. ZYROSLAI noſtri, ex ROSARUM Familia, inter Vratislavienſes Epiſcopos ſecundi, erga Ciſtercienſis Ordinis Monachos, quibus Boleslaus Procerus Dux in Terris ſuis Leubuſinum Monaſterium conceſſerat, inuſitatam Munificentiam in Prodigalitatem improvidam convertit Cracovienſis Canonicus, Joannes Dlugoſſus: Cujus in Vratislavienſium Epiſcoporum MStis Num. XVI. hæc ſunt de noſtro Zyroslao Verba: *Hic pro eo, quod á Boleslao Vratislavienſium & Lignicenſium Duce, & Abbate Monaſterii Leubenſis ad idem Monaſterium Leubenſe novis tunc ædificatum Muris invitatus fuerat, omnes Decimas [ut in Privilegiis Fundationis Monaſterii Leubenſis continetur, & expreſſum eſt] manipulares in Territorio & Diſtrictu Lignicenſi ad Menſam ſuam Epiſcopalem, de Jure & Conſuetudine Provinciæ pertinentes, Monaſterio præfato Leubenſi, de Conſenſu Capituli Vratislavienſis, Donationi perpetuæ donat & inſcribit: ſatis improvide & maxime mutilans Menſam Epiſcopalem ſua Prodigalitate.*

MORS.

IV. Quamdiu ZYROSLAUS noſter Epiſcopatui præfuerit, viventibus interfuerit, dubium faciunt diſcrepantes Hiſtoricorum Narrationes. Quantum ê Circumſtantiis colligere licet: duobus Annis Epiſcopus deceſſit Aprilis III Die, Anno 1181. Idque Joannes Dlugoſſus refert, non in Hiſtoria Polonica, ubi, Anno 1170, Epiſcopum creatum: Ano no 1181. mortuum tradit: cum Annis undecim ſediſſet, tertio Nonas Aprilis de Febri moritur: Sed in Vratislavienſium Epiſcoporum Vitis MStis, Num. XVI: ubi reperimus hæc: *ſedit Annis duobus, & Anno Domini 1181, tertia Nonas Aprilis moritur.* Sepultus jacet in Vratislavienſium S. Johannis Cathedrali Templo.

SCRI-

SCRIPTA.

V. Ex Autoris Anonymi Additamentis ad Epiſcoporum Vratislavienſium Vitas MStis annotavimus, à noſtro ZYROSLAO II. *de Decimis Decimarumque Decimis* compoſitum *Volumen* Poſteritati relictum.

SÆCULO XIII.

CAPUT II.

Ad Annum M.CC.VII. Diem XXI. Februarii.

CYPRIANUS,

Eques Polonus.

VITA.

I.

Literis, pro Temporum ſuorum Habitu, ſatis cultus, nativo Quietis Amore, Vitam ſibi Monaſticam eligebat. In Præmonſtratenſium Fratrum Ordinem receptus, ſic emergebat, ut in S. Vincentii Vratislavienſium Cœnobio, quod tum erat ſuburbanum, non citra Gloriam, ſummo Abbatis Officio defungeretur, ab Anno 1193.

II. Hinc ad Epiſcopi Leubuſienſis in Marchia Culmen provectus, Perſonam ſuam non minus laudabiliter agebat: ideo celebris, cum Vratislavienſis Epiſcopus Jaroslaus, Anno 1201, Die XXII. Januarii moreretur.

III. Eo Tempore Canonici Vratislavienſes Boleslaum Cognomine Procerum, Sileſiorum Ducem Vratislavienſem, tanquam Odii, quô Filius Jaroslaus, Epiſcopus Vratislavienſis, & Patrem, & Fratrem ſuum conſanguineum, Henricum Barbatum, proſecutus erat, Autores, gravem Adverſarium ſentiebant. Quamobrem ê ſuo quenquam Collegio ad Epiſcopatum evehehere non audebant: ne Ducem Boleslaum irritarent, facile ſubtracturum Epiſcopatui Bona, quibus, Familiæ ſuæ ademtis, Jaroslaus Menſam Epiſcopalem lautiſſimam effecerat.

IV. Calendis proinde Martiis Electionem, quâ ſibi Caput ex ſua Eccleſia conſtituere poterant, convertebant in Poſtulationem, non tantum Juris poſſidere, quantum Gratiæ conſequi ſolitam: itaque conſentiebant

in commendatiſſimum Epicopum Leubuſienſem CYPRIANUM, pro Vratislavienſi Epiſcopo recipiendum.

V. Is raro quidem Exemplo, Canonicis Vratislavienſibus nunquam conjunctus, tamen Innocentio III, Pontifice Romano, annuente, Boleslao Duce concedente, quanquam Eccleſiaſticis Regulis contrarium in Modum, ſub Veris Initium, declarabatur Epiſcopus Vratislavienſis.

MORS.

VI. Quando ab hujus Dignitatis Faſtigio in Sepulcrum deſcenderit, plurium Diſſenſus facit dubium. Anno 1217, mortuum eſſe narrant, Joachimus Curæus & Jacobus Schickfuſius, Rerum Sileſiacarum Scriptores. His multo vetuſtior Autor, Joannes Longinus, Cognomine Polonico Dlugoſſus, Cyprianum, cum Vratislavienſi Epiſcopatui per ſex Annos præfuiſſet, Anno 1207. exſtinctum ſcribit, non tantum in Hiſtoria Polonica, Lib. VI. ad hunc Annum: verum etiam in Epiſcoporum Vitis MStis, Num. XIX. Eum, tanquam certiorem Ducem, ſequuntur, Nicolaus Polius in Hemerologio ad Diem XXI. Novembris: Nicolaus Henelius in Sileſiographia Renovata, Cap. VIII. §. XXIX. Collegium Jeſuitarum Vratislavienſium in Epiſcoporum Vratislavienſium Fama Poſthuma. Num. XIX. Georgius Crugerius in ſacris Bohemiæ Pulveribus, ad Februarii XXV. Diem. Fridericus Lucæ in Sileſiorum Memorabilibus, Parte II. Cap. I.

VII. Emortualis etiam, ut Annus, ſic Dies in Controverſiam venit. Nam ultimum defuncto adſcribunt, Diem Februarii XXI, Johannes Henricus Cunradus in Sileſia Togata: Menſis ejusdem Diem XXV, Georgius Crugerius: Diem Novembris XXI, Nicolaus Polius: Menſis ejusdem Diem XXVI, Johannes Dlugloſſus.

VIII. Præterea ubinam ſuum Conditorium, quod in alio, quam in Vratislavienſium Cathedrali Templo, expetiit, adeptus fuerit, in Quæſtionem vocari poteſt.

IX. Id quidem ſatis exploratum, in Leubuſino Templo ad Primariam Aram ſepultum eſſe: cujus autem Leubuſii Templum ſit, dubitatur. Nam hoc Cœnobii, cujus antea fuerit Abbas, quod intra Sileſiæ Walavienſem Ducatum, ad Viadrum jacet, Leubuſinum eſſe, Nicolaus Polius in Hemerologio ad Diem XXI. Novembris, tradit. At inter Sileſiorum Monaſterii ad Viadrum Leubuſini, quod olim Benedictini, jam

jam Ciſtercienſis Ordinis eſt, Abbates, quos ad Nicolai Henelii Renovatam Sileſiographiam illuſtris Scholiaſtes Michael Joſephus Fibiger ab Anno 1177. ad 1696 recenſet, Cyprianus non invenitur.

X. Quare, cum Cyprianus noſter, qui Præmonſtratenſis, non Ciſtercienſis Ordinis erat Monachus, Leubuſinus ad Viadrum quidem, non autem, quod ſciamus, intra Sileſiam Abbas, ſed intra Marchiam Epiſcopus exſtiterit: credibilius eſt, eum voluiſſe corpori ſuo intra Marchiam, non intra Sileſiam, eſſe Dormitorium.

XI. Nec obſtat, quod CYPRIANUS inter Marchicos Leubuſianos Epiſcopos, quos ex Wolfgangi Juſti Catalogo Andreas Angelus in Annalibus Marchicis Brandenburgicis exponit, deſideretur: quoniam in primis Leubuſianis Epiſcopis Marchicis non omnes, inter quos Cyprianus eſſe potuit, in Poſteritatis notitiam pervenerunt. Ideoque, poſt Wolfgangum Juſtum & Andream Angelum, Davides Chytræus in Epiſcoporum Leubuſienſium Catalogo, quem Chronico Saxonico extremo ſubjunxit, non niſi ab Anno 1200 annotatos repræſentat.

XII. Accedit huc, quod Epiſcopatum Leubuſienſem a Mieslao I. Sileſiorum & Polonorum Duce primo Chriſtiano conditum, Sileſiis ſubjectum, demum circiter Annum 1260, Boleslaus Calvus, Henrici Pii filius, Johanni & Ottoni Marchionibus Brandenburgicis, ſeu Pignoris, ſeu Venditionis Jure conceſſerit: itaque Cyprianus eodem Sileſiorum Epiſcopatu potiri tanto facilius potuerit, circiter Annum 1200. De quibus præter Davidem Chytræum, agit noſter de Sileſiorum Rebus Liber Cap. VII. §. 13. Cap. VIII. §. 108, & 109.

CAPUT III.

Ad Annum M. CC. XXXII. Diem VII. Junii.

LAURENTIUS DOLIVITA,

Eques Polonus.

VITA.

I.

INgenio excitato, & tam Armis, quam Literis apto, has illis tandem præferebat. Vratislavienſis Canonicus Liberalitate clarus, a plerisque Colle-

Collegis, poſt Cyprianum Epiſcopum, Anno 1207. Die XXI. Februarii mortuum: Anno 1208, Die Februarii II, deſignabatur Succeſſor: prono Henrici Barbati, Vratislavienſium Ducis, ſub quo adverſus Boruſſos, nondum Chriſtianos, militaverat, Conſenſu. Solenniter a Gnesnenſium Archiepiſcopo Henrico I. intra Poloniæ Majoris Caliſſienſem Palatinatum, in Olobocenſis Monialium Cœnobii Templo inaugurabatur.

II. Anno 1214, Die XIII. Septembris, apud Suidnicenſes, a Comitibus Wirbenavienſibus exſtructum S. Virginis Mariæ Monaſterium conſecrabat. Id teſtatur etiamnum ibidem in Templi Choro ſuperſtes Inſcriptio: *FUNDATORES HUIUS MONASTERII FUERUNT: DOMINUS STEPHANUS DE WIRBENAW, ET DOMINUS ANDREAS, DOMINUS STEPHANUS, ET DOMINUS FRANCISCUS DE WIRBENAW. QUOD REVERENDISSIMUS DOMINUS LAURENTIUS, EPISCOPUS VRATISLAVIENSIS IN HONOREM GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ CONSECRAVIT, ANNO DOMINI M. CC. XIII. IDIBUS SEPTEMBRIS.*

III. Gratus Canonicis erat, potiſſimum ob Acceſſiones Bonis Epiſcopalibus factas: præſertim per Ujeſtinum Territorium, quod ab Oppolienſium Duce Caſimiro impetrabat Anno 1222. Hinc Animo perferebant æquiore Munificentiam, qua Cognatos ſuos locupletabat: maxime, cum etiam Sileſiorum Monaſteriis Leubuſienſi, Henrichovienſi, Camencienſi per attributas copioſas Decimas conſulebat.

IV. Anno 1226, Vincentius, Gnesnenſis Archiepiſcopus, in S. Blaſii Templo Synodum celebrabat. Intra eam miro Caſu fiebat, ut LAURENTIUS quodam Prærogativæ Diſſidio exerceretur. Nam ibi Laurentio priorem Locum Ivo Cracovienſis Epiſcopus cedere non ſuſtinebat, ideo recedens. Nequicquam Impetu obtinere conatus, tandem Imperio Romani Pontificis, Grogorii IX, ad quem, olim Sudiorum ſuorum in Pariſienſium Academia Socium, Iter propterea ſuſceperat, impetrabat.

MORS.

V. Corpus validum ſanumque, nulla morborum Vi, ne afflictum quidem, adeo non enervatum, miro inſperatoque Fato præcipitabat uno eodemque Die, ſimul in Ægrimoniam, ſimul in Mortem. Hortorum Ama-

Amator, intra Wolavienſem Ducatum, in Preichaviano Caſtro nimium quantum oblectatus Roſarum Odore, funeſtum experiebatur, quem diu ſalubrem attraxerat. Ita Vitam, quo firmare, quo extendere cogitabat, eò prius debilitabat, mox opprimebat, Anno 1232, Die Junii VII: ut Joannes Dlugoſſius in Hiſtoria Polonica, Lib. VI. ad hunc Annum: & in Epiſcoporum Vratislavienſium Vitis MStis, Num. XX. refert: Die Junii VIII: ut Georgius Crugerius in Sacris Bohemiæ Pulveribus, ad Diem VIII. Junii, commemorat. Ad Votum Mandatumque ſuum, in Leubuſienſis Monaſterii Templo, quod in Sileſia reperitur, ſepelirebatur.

CAPUT IV.

Ad Annum M. CC. LXVII. Diem XXX. Maji.

THOMAS COSLEROGUS,

Eques Polonus.

VITA.

I.

EX nobili Coslerogorum, qui Polonis Kozlerogi nominantur, [Hircinum Caput in Galea, tres Haſtas in Stellæ Figuram transpoſitas in Clypeo tenentium] Stirpe natus, potiorem in Modum Scientia ſe nobilitabat. Ea Nomen ſuum non Sileſiis tantum, ſed inter Exteros etiam Italis, potiſſimum Eccleſiaſticæ Curiæ Romanæ commendabat.

II. Inter Vratislavienſes Canonicos eminens Anno 1232, Die XVIII. Auguſti, a plerisque conſentientibus, ad Epiſcopi capiendum Regimen evehebatur. Huic Electioni ſubſcribebat Henricus Barbatus, Sileſiorum Dux Vratislavienſis: Epiſcopalem Solennitatem Vincentius I. Archiepiſcopus Gnesnenſis addebat.

III. Anno 1248, Innocentius IV. Pontifex Romanus, per Jacobum Leodienſem Archidiaconum, ex Lugdunenſi Concilio Legatum, in Poloniam miſſum, intendebat Pecunias ad Imperatorem Fridericum II. debellandum, per Triennium Eccleſiaſtico Ærario Romano inferendas. Ideo in Vratislavienſium Urbe Synodus celebrabatur: cui Fulco, Gnesnenſis Archi-Epiſcopus: ex Epiſcopis, præter noſtrum THOMAM,

Pandrota Cracovienſis, Boguphalus Posnanienſis, Michael Vladislavienſis, Andreas Ploccenſis, Nankerus Leubuſienſis, Henricus Culmenſis, intererant. Ab his, quod expetierat, non difficulter obtinebat Innocentius.

IV. In hujus Eccleſiaſticæ Liberalitatis Præmium, a Pontificio Legato, Sileſii cum Polonis, tam Clerici, quam Laici, quos hactenus per XVII Dies longius, quam Populos alios, ſolennis Jejunii, hoc eſt, a Carnibus edendis abſtinendi Lex, dūriori Jugo ſubjecerat, Jus reportabant, poſtea Jejunio ſuo Principium dandi, non amplius ſeptuageſimam Dominicam, ſed Cinerum Diem: jam penitus transactis Bacchanalibus.

V. Anno 1253, Die Septembris XVII, Innocentius IV. Romanus Pontifex, Stanislaum, Epiſcopum Cracovienſem, Sanctis adſcripſerat, Die Maji VIII, quo violenter, cum Annus 1079 ageretur, interfectus erat, annua Feſtivitate honorandum. THOMAS eam primum Anno 1254. peragendam, inter Polonorum aliorumque Proceres, in Cracovienſium Urbe conſpicuos, Præſentia ſua condecorabat.

VI. Poſt hæc ſuis Anteceſſoribus Epiſcopis, Cypriano, & Laurentio, attentior ad Rem THOMAS, olim donatas Leubuſienſi & Trebnicenſi Monaſteriis Decimas, ulterius porrigere, quanquam ſæpe monitus, recuſabat obſtinatiſſimus: nequaquam conceſſurus, ut per eas Uſibus alienis conceſſas, Epiſcopalis Menſa fieret multo frugalior.

VII. Ita vero acres Irarum Flammas Epiſcopus gravi Cœnobiorum illorum Defenſori, Boleslao Calvo, Henrici Barbati Filio, Lignicenſium Duci excitabat, in magnum deinde progreſſas Incendium. Dux Armis ſuis, Epiſcopus Patronis ſuis, non nullis Sileſiorum Ducibus, confidentes, neuter alteri cedebat.

VIII. Præterea Boleslaus exhauſto Bellis continuis Ærario, ad Indigentiam moleſtiſſimam redactus, Decimas Epiſcopo Vratislavienſi quotannis dare ſolitus, quas venditurus erat, denegabat. THOMAS, etſi rogatus, id pati nolebat. Hinc creſcebat eo magis Odium inter Boleslaum & Thomam.

IX. Thomas Anno 1256, in Pagum Gorkam, cujus Poſſeſſor Vratislavienſis, ad S. Mariæ Virginis Monaſterium in Arena poſitum, Abbas erat, cum duobus opulentis Canonicis, Boguslao & Eccardo, Iter ſuſceperat, quoddam Templum, prope Sabothum Montem conſecraturus

turus. Ibi cum duobus Comitibus Boleslaus, (quem ad id cæteri Sileſiorum Duces ſtimulaverant) copioſis Germanicorum Militum Auxiliis inſtructus, Die Octobris VI, nudos e Tectis arripiebat, Equis pernicibus imponebat: prius in Arcem Vulajam, mox in Urbem Lignicenſem traducebat: captivos e duro Carcere non dimiſſurus, niſi tandem imperata præſtitiſſent.

X. Fulco, Archiepiſcopus intra Poloniam Gnesnenſis, tantum Facinus impune transmittendum non arbitratus, Anno 1557, convocata Lanciciam Synodo, Suffragiis conſpirantibus, Boleslaum Diris devovebat. At eas Boleslaus inane Fulgur habebat, quod terrere, non ferire ſolet: in Rebus per ſe civilibus, quamvis Lege voluntaria mutabilique ſub Eccleſiaſticam Formam redactis, Cenſuram nullius Epiſcopi contra Principem valere, neſcio quibus Argumentis perſuaſiſſimus.

XI. Proinde Fulco ad majorem ipſiusque Romani Pontificis Alexandri IV. Poteſtatem converſus, extrema in Boleslaum tentandi, omnes omnium Epiſcoporum cæterorumque Procerum Polonicorum Vires contrahendi Jus obtinebat: quibus Copias Germanicas Archiepiſcopus Magdeburgenſis erat conjuncturus.

XII. At, ne Romanis quidem Edictis, tanquam Tonitruis, non Fulminibus, a Propoſito ſuo revocabatur Boleslaus. Interim, dum magnas Res parturiunt indicati Eccleſiaſticorum Vindices, THOMAS diuturnis Cuſtodiæ Malis Anno 1257 victus, aliquanto æquioribus Boleslai Deſideriis ſatisfacit: certè promittit, ſe omnino ſatisfacturum. De quibus agunt, Martinus Cromerus in Polonorum Rebus Lib. IX. ad Annum 1256. Nicolaus Polius in Hemerologio Sileſico, ad Octobris VI. Diem: & in Chronico MSto ad Annum 1256. 1257. 1258.

XIII. Anno 1260, Vratislavienſis Monialium Cœnobii, quod S. Claram Patronam veneratur, Die XXI. Septembris, conſecrabat Templum ex Ligneo Lapideum.

MORS.

XIV. Multis agitatus Calamitatibus edebat Spiritum Anno 1267. Die tertio Calendas Junias, id eſt, Die XXX. Maji: ut Johannes Dlugoſſus, in Vratislavienſium Epiſcoporum Vitis MStis, Num. XXI: & Nicolaus Polius in Hemerologio ad illum Diem, præter alios, indicant.

dicant. Hinc fortaſſis natus Error, quô ducti referunt, Die III. Junii mortuum. Sepulcrum in Vratislavienſium Cathedrali Templo nactus eſt.

CAPUT V.

Ad Annum M.CC.XCII. Diem XI. Martii.

THOMAS ZAREMBA,

Eques Polonus.

VITA.

I.

ERuditione ſupra multos inter Canonicos Vratislavienſes eminens, poſt Thomam I Coslerogum, Epiſcopum Vratislavienſem, cuius ex Sorore natus erat, Anno 1267. Die XXX Maji exſtinctum, Calendis Auguſti eligebatur ipſe Vratislavienſis Epiſcopus.

II. Electus, ideo per Triennium non confirmabatur, quoniam Epiſcopalibus Reditibus, ad Clementis IV, Romani Pontificis, Decretum, Vladislaus Sileſiorum Dux Vratislavienſis, Archiepiſcopus Salisburgenſis, ad Annum 1270, quo Vitam cum Morte commutavit, gaudebat. Ex eo demum ad Bonorum Epiſcopalium Proprietatem admittebatur.

III. Anno 1280, cum Dynaſtis, Caſtrum Edelſteinam poſſidentibus, à quibus Cladem ſubinde paſſus erat, opportunô Ducis Oppavienſis Nicolai Auxilio, Pacem inibat, Quo Pacto ſimul, & Caſtro Edelſteina, & Oppido Zuckmantelio, ad Terras Epiſcopales connexis, potiebatur.

IV. Ita felix, mox infelix reddebatur. Anno 1284, Henricus IV. Cognomine Probus, Vratislavienſium Dux, Primislao Polonorum Duci Bellum illaturus, à Thoma eique Subditis exigebat Subſidium Pecuniarum. Id auſus negare THOMAS, ab irato Henrico, in Offenſionis ex Contemtu Avaritiaque provenientis Ultionem, cunctis Oppidis, Caſtris, Prædiis, Decimis ſpoliabatur.

V. Henricum caſtigaturus Jacobus Gneſnenſis Archiepiſcopus, Synodo Lanciciana, ob Sacrilegii Turpitudinem, Communione Chriſtiani Po-

Populi declarabat indignum: omnibusque Locis Henrico ſubjectis, maxime Vratislavienſium Civitati, Sacra prohibebat. Huic Præcepto Sacerdotes omnes parebant, exceptis in Vratislavienſium S. Jacobi Cœnobio Franciſcanis Monachis, ſeu Emolumenta ſua reſpicientibus, ſeu, quod probabilius eſt, tales etiam innocentibus Pœnas imponere, ſtatuentibus impium.

VI. Hinc tantô acerbior Henricus in Clericos, quicquid Juris circa publicum Dei Cultum vel habebant, vel habere videbantur, in Hominum non Salutem, ſed Perniciem convertere nihil veritos, paſſim ſæviebat: ipſumque THOMAM in Exilium pellebat.

VII. THOMAS Henricum, Eccleſiaſticis neque Minis, neque Viribus flexilem, Anno 1284, in Concilio Lugdunenſi, quod Martinus II, vulgo IV, Pontifex Romanus celebrabat, de magnis & intolerabilibus Injuriis accuſabat. Eas vero jam Henricus per Legatos ſuos eò miſſos in Examen propoſitas, Concilium, ex Circumſtantiis utrobique ponderatis, partim nullas, partim exiguas, humanoque Modo excuſabiles pronunciabat. Ita cum Henricus Cauſam obtinuiſſet, THOMAS detrahere Concilio Autoritatem, ab Officio ſuo alieniſſimum ratus, Exſul ad Caſimirum Ratisbonenſem Ducem confugiebat: qui propter Adverſarium THOMAM receptum, ſentiebat ipſum Henricum Hoſtem, Ratiboriam Urbem obſidione cinctam, expugnaturum.

VIII. Tandem, quod aliis Conſiliis efficere non valebat, ſolis Precibus THOMAS, ad Henricum in Caſtra progreſſus, obtinebat. Hac in Anguſtiis ſummis jam extremum Periculum metuentis Epiſcopi, & Reverentiâ, &, ne plurimi propter unum perirent, Miſericordiâ mirum in Modum plane mutabatur induratus antea Ducis Animus. Nam THOMÆ proſtrato Veniam petenti pollicitus Henricus ablata reſtituebat, nova conferebat Beneficia, inter ea, Terram & Niſſenſem, & Otmochavienſem cudendæque Monetæ Jus, in Satisfactionem pro illatis Damnis, & in Animæ, tum ſuæ, tum à ſe progenitorum Salutem: ut ipſe luculenter indicat Henricus in Privilegio, quod apud Vratislavienſes, Anno 1290, Die XXIII Junii, condidit, nosque MStum in Vratislavienſium publica Bibliotheca Rehdigeriana vidimus.

IX. Ratiborenſium Hoſpitalitatem [ut ſibi habebat perſuaſiſſimum] remuneraturus, in eorum Caſtro exſtruebat S. Mariæ Virginis Templum:

cujus Sacerdotum Canonicorum Collegio quasdam de suis largiebatur Decimas.

MORS.

X. Multis, per Annos XXII, Ærumnis defatigatus, Anno 1292, Die Martii XI, Fatum obibat supremum: in Vratislaviensium Cathedrali Templo sepultus.

SCRIPTA.

XI. Synodum Vratislaviensem habuit geminam: priorem Anno 1279: posteriorem Anno 1290, Die XXXI. Augusti. Utriusque *Synodi Constitutiones* Martinus, Episcopus Vratislaviensis addidit Cathedralibus Vratislaviensis Ecclesiæ Statutis antiquis, Vratislaviæ publicatis Anno 1585, in 4.

SÆCULO XIV.

CAPUT VI.

Ad Annum M.CCC.I. Diem XIX. Novembris.

JOHANNES ROMKA,

Eques Polonus.

VITA.

I.

POst Episcopum Vratislaviensem Thomam II. Zarembam, Anno 1292. Die XI. Martii, amissum, Canonici Vratislavienses dubii hærebant, quem constituerent Successorem. Tum erat inter eos Præpositus Conradus Gibbosus, Dux Saganensis: quem nonnulli respiciebant. Inter Electionis Formas, quas Jura Canonica probant, neglectis Scrutinii Curis, Compromissum Electoribus placebat: quo tribus Canonicis cæteri Episcopum eligendi Jus committunt. Postposito Conrado Præposito, eligebatur Die Aprilis XXIV, JOHANNES noster, in Vratislaviensibus Canonicis maximè Juris Pontificii Notitiâ, Moribusque bonis clarus. Eum, singularem Amicum, quem commendaverat, ex Majorum Consuetudine, Jacobus Stympha, Gnesnensis Polonorum Archiepiscopus, consecrabat.

II. Anno

II. Anno 1295, Die Junii XXVI, in Comitiis Gnesnensibus Poloniæ Regem sibi perficiebat Primislaum II, majoris Poloniæ Ducem, Primislai I, ex Henrici II, Silesiorum Ducis Filia Elisabeta, susceptum Filium. Huic Solennitati noster Johannes inter Proceres aderat. Anno 1297, Die Junii II, parem in Modum intererat Comitiis Pragensibus, in quibus Wenceslaus II. Bohemorum electus Rex coronabatur.

III. JOHANNES proclivis ad Iram, sed, in Offensarum Remedium, etiam ad Beneficentiam, plurimos, præsertim pauperes, Pietatisque Præcones, sibi reddebat propensissimos. Nihilo secius, quoniam Indigenis Silesiis exterus Polonus antepositus erat, minus erat plerisque gratus, tum Civibus, tum etiam Ducibus.

IV. Ideo, ne à publico quidem Odio semper immunis, aliquando in Via penitus indignum in Modum tractabatur. Hoc ipse narrat in Scripto, quod §. VI. indicabimus: *Sicut*, inquiens, *vobis omnibus, ut credo, incognitum non existit, Malefactores quidam, Diabolo instigante, procedentibus nobis nuper de Nissa, versus Trebnitz, ad Petitionem Dominæ Abbatissæ & Conventus Loci ejusdem, ut in Die Beati Bartholomæi Apostoli Missarum Solennia celebraremus, ibidem nonnullos Prælatos, Canonicos & Capellanos nostros, qui nobiscum erant in Via, & quasi totam nostram Familiam, Equis, Vestibus, & Rebus aliis spoliaverunt: imo etiam in Personam nostram, non parcendo Dignitati Episcopali & Honori Clericali, tanquam Filii degeneres in Parentem, & in Filios Matris suæ Ecclesiæ, videlicet Sanctæ Dei, non sunt veriti Manus injicere violentas, Vulnus Corpori nostro usque ad Effusionem Sanguinis infligendo.*

MORS.

V. Novem Annis Episcopatu gavisus, Peste correptus, Anno 1301, Die XIV Novembris, excedebat. Sepultus jacet in Vratislaviensium S. Johannis Templo Cathedrali, nactus ibi hoc Epitaphium:

Mille trecen. primo Domini nascentis in imo
Transactis Annis, finitur Vita JOANNIS.
Continet hæc Fossa ROMKAI Præsulis Ossa.
Virgo parens casta, Stertenti in Pulvere, quæso,
Sorde carens asta mihi Mortis Vulnere læso.

SCRI-

SCRIPTA.

VI. Anno, incertum eſt, quo Synodum Vratislavienſem habebat. Ex eâ per *Epiſtolam ad Sileſios Clericos* [non Anno 1290, quo nondum Epiſcopus erat] ſcriptam, Diris devovebat Clericorum Violatores, quos vocabat Sacrilegos. Ea reperitur inter Cathedralis Eccleſiæ Vratislavienſis Statuta, quæ Martinus Epiſcopus Vratislaviæ publicavit Anno 1585, in 4.

CAPUT VII.

Ad Annum M.CCC.LXXXII. Diem XV. Februarii.

THEODORICUS,

Bohemus.

VITA.

I.

BRodam Bohemorum Urbem, quam Terris ſuis adjectam ſæpius Pragenſis Archiepiſcopus poſſedit, nactus Patriam, primum Philoſophicis Studiis deditus, in Carolina Pragenſium Academia declarabatur Philoſophiæ Magiſter. Poſt hæc Juri Pontificio addictiſſimus in Gallia commorabatur.

II. Ob ſingularem Scientiam inter Vratislavienſes Canonicos receptus, ab Epiſcopo Precislao Vicarius in Eccleſiaſticis aſſumebatur: à Collegis Canonicis Decanus conſtituebatur.

III. Vitæ ſuæ Curſum Precislaus Epiſcopus Anno 1376, Die Aprilis VI, impleverat. THEODORICUS à Canonicis Succeſſione dignus habitus, intra eundem Menſem, Die XXVII, electus Epiſcopus, inter ſui Temporis Romanos Epiſcopos neminem, cujus Autoritate confirmaretur, inveniebat. Gregorius XI Electionem approbare contumaciter recuſabat: Titulo Juſtitiæ, quoniam Imperator Carolus IV. Bohemorum Rex, Sileſiorum Dux, eam Mitram Epiſcopalem alteri è Bohemis conferri cupiebat: revera, Opulentiæ Studio, quoniam Gregorius ingentem appetebat Theſaurum, quem Vratislavienſium partim Epiſcopatus dives, ideo Aureus cognominatus, quotannis acquirit, partim Epiſcopus Precislaus reliquerat.

IV. In-

IV. Interim Eccleſiæ Vratislavienſi Adminiſtratorem Nicolaum Majoricenſem Epiſcopum, Prædicatorum Ordinis Fratrem, non tam regendi, quam diteſcendi Artificem, mittebat. Is à toto Canonicorum Collegio primum repudiatus offendebatur, deinde Muneribus placabatur. Ne Pacis haberent Turbatorem, Gregorio Canonici dabant ex Precislai Hæreditate tricies mille Aureos: bis mille Aureos, tanquam impoſitum Eccleſiis Polonicis pro duobus Annis Tributum: mille Aureos, quotannis ex Epiſcopatu accipiendos, dum Sileſia Epiſcopum conſequeretur, promittebant.

V. Anno 1378, pro Gregorio XI ad plures translato, Eccleſia Romana ſuſtinebat geminum Caput, Urbanum VI. & Clementem VII. Urbanus Italis plurimis, Germanis, Hungaris, Luſitanis: Clemens Gallis, Aragoniis, Scotis, & inter Italos Neapolitanis, Pontifex Romanus agnoſcebatur: cæteris Populis, utri Sacra ſua dirigenda committerent, dubiis. Urbanus Romam, Clemens Avenionem, Gallorum Urbem habebat Sedem.

VI. THEODORICUS Clementem, ad quem Iter ſuſceperat, experiebatur ſibi clementem: ab eoque Confirmationem reportabat. Hæc Initio multum, denique nihil valebat. In Sileſiam reverſurus, adhuc Viator, Eccleſiam Vratislavienſem, ad Gneſnenſis Polonorum Archiepiſcopi [quem pro ſuo Metropolitano tum adhuc colebat] Exemplum, Clemente poſthabito, Urbano ſubjectam intelligebat. Ita videbat, inter Pontifices duos, ſe unius Clementia, non alterius Urbanitate potitum, Spe ſua nihil, niſi Umbram pro Re, complexum.

MORS.

VII. Statu proinde ſuo priore contentus, intra Eccleſiam Vratislavienſem Epiſcopo carentem, mordacibus per Sexennium Curis enervatus, Anno 1382, Die Februarii XV. Fabulam Ætatis peragebat.

SÆCULO XV.

CAPUT VIII.

Ad Annum M. CCCC. LXVII. Diem XII. Decembris.

JODOCUS ROSENBERGIUS,

Baro Bohemus.

VITA.

I.

ROſenbergii tam Ortu, quam Cognomento, Germani, Roſam in ſuorum Inſignium Clypeo, quem duo erecti Urſi tenent, habentes, quibusdam Roſenſes, aliis Urſini vocantur. Sunt, quibus ab Oppido intra Sileſiæ Ducatum Oppolienſem Roſenberga, cujus vel Conditores vel Poſſeſſores fuerint, appellati creduntur.

II. Terras Italicas ingreſſi, Armis celebres in Bohemia Sedem fixerunt: Literisque partam Stirpis Exiſtimationem auxerunt. Eorum antiquiſſimam Proſapiam, ex qua Vitekius Crumloviæ Bohemorum, Roſenbergæ Sileſiorum Dominus, Anno 1150, erat: ultimus, Udalrici II, Liberi Baronis, Pragenſium Burggravii, Huſſitarum Perſecutoris, Anno 1461 mortui, Abnepos Petrus Wokus Urſinus Roſenbergius, Familiæ Roſenbergicæ Gubernator, in Bohemia Crumloviæ, in Sileſia Reichenſteinii Oppidorum Poſſeſſor, Evangelicorum Defenſor, ſine Liberis A. C. 1612, Ætatis LXXIII, obdormiſcens exſtinxit.

III. JODOCUS noſter, dicti Udalrici L. B. Filius: Johannis, quem Ladislaus Bohemorum Rex, Sileſiorum Dux Vratislavienſi Ducatui Capitaneum præfecerat, Frater, in Pragenſium Academia multis Sapientiæ Studiis excultus, maxime, cum eloquentiſſimum Oratorem agebat, ut Corporis ſpectabilem, ita Mentis honorabilem oſtendebat Magnitudinem.

IV. Ad celſiora quo magis aptus erat, eo facilius emergebat. Non adeo multos habebat Annos, cum in Bohemorum Regno crearetur intra S. Johannis Hieroſolymitani Ordinem cum Cruce Prior & Stratonicenſis Præpoſitus.

V. Vra-

V. Vratislavienſis Eccleſia ſuum Epiſcopum Petrum Novacum Anno 1456, Die III Februarii, amiſerat. Tum in Succeſſorem e Collegio ſuo quendam aſſumendum omnes Canonici propendebant.

VI. At eos in aliam Sententiam flectebat Ladislaus, Sileſiorum Dux, Bohemorum Rex, tam Epiſtolis, quam Nunciis JODOCUM, quamvis Ætate nondum habili, ad Epiſcopalem Dignitatem evehere conatus. Hinc, quoniam Regum Deſideriis, cum Obſequia non reſpondent, Imperia ſuccedere ſolent, ſordidam Repulſam Regi dare non audentes, JODOCUM eodem 1456. Anno, Die XIII Februarii, declarabant Epiſcopum. Defectum Ætatis ſupplebat Romani Pontificis Calixti III. Poteſtas: cui JODOCUS Epiſcopatum Die IX Junii confirmatum debebat.

VII. Ladislaus Bohemorum Rex, Sileſiorum Dux, Anno 1457, Die XXIII Novembris, faciebat Vitæ ſuæ Finem. Tum Bohemis Georgius [quem Gyrzikonem vocant] ab Arce, quam poſſidebat, Podibradius cognominatus, Baro Bohemus, Regni Gubernator erat. Is a Bohemis, tam Pontificiis, quam Huſſitis, electus, Rex Anno 1458, Die Maji VI, coronabatur.

VIII. Religionem colebat Huſſiticam: quam mox Apoſtolicam, mox Catholicam (non Romanam, ſed Orthodoxam intelligens) nominabat. Eo Pacto fiebat, ut etiam Pontificiis Pontificius, non Hæreticus, haberetur: ideoque ſub Initium Imperatori Friderico II, omnibus Principibus Electoribus, omnibus per Europam Regibus, citra Hæreſeos Notam, Rex agnoſceretur.

IX. Sileſiis, par Bohemorum Regem eligendi Jus poſſidentibus, Georgius, quanquam Rex Bohemorum ſolenniter coronatus, pro ſupremo Duce non ſtatim recipiebatur: maxime, quod eſſent a Bohemis ad Electionis Actum non adhibiti. De qua Injuria conquerentibus Bohemis, JODOCUS ipſe, quanquam Bohemis aſſentiens, Georgium repudiandum ſtatuebat.

X. Tum Vratislavienſium Poteſtas, non tam penes Senatum, quam penes Populum reſidebat. Quare Populum, ſeu totum, ſeu Parte maxima ſibi addictum habentes, Senatui prævalebant. In Clericis ergo ſuperioribus inferioribusque plurimi, cum Georgium Huſſitam Hæreticum clandeſtinum eſſe, non privati modo Cenſores, ſed publici etiam Concionatores divulgarent, ex Senatu quosdam, ex Populo plerosque, parum capientes, quid Hæreticus ſit, Argumentis ſpecioſis ſuam in Opi-

nionem trahebant. Ex eo Diſſidiorum Fonte ſcaturiebant Mala, cum quibus diu Sileſii, tum Eccleſiaſticam, tum etiam Politicam Perſonam agentes, præſertim Huſſitarum Oſores, luctati JODOCUM Epiſcopum, ſemper quidem moderatum Pacis Suaſorem, tamen mox Aſſeclam, mox Adverſarium ſenſerunt: quemadmodum ex proferendis patebit.

XI. JODOCUS jam dudum Amicitiam cum Georgio, etſi quondam Udalrici, Patris ſui, tanquam Pontificiorum contra Huſſitas militantium DUCIS, Inimico, apud Pragenſes ſingularem coluerat: incertum, aliis de Cauſis, an, quod ipſe nondum pro Hæreticis haberet Huſſitas. Eam poſtea continuabat cum Georgio Rege, quamvis ob tacitam Hæreſin plerisque Sileſiis, per continuos Clericorum Stimulos, ad Odii Perſeverantiam incitatis ſuſpecto. Hoc enim multis Curis, Nervis omnibus agebat, ut, quantum commode fieri poterat, Sileſii Georgium, jam Regem, omnes pro ſuo Duce, mox Iram in Gratiam converſuro, utrimque mutatis in melius Animis, reciperent. Tantum aberat, ut Georgio Regi, (quemadmodum Zacharias Theobaldus in Huſsitici Belli Parte III. Cap. XIV. narrat) Coronam JODOCUS invideret, quâ ſe digniorem ſtatuerit.

XII. Ideoque Concordiam inter Sileſios & Georgium, quamvis Huſsitam, tanto firmius ſtabiliri poſſe judicabat, quanto ille prudentior & benignior in omnes Huſſitarum Oſores erat: quorum aliquem ob Sacra, licet ſuis contraria, lædi, non patiebatur quidem, adeo non jubebat. Eam ſimul & Modeſtiam, & Juſtitiam Georgii, præter alios, commendat Joannes Cochlæus, Canonicus Vratislavienſis, in Huſſitarum Hiſtoria, Lib. XII. ad Annum 1458: cum Georgium optimis Regibus annumeraviſſet. *Quis enim*, ait, *fuit eo, vel in Conſiliis circumſpectior, vel in Armis expeditior, vel in Judiciis æquior, vel in Regia Poteſtate moderatior? Quamvis enim Huſſitarum Sectæ adhæreret, Catholicos tamen Imperio ſuo ſubjectos, a Sacris & Ritibus Eccleſiæ non arcuit, neque in Sectam ſuam coëgit.*

XIII. Anno 1458, ſub Æſtatis Principium, JODOCUS in ſuo Territorio Pacem inter Sileſios, alios Romanum Pontificem, alios Johannem Huſſum, tanquam Religionis veræ Ducem, propugnantes, compoſiturus, Niſſam Urbem per Inſidias occupabat, armataque Potentia quosdam Incolas (dubium eſt, Pontificios, an Huſſitas) ejiciebat Ibidem

Ibidem, quo ſecurius, quicquid vellet, agere poſſet, ſupra Niſſam Fluvium, Arci connectebat Pontem, nunquam non illam intrandi exeundique commodum Inſtrumentum.

XIV. Eodem 1458 Anno, Georgius Sileſios ad Obſequium vocaturus, Glacium, Suidnicium, Javoriam progreſſus, ideo maxime, quoniam eum Fridericus II, Imperator, jam Bohemorum Regem declaraverat, plerosque non difficiles inveniebat: quos, tanquam Dux ſupremus, Homagio præſtito, in Tutelam ſuſcipiebat: Obſtinatiſſimos expertus Vratislavienſes, quos ut Hoſtes, ſtatuebat debellandos. Tum JODOCUS iis Georgium Hæreticum credentibus iterum iterumque pro Capite ſummo recipiendum, perſuadere conatus, adeo nihil efficiebat, ut potius Odium ſibi majus attraheret: nec ad Conſultationes publicas poſtea ſibi tutum ad Vratislavienſes Iter videret, niſi prævalidum ab iis Præſidium nactus. Tantopere Canonici & alii Clerici, Epiſcopum ipſum traducere non veriti, Plebem contra Senatores, mitiora probantes, in Contumaciam induraverant.

XV. JODOCUS in periculoſa Re, quid ſuſciperet, dubius, quod tutiſſimum cenſebat, inibat Conſilium. Pium II. Romanum Pontificem, quem Cardinalem, Æneam Sylvium dictum, in veris Amicis, (quemadmodum ipſius ad Jodocum jam electum Epiſcopum Anno 1457, Die Auguſti V. ſcripta Epiſtola CCCLXVI. indicat) complexus erat, nulla Itineris Moleſtia deterritus, adibat: ejusdem ſecretiori Acta Cognitioni, Agenda Conſultationi ſubjecturus.

XVI. Inter hos quælibet in Georgii Gratiam diſponebantur: quem & Pius & JODOCUS in Familiaribus Amicis, cum Pragæ viverent, amaverant. Ideo Pius Georgium neque Calumniis onerandum, nec Obſequio indignum, Vratislavienſibus, Epiſcopo Jodoco, cæteris Clericis, Senatoribus, Civibus de Nota meliore commendabat per Literas Anno 1459, Die Auguſti XVIII, in Mantuano Principum Conventu, ob Turcas oppugnandos habito, ſcriptas: quas in medium afferendas judicamus. *Pius II. Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri JODOCO Epiſcopo, & dilectis Filiis, toti Clero Communitati Vratislavienſi, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Venerabilis Frater & dilecti Filii. Quia ſalva Veritate Catholicæ Fidei, in qua omnino ſalvamur, ſummo Deſiderio cupimus Occaſionem omnem præſcindere, per quam ad Bellum & Cædes inter Regem Bohemiæ & vos poſſet veniri. Ideo, cum*

Serenitas ſua nuperrimè ad nos ſcripſerit, miſſuram ſe Oratores ad hanc Mantuanam Dietam, opportunum Factum judicaremus, ut veſtri quoque illo Tempore adeſſent unaque Opera, & de Expeditione in Turcas, & de Differentiis veſtris, ſecundum Deum utiliter ageretur: quod, ut faciatis, plurimum ſvademus. Verum, quoniam intelleximus, eſſe aliquos veſtros, qui multa diſſeminant, quæ Famam ſuæ Celſitudinis non parum offendunt: videntes, ex hoc ipſo poſſe gravius aliquod Scandalum exoriri, Devotionem veſtram hortamur in Domino, Vobisque nihilominus in Virtute ſanctæ Obedientiæ præcipiendo mandamus, ut deſiſtere ab iis Calumniis omnino velitis, & ita vos erga eundem REGEM habere, ea non denegando, quæ ſibi debentur de Jure: ut quod ex Partium Concordia quærimus, tentare Armis non habeat. Ipſe enim quotidie ad nos ſcribit, velle ſe devotum Filium Apoſtolicæ Sedis eſſe, & Mandata noſtra reverenter ſuſcipere, ac omnia facere & ſequi, quæ Principem Catholicum deceant. Quæ nos magis ad hæc vobis ſcribenda inducunt: Credentes, hanc veſtram Modeſtiam Deo acceptam, & vobis ſalutarem. Quam ut bonâ mente amplectamini, etiam atque etiam pro Conſolatione noſtra & Conſervatione Status, & bonæ Intentionis veſtræ requirimus. Datum Mantuæ, XVIII Auguſti, M. CCCC.LIX. Pontificatus noſtri Anno primo.

XVII. Has Literas, ex Italia in Sileſiam reverſus ipſe Vratislavienſibus redditurus, Autoritate Pontificia commovere cogitabat, ut, cæterorum Sileſiorum Exemplo, Georgium pro Rege Bohemorum tandem ſuſpicerent, eique, tanquam ſupremo Duci ſuo, parerent. Vratislavienſes autem id præſagientes, à quo adhorrebant, JODOCO, in ſui Tutelam, Cuſtodes expetenti reſpondebant: *Non eſſe par, ut Oves Paſtorem defendant.* Ipſe poſtea JODOCUS è Vratislavienſibus Senatores Lignicium invitabat: qui eò venire ſuperſedebant, Georgium recipiendum ſvaſuro Aurem daturi nullam.

XVIII. Eo tamen vocati è Canonicis & Concionatoribus quidam Collegas ſuos repræſentare nihil veriti, proficiſcebantur. Hos jubebat JODOCUS Rationem reddere, cur Sermonibus Limites ſuos transgredientibus Populum, in primis Senatum Vratislavienſem, Odio in Georgium repudiandum vehementiſſimo implerent? Nihil ſolidi proferentes, declarabat Belli graviſſimi Fontes, ex quibus innumeræ Calamitates, tanquam Rivi, mox ſint promanaturi.

XIX. Quo Pacto eos, ipſum Romani Pontificis Decretum miris Ar-

Artibus obtentum fictumque ſtatuentes, quamvis graviter increpitos, effuſisque Minis ſummis perculſos, adeo non in Partes ſuas pertrahebat, ut potius, non tam à ſe, quam à Georgio alieniores faceret. Quin tanto acriores id, quod JODOCO diſplicere noverant, cum Aſſeclis ſuis exſequentes, importuno validoque mobilis Plebis Impetu in Auxilium arrepto, Senatum etiam in moderatiora propendentem corrum pebant.

XX. Sileſiis paſſim, maxime Vratislavienſibus, ad Diſſidia ſuſcitatis, JODOCUS à Vratislavienſibus tandem impetrabat ſecurum Aditum in Urbem. Ibi poſt S. Michaelis Feſtum, Die XXIX, Septembris celebratum, ex Crueis Area, multis Comitibus in Curiam ductus, quam Clerus, Senatus, Populus impleverant, Epiſtola Pontificia publicata, diſertiſſimus Orator, quibus poterat, efficaciſſimis Verbis Autor Vratislavienſibus omnibus erat, ne Capiti Eccleſiaſtico ſummo, quod errare non poſſet, diutius repugnantes, Notam Hæreticorum, quam Georgio inurerent, ipſi recipere ſuſtinerent.

XXI. His Monitis quò minus relinquerent Locum, vetus obſtabat Opinio, Georgium eſſe, non factum, ſed natum Hæreticum Huſſitam: quem hujus Criminis expertem nimis credulus Pontifex Romanus, à Georgio & JODOCO, inter ſe conſpirantibus Amicis, deceptus, ſtatuerit.

XXII. Pius II. Pontifex Romanus ex Judiciis prævis jam cognoverat Vratislavienſes Georgio reconciliare, difficillimum Opus eſſe: id aggreſſuro, in Adjumentum conjungebat duos Legatos, Hieronymum Landum, Venetum, Archiepiſcopum Cretenſem, & Franciſcum Toletanum, Archidiaconum Hiſpalenſem: ad eò facilius componendam inter Georgium & Vratislavienſes Pacem. De qua prius apud Pragenſes cum Georgio, Die XXVIII. Octobris: poſtea Die XIII Novembris, apud Vratislavienſes cum Senatu & Populo agebant.

XXIII. Vratislavienſes multiplicibus Incommodis fracti, ad ineundam quidem cum Georgio Pacem propendebant: Sed tamen, ut tanto melius Conſcientiarum Libertati conſulerent, Pragam miſſis ad Georgium Legatis, expetebant in Triennium Inducias: quibus impetratis Georgius Sponte ſua Menſem addebat: intra quod Tempus non ab iis exacturus erat Homagium. Hujus Pacti, quod Georgius Literis Pragæ ſcriptis, Anno 1460, Die XIII Januarii, confirmabat, & Cauſas & Leges exponunt Petrus Eſchenloërus Vratislavienſium Civitatis Notarius (tum miſſorum ad Georgium Nunciorum Comes) in Vratislavienſi

vienſi Chronico MSto, ad Annum 1460: ad eundem Annum Johannes Cochlæus in Huſſitarum Hiſtoria, Lib. XII. Zacharias Theobaldus de Huſſitico Bello, Parte III. Cap. VIII.

XXIV. JODOCUS à Georgio in Societatem Itineris Negotiique cum aliis aſſumtus, Anno 1462, Die Maji XV, Glogoviam ad Viadrum perveniebat. Ibi conditô inter Georgium Bohemorum, & Caſimirum, Polonorum Reges Pacto, de Concordia in poſterum ſtabilienda, mutuisque contra communes Hoſtes Auxiliis præſtandis, Adjutor aderat.

XXV. Induciarum Triennio inter Georgium & Vratislavienſes nondum præterlapſo, jam mutatis Rebus & Animis, Georgius, interea Friderico II. Imperatori aliisque Principibus per Affinitates Amicitiasque junctus, longè potentior, Anno 1462, Die Auguſti X, in Pragenſi Bohemorum Conventu, præſentibus, Pontificio Legato, Fantino Vallenſi, Proceribus Clericisque Bohemicis, noſtroque JODOCO, hactenus non nihil abſconditum de Sacris ſuis, non Romanis, ſed Huſſiticis genuinum Senſum patefaciebat: *Se Libertatem in S. Cœna integra, quæ Calicis Uſu non careat, Bohemis & aliis, quanquam Laicis, à Concilio Baſileenſi, Pontificibus Romanis approbato, conceſſam, Viribus omnibus defenſurum, ad extremum Spiritum.*

XXVI. Id Georgii Factum Pius II. Pontifex Romanus, ex Amico in Adverſarium converſus, & narrat, & damnat in Literis Romæ ſcriptis Die Martii XXIX, Anno 1463: ibi de Georgio, inter alia: *Etiam*, inquiens ad Legatum Fantinum Vallenſem, *proferre veritus non eſt hæc vel in Effectu ſimilia Verba: videlicet: ut nemo deinceps de Fide & Religione mea, Conjugis & Liberorum meorum dubius exiſtat, nunc palam & publice profiteor, chariſſimos Parentes meos in hac Veritate Communionis Calicis utriusque Speciei mortuos eſſe, meque in ea natum, educatum, atque uſque in hæc Tempora vixiſſe, vivereque & mori velle cum Uxore & Liberis meis: aſſerens Communionem illam de Neceſſitate Salutis: Et adjedit: Deo magis quam Hominibus eſſe parendum.* Plenius hæc Jacobus Picolomineus, Cardinalis Papienſis, in Commentariorum Libro VI. exponit: *Palam* (Georgius) *in Conventu* (Pragenſi) *pronunciat: Natum ſe atque altum in Panis ac Calicis Communione: Scire illam divina Lege mandatam, nec velle aut poſſe tantum Præceptum Dei relinquere. Ex Conventis eadem permitti: quæ Conventa nec abrogata hactenus ſint, nec adimi à Romano Pontifice poſſint: neque enim ſupra Evangelium Concilii Poteſtatem ejus eſſe. Meritos Virtute ſua Boemos, ut ante alias Gentes illa ipſa acciperent, quæ per inanes Minas cum Ignominia dimittenda non ſint. Neque enim obſtare ſibi Jus jurandum, quod in Coronatione ſuſceperit juraſſe ſe Hæreſin Regno depellere: Hæreſin haud dubie reliquarum Nationum, non Boemicæ eſſe: atque ideo in eo maxime Jusjurandum præſtare, quod invaleſcere externorum Inſtituta non ſineret.*

XXVII. Præterea non tantum quosvis ex Vratislavienſibus ab Obedientia Georgio in poſterum præſtanda revocat, quorum Pactis omnem Valorem ſubtrahit: ſed Georgium quoque nullis amplius Chriſtianis pro Rege ſuſpiciendum declarat. Id reperimus in iisdem Literis: in quibus Pius: *Animadvertere*, ait, *debitè volentes, ne Error ille ſæviſſimus Arma habens ſub Religionis Specie, amplius ſerpere valeret, & ne fideles Chriſti, per Subjectionem dicti Georgii, ejus Erroribus valeant maculari: nuper proprio Motu, ex certa noſtra Scientia, fidelium proſpicientes Salutem: dictos, Clerum, Capitaneos, Conſules, Communitates Civitatis Vratislavienſis, nec non Oppidi Namslavienſis, ab Obſervatione Concordiæ prædictæ, Autoritate Oratorum noſtrorum concluſæ, omniumque dependentium & connexorum: Etiamſi ejus Vigore ad Homagium præſtandum tenerentur, abſolvimus & abſolutos fore declaramus.*

XXVIII. Multo vehementior eandem Iram in Literis, ad Imperatorem Fridericum III. eodem Anno 1403, Die XVI Maji exaratis, contra Georgium effundit. *Certum profecto eſt*, inquit, *eum* (Georgium) *qui ſeipſum ab Eccleſia Catholica ſchismatice ſeparat, in Republica Chriſtiana nullam, aut regiam aut aliam poſſe tenere Dignitatem. Nos quoque, ut fidelem Chriſti Vicarium decet, eundem pro Ethnico & Publicano, atque abſciſſo de Corpore Chriſti Membro, ſine ulla Diſſimulatione habere tenemur. Ex quo intelligit Majeſtas tua, nos oportere mandare dictis Vratislavienſibus, ut nobiscum ſentiant, & Georgium ipſum Regem eſſe non poſſe, nec ut Regi obediendum fore ei, qui de Corpore Chriſti, ſe ſua ſponte præſcidit. Neque in hoc quæcunque Pacta ipſis obſtare poſſunt. Sicut enim Mors naturalis Pacta præſtandi Homagii diſſolviſſet: ita non minus hæc abſciſſio à Corpore Chriſti (extra quod Chriſtianus, ut Chriſtianus, non vivit) Pacta illa diſſolvit. Non enim Vratislavienſes à noſtris Oratoribus inducti fuere, ut ſe obligarent, poſt Triennium & unum Men-*

ſem, præſtare Georgio Homagium, ut Georgio, ſed ut Catholico Regi. Poſtquam autem Georgius ipſe ſe declaravit, à catholica & univerſali Eccleſia, in Fide & Ritu ſeparatum, Facto patefecit, ſe non eſſe illum, cui à dictis fidelibus Chriſtianis præſtari debeat Homagium, ſed potius mortuum cenſeri: Cui nullus Chriſtianus, etiam qui eidem præſtitit Homagium, obedire tenetur.

XXIX. Tum, quid agendum, deliberaturi Anno 1463, in Vratislavienſium Curia conveniebant Legati Pontificii, JODOCUS, Duces, Senatores. Cum acriter diuque jam certaviſſent, inter Pontificios Legatos Hieronymus, Archiepiſcopus Cretenſis, aſperior, Diſſidia, quibus intra Sileſiam potiſſimum Vratislaviam delendis erat miſſus, magis excitabat, quam opprimebat: JODOCO Tranquillitatem intendenti, quem Venenum Patriæ vocabat, maxime contrarius. JODOCUS Hieronymum Verbis S. Pauli (ad Titum I. 12) ſtatim caſtigabat: *Cretenſes*, inquiens, *ſemper Mendaces*. Ex eo durior Hieronymus, aliquando importunior, Conſiliis, quæ dabat, omnibus ſubſcribere nolentem JODOCUM Fulmine, quo Sacra prohibentur, percutere non dubitabat: quod JODOCUS, ad Romani Pontificis Tribunal provocando, irritum faciebat.

XXX. Romana Deſideria comprobantibus Pius, damnantibus Impius Pontifex, Anno 1464, Die XVI Auguſti, moriens, explenda Succeſſori ſuo relinquebat. Is, Paulus II juratus omnium Huſſitarum Adverſarius, Autoritate, quam Romano Epiſcopo convenire ſtatuebat, Judex ſupremus, præſentibus Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliis longè plurimis, tam Magnatibus, quam plebejis, Anno 1465. Die XXIII Decembris, ſolenniter Georgium, tanquam Hæreticum, Regno indignum, omnibus invadendum, opprimendum, exſtirpandum præcipiebat.

XXXI. JODOCUS, Georgium à Pontifice Romano Paulo II. è Cancellis Eccleſiæ proſcriptum, omnium Hoſtium Arbitrio ſubjectum eſſe, cum percepiſſet, non mediocriter triſtis & conturbatus, in Remedium de Mora cogitabat, intra quam Decretum, quod jam publicatum ignorabat, ne publicaretur. Amicum habebat Romæ ſingularem, apud quem Autoritate ſua plurimum valebat, omnium & antiquiſſimum, & potentiſſimum S. Angeli Cardinalem Johannem, cujus Nutu in pleriſque Pontifex regebatur. Ad utrumque mittebat Thomam Rhodium, Equi-

Equitem, variis effecturum Argumentis, ut Edicti contra Georgium differretur Publicatio. At ea prius, quam Thomas Romam pervenit, erat peracta. Rudolphum Epiſcopum Lavantinum in Germaniam mittebat: Anno 1465, Die Novembris IX, Vratislaviam ingreſſus. Ille primum leniora tentaturus ex facili perſvadebat Vratislavienſibus, ut Proceribus Bohemicis adverſus Georgium conſpirantibus, per JODOCUM in Fœdus recipi cuperent.

XXXII. JODOCUS ex Bohemia redux, cum magno Applauſu exceptus, Vratislavienſibus hoc Pactum contra Georgium inituris, in ampliſſimo Legati Pontificii, Senatorum, Civium, aliorumque Conſeſſu, ne tum quidem, Amore, ſi non Georgii, certè Pacis, à temperatis Conſiliis alienus, æſtimandum proponebat: Georgium, ſatis potentem creſcentibus fœderatorum Auxiliis, Doctrinam Huſſiticam Bello magis propagaturum, in Vratislavienſibus præcipuos Adverſarios ſuos Canonicos perſecuturum: quorum Terris maximum ſit allaturus Nocumentum. Hoc Argumento irritatus è Canonicis Nicolaus Tempelfeldius, Theologiæ Doctor, Affectui ſuo, quem cohiberi non poterat, Frenum laxabat: *Tua*, inquiens, *continua vox: Pax, Pax: quid aliud eſt, niſi clamantis Lupi vox: Agnus, Agnus. Pace non exſtirpantur, ſed augentur Hæretici.* Quæ Suffragiis ſuis alii Canonici comprobabant, addentes: *Suo Judicio, majorem Georgio Hæreticum eſſe JODOCUM.* Vratislavienſes Pontifici Romano magis, quam Epiſcopo ſuo parentes, Bellum Paci præferebant. Tum JODOCUS, *ſi vos*, ajebat, *aut Prælio aut Bello victi ſenſeritis Mala, erunt imputanda non mihi, ſed vobis. Utinam ſiniſtri vos Judicii non pœniteat!*

XXXIII. Cæteri etiam Sileſii, à Vratislavienſibus diſcrepantes, quanquam à Pontifice Romano adverſus Georgium, cui, tanquam Hæreſis quidem accuſato, ſed nondum convicto, Homagium præſtiterant, inſtigati, nequaquam Fidem ſuam violare ſuſtinentes, clam cum JODOCO ſentiebant: non Georgium debellandum, ſed potius defendendum eſſe ſtatuentes. Idque patet ex Sileſiæ Principum ad Paulum II. Pontificem Romanum Anno 1466, ſcriptis Literis. In quibus, *Nos*, inquiunt, *præfatum Seremiſſimum & glorioſiſſimum Regem & Dominum noſtrum, tanquam Catholicum & Orthodoxum Principem, reveremur: qui etiam ab aliis S. Romani Imperii Principibus, ut talis habetur & colitur: nec quicquam in omni Vita ejus deprehendimus, niſi quod catholicum Prin-*

cipem decet. Sub ejus Tutela nos omnes, Regnique Principes, Pacis & Concordiæ Nexibus colligati, & sub Majestatis suæ Fide, & Obedientia, tranquillam Vitam agentes, tanta Pacis Svavitate potimur, quanta in Hominum Memoria nunquam est visa. Denique sua Serenitas neminem nostrum solicitat, compellit vel inducit, ut alio Ritu vel More vivamus, quam Patres & Avi nostri. Nos igitur attendentes, quo hujusmodi Apostolica Præcepta respiciunt, maximè veremur, ne in nostrum nostrorumque Subditorum vergant Exitium: Sanctitatem Vestram humillime deprecamur, quatenus Postulationibus nostris, pro Conservatione Pacis & Tranquillitatis nostræ, clementer acquiescere, nec vanis Suggestionibus sacratissimas Aures accommodare, neque Fidem prabere dignetur: Processus supra dictos contra piissimum Regem nostrum emissos tollere, vel saltem, Spe felicis ineundi Tractatus, suspendere. Ibidem post quædam: *Hoc etiam Precibus nostris adjicimus: quod si vestra Beatitudo has Preces nostras & Serenissimi Regis nostri, quocunque Zelo vel Suasu ducta contemserit, quod minime speramus, tanquam ab Humanitate & Clementiâ penitus alienum: nos nihilo minus, veluti Duces Silesiæ, præfatique gloriosissimi Regis ac incluti Regni Bohemiæ, Principes & Vasalli Ligii, Juramentorum, Regiæ Serenitati præstitorum non immemores, eidem assistere, tanquam fideles & obedientes Regis Regnique Principes, non dubitabimus.*

XXXIV. Hinc majore Conatu, JODOCUS, constanter à Bello contra Georgium alienissimus, Rudolpho, Legato Pontificio, perpendendum proponebat: Periculum magnum toti cum Silesiæ, tum Ecclesiæ, subeundum, si Georgius violenter invadatur: dives, fortis, adeoque potens, ut Defensor Hussitarum, Hostiumque Victor, non tantum debiturus, quàm illaturus sit Persecutoribus suis Damnum. Multos ê Principibus Regibusque propensos Georgio, partim esse, partim futuros, Romano Pontifici Monitores, ne Potestatis suæ limites transgressus, Regi Sceptrum eripere insolenter audeat: Exemplo pernicioso, quod ad omnes Reges, Romanam Religionem colentes, spectet. Silesios, quos Romanus Pontifex neque Militibus, neque Nummis adjuvare possit, tandem Cladium pertæsos, extrema Necessitate compulsos, Sponte sua, cum Georgio magnam ab Exteris Opem seu consecuto, seu consecuturo, Gratiam inituros: in quibus non exigua Pars Doctrinam Hussiticam clandestino Amore foveat, publice profitendam, hoc si concedat Impu-

nitatis

nitatis Spes, maxime si defendat Regis Autoritas. Efficacius igitur admonendum esse Pontificem Romanum, ne, si perseveret, crudelissimi Belli Autor esse, summum Ecclesiæ Caput in Terris, plus noceat, quam consulat Membris. Consultius esse, dubiam Georgii Oppugnationem in annui Temporis Spatium differre, dum Experientia doceat, quid Georgius interea sit acturus: seu mutet, seu non mutet Animum. Se Fiducia firma niti, Pontificem Romanum Notitia Rerum Silesiacarum meliore ductum, in aliam iturum Sententiam: quam eidem sit, aut ipse suasurus, aut per Nuncium opportuno Fratris Johannis Auxilio, reverenter commendaturus.

XXXV. Non arridebat id Consilium Canonicis, quod deridebant: non verbis amplius, sed Armis cum Georgio certandum esse judicantes. Tum JODOCUS tanto magis plerisque suspectus: *Si nullus*, inquiebat, *superest Paci Locus: In Georgium sæviant Bello, quod equidem Bellatoribus noxium prævideo: seu Paucitatem Silesiorum, seu multitudinem Bohemorum, inter se pugnaturorum respiciam. Num Bohemorum triginta millibus opponent Silesii decem millia? Sinos, ajebant dissentientes, Auxilium divinum non deseret, Georgii non triginta, sed sexaginta millia delebimus.* Dictis autem non respondebat Eventus: de quo videatur §. XLI.

XXXVI. JODOCUS, pro Georgio extrema, sed tamen intra Moderationem, suscepturus, per Literas Anno 1466, Mense Januario Scriptas, a Paulo II. Romano Pontifice non satis Rerum conscio, ad ipsum meliore Notitia instruendum provocare, nihil verebatur. Hujus erat Epistolæ Clausula, cum non Vratislavienſibus solis, Georgium repudiantibus, sed aliis etiam iisque majorem Autoritatem habentibus, credendum esse statuisset: *Quapropter, o piissime Domine, o clementissime Pater, o benignissime Pastor, animadvertat, quod hæc non fiant in Fraudem & Dolum, quæ nemini patrocinari debent: sed a Sanctitate vestra non satis informata ad plenius informandum recurritur: non aliud Asylum quæritur, præter Sedem Apostolicam.*

XXXVII. Paulus II. Pontifex Romanus, neque JODOCI, neque Fratris Johannis, tum inter Bohemiæ Proceres potentissimi, Copiarum Regiarum Ducis, Rosenbergiorum, constanter Georgio adhærentium, Placitis subscribebat: ad quorum utrumque, tanquam unum, in Urbe Roma Literas Anno 1467, Mense Januario, exarabat. In iis, *Inducere etiam velis*, ait, *salutaribus Monitis Fratrem: quem miramur & do-*

lemus, in tanta Fidei Neceſſitate a Catholicorum Baronum ipſi Georgio reſiſtentium Conſortio divertiſſe, & ad Partem Hæretici illius declinaſſe, ut cum cæteris ab illius Impietatis Jugo Collum ſubtrahat. Ibidem poſt quædam: *Ad ipſum Fratrem tuum in præſentiarum non ſcribimus, ſed has noſtras, & tibi & illi communes eſſe volumus.*

XXXVIII. Georgius primum lenior Sileſiis, ne, quod intendebant, Bellum ſuſciperetur, ipſam Odii Radicem evellere conabatur. Huſſiticam Religionem ab Hæretica Nota publice vindicaturus, in Comitiis Pragenſibus Anno 1467, celebratis, non prioribus, quibus JODOCUS intererat, pro Georgio adverſus Paulum II. Pontificem Romanum Conſilia proponentibus, ſed poſterioribus, a Pontifice Romano ad univerſale Concilium provocabat. *Quod ſi*, ait in Scripto, quod Anno 1467, Die XIV Aprilis, prælegi juſſit, *Sanctiſſimus Pater, in ſua Ira permanere, nec ſibi temperare voluerit: nos ad univerſale Concilium, ex Ordine in magna Synodo Conſtantienſi præfinitum, & per Sacrum Baſileenſe Concilium ſalubriter confirmatum, & de Decennio in Decennium perpetuis futuris Temporibus celebrandum provocamus, & appellamus.* Tanto hinc acerbior Pontifex Romanus nihil eorum intentatum relinquebat, quibus Georgio Regnum adimi poſſet. Ideo, per ſuum in Sileſia Legatum, Rudolphum Laventinum, Notam Hæreſeos imprimebat omnibus, Georgium Hæreticum ſeu debellandum negantibus, ſeu debellare nolentibus.

XXXIX. Tum Georgius Cauſam ſuam non amplius Conſiliis, ſed Armis fortiter acturus, minabatur extrema ſeu inferentibus ſeu repellentibus Bellum Sileſiis, maxime Vratislavienſibus: quibus ipſe JODOCUS, Fulmine Pontificio territus, ad ultimum Hortator erat, ut Vires ſuas contra Georgium periclitarentur.

XL. Sileſii lento ad Bellum Pede progreſſi, gravesque Clades paſſi, a Clericis, ſemper acrioribus civilis Belli Tubis, Impendia nulla conſequebantur, Paupertatem ſuam nunquam non cauſantibus. Accedebat in Vratislavienſibus inter Clerum, Senatum & Populum Diſſenſus. Clerici accuſabant, præter Epiſcopum ſuum, quem clandeſtinum Georgii Amicum ſtatuebant, tam Senatores, quam Cives, qui Bello defatigati propendebant in Concordiam cum Georgio ineundam.

XLI. JODOCUS, cæteroquin placidus, & Injuriarum patiens, nimis audacter irritatus, Feſto S. Petri & Pauli, Die Junii XXIX, captum S. Johannis

Johannis Præpoſitum, Johannem Druſterum, (aliis Troeſterum) in Adverſariis ſuis ſupra cæteros ſemper importunum, clauſo per Vinculum Ore, quo peccaverat, ne Tumultum excitaret, Curru ſecum traducebat Niſſam: hinc in Arcem Edelſteinam, Oppido Zuckmantelio vicinam delatum, retinebat cuſtoditum: fruſtra pro eo quibusdam & Senatoribus, & Civibus Preces adhibentibus.

XLII. Interea Georgius crebris Prœliis Victor, magis magisque formidabilis, Vratislavienſibus ſerum Pœnitentiæ Dolorem incutiebat. Tum plerique Sileſii, mutantes Animum, in Conventibus tam publicis, quam privatis JODOCUM, perpetuum ut Pacis Suaſorem, ita Belli Oſorem, tanquam futurorum malorum Prænuncium, reſpiciebant, & tantum non Prophetarum Ordini adſcribebant.

XLIII. JODOCUS a ſuis Hoſtibus, præſertim Dynaſtis, Arcem Edelſteinam prope Zuckmantelium Oppidum poſſidentibus, magnam ſuorum Redituum Jacturam ſenſerat. Horum Injurias ulturus, Anno 1467. Die XIII Julii, per Inſidias, Edelſteinam celeriter occupabat, diripiebat, Ferro Flammisque ſubvertebat: Unde Spoliorum ingentem Copiam reportabat.

XLIV. Erat, ſi Dotes Animi æſtimes, non vernaculi tantum Bohemici, verum etiam Romani Sermonis, cujus Ope Scientias egregias ſibi comparaverat, peritiſſimus: Germanicæ Linguæ parum gnarus: ideoque Conciones ad Populum, quas Latine habuerat, Germanice alius proferebat. Ingenio Judicioque bono, prudenter itaque Rem in ambiguis periculoſisque Caſibus agebat, ut ſimul Exiſtimationi ſuæ, ſimul Utilitati publicæ conſuleret: eloquentiſſimus Orator.

XLV. Literatorum ſingularis Patronus, quorum Merita honorabat, amabat Colloquia, non quenquam temere, niſi eruditum, provehebat ad Eccleſiaſticum Beneficium. Pauperes eosque probos, Liberalitate ſua, non adjuvare ſolum, etiam oblectare gaudebat. Convitia plerumque manſuetus perferebat, præſertim plebejorum: quorum Contemtum generoſi Contemtu omnium optime puniunt.

XLVI. Corpore procero, Membris craſſioribus, ſelectas Ciborum Delicias, pretioſorum Veſtium Nitorem, & quicquid eo pertinet, amabat, non tam ſibi, quam aliis placere ſtudens. Ita, pro Sæculi Genio, Rerumque Statu laudatus ab his, ab illis culpatus, ſuos peragebat Annos.

MORS

MORS.

XLVII. Intra Niſſæ Palatium, a ſe conſtructum, quod in Sedem ſibi commodam elegerat, ex Calculi Doloribus, acriore Mortis Senſu movebatur, ut convocatis Canonicis Terras Epiſcopales fideliter dirigendas committeret. Hac defunctus extrema Cura, Spiritum edebat Anno 1467.

XLVIII. Vratislavienſes, non omnes, ſed Rudolphi Pontificii Legati Conſilio acerrimo, iniquiores in mortuum, præcipue ob captum clauſumque Johannem Druſterum Canonicum, pro quo fruſtra interceſſerant, Corpori Tranſitum per Urbem Initio denegandum ſtatuebant: mox a Polonis & Bohemis Baronibus, Canonicisque Funeris Curatoribus, victi, quod recuſaverant, concedebant.

XLIX. Die XII Decembris, exſtinctus, in S. Johannis Cathedrali Vratislavienſium Templo, Die XV Decembris, ſepeliebatur. Inde natus quorundam Error, qui Mortis Sepulturæque Diem in unum confundentes, Die Decembris XV, Rebus humanis ereptum narrant. Inter quos vetuſtiſſimus eſt Joannes Dlugoſſus in Vratislavienſium Epiſcoporum Vitis MStis, Num. XXXII. Rectius emortualem Diem XII Decembris ſtatuunt, Nicolaus Polius in Hemerologio: Thomas Zechorodus in Marte Moravico, Lib. VI. Cap. VII. Quam Sententiam confirmat ipſum Jodoci Epitaphium, quod in Templo dicto etiamnum reperitur, ſaxeo Tumulo inſcriptum. *Anno M.CCCC.LXVII. Die XII. Decembris, Niſſæ obiit Rever. Dominus JODOCUS de ROSENBERG. Epiſcopus Wratisl. hic ſepultus.*

SCRIPTA.

L. Ex JODOCI noſtri *Epiſtolis* paſſim ſuperſunt in Sileſiorum aliorumque Bibliothecis, pleræque MStæ: (I.) *ad Paulum II. Romanum Pontificem:* inter quas reperitur, Anno 1466, ſcripta, pro Georgio Bohemorum Rege, Vratislavienſibus inviſo: eos Georgium accuſantes, non ſolos, ſed alios etiam audiendos eſſe: cujus clauſulam §. 37. in medium attulimus. (II.) *Ad Rudolphum Lavantinum Epiſcopum,* Pontificium Nuncium, acriores non nullæ, quibus eum monet hortaturque graviter, ut Georgio Pacem ſuadeat cum Sileſiis ineundam. (III.) *Ad Lectores Proteſtatio* adverſus Rudolphi Lavantini Severitatem intempeſtivam: quâ Bellum Paci præferre conatus, Sileſiis noceat potius, quam conſulat, nimius Huſſitarum Oſor, Romani Pontificis non tam Orator, quam Adorator.

LI. Ho-

LI. Horum Scriptorum, partim Mentionem faciunt, partim aliquid legendum offerunt, Petrus Eſchenloerus, Vratislavienſis Civitatis Notarius, in Chronico Germanico, quod de ſui Temporis Rebus ab Anno 1440 ad 1478 ſcripſit, nondum edito. Bohuslaus Balbinus in Rerum Bohemicarum Epitome, Lib. V. Cap. VI. & VIII. Thomas Zechorodus in Marte Moravico, Lib. VI. Cap. III. & VI.

CAPUT IX.

Ad Annum M.CCCC.LXXXII. Diem IX. Januarii.

RUDOLPHUS,

Rudisheimenſis Moguntinus.

VITA.

I.

RUdisheimam, Territorii Moguntini Oppidum, Patriam, ibi Henricum Civem Genitorem, Catharinam Genitricem nactus, per Ingenii Capacitatem Induſtriamque ſingularem, Literis applicatam, non exiguos ſibi Honores attraxit.

II. Maxime Juris Studio deditus, creabatur Decretorum Doctor, Romanæ prius Rotæ, poſt Cameræ Auditor: Pontificum Romanorum Pii II, & Pauli II, Magiſter Supplicum Libellorum, qui Referendarius dicitur. Jam Epiſcopus Italiæ Lavantinus, majoribus Negotiis expediendis adhibebatur. Legationibus crebris, à Pontifice Romano Paulo II. & Hungarorum Rege Matthia I, ſuſceptis, ad Caſimirum Polonorum, & Georgium Podibradium Bohemorum Reges: ad generales provinciales-que Synodos, interdum ſatis feliciter, defungebatur.

III. Slavonicarum Linguarum, Hungaricæ, Polonicæ, Bohemicæ, non ignarus, Anno 1465, Menſe Januario, à Pontifice Paulo II. ad Hungaros, Polonos, Bohemos, Sileſios, Diſſidia potiſſimum ob Georgii Bohemorum Regis, Huſſitarum Defenſoris Cauſam, exorta, componere ſtudebat: præcipua nullo, certè parvo Succeſſu, nimius Georgii & omnium Huſſitarum Oſor.

IV. Ideo Paulus II. R. P. continuis RUDOLPHI Querelis, Contumaciam Huſſitarum iisque conſtanter adhærentium accuſantibus, tan-

dem commotus, Georgium, Anno 1466, Die XXV. Decembris, in Romano Cardinalium aliorumque Conventu, S. Petri Basilica, solenniter ad Aram summam, è marmoreo Suggestu, velut in Tribunali, Judex supremus, declarabat Hæreticum: Bohemico Regno, civilibusque Juribus, omnibus tam Subditis, quam fœderatis deferendum committebat, imo præcipiebat. *Per hanc*, Literas eodem Anno, Die XXIII. Decembris, scriptas recitando, inquiebat, *nostram Definitivam Sententiam, quam in Scriptis ferimus, & de certa Scientia promulgamus, eundem Georgium sive Gersicum, Hæreticum pertinacem, Hæreticorum Fautorem, & Hæresium damnatarum Defensorem, perjurum atque sacrilegum fuisse & esse. Nec non omnes & singulas Sententias, Censuras & Pœnas, á Jure in talcs relapsos in Hæresin, perjuros, & Defensores hujusmodi, generaliter promulgamus, damnabiliter incurrisse. Ipsumque propterea Regia, Marchionatus, Ducatus, & si qua præfulgeat alia Dignitate, Dominio, Bonis & Juribus universis privatum, & ab illorum Occupatione & Detentione amovendum: Posteros vero suos ad hujusmodi Regni, Marchionatus, Ducatús, & cujuslibet alterius Dignitatis, vel Dominii, Successionem, Elēctionem, vel alio quovis modo delatam, vel deferendam, inhabiles fore, Autoritate Apostolica, Tenore præsentium, pronunciamus, decernimus & declaramus: ipsumque & ejus Posteritatem, præfatis & aliis Bonis, omnibus & singulis Dominiis temporalibus sententionaliter privamus, Absolventes eadem Autoritate omnes Principes, Barones, Civitates, Vasallos, Subditos, atque alios confœderatos Liga, vel alio quocunque Vinculo sibi adhærentes aut colligatos, in dicto Regno & alibi existentes, ab omnī Subjectionis, Homagii & Fidelitatis Juramento, Vinculo & Obligatione quacunque, qua nunc adstricti sunt.*

V. RUDOLPHUS eam Romani Pontificis Sententiam Vratislaviensibus, apud quos agebat, postea cæteris Silesiis, Bohemis, Moravis, Lusatis observandam publicabat: quos ad Obedientiam Minis Terroribusque compellebat.

VI. Anno 1466, Die XIX Octobris, jam tredecim Annis gestum Casimiri Polonorum Regis cum Borussis Bellum, Nomine Romani Pontificis, in Thorunienſium Urbe componebat: non autem, quanquam tentabat, novum excitare poterat, Casimiro Pacem Bohemis Hussitis continuaturo.

VII. Anno

VII. Anno 1467, Die Julii XXI, Vratislavia proficiscebatur Cracoviam, ubi Georgio Regnum Bohemicum eripiendum, Casimiro variis argumentis, sed pariter irrito Labore svadebat.

VIII. JODOCUS Rosenbergius, Episcopus Vratislaviensis, Anno 1467, Die Decembris XII, Annos suos impleverat. Tum Canonicos, Georgio Bohemorum Rege, nondum Silesiorum Duce ab omnibus agnito, tanquam Hæretico, Autoritate Pontificia, omnibus Imperii Potestatibus spoliato, ad extremum obtenta suis in Rebus plenior Libertas non pariter recreabat. Eam secuti, Anno 1468, ad Januarii XX Diem, indictis Comitiis, eligendum statuebant Successorem ex suo Collegio Primislaum, Ducem Silesiorum Oppaviensem, inter Canonicos Cantorem ad S. Crucis Ædem Vratislaviensem. At mox erant, qui Propositum hoc subvertebant.

IX. Silesiis iniquior Paulus II. Romanus Pontifex, inter quos etiam in Canonicis taciti Hussitæ latebant: neque satis propensus Casimirus Polonorum Rex, per Oratores, Stanislaum Ostrorogium, Calissiensem Palatinum, Jacobum Dombrium, Regium Thesaurarium, Joannem Dlugossum Seniorem, illum Rerum Polonicarum Scriptorem nobilem, Canonicum Cracoviensem, Vratislaviam missos: præterea ex Bohemicis Proceribus, Hussitarum Adversariis, præter alios, Sdenco Sternbergius, offerebant commendabantque Canonicis Electoribus RUDOLPHUM.

X. Plerisque molestissima erat hæc Solicitatio: quibus speratam intercipiebat Libertatem. Sed tamen Schisma veriti, cujus Occasione Pontifex Romanus, in Juris sui Specimen, sit vel invitis Legatum Clientemque suum obtrusurus, XX Suffragiis consentientibus, RUDOLPHUM Primislao præferebant, Idque Paulo II. P.R. tantopere placebat, ut, citra Moram, Die Aprilis XXV, RUDOLPHUM ex Lavantino faceret Vratislaviensem Episcopum: eique nihilo secius in posterum etiam Pontificia Potestate Nuncium agere concederet.

XI. Anno 1473, Die Junii IV. majorem Glogoviam primum ingressus, Monasterium Bernhardianum, quod Vladislai Teschinensium & Glogaviensium Ducis Uxor Margareta condiderat, consecrabat.

XII. Non delectatus Cerimoniis, quas olim Conradus & Petrus, Episcopi Vratislavienses, in Synodis habitis comprobaverant, novas in-

troducebat Leges in Synodo, ad quam, Anno 1473, Die XVIII. Octobris, inchoandam Clericos ſuos invitabat.

XIII. Matthiam Hungarorum & Bohemorum Regem, Sileſiorum Ducem, peractis fideliter feliciterque nonnullis graviſſimis Negotiis, Legatus Pontificius peculiarem Patronum adeptus erat. Ab eo Vratislavienſis Epiſcopus Caſtrum Edelſteinam, Oppidumque vicinum Zuckmantelium, Bonis Epiſcopalibus in perpetuam Poſſeſſionem attribuendum, Anno 1474 impetrabat.

XIV. Ad hæc, ab eodem Rege, nonnullis Juribus Epiſcopalem tum poteſtatem, tum etiam Dignitatem augentibus donabatur. De quibus agit Epiſtola, quam Matthias Rex, apud Ratibonenſes, Anno 1475, Die Martii XII, ſcripſit: Martinus Gerſtmannus, Epiſcopus Vratiſlavienſis, in poſterioris Synodi, quam Rudolphus celebravit, Actis edidit.

XV. Eam Synodum Rudolphus Anno 1475, Feria II, quæ Dominicam Jubilate nominatam ſubſequitur, celebrabat: in eoque Conventu, ſecundum Cerimonias, quas prior Synodos receperat, diſpoſito, innovatas Conſtitutiones Synodales publicabat.

XVI. Inter Vratislavienſis Eccleſiæ Cathedralis Canonicos Præpoſitus, Petrus Hœpnerus, à Collegis ſuis accuſabatur Religionis Huſſiticæ: quam Pontifex Romanus Hæreticam, Georgius Bohemorum Rex orthodoxam cenſebat. Eum de Sacris Senſum, ab Eccleſiâ Romana Diſſenſum, non Errorem Rationibus emendabilem, ſed Crimen Pœnis ſubjiciendum eſſe, Rudolphus interpretabatur. Ideo Hœpnerum quanquam nondum convictum, Eccleſiaſticis Muneribus privabat: idque Factum Sixtus IV. Pontifex Romanus, Anno 1478 comprobabat. Anno 1479, Die X. Septembris, ſolenniter conſecrabat S. Georgii ſuburbanum apud Glacenſes Templum.

MORS.

XVII. Rudolphus, Anno 1482, Iter Niſſam ſuſcepturus, Die IX. Januarii, apud Vratislavienſes Apoplexia repentina correptus occumbebat. Ei poſitum in Vratislavienſi S. Johannis Cathedrali Templo, ubi ſepultus ad Aram primariam jacet, ſupereſt Monumentum.

Miſſus ab Urbe fuit Legatus Præſul in iſtas
RVDOLPHVS Terras: Rhenus eum genuit.
Ex

Ex Lavantina Clero Populoque vocatus
Eccleſia, Meritis accipit hic Cathredram.
Fauſte quam tenuit: tetris agitatus in Annis:
In Domino tandem mortuus Aſtra petit.
M. CCCC. LXXXII.

SCRIPTA.

XVIII. Inter ea, quæ ſcripſit, reperiuntur (I.) *Citatio ad priorem Synodum Vratislavienſem*, Anno 1473. Die Julii XXXI. publicata. (II.) *Antiquarum Conſtitutionum Innovationes*, eodem Anno concinnatæ. (III.) *Acta Synodi Vratislavienſis poſterioris*, quam Anno 1475. celebravit. Ea omnia in Lucem proferri curavit Martinus Gerſtmannus, Epiſcopus Vratislavienſis, in Cathedralis Eccleſiæ Statutis, Anno 1585. apud Vratislavienſes editis, in 4.

XIX. Ejusdem *Epiſtolas* etiam invenimus, diverſis Locis exaratas: (I.) Apud Romanos, Anno 1465, Die XXI. Januarii, *ad Prothaſium, Epiſcopum Olomucenſem:* quem Romani Pontificis Nomine monet, ut Copias ſuas, ad Hynkonem Lichtenburgium, Georgii Bohemorum Regis Adverſarium, oppugnandum miſſas, revocet. (II.) Apud Saltzburgenſes, Anno 1465. Die XVIII. Martii, *ad Clericos Auſtriacos:* quos hortatur, ut eidem Hynkoni Suppetias contra Huſſitas Hoſtes afferant. (III.) Apud Neoſtadienſes Auſtriacos, Anno 1465, Feria III. Paſchatis, *ad dictum Prothaſium*, eique ſubjectos Canonicos, ut Pontificis Romani Mandata præferant Regis Georgii Præceptis: niſi Jacturam æternæ ſalutis facere malint. (IV.) Anno 1467, Menſe Martio, *ad Conradum Ducem Sileſiorum Olavienſem.* (V.) Apud Vratislavienſes, Anno 1467, Die 24, Aprilis, *ad Olomucenſes.* (VI.) Apud Vratislavienſes, Anno 1467. pridie ſacri Feſti, quod Chriſti Aſcenſionem in Cœlos colit, *ad Decanum Olomucenſem*, ut Georgii Regis Aſſeclas ſub æternæ Calamitatis Pœna dehortetur ab Auxiliis eidem Regi præſtandis. (VII.) Apud Vratislavienſes, Anno 1467, Die I. Maji, *ad Civitates Olomucenſem, Brunnenſem, Znogmenſem, Iglavienſem.* (VIII.) *Ad Bohemos, Sileſios, Luſatos:* quos omnes, ad exſequenda Romani Pontificis Decreta ſtimulat contra Georgium Solio Regio dejiciendum. (IX.) Apud Vratislavienſes, Anno 1467. Die XIV Maji, *ad Ordinis Præmonſtratenſis Abbatem Rhadiſtenſem*, ob deſerendas Georgii Partes Huſſiticas. Harum Epiſtolarum nonnullas in Lucem protulerunt, Bohuslaus Balbinus, in Rerum

Bohemicarum Epitome, Lib. IV. Cap. VI. & Thomas Zechorodus in Marte Moravico, Lib. VI. Cap. II. & VI.

XX. Præterea composuit majoris Momenti Codices: quos Josias Simlerus in Conradi Gesneri aucta Bibliotheca. & Antonius Possevinus in Sacro Apparatu, recensent: *Commentarios* (I.) *In Mosis Pentateuchum.* (II.) *In Josuæ Librum.* (III.) *In Judicum Librum.* (IV.) *In Prophetam Esaiam.* (V.) *In Petri Lombardi Sententiarum Libros quatuor.* Quibus accesserunt (VI.) *de Tempore Sanctisque Sermones.*

CAPUT X.

Ad Annum M. D. VI. Diem XXI. Januarii.

JOHANNES ROTHUS,

Wemdingensis Svevus.

VITA.

I.

EX humilioribus semper ad celsiora, potissimum Literarum Auxilio, feliciter ascendit. Humaniora Studia, præsertim ad Eloquentiam Latinam directa, Præceptore Laurentio Valla, qui tum in Philologis eminebat, Romæ coluit. Pontificii Juris Notitiam sibi comparabat intra Gymnasium Patavinum. Doctus & facundus Ingenium præcipuis Negotiis Romanis expediendis applicabat. Inde solertior promptiorque, Curis majoribus habilis, celeberrimos Viros, Æneam Sylvium Cardinalem, Franciscum Philelphum Equitem, Baptistam Guarinum Veronensem, Poggium Florentinum & alios sibi reddebat familiares.

II. Ab his passim commendatus, primum LADISLAO, Hungarorum & Bohemorum Regi præstabat Aulica Secretarii Officia. Post Ladislaum, Anno 1457, exstinctum, Imperatori FRIDERICO III, inter Consiliarios Aulicos, agebat Protonotarium. Jam Episcopus Italiæ Lavantinus, Anno 1469, Romam intrantis Cæsaris Comes erat. Ab eodem postea susceptas obibat crebras Legationes, ad Venetos, multosque Principes Christianos. Ita fiebat, ut etiam MATTHIAM Corvinum, Hungarorum & Bohemorum Regem implendis suis Desideriis efficeret propensissimum.

III. Anno

III. Anno 1482, Die Januarii IX, RVDOLPHVS, Rudisheimensis Moguntinus, ex Lavantino Vratislaviensis Episcopus, Apoplexia correptus, Vitam cum Morte commutabat. Tum noster ROTHVS in Vratislaviensium Canonicorum Collegio Decanus erat. Hunc illi, quem potentiore Manu, de Nota meliore MATTHIAS Rex commendaverat, Jus Electionis habentes, in Antecessoris Modum, ex Lavantino Vratislaviensem Episcopum designabant: cujus Adventus, Die Julii XVII, magnam Breslensibus excitabat Solennitatem.

IV. Consecratus Vratislaviensium Episcopus primum Cerimonias, partim deformes, partim etiam superstitiosas, etsi plurium Sæculorum Vetustatem assecutas, suo Tempori, quod liberiore Sacrorum comprobatorum Genio gaudebat, non respondentes, dissentientibus aut Indignationem, aut Ludibrium provocantes, in Templis Viisque publicis conspicuas, vel abolebat, vel emendabat.

V. Deinde solicitus de Bonis Ecclesiasticis erat, seu ad Mensam, seu ad Pompam spectantibus. Villas oppignoratas Episcopatui restituebat: Piscinas reparabat: Opera struebat. In Ædificiis potioribus, Aulam Episcopalem Nissensem a Fundamentis ex Lignea Lateritiam Lapideamque formabat: Arcem Olmochaviensem instaurabat & exornabat. Cætera quoque providus in suas, Suorumque tam Utilitates, quam Oblectationes convertebat: quibus se cunctis approbare studebat.

VI. Nihilo secius, quoniam dissolutiores Mores, æquam Decentiæ Verecundiæque Normam posthabentes pati non poterat, a se prorsus alienos experiebatur plurimos, tum alios Clericos, tum in primis Canonicos, quibus Capitularium Nomen imponi solet, novis Decretis repugnantes, adhærentes prioribus Peccatis. Inter hos Autor Factionis erat Opitius Colo, antehac Johannis Saganensium Ducis Cancellarius, inquietum & obstinatum Caput.

VII. Anno 1486, apud Suidnicenses, in Suburbano S. Nicolai Templo, Aram, Die XX Junii confecrabat. Id narrat ibidem Inscriptio:

Anno Christi M. CCCC. LXXXVI. Martis Die XX. Mensis Junii, per Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum, Dn. JOHANNEM, Episcopum Vratislaviensem, consecratum est hoc Altare, in Honore S. Trinitatis, Beatæ Mariæ Virginis, Nicolai

colai, Katherinæ, Mariæ Magdalenæ, Hedvigæ & omnium Sanctorum. Dedicatio Capellæ Dominicæ Misericordias Domini.

VIII. Silesiis, GEORGIVM Podibradium, quem Bohemi creaverant Regem, repudiantibus, MATTHIAS Hungarorum Rex, pro supremo Duce susceptus, novo Exemplo primus gubernandis universis dederat Præfectum: quem Silesiæ supremum Capitaneum Posteritas nominavit.

IX. Quare post MATTHIAM, Anno 1490, Die IV. Aprilis, exstinctum, Rebus suis Leges - - in posterum salutares condituri, tandem magis concordes, Silesiorum Principes & Ordines in Nissensium Urbe conveniebant. Ibi de supremo Silesiæ Capitaneo eligendo inibant Consilium. JOHANNEM nostrum singulari Peritia & Justitia celebrem, non imparem tantæ Potestati administrandæ statuebant quidem: at, citra Necessitatem Indigenis peregrinum præponere non sustinebant. Mox, ut inter Capita plura fieri plerumque solet, dissidebant: &, in eam Sententiam, in quam pauciſſimi propendebant, plurimi recusabant ire Victores. Utra denique Pars vicerit, non satis habemus exploratum. Nam in MStis Annalibus invenimus discrepantes Narrationes: fuisse nostro JOHANNI Præfecturam destinatam, sed non oblatam: oblatam, sed non acceptam: acceptam, sed aut redditam, aut ereptam. Certe Anno eodem 1490, Die XI. Novembris, Comitia Silesiorum Vratislaviensia supremum Silesiæ Capitaneum declarabant CASIMIRUM, Teschinensium Ducem.

X. Sub eo Silesii Comitia celebrabant Anno 1497 Nissensia: quibus JOHANNES noster intererat. Ibi nescio cujus Injuriæ Suspicionem arripiens NICOLAVS Oppolienſium Dux in præsentes Assessores denudato Pugione Vindictam intendebat. Eum, ad Aram pro Asylo in S. Johannis Æde profugum, Episcopo permittente, comprehensum læsi lædendique tradebant in publicam Custodiam.

XI. Ita nullum Templum in Patrocinium Injustitiæ convertendum esse ratus JOHANNES, Canonicis Adversariis suis subinde, quod poterat, immorigeris Frenum injiciebat. Iis, quos maxime formidabat, Anno 1501, suum Vicarium, &, cum e vivis abiisset, Successorem, quem Clerici Coadjutorem vocare consueverunt, præficere conabatur. Idque magni Momenti Res ipso fiebat insperato Eventu.

XII. Ne

XII. Ne Silesios irritaret, Alienigena Indigenam respiciebat FRIDERICUM Juvenem, CASIMIRI, Teschinensium Ducis, Silesiorum supremi Capitanei Filium, eo Tempore Studiis apud Bononienses Academicis adhuc inhærentem. Consentiebant omnes Silesiorum Principes & Ordines: iniquiores non tam recipiendo, quam recepto Episcopo Canonici plerique dissentiebant. Hi per Asseclas Osvvaldum Streubingerum & Sigismundum Grossingerum, Canonicos, Anno 1501, Die XIV. Augusti, Vratislavia in Aulam Budensem missos, ipsum VLADISLAVM, Hungarorum & Bohemorum Regem, Silesiorum Ducem supremum, tandem victum, ut Electionem Coadjutoris liberam Capitulo permitteret, suis Partibus attrahebant. Ita JOHANNES, a Proposito suo depulsus, a dissidentibus Silesiorum, & Proceribus, & Canonicis graviter oppugnatus, Episcopus exterus ne ab extero quidem Coadjutore tandem abhorrebat.

XIII. Veteranum Amicum habebat quondam in Patavinorum Athenæo familiarem, Johannem TVRZONEM, Equitem Hungarum, Divitias ex Fodinis metallicis copiosissimas possidentem: qui retentis in Hungaria Fundis suis, in Polonia Sedem apud Cracovienses, sibi delegerat. Hujus Filio Johanni TURZONI, Equitibus & Hungaricis, & Polonicis adscribi solito Stanislai TURZONIS, Episcopi Moravorum Olomucensis Fratri, jam inter Vratislavienses Canonicos Decano, supra cæteros favebat JOHANNES. Eo Patrono subnixus Senior TVRZO ipsis, tam Hungarorum, quam Polonorum Regibus in Pretio habitus, quo liberalior, eo potentior, alieniores, etiam Canonicos, multiplicem Difficultatem opponentes, Argumentis ponderosis superatos, Desiderio suo faciles reddebat. Sic efficiebat, ut rejectis aliis, suo Filio Episcopatum Vratislaviensem, Anno 1502, Die VI. Februarii, Titulo Coadjutoris, Successorisque Privilegio administrandum, nemine prohibente, Canonici conferrent: ne malo Exemplo, Jure nullo, Indigenis posthabitis, Episcopalem Potestatem Dignitatemque committerent Alienigenis, frustra moniti a Silesiæ Principibus & Ordinibus.

XIV. Hoc Insolentiæ Documento graviter irritati omnes Silesii Proceres, Patriæ Libertatis Assertores, quicquid inviti cogerentur ferre, simul & iniquum, & perniciosum esse, VLADISLAO Regi suoque Duci Rationibus solidis evidenter monstrabant: Cæterum, Decreti novissimi, quo Rex Vratislaviensem Episcopatum etiam peregrino permi-

miſerat, primariam Culpam, non tam Aulicis, quam Clericis imputabant.

XV. VLADISLAVS, ne Diſſidiorum hæc inter Sileſios, partim civilem, partim Eccleſiaſticam Perſonam agentes prorumpens Flamma in periculoſum Incendium aſſurgeret, ad opprimendas in Tempore Scintillas omnes, totum Negotium committebat ſolertiſſimis utriusque Partis Capitibus: SIGISMUNDO, Caſimiri Polonorum Regis Filio, Glogovienſem & Oppolienſium Duci: CASIMIRO, Teſchinenſium Duci, Sileſiorum Præfecto ſummo: ALBERTO Colowratio, ſupremo Regni Bohemici Cancellario: a quo illa inter Sileſios Transactio Colowratenſis, etiam Colobratenſis nominari ſolet.

XVI. Per eam, Anno 1504, in Comitiis Vratislavienſibus conſcriptam, Johannes TVRZO, Johannis ROTHI, quanquam Exteri, Coadjutor (futurus Succeſſor) jam datus confirmabatur quidem, prohibebatur autem in perpetuum Vratislavienſis Epiſcopi Electio ex Gente, non Auſtriacis ſubdita, ſi non ſit, vel Sileſius, vel Luſatus, vel Moravus, vel Bohemus. De quo legi meretur Transactio ipſa Colobratenſis, per VLADISLAVM Bohemorum Regem, Sileſiorum Ducem ſupremum, intra Budam, Hungarorum Urbem, Anno 1504, Die VIII. Februarii approbata. Eam mira Contentione quondam de Indigenis, non Exteris, ad Epiſcopatum Vratislavienſem evehendis agitatam Controverſiam luculenter illuſtrat Caſpar Schifordegherus, in Diſputationibus ad Antonium Fabrum, Libro III. Tractatu XXX, Quæſtione V. VI. IX.

MORS.

XVII. In Niſſenſium Urbe non multo poſt Johannes ROTHVS, quemadmodum Diſcordiæ, ſic Vitæ ſubtrahebatur, Anno 1506, Die Januarii XXI. Sepulcrum in Vratislavienſium S. Johannis Cathedrali Templo, ad Epiſcopi Precislai POGARELLÆ, cujus in multis fuerat æmulus, Cineres, nactus, hanc Imagini æreæ ſubjunctam conſecutus eſt Inſcriptionem:

Anno M. D. VI. 21. Die Menſis Januarii, obiit Reverend. in Chriſto Pater, Dominus JOANNES, Epiſcopus Vratislavienſis, magnus Eccleſiæ ſuæ Benefactor, & Ædificiorum veterum Inſtaurator ſummus: Cui Deus miſereatur.

Fulva

Fulva hæc Imago, quam vides Lector, Quarti
JOANNIS eſt Antiſtitis.
Saxo abditum Corpus jacet latiſſimo
Inter Chori Subſellia.
Annalibus Vitam lege: hoc dicam tamen,
Quod nec negarunt invidi:
Vir optimus, doctiſſimus, prudens, gravis,
Magno omnium Luctu perit.
M. D. VI.

In alia Tabula.

Quartus JOANNES jacet hic: vis cætera dicam?
Non alium vellet SLESIA Pontificem.

JOHANNES IIII. Epiſcopus Vratislavienſis, vera piorum Pontificum Imago. M. D. XXXII.

SCRIPTA.

XVIII. Ab Ætate prima Literis adſuetus, ſæpius Oratorem publice: domi, quoties Otio gaudebat, Lectorem Bibliothecæ copioſiſſimæ curioſum: interdum etiam Scriptorem agebat. Inter alia, *primarias ſui temporis Res* annotavit: quas nondum videre nobis licuit.

XIX. Duas Synodus Vratislavienſes habuit: priorem Anno 1496. quæ tantum audiebat & perpendebat Eccleſiaſticas Querelas: Poſteriorem Anno 1497. in qua *Conſtitutiones Synodales* condidit. Eas cum aliis Vratislavienſium Cathedralis Eccleſiæ Statutis edidit Martinus Gerſtmannus, Vratislaviæ 1586. in 4.

CAPUT XI.

Ad Annum M. D. XVI. Diem V. Aprilis.

HIERONYMUS SUOFHEIMIUS,

Gorlicensis Lusatus.

VITA.

I.

PAtriam in Pueritiæ Ducem ad mansuetiores Literas fidam secutus, in Academia Leges cum Civiles, tum Ecclesiasticas sibi reddebat familiares. Harum Præsidio munitus, non tantum ad Honores, quos J. U. Doctor impetrat, verum etiam, inter Vratislavienses Canonicos, ad Scholastici ascendebat Dignitatem. Inter Sanctos Apostolum Jacobum, quem singulariter colebat, Vitæ suæ constituebat Solatium.

MORS.

II. Breslæ moriebatur Anno 1516, Die IV. Aprilis. Sepeliebatur ibidem in S. Johannis Cathedrali Templo: ubi Lectoribus innotescit hoc Epitaphio:

Venerabilis & eximius utriusque Juris Doctor, Dominus HIERONYMUS SWOFHEIM. Gorlicensis, Scholasticus & Cantor hujus Ecclesiæ hic situs est. Obiit M. D. XVI. Die quinto Aprilis.

Huic JACOBE pio major Zebedeia Proles
Adsis Præsidio: qui te, dum viveret olim,
Fautorem elegit Vitæ, post Fata Patronum,
Præcipuæque sacrum coluit Pietatis Honore.
Te Duce, fac, videat, quem tu modo clarificatum
Vertice Thaboreo meministi cernere Christum.

CAPUT

CAPUT XII.

Ad Annum M.D.XX. Diem II. Augusti.

JOHANNES TURZO,

Eques Polonus.

VITA.

I.

TVRZONVM, quos & THURZONES, & THURSONES, & TURSONES, & TURSOS dici constet, Gens Ortu Pannonica est: cujus Sedes intra Scepusiensem Comitatum diu fuit. Ex eâ Johannes TURZO, Eques Scepudiensis, Fodinarum metallicarum Possessor, à Cupro Argentum Aurumque solitô & citius & perfectius separandi experientissimus Artifex, ad Opes immensas pervenerat. Is, quoniam Scepusiensis Comitatus, quanquam Regionis Hungaricæ, tamen Polonici Juris, olim per Oppignorationem erat: unde Cracoviam ingressus, Ædes amplissimas inusitatis sumtibus exstruxerat, ibique tandem Consul erat creatus: non tam Hungarus, quam Polonus habebatur: simul Hungarorum, simul Polonorum Regi, quorum sibi Gratiam conciliaverat, subditus. Quamobrem ipsius Filius Johannes TURZO intra Poloniam genitus, Equitibus non Hungaricis, sed Polonicis annumeratus invenitur.

II. Is potissimum in Academiis Italicis Animum egregiis Studiis, non tantum, pro communissimo Sæculi sui More, tam Philosophicis, quam Theologicis, verum etiam sub Ævi humanioris Principium, ad Eloquentiam pertinentibus, examussim perfecerat. Ita verò Sacris tractandis aptissimus, in Vratislaviensium Canonicorum Collegium recipiebatur, quorum postea creabatur Decanus. Quin, ut Capite, quod præcedit, commemoravimus, tandem Johannis ROTHI, Vratislaviensis Episcopi Coadjutor Successorque futurus constituebatur, Anno 1502.

III. Auri Argentique dives è paternis Fodinis, Die Julii XXXI, Anno 1505, ab Imperatore Maximiliano I, cui gratus erat, aureæ Monetæ Jus hac Lege consequebatur, ut suis Nummis, præter Imaginem S. Jo-

hannis Baptiſtæ, curaret Inſcriptionem hanc imprimi: MUNUS CÆSARIS MAXIMILIANI.

IV. Ipſam Epiſcopalem Dignitatem, poſt Johannem IV. ROTHUM, Anno 1506, Die XXXI. Januarii, mortuum, ſolenniter, Die ſacra, cui Lætare Nomen, Martii XXII, ſuſcipiebat. Huic Feſtivitati, præter alios, aderant, Germanus Frater, Olomucenſis Epiſcopus, Stanislaus TURZO: Johannes, Epiſcopus olim Varadienſis, tum Ordinis Bernhardini Monachus: Henricus Fullenſteinius Suffraganeus, Opicius Colo Canonicus Vratislavienſis,

V. Anno 1507, in SIGISMUNDI, Glogovienſium & Troppavienſium Ducis, quem ſuo Fratri ALEXANDRO defuncto Succeſſorem Poloni Regem creaverant, Locum, intra Sileſiorum Comitia Bregenſia, Præfectus Sileſiorum ſupremus, Die XIV. Aprilis, eligebatur. Eam Poteſtatem ad Annum 1509 retinebat: quo abdicare juſſus, tradebat CASIMIRO, Teſchinenſium Duci adminiſtrandam.

VI. Eodem 1509 Anno, cum Fratre ſuo Stanislao Olomucenſium Epiſcopo, in Pragenſium Urbe, coronabat Die Martii XI. triennem LUDOVICUM, Bohemorum Regem, VLADISLAI, Hungarorum & Bohemorum Regis Filium. Hujus Vladislai Legatus, Anno 1512. Die VI. Februarii, celebratis apud Cracovienſes Nuptiis SIGISMUNDI I. Polonorum Regis aderat. Non multò poſt, erat Proxeneta Conjugii, quod Anno 1515, Die Novembris XXV, FRIDERICUS Dux Sileſiorum Lignicenſis cum Eliſabeta, CASIMIRI Polonorum Regis Filia ineibat.

VII. Prodigiorum commentitiorum, præſertim non Sanctorum Cultum, ſed Cœnobiorum Lucrum intendentium, gravis Oſor, in Vratislavienſium S. Dorotheæ Monaſterio Simulacrum Beatæ Mariæ Virginis, cujus Miracula ficta multos deceperant, Calendis Majis, auferri jubebat. Id Monachis ſummo Studio repoſcentibus denegabat conſtanter: tum etiam, cum prius per Cives, poſtea per Civium Uxores concupiſcerent. Tandem Monachis Fœminiſque junctis, durabilique Contumacia, niſi reddito Simulacro, ab Epiſcopo recedere nolentibus, quaſi jam victus, annuere videbatur: ſed videbatur. *Quod vos*, inquiebat, *recuperare ſtudetis, ego retinere gaudeo. Ne tamen Spem ſimul mihi vobisque durior Judex omnem præcidam: de Simulacro diviſo Pars veſtra ſit Adorator Monachus, mea ſit ipſa Maria.* Quo Reſponſo ulteriorem Solicitationem

nem ſubterfugiebat, Tangit hoc paucis in Hemerologio, pluribus exponit in Chronico MSto ad Diem Maji primum, Annum 1517, Nicolaus Polius.

VIII. Eodem Anno 1317, Martinus Lutherus publicam Eccleſiæ Romanæ cum Doctrinam, tum Diſciplinam, non in omnibus quidem, ſed tamen in multis Normæ divinæ contrariam, Diſputator nulli Adverſario cedere docilis, judicare ſuſtinebat. Id pleraque Romano addicta Pontifici Capita Hæreticum pronunciare, nimium properabant. Circumſpectior cordatiorque TVRZO, tantum aberat, ut aſſerta cœco Impetu ſtatim damnaret, ut potius Veritatis Amator ingenuus, in Fundamenta, ſolicito pioque Deſiderio, ſine Partium Studio, inquireret.

IX. Ideo ad ipſum Lutherum ſcribere non dubitabat: à quo de quibusdam fiebat certior. Eam in TURZONE Bonitatem, quâ verum à falſo diſtinguere laborabat, & perſpectum in eligendis Rerum Eccleſiaſticarum tam Doctoribus, quam Rectoribus, injuſtum rejicere, juſtum recipere ſtudebat, Eraſmus Roterodamus commendat Lib. XV. Epiſt. II. quam ad ipſum TURZONEM noſtrum apud Lovanienſes Anno 1520, pridie Calendas Septembris exaravit. *Gratulor*, ait, *tuæ Ditioni, è cujus Venis Aurum tam elegans ac purum eruitur: ſed tu beatior, qui è divinorum Voluminum longè felicioribus Venis, tam avide ſcruteris Aurum Evangelicæ Sapientiæ, quo locupletes Gregem tuæ Fidei concreditum, velut opulentus quiſpiam Paterfamilias è divite Theſauro proferens nova ac vetera: multum diſſidens ab Epiſcopis plerisque, qui pulcherrimam Functionis ſuæ Partem, in ſordidos quosdam relegant, nec probatos, nec exploratos: cum ad id Muneris neminem oporteat admitti, niſi quem Eruditio Chriſtiana, quem Morum Integritas, quem Rerum Uſus non vulgaris commendet.*

X. Eandem TURZONIS Probitatem agnovit Martinus Lutherus, cum in Literis ad Georgium Spalatinum, Anno 1520, Die Novembris XIV, apud Eulenbergenſes ſcriptis: [quas Johannes Aurifaber Tomo Epiſtolarum ſecundo inſeruit] benigniſſimum de mortuo TURZONE tulit Judicium. *Dicitur*, inquit *conſtantiſſimus* [Henricus Schmidbergius] *in Fide Chriſti deceſſiſſe, atque adeo* [*quod illos magna Cruce afficiet*] *meam Doctrinam & obſervaſſe, & publice commendaſſe. Vide ergo Chriſti Præſentiam. Urget Anti-Chriſtus Romanus, & Satan per ipſum, ſed majorem ſe oſtendit, qui in nobis eſt, eò, qui in Mundo eſt.*

Eadem

Eâdem Fide EPISCOPUS VRATISLAVIENSIS obiit, omnium Episcoporum hujus Seculi optimus.

XI. Id vel sola Æquitate maxima TURZO Encomium promeruit, nunquam se commoveri passus, ut in Evangelicos, pro Divino Disputatoris Gladio, inhumanum Persecutoris Gladium arriperet. Hinc evidenter patet, uter in Poëtis contrariis convenientius TURZONI Monitum dederit. TURZO in Gentis suæ Clypeo erectum Leonem priores Pedes extendentem, tribus Rosis subjectis, gessit. Hæc Signa, uterque Sacris suis favens Interpres, alter ad opprimendam, alter ad propagandam Protestantium Religionem tum invalescentem, opportuna Instrumenta censuit. Ad prioris Epigramma, quod Valerianus Jæssitius composuit:

Surge Leo: Spinæque Rosas defendite vestras:
Quas Armis tentat lædere Vespa suis.

Victorinus Raitelasser respondit:

Cede Leo: Leo major adest: à Numine missus.
Spinas Ille tuis subtrahet Ungue Rosis.

XII. Elegantiorum Structurarum Amator Conditorque TURZO, Episcopalem Aulam Vratislaviensem Ligneam in Lapideam convertebat. Ex Arcis Kaltensteinæ dirutæ Materiâ, priscum S. Georgii Castrum ad Jauernicium instaurabat: eique novum, tam ex S. Johannis Baptistæ, quam ex suo Prænomine Vocabulum imponebat, cum S. JOHANNIS MONTEM appellaret.

XIII. Mitis, hilaris, hospitalis, plures voluntariis Beneficiis propensos, quam necessariis Exprobrationibus alienos sibi faciebat. Vir doctissimus, doctissimis Ætate suâ Viris admirabilem in Modum oblectabatur, etiam cum ad Episcopale Solium evectus, Honore supra multos emineret. Tanti æstimabat Erasmum Roterodamum, ut ad eum Oculis subjiciendum ne octo quidem Dierum Iter adire gravaretur. Quod eidem dissvasit Erasmus, Lib. V. Epistola XXXIV: quam Lovani scripsit Anno 1519. Præter alios, Casparem Ursinum Velium, Silesium, Poetam in Amicis suis numerabat: à quo Carminibus, iisque satis & elegantibus, & frequentibus honorabatur.

MORS.

XIV. Lento Virium Defectu, Phthisicis proprio, apud Nissenses. Anno

Anno Ætatis LVI, Christi 1520. Die XI. Augusti, consumtus exspirabat. Ipsius miro Fato, quod aliis malum, aliis bonum Omen habebatur, Corpus ab Incendii fortuiti Flammis correptum & diminutum ægrè vindicabatur: Vratislaviam splendida cum Pompa deportatum, Sacello, quod in S. Johannis Templo Cathedrali, Reliquiis suis destinatum vivus exornaverat, inferebatur. Ibi gemina commendatur Inscriptione: cujus Autores fuerunt Fratres, Stanislaus & Johannes TURZONES: Amicus Georgius Logus, Canonicus.

Prior:

JOHANNI THURSONI, Vratislaviensi Episcopo, & Provinciæ Silesiæ aliquandiu Præfecto, Principi optimo, Religione & Pietate in Deum, Justitia in omnes, singulari Doctrina ipsi exquisita, & Doctorum, quos magna Gratia & Liberalitate prosequebatur, unico Patrono, Stanislaus TURSO, Olomucensis Episcopus, & Johannes TURSO, Plesnæ Dominus, Fratres Fratri charissimo ex Testamento mœsti P.P.

Posterior:

Hoc TURSO tibi Pontifex Sacellum
JANVS condidit, AGNIFER beate:
In quo post Obitum est situs. Meretur
Si Cœlum Pietasque & alma Virtus:
Si Musæ, innocue & peracta Vita:
Si feciſſe bonis benigna: tecum
Celsi nunc Sacer Incola ille Olympi,
Cœli perfruitur Bonis beati.

Obiit Nissæ: M. D. XX. II. Aug. Æt. S. LVI. G. LOGVS S. F. 1537.

SCRIPTA.

XV. Anno 1509, à Die XXIV. Aprilis, per Triduum celebrabat Vratislaviæ Synodum de nonnullis Rebus Ecclesiasticis emendandis. Eas TURZONIS *Constitutiones* invenimus editas Norimbergæ 1512, in 4. in Martini Gerstmanni Statutis Vratislaviensibus antiquis, Vratislaviæ 1585, in 4.

XVI. Præterea supereſt TURZONIS *Epistola*, quam ad Erasmum Roterodamum Anno 1519. Calendis Decembribus, apud Vratislavienses

vienſes ſcripſit. Inter Eraſmi Epiſtolas Libro XV. prima, reperitur edita Baſileæ 1540. in f. Londini 1642. in f.

CAPUT XIII.

Ad Annum M. D. XXXIX. Diem V. Novembris.

JOHANNES HENCKELIUS,

Leutſchouienſis Hungarus.

VITA.

I.

EX Hungaria in Sileſiam perveniebat, cum Johannes TURZO, Eques Polonus, cujus Pater intra Pannoniam Eques Scepuſcenſis erat, & Polonis, & Hungaris, propter Originis ſuæ Communionem, conſpectiore Modo, præſertim Epiſcopus Vratislavienſis, faveret atque conſuleret. Hujus Ope, jam in publicum Eruditionis Teſtimonium, ſolenniter J. U. Doctor creatus, Locum inter Vratislavienſis Eccleſiæ Cathedralis Canonicos impetrabat.

MORS.

II. Anno 1539, Die Novembris V. edebat Spiritum apud Vratislavienſes: in quorum Cathedrali Templo S. Johannis, ante majorem Chorum ſepultus jacet. Ibi ſuo Amico ſingulari Petrus Prockendorfius, J. U. D. & Matthias Auctus, Med. Doctor, poſuerunt hoc Epitaphium:

JOHANNES HENCKEL. Layczovienſis, Jurium Doctor, hoc ſub Saxo conditus meliorem Vitam exſpectat. 5. Novembr. Anno 1539.

Petrus PROCKENDORF, U. J. D. Canonicus Wratislavienſis, & Matthias AUCTUS, Medicinarum Doctor, venerabili & præclaro Viro, Domino JOHANNI HENCKEL. Decretorum Doctori, Canonico hujus Eccleſiæ, Executores F.F. Anno 1540.

Imus

Imus ab hac Vita morientes: nec Mora, ſic vos
Ibitis, in quibus eſt nunc Vita Vigorque manendi.
Ibunt ſic omnes, qui Poſteritate ſequentur.

CAPUT XIV.

Ad Annum M. D. XXXXVII. Diem VI. Januarii.

JOHANNES HESSUS

Norinbergenſis Francus.

VITA.

I.

ANno 1490, Die Septembris XXIII, natus, Johannem HESSUM Civem, & Annam Ulrici GEIGERI Filiam, ob Virtutem honorabiles Parentes habuit. Studiis a primâ Pueritia conſecratus & addictus, Anno 1503, ex patrio in Zviccavienſe Lyceum abibat, cujus Moderator erat Wolfius Guldenius, Philoſophiæ Magiſter. Anno 1506, in Academiam Lipſienſem digreſſus, inter Initia potiſſimum, Philoſophicis vacabat: quibus Theologica deinde ſuperaddebat. Primam Philoſophiæ Lauream ibidem promeritus, Anno 1510, in Witebergenſium Athenæum diſcedebat: ubi Lauream Philoſophiæ ſupremam Anno 1511 conſequebatur.

II. Quicquid hactenus Scientiarum imbiberat, ſuſcipiendo Sacerdotio deſtinabat. Hujus Spe proficiſcebatur in Sileſiam. Anno 1513 Niſſam perveniebat: ubi Johannis TURZONIS Epiſcopi Vratislavienſis Gratiam inibat. Ab eo Secretis conſignandis præfectus, in plurimarum additarum Rerum Sileſiacarum, tam Veterum, quam recentiorum profundam Notitiam penetrabat. Eo Pacto magis magisque ſacrorum Beneficiorum ſe capacem faciebat.

III. In Politicis etiam, non in Eccleſiaſticis tantum verſatus, arduum Præceptoris Munus oblatum non invitus ſuſcipiebat: duo Ingenia præluſtria, Joachimum, CAROLI Monſterbergenſium Olsnenſiumque Ducis, & Jaroslaum, Georgii Baronis SCHELLENBERGII, Carno-

vienſis Dynaſtæ, Filios eruditurus. Eos, ad publicum Regimen olim feliciter tractandum, fideliter præparando Biennium in Bohemia conſumebat. Sub Anni 1516 Exitum in Sileſiam reverſus, apud Olsnenſes ad Annum 1518. commorabatur.

IV. Peritiâ ſuâ nondum ipſe contentus, in Italiam diſcedebat, Eruditionis auƈturus Copiam, bene ſuſtinendis peragendisque ſublimioribus Eccleſiæ Funƈtionibus neceſſariam. Anno 1519, Die XVIII. Junii declarabatur Bononiæ Subdiaconus: Die IX Septembris, creabatur Theologiæ Doƈtor, non Bononiæ, ſed Ferrariæ. Subſequentis Anni 1620, Vere, Martii XXIV. Die, Diaconus Romæ fiebat, ſub Leone X, Pontifice Maximo.

V. Interea, dum apud Italos ſubſiſtebat, inter Sileſios, Providentia ſummi benigniſſimique Patroni ſui, Johannis TURZONIS, Epiſcopi Vratislavienſis, abſens renunciabatur Canonicus Niſſenſis, Bregenſis, Vratislavienſis ad S. Crucis Templum. His ab HESSO removendis, & tergeminis, neque paupertinis Dignitatibus, etiam per Inſidias opponebat ſe non nullorum Livor, præſertim Balthaſaris Necheri, Canonici Vratislavienſis. At Vratislavienſis Epiſcopus TURZO, & Olsnenſis Dux CAROLVS, Defenſores prævalidi, quosvis Adverſarios vincebant.

VI. Ita fiebat, ut ex Italia redux HESSUS, Anno 1520, Die, qui S. Trinitatis Vigilia dicitur, ab Henrico Fullenſteinio, Epiſcopo Nicopolitano, Suffraganeo Vratislavienſi, publicis Sacerdotii Laboribus ſolenniter initiarentur, quorum Specimen primum Olſnenſibus, Die Julii VIII. edebat.

VII. Eodem 1520 Anno, Die II. Auguſti, amiſſum in Patronis optimum Johannem TURZONEM, Epiſcopum Vratislavienſem, Dolore magno deſiderabat. At eum mox leniri ſentiebat per ſuƈceſſorem Jacobum SALZAM, Anno 1521, Die I. Septembris, elƈtum: de cujus Propenſione diu cognita certiſſimus erat. Sub eó, Vratislaviam redire juſſus, inter Canonicos ſuo defungebatur Officio. Quemadmodum igitur é ſuis Collegis plurimos Scientiâ & Eloquentiâ ſuperabat: ſic Concionibus ad Populum eruditiſſimis efficaciſſimisque provocabat obtinebatque ſupra cæteros inuſitatam ex audientium Applauſu Benevolentiam.

VIII.

VIII. Tum enim, quanquam nondum ſatis evidenter patefaciebat, tamen Animis ſolerter inſinuabat, non alium eſſe Controverſiarum, quæ tum Pontificios & Evangelicos graviſſimum in Modum exercebant, meliorem Judiƈem, niſi Codiƈem ſacrum, omnia Chriſtianæ Pietatis & Salutis Capita continentem: ex quo, tanquam ex Fonte Rivus, quicquid in Eccleſiaſticis antiquiſſimis, cæterisque Scriptoribus reperitur, profluxerit, non Scaturiginis Puritatem in Paludis Sordem mutare, ſi non fraudulenter, at impudenter auſis. Non igitur divinis Dogmatibus Interpretationes humanas, non niſi vanum ex Antiquitate corrupta Præſidium habentes, miſcebat: itaque paſſim renaſcentis Veritatis promicantes Radios amabili Facundia divulgabat. Præſtabat hoƈ annis milleſimum, quingenteſimum, vigeſimum præcedentibus: quo jam & cum Martino Luthero, & cum Philippo Melanchthone contraxerat Amicitiam: ut ex utriusque conſtat Epiſtolis, præſertim ad ipſum HESSUM exaratis.

IX. Hanc de Sacris, quam probabat, Sententiam, Anno 1522, ſuis Norinbergenſibus, ad quos, in Patriæ tandem reviſendæ Gratiam, profeƈtus erat, e publicis Cathedris, quo clarius, eo penetrabilius explicabat: adeoque non amplius Pontificiis, ſed jam Evangelicis ſe mutatum adhærere palam profitebatur. Ob id HESSO Lutherus gratulabatur eodem 1522, Anno, Die XXV. Martii data Epiſtola: *Gaudeo*, inquiens, *te faƈtum Evangeliſtam. Dominus te augeat & roboret Miniſterium tuum in Plenitudinem Fidei & tuæ, & tuorum, qui te audiunt.*

X. Vratislavia non mediocriter commovebatur eo Viri omnibus æſtimabilis novo, & Habitu, & Conſortio. Pars, ſed minor, obſtinatiores, maxime potentiores Audaciam deteſtabantur: Pars, eaque major, faciliores, potiſſimum doƈtiores, ingenuitatem commendabant. Hoc eruditiſſimi Capitis Exemplo ſtimulati Evangelici tanto expeditius ad Conſilium diu intentum, tandem exſequendum progrediebantur.

XI. Jam Anno 1517, Calendis Juliis, Oswaldus Wincklerus, Straubingenſis Bavarus, Theologiæ Doƈtor, Eccleſiæ Vratislavienſis ad S. Mariæ Magdalenæ Templum Paſtor, Canonicus in S. Crucis Æde Cantor, exſpiraverat. Hoc Munus ambiebant tres, quorum nullus alteri cedebat, obſtinatiſſimum in Modum. Ea Lite Quadriennium conſumebatur.

tur. Diutius id non ferendum ratus Senatus Populusque Vratislaviensis, a LEONE X. Pontifice Romano, per LUDOVICUM, Bohemorum Regem, Silesiorum Ducem supremum, expetebat Licentiam Templo suo Magdalenæo eligendi Pastorem. LEO nihil respondebat: quasi consensurus in hoc, ad quod tacebat.

XII. Hinc Vratislavienses Jus, priscis Ecclesiis concessum, a se non alienum esse judicantes, hactenus S. Crucis Vratislaviensem Canonicum, Johannem HESSUM, Anno 1523. Die XIX. Junii, ad suscipiendum Magdalenæi Pastoris Officium vocabant. HESSUS, quid agendum esset, ipsum Jacobum SALZAM, Episcopum Vratislaviensem, consulebat. Is Re ponderata, cujus tum permissæ, tum negatæ, quanquam dubius, Eventus ob Circumstantias notabiles non periculosus videbatur: ad ultimum, neque Conscientiam suam, neque Civitatem Vratislaviensem, quas in Pretio suo habebat, læsurus, pro Sæculi, quo passim Locorum Pontificii Evangelicis Templa permittebant, nondum mutabili Statu, oblatam Parochiam gubernandam HESSO, Amico suo, tantum aberat, ut recipere prohiberet, ut potius suaderet, imo injungeret. Idque primo Verbis expressum mox etiam Literis, Die Augusti XXI, consignatum, in publicam Notitiam pervenire patiebatur.

XIII. Hoc remoto, aliud Obstaculum supererat. CAROLUS, Silesiorum Dux Monsterbergensis, quem Bohemia Præfectum supremum, Lusatia superior Gubernatorem, Ducatus Glogovienſis Capitaneum habebat, Sacris Evangelicis addictus, HESSUM, Terris suis ad Christianas Virtutes a vitiosis Additamentis repurgatas, fideliter Viam monstraturum, tenebat obligatum. Eum tamen, ut erat pius Religionis Evangelicæ Propagator, Vratislaviensibus indulgebat.

XIV. Tum Episcopo HESSUS quidem in Possessionem mittendus, quam Solennitatem recentior Ætas Investituram nominat, Die IX. Octobris, repræsentabatur. At nec Episcopus, nec ipsius Vicarius id Opus peragere sustinebat: uterque Superiorum ex Romanis Asseclis, maxime Romani Pontificis Iram veritus.

XV. Ita liber ab Impedimentis HESSUS, Die Octobris XXI, præsentibus, Ambrosio Jencwicio, Hieronymo Hœrnigio, Nicolao Leubelio, Wenceslao Hœrnigio, Nicolao Reichelio, Nicolao Jenckvvicio, Senatoribus, aliisque, doctis & indoctis, primus in Vratislaviensibus Templis Evangelicus Theologus intra Sacrarium Ædi Magdalenææ Pastor præficiebatur. Ipsius prima Concio, Die XXV. Octobris, Dominica XXI post Trinitatis, ad Invidiam usque, magna Procerum atque Civium Frequentia excipiebatur.

XVI. Annum 1523, quo hæc contigerunt, Tobias Coberus hoc Versu chronologico indicavit:

HESSE DeI VerbVM pVrIs e FontIbVs affers.

Cæterum, quemadmodum passim erant, qui Vratislaviensibus ob receptam Religionis Sinceritatem, Sacris Pandectis unice conformem, e Locis peregrinis applaudebant: ita speciatim Julius Pflugius, Eques Saxonicus, postea Misnensium Naumburgensis Episcopus, ex Amore, quo HESSUM singulariter prosequebatur, ei gratulabatur per Literas: *Audio*; inquiens, *tibi factum esse Negotium prædicandi Evangelii, HESSE, Amicorum optime. Quod tibi & Vratislaviensibus tuis bene evenire cupio. Fuerit ea Res & tibi & illis Saluti æternæ, si Agnum Christi Fidei tuæ creditum atque commissum colueris quam diligentissime. Is profecto, si semen illud divinum intra sua velut Viscera recondiderit, Fructus feret uberrimos. Atque hoc quanto fuerit præclarius, tanto magis providere debes, ne quid Zizaniæ inter Triticum tuum nascatur. Quod fiet, si Multitudinem a seditiosis Concionatoribus concitatam ad Tranquillitatem plane Evangelicam traduxeris. Sed quid ego ad te ista? Sic mihi persuadeo, te Talento tibi dato optime usurum, ut non dubitem, quin hanc optatissimam Vocem auditurus sis aliquando: Euge bone Serve & fidelis. Reliqua tu nosti.*

XVII. Hanc in Sacris Mutationem Vratislaviensibus exprobrabat Hadrianus VI. Pontifex Romanus Epistola: qua, cum Annus 1523, Dies Julii XXIII, ageretur, exarata, ne priscum Ecclesiæ Romanæ Consortium desererent, persuadere conabatur.

XVIII. Ei Vratislavienses, a se nihil impium, nihil Conscientiis noxium, sed, quod salutare sit, ad divinarum Legum Regulam, susceptum, in Apologia respondebant, qua tum se, tum HESSUM suum defendebant. De Pontificiorum Clericorum Doctrinis & Moribus depravatis locuti: *Quod malum*, inquiunt, *ne Indulgentia nimia, tanquam excetra illa Lernæa Vires acquireret, aut latius serperet, summa cum Diligentia*

ligentia e noſtrorum Animis tollere, & ad usque vivam Radicem averruncare ſtuduimus: quærendo ſcilicet nobis & Eccleſiæ noſtræ eum Paſtorem, qui incredibili Fiducia & Alacritate Verbum Domini & imperveſtigabiles ab humana Prudentia Divitias ejus, & Communionem Myſterii, quod erat abſconditum a Sæculo, ideo nobis decantabit, ſecundum Spem noſtram, quam in illum habemus repoſitam in Domino; qui omnibus Innocentia Vitæ & Modeſtia charus eſt: qui antea a Reverendiſſimo Domino Epiſcopo noſtro ad evangelizandi Munus, & nunc quoque a nobis unanimi Conſenſu vocatus & accenſus eſt, ac electus in Domino, juxta Conſuetudinem ab Apoſtolis vulgatam, & Eccleſia, quæ in Chriſto eſt, receptam. Siquidem Eccleſiæ eſt, vocare & eligere Paſtorem: Epiſcopi autem, ſive Presbyteri, Manus imponere. Poſt quædam: *Juſte igitur, vere pium & Chriſtianum Hominem D. Johannem HESSUM Theologiæ Doctorem in Parochum nobis eligimus, ad Miniſterium Verbi ante vocatum ab Epiſcopo: commiſimusque ei Curam & vivorum, & mortuorum: ut vivos immarceſſibili Fructu Verbi Divini paſcat ac nutriat: defunctos vero in Domino pie ſepeliat: non ut Prædeceſſores Parochi, quibus una Opera erat, inhiare Lucro.*

XIX. Poſt hæc Senatus Populusque Vratislavienſis Partem maximam Evangelicus id agebat, ut civilem durabilemque cum Pontificiis Concordiam colerent: inter quos non pauci de Placitis Romanis dubii, magis magisque propendebant in Evangelicorum Societatem. Ideo, cum Annus 1524 ageretur, in Veritatis majorem partim Agnitionem, partim Confirmationem, tam Pontificiis, quam Evangelicis, placebat, inſtituere publicam inter utriusque Partis Aſſeclas Diſputationem: cujus erant Poſitiones: (I.) Sacrarum Literarum Autoritas, cognoſcendæ ſalutari Veritati ſufficiens (II) Chriſti Sacerdotium Miſſam deſtruens (III) Civilis Poteſtas, cum Eccleſiaſtica Poteſtate ſociabilis (IV.) Conjugium Clericis non prohibitum eſt.

XX. Hujus Certaminis Locus erat Vratislavienſe Monaſterium S. Dorotheæ, quod Eremitarum Auguſtinianorum Ordinis eſt. Præſidem agebat Johannes HESSUS: cui quoddam in Auxilium aderant Duumviri, Hebraicarum Græcarumque Literarum intelligentiſſimi, Valentinus Fridlandus Trocedorſius, Goldbergenſium Lycei Rector, & Antonius Niger, Vratislavienſis, Philoſophiæ Magiſter, poſtea Medicinæ Doctor. Reſpondentis obibat Vicem. Die prima Johannes Wunſcheltius,

tius, poſtrema Joachimus, ex Minorum Ordine Monachi. Partes Opponentium in ſe ſuſcipiebant, quicunque volebant: Johannes Metzlerus, J. U. D. Leonhardus Zipſerus, Martinus Spornius, Theologiæ Profeſſor, in Vratislavienſium S. Adalberti Monaſterio Vicarius, Martinus Scheiterus ibidem Prior, Andreas Schmidius ex Suidnicenſium Urbe, Monachi Dominicani, quos Prædicatorum Ordinis vocant. Aſſeſſores duo publici Notarii, Antonius Lebius & Sebaſtianus Heynemannus, Cognomento alio Reyſigius, in Commentarios Acta referebant. Laurentius Corvinus, Civitatis Vratislavienſis Secretarius de Sacra Scriptura, Libris cæteris omnibus præferenda, Religionis & unica & optima Regula, eruditam Orationem, additis elegantibus Carminibus, recitabat. Auditores aderant ex Vratislavienſibus Senatores plerique, Cives in Literatis plurimi, Exterorum Nuncii nonnulli, aliorum ingens Multitudo.

XXI. Dies Aprilis XX dabat Initium huic Colloquio, quod duravit, aut per quatriduum, ut Nicolaus Henelius in Sileſia Togata, Lib. III. Cap. VIII. refert: aut per Octiduum, ſicut Melchior Adamus in Germanorum Theologorum Vitis, & Nicolaus Polius in Chronico MSto ad Annum 1524 commemorant. Tum utrique Diſputantium Parti permanere videbatur prior de Sacris, quorum fuerunt Confeſſores, inexſtirpabilis Senſus: tamen poſtea quorundam mutatus in Umbris Animus, ex Scintillis occultis ſe diffundebat in apertam Lucem, qua Evangelici gloriabantur.

XXII. Quid de Colloquio eodem Martinus Lutherus, nec actorum, neque patiendorum ignarus, ſenſerit, reperimus in Literis ad Georgium Spalatinum Anno 1524 Die XI. Maji ſcriptis: *Vratislaviæ Diſputatio Joannis HESSI proceſſit feliciter, fruſtra reſiſtentibus tot Legatis Regum, & Technis Epiſcopi.* Et in Literis ad ipſum HESSUM, eodem Anno, Die Septembris III, exaratis: *Aſcendiſti igitur in Navem cum Chriſto, quid exſpectabis? Serenum? Imo Ventum & Procellas, & Fluctus Navem operientes, ut mergi incipiat: Sed hoc Baptiſmo baptiſandus prius es: tum ſequetur Serenum, excitato & implorato Chriſto: qui ſaltem dormiet aliquando.*

XXIII. Dirigendis emendandisque Vratislavienſium Rebus Eccleſiaſticis magna Diligentia intentus, Anno 1525, accipiebat Collegam Ambroſium MOIBANUM Vratislavienſem, Theologiæ Doctorem, quem Vratislavienſes Eliſabetano Templo præfecerant Paſtorem, & doctum, &

pium: quo partim Duce, partim Comite, Vias ſuis Auditoribus in Cœlum planas, certas & faciles monſtrabat: etſi retentis genuino Scopo nihil obſtantibus Cærimoniis.

XXIV. Juventutem maturiorem literariam, in Eliſabetani Templi Auditorio Theologico, quod in Rehdigeranam Bibliothecam poſtea mutatum eſt, ab Anno 1530, latine docuit: ex Libris ſacris Eccleſiaſten Salomonis, Moſis Deuteronomium, Eſaiæ Prophetiam, Davidis Pſalmos priores XXI. fidus Interpres abſolvit. Sic ampliſſimum Dotes Virtutesque ſuas publicis Utilitatibus applicandi Locum nactus, Ingenio circumſpectus, Memoria promtus, Lingua diſertus, Experientia confirmatus, omnibus ſe, niſi malis, Humanitate, Juſtitia, etiam Benignitate probabat. Certe ſuis non Ore tantum, etiam Manu prævius, Charitatem in egenos Chriſtianam largis crebrisque Donis patefaciebat. Ea porro ductus, Vratislavienſibus perſuadebat, ut publicam Eleemoſynarum Præfecturam conſtituerent: cujus inter Adminiſtratores Aſſeſſor recipiebatur: etiamnum Paupertati ſalutarem, Civitati honorabilem. Par Beneficentiæ Documentum edebat, cum efficeret Conſiliis ſuis, ut inter Valetudinarios indigis etiam Noſocomium Vratislavienſes conderent, quod omnium Sanctorum nominatur. His & aliis Modis adeo charus erat Populo, ut quingenties expetitus ageret Sacri Baptiſmatis Teſtem.

XXV. Proinde non multiplicis tantum Doctrinæ Copia, ſed laudabilis etiam Vitæ Conſtantia, tum Sileſiis, tum Exteris cognitus, Famam conſequebatur inter Viros Eruditione claros egregiam. Quanti fuerit ab eis habitus, ſimul Indices, ſimul Teſtes in Scriptis etiamnum exſtantibus Poſteritas invenit: præter Epiſcopos, Comites, Barones, alios: Johannem Apellum, Johannem Brentium, Martinum Bucerum, Joachimum Camerarium, Johannem Cratonem, Johannem Crotum, Eobanum Heſſum, Ulricum Huttenum, Johannem Langum Erfurtenſem, Johannem Laſcum Decanum Gnesnenſem, Martinum Lutherum, Philippum Melanchthonem, Johannem Metzlerum, Ambroſium Moibanum, Petrum Moſellanum, Conradum Mutianum, Antonium Nigrum, Bilibaldum Pirckheimerum, Julium Pflugium, Georgium Sauromannum, Georgium Spalatinum, Vitum Theodoricum, Valentinum Fridlandum Troçedorfium, Caſparem Urſinum Velium, Bernhardum Ziglerum.

XXVI.

XXVI. Ex tot Autoribus, quid Joachimus Camerarius de noſtro HESSO ſenſerit, afferemus in medium ex Literis ad Johannem Cratonem, Anno 1561. Die XXII. Decembris exaratis: quas reperimus Parte II. Lib. IV. Epiſt. XV. *His autem Epiſtolis*, ait, *adjungi placuit & Johannis HESSI. Theologi duas Epiſtolas ad me. Qui Vir qualis fuerit, quâ Naturæ Bonitate, quâ Facultate Ingenii, quâ Studii Induſtriæque Excellentia, quâ Doctrinæ Copia, ut taceam Sapientiæ, Eloquentiæ & Humanitatis Laudem, & in omni Officio Diligentiam & religioſam Pietatem, & beneficam ac liberalem Operam univerſis: hæc igitur apud vos & nota, & celebria ſunt. Quæ ſi vellem diſſerendo explicare, novum Opus, idque grande eſſet texendum. Nunc vero ſit, Viri optimi ac ſanctiſſimi & de veſtra Civitate bene meriti Memoriam colere.*

XXVII. Conſimilia HESSI Encomia ſuperſunt in plurimorum Autorum Epiſtolis, partim ad HESSUM ipſum, partim ad alios exaratis: quarum MStarum Volumen à Ludovico Camerario, ê Belgio acceptum, Johannes Saubertus, Norinbergenſis Theologus, in Munus obtulit Nicolao Henelio. Cui poſtea, non tantum easdem, ſed multo plures, etiam ab Epiſcopis, Vacienſium ad Danubium Stephano Broderico, & Pomeſanienſium ad Paſſariam Erhardo: præterea, Comite Julio Hardeccio, Barone Jano Zuolskio, & aliis, ad HESSUM datas Avtographas, quas Johannes Crato ab HESSI Hæredibus, & aliunde conquiſiverat: ex Cratonis autem Bibliotheca impetratas, Affinis Marcus Henricus Peinius, Eques Sileſius, donavit: multa illius Temporis Memorabilia, quæ alibi fruſtra quæras, continentes.

XXVIII. Alio etiam Modo ad Poſterorum Memoriam pervenit HESSI Nomen. Jure divino Epiſcopis etiam [Teſte Paulo ad Timotheum III. 2] conceſſum Matrimonium, ſibi non eſſe prohibitum, certiſſimus, Anno 1525, tum XXXV. Annorum Vir, Die Septembris VIII. inibat cum Virgine Sara, Stephani Jopneri, Cognomento alio Spiegleri, Senatoris Vratislavienſis ê ſuperioribus, Filia. Ex hac ſuſcepit Saram, Annam, Johannem. In mortuæ Conjugis Locum, Anno 1533 ſibi conjungebat Virginem Hedwigen, Petri Wahleri, Vratislavienſium Zygoſtatæ, qui Latinis Libripens dicitur, Filiam: Pauli, Marthæ, Magdalenæ,

Matrem. Inter Filios Johannem HESSUM, J. U. Doctorem, Silesiorum Ducis Olsnensis Consiliarium: Paulum, Medicinæ Doctorem, Witebergensis Academiæ Professorem reliquit. Inter Filias, in Societatem maritalem accepit Saram, Johannes Aurifaber, tum Philosophiæ Magister Witebergensis, postea Theologiæ Doctor, & Vratislaviensium Ecclesiarum Evangelicarum Pastor primarius: Martham Andreas Butnerus, Medicinæ Doctor: Magdalenam Johannes Nunhartus, Civis Vratislaviensis: Annam Fridericus Staphylus, Osnabrugensis Westphalus, Philosophiæ Magister: qui non tantum piam Conjugem, Anno 1549, (quo Vratislaviam venerat: Anno 1550 ibidem Literarum Græcarum in Elisabetano Gymnasio Professor) Die XVIII Decembris, solenniter assumtam: sed etiam Veritatem Evangelicam, quam diu coluerat, postha-bere nihil veritus est malitiosus Desertor.

MORS.

XXIX. Cum per Annos XXIV, Vratislaviensem S. Mariæ Magdalenæ Parochiam feliciter administraviſſet, ultimumque publicum Sermonem ad Populum Anno 1546, Die Decembris XXI, habuiſſet, Vitæ ſuæ multiformis Curſum peragebat, his poſtremis Verbis: *Ave Domine Jesu Chriſte:* Anno Ætatis LVI, Chriſti 1547: Die V. Januarii, ut Nicolaus Polius in Hemerologio indicat: Die VI. Januarii Sacro, ut vocari ſolet, trium Regum Feſto: quemadmodum idem Polius in Sileſiæ Chronico MSto, ad Annum 1547 commemorat. Quæ Diverſitas inde fortaſſis eſt orta, quod Abitus in Tempus nocturnum incidit: hoc autem alii ad priorem, alii ad poſteriorem Diem retulerunt.

XXX. Die VI. Januarii, mortuum eſſe confirmat Epitaphium, quod in S. Mariæ Magdalenæ Templo ſupereſt: cujus ad Aram ſummam ſub Albo Lapide jacet: ubi ſculptus Librum tenet, Digito ad hæc [Pſalmi CXVI, 10.] Verba directo: *Credidi, propter quod locutus ſum. Ego autem humiliatus ſum.*

JOHANNES HESSUS, Doctor Theologiæ, Paſtor Eccleſiæ Dei in hac Urbe, Vratislavia deceſſit ex hac mortali Vita, Anno M.D.XXXXVII. Die VI. Januarii.

Εσὶ

Εσὶ Θεῷ λιπαρῶν θυ.ία χαριεσέρα ἄλλων,
Καί ὀδμὴν γλυκερὰ λοιβὴ ἔειστ' ἀγαθὴν.
Τὴν σοφίαν καθαρῶς ἐυαγγελίοιο διδάσκειν,
Καὶ φωνῇ ὁσίαις δόγματα Θεῖα φρεσίν.
Τοῖος ΙΩΑΝΝΗΣ ποτὲ ἔνθα διδάσκαλ☉ ἦεν,
Ὡι πατρώα ἔην ΗΕΣΣΟΣ ἐπωνυμία.
Θέσφατα ὃς λαοῖς σπείρων ἐντάλματα Χριςᾶ,
Πιςὸς ἐὼν δολερὰς ἀ προσέμιξ' ἀπάτας.
Καὶ τίμισεν ἀκιβδήλοις ἀρεταῖς Θεὸν αἰεὶ
Ἐν κραδίῃ πίςιν, σεμνάτε ἦθη ἔχων.
Νῦν ἓν ἐσ μακάρων ψυχὴν θεὸς ἤγαγ' ὅμιλον,
Ἐνθὲ σορῷ ταύτῃ λείψανα θῆκε πόλις.

Id eſt:

Eſt Deo pinguibus Sacrificium aliis,
Et Odorem dulcis Libatio reddens bonum:
Sapientiam purè Evangelii docere,
Et reſonare ſanctâ Dogmata divina Mente.
Talis JOANNES quondam hic Doctor erat,
Cui paternum erat HESSUS Cognomentum.
Divina qui Populis ſeminans Præcepta Chriſti,
Fidus exſiſtens, doloſas non admiſcuit Fraudes.
Et coluit ſinceris Virtutibus Deum ſemper,
In Corde Fidem honeſtos Mores habens.
Nunc igitur in Beatorum Animam Deus duxit Cœtum:
In Sepulcro autem hoc Reliquias poſuit Civitas.

Phi-

Philippus MELANCTHON:
Ad Imaginem in Magdalenæa Bibliotheca.

Quod Tenebris pulsis & Sæcli Nocte prioris,
Lucem Evangelii clara BUDORGIS habet:
Debet id omne DEO, magnique Laboribus HESSI,
Qui fuit hic Verbi Buccina prima Sacri.

SCRIPTA.

XXXI. Johannis TURZONIS, Episcopi Vratislaviensis olim Secretarius, rariorem Silesiacarum Rerum Notitiam, ex MStis nondum editis hausta, per sui Temporis multiplices Occasiones auxerat. Eam Literis Latinis consignatam vocabat *Silesiam Magnam:* ex qua per Christophorum Henscherum, Syndicum Vratislaviensem, ad Usuram obtentâ, Nicolaus Henelius quædam in Silesia Renovata, Cap. VII. §. 16. Lectoribus obtulit.

XXXII. Præterea de variis Rebus *Epistolas*, cum Latinas, tum Germanicas composuit: adhuc in Bibliothecis tum privatis, tum etiam publicis superstites.

CAPUT XV.

Ad Annum M.D.XXXXVII. Diem XV. Januarii.

CHRISTIANUS FLEISCHERUS,

Golnicensis Hungarus.

VITA.

I.

ORigine paternâ Germanus, Golnicio, quod aliis Gilnicium, aliis Gelnicium dicitur, inter Montanas Urbes sito, in Germaniam digressus,

gressus, positis Studiorum Liberalium Fundamentis adstruebat Protestantium Theologiæ Scientiam. Eâ, potissimum Homiletica disertus, Anno 1527 in Vratislaviensium Templo, unde Christophorus Flaschnerus apud Taurinos in Agris Ecclesiæ Pastorem acturus, discesserat, Diaconis adjungebatur. Inter hos Evangelicam Doctrinam fideliter Populo explicare solitus bis ascendebat: denique Locum Archi-Diacono proximum possidebat.

MORS.

II. Muneris sui Partes jam per XX. Annos impleverat, cum Ætatis XLIX Annum ingressus Deo Spiritum reddebat, Anno 1547. Die Junii XV.

CAPUT XVI.

Ad Annum M. D. L.

GEORGIUS FRANCO,

Sternbergensis Moravus.

VITA.

I.

PAtre Silesio, Sternbergam digresso, natus, in Silesia Pueritiam Adolescentiamque Scientiis variis, Ætatem virilem Officiis Ecclesiasticis consumebat. Doctus & pius in Monsterbergensium S. Georgii Templo Diaconus Evangelicam Pietatem propagabat.

MORS.

II. Anni 1550, extremo vere, correptus Morbo, Vitam suam finiebat. In eodem Parochiali Templo sepultus Inscriptionem simplicissimam consecutus est:

Anno

Anno M. D. L. Feria ſexta Vigiliæ Trinitatis obiit venerabilis Dominus GEORGIUS FRANCO, Diaconus hujus Eccleſiæ.

SCRIPTA.

III. Præter *Concionum*, quas habuit, *Volumen*, Poſteris quoddam *Eccleſiaſticarum Rerum Monſterbergenſium Diarium* Germanice conſignatum reliquit: cujus meminit Autor Anonymus in MSto Sileſiæ Chronico, ad Annum

1550.



SILE-

SILESIORUM ALIENIGENARUM ERUDITORUM *INDEX I. PRÆNOMINUM.*

C.

Chriſtianus Fleiſcherus, Golnicenſis Hungarus. Cap. 15.
Cyprianus, Eques Polonus. Cap. 2.

G.

Georgius Franco, Steinbergenſis Moravus. Cap. 16.

H.

Hieronymus Suofheimius, Gorlicenſis Luſatus. Cap. 11.

I.

Jodocus Roſenbergius, Baro Bohemus. Cap. 8.
Johannes Henckelius, Leutſchovienſis Hungarus. Cap. 13.
Johannes Heſſus, Norinbergenſis Franeus. Cap. 14.
Johannes Romka, Eques Polonus. Cap. 6.
Johannes Rothus, Wemdingenſis Suevus. Cap. 10.
Johannes Turzo, Eques Polonus. Cap. 12.

L.

Laurentius Dolivita, Eques Polonus. Cap. 3.

R.

Rudolphus, Rudisheimenſis Moguntinus. Cap. 9.

T.

Theodoricus Bohemus Cap. 7.

Thomas Coslerogus, Eques Polonus. Cap. 4.
Thomas Zaremba, Eques Polonus. Cap. 5.

Z.

Zyroslaus Rosa, Eques Polonus.

SILESIORUM ALIENIGENARUM ERUDITORUM *INDEX II. COGNOMINUM.*

C.

THomas *Coslerogus*, Eques Polonus. Cap. 4.
Cyprianus, Eques Polonus. Cap. 2.

D.

Laurentius *Dolivita*, Eques Polonus. Cap. 3.

F.

Christianus *Fleischerus*, Golnicensis Hungarus. Cap. 15.
Georgius *Franco*, Sternbergensis Moravus. Cap. 16.

H.

Johannes *Henckelius*, Leutschoviensis Hungarus. Cap. 13.
Johannes *Hessius* Norinbergensis Francus. Cap. 14.

R.

Johannes *Romka*, Eques Polonus. Cap. 6.
Zyroslaus *Rosa*, Eques Polonus. Cap. 1.
Jodocus *Rosenbergius*, Baro Bohemus. Cap. 8.
Johannes *Rothus*, Wemdingensis Suevus. Cap. 10.
Rudolphus, Rudisheimensis Moguntinus. Cap. 9.

S.

Hieronymus *Suofheimius*, Gorlicensis Lusatus. Cap. 11.

Theodo-

T.

Theodoricus, Bohemus. Cap. 7.
Johannes *Turzo*, Eques Polonus. Cap. 13.

Z.

Thomas *Zaremba*, Eques Polonus. Cap. 5.

SILESIORUM ALIENIGENARUM ERUDITORUM. *INDEX III. PATRIARUM.*

GERMANI.

FRANCUS.

Norinbergensis.

JOhannes *Hessus*, Theologiæ Doctor, Vratislaviensium Theologus. Cap. 14.

LUSATUS.

Gorlicensis.

Hieronymus *Suofheimius*, Juris Utriusque Doctor, Canonicus Vratislaviensis. Cap. 11.

MOGUNTINUS.

Rudisheimensis.

Rudolphus, Episcopus Vratislaviensis. Cap. 9.

MORAVUS.

Sternbergensis.

Georgius *Franco*, Diaconus Monsterbergensis. Cap. 16.

SUEVUS.

Wemdingenſis.

Johannes *Rothus*, Epiſcopus Vratislavienſis. Cap. 10.

BOHEMI.

Jodocus *Roſenbergius*, Baro, Epiſcopus Vratislavienſis. Cap. 8.
Theodoricus, Vratislavienſium Canonicus, Epiſcopus electus. Cap. 7.

HUNGARI.

Golnicenſis.

Chriſtianus *Fleiſcherus*, Diaconus Vratislavienſis. Cap. 15.

Leutſchovienſis.

Johannes *Henckelius*, Juris Utriusque Doctor, Canonicus Vratislavienſis. Cap. 13.

POLONI.

Thomas *Coslerogus*, Eques, Epiſcopus Vratislavienſis. Cap. 4.
Cyprianus, Eques, Epiſcopus Vratislavienſis. Cap. 2.
Thomas *Dolivita*, Eques, Epiſcopus Vratislavienſis. Cap. 3.
Johannes *Romka*, Eques, Epiſcopus Vratislavienſis. Cap. 6.
Zyroslaus *Roſa*, Eques, Epiſcopus Vratislavienſis. Cap. 1.
Johannes *Turzo*, Eques, Epiſcopus Vratislavienſis. Cap. 12.
Thomas *Zaremba*, Eques, Epiſcopus Vratislavienſis. Cap. 5.

SILE-

SILESIORUM ALIENIGENARUM ERUDITORUM. *INDEX IV. TEMPORVM*

Mortem obierunt

SÆCULO XII.

Anno 1181. Die 3. Aprilis.

ZYroslaus ROSA, Eques Polonus, Vratislavienſis Canonicus, poſtea Epiſcopus. Cap. 1.

SÆCULO XIII.

Anno 1207. Die 21. Februarii.

CYPRIANUS, Eques Polonus, Monachus Præmonſtratenſis, Cœnobii Vratislavienſis Vincentini Abbas, Leubuſienſis in Marchia, intra Sileſiam Vratislavienſis Epiſcopus. Cap. 2.

Anno 1232. Die 8. Junii.

Laurentius DOLIVITA, Eques Polonus, Vratislavienſis Canonicus, poſtea Epiſcopus. Cap. 3.

Anno 1267. Die 30. Maji.

Thomas COSLEROGUS, Eques Polonus, Vratislavienſis, Canonicus, poſtea Epiſcopus. Cap. 4.

Anno 1292. Die 11. Martii.

Thomas ZAREMBA, Eques Polonus, Vratislavienſis Canonicus, poſtea Epiſcopus. Cap. 5.

SÆCULO XIV.

Anno 1301. Die 19. Novembris.

Johannes ROMKA, Eques Polonus, Vratislavienſis Canonicus, poſtea Epiſcopus. Cap. 6.

Anno 1382. Die 15. Februarii.

THEODORICUS, Bohemus, Philoſophiæ Magiſter, Vratislavienſis Canonicus, Decanus, Vicarius, Epiſcopus electus, ſed non confirmatus. Cap. 7.

SÆCULO XV.

Anno 1467. Die 12. Decembris.

Jodocus ROSENBERGIUS, Baro Bohemus, Hieroſolymitani Ordinis Prior, Stratonicenſis Præpoſitus: Vratislavienſis Epiſcopus. Cap. 8.

Anno 1482. Die 9. Januarii.

RUDOLPHUS, Rudisheimenſis Moguntinus, Decretorum Doctor, Romanæ Rotæ & Cameræ Auditor, Pontificis Romani Referendarius: primum Lavantinus, poſtea Vratislavienſis Epiſcopus. Cap. 9.

SÆCULO XVI.

Anno 1506. Die 21. Januarii.

Johannes ROTHUS, Wemdingenſis Suevus; Ladislai, Hungarorum & Bohemorum Regis Secretarius: Imperatoris Friderici III. inter Conſiliarios Aulicos Protonotarius: Lavantinorum Epiſcopus: Vratislavienſis Canonicus, Decanus, Epiſcopus. Cap. 10.

Anno 1516. Die 5. Aprilis.

Hieronymus SUOFHEIMIUS, Gorlicenſis Luſatus, Juris utriusque Doctor, in Vratislavienſium S. Johannis Templo Canonicus Scholaſticus. Cap. 11.

Anno

Anno 1520. Die 2. Auguſti.

Johannes TURZO, Eques Polonus, Vratislavienſium Canonicus, Decanus, Epiſcopus: Sileſiorum ſupremus Capitaneus. Cap. 12.

Anno 1539. Die 5. Novembris.

Johannes HENCKELIUS, Leutſchovienſis Hungarus, Juris utriusque Doctor, Canonicus Vratislavienſis. Cap. 13.

Anno 1547. Die 6. Januarii.

Johannes HESSUS, Norinbergenſis Francus, Philoſophiæ & Theologiæ Doctor: Johannis Turzonis Epiſcopi Vratislavienſis Secretarius: Joachimi, Monſterbergenſium & Olſnenſium Ducis Præceptor: Bononienſis Subdiaconus: Romanus Diaconus: Canonicus Niſſenſis, Bregenſis, Vratislavienſis: Vratislavienſium Eccleſiæ primus Theologus Evangelicus, S. Mariani Magdalenæi Templi Paſtor. Cap. 14.

Anno 1547. Die 15. Januarii.

Chriſtianus Fleiſcherus, Golnicenſis Hungarus, Vratislavienſis Templi Magdalenæi Diaconus. Cap. 15.

Anno 1550.

Georgius FRANCO, Sternbergenſis Moravus, Monſterbergenſium Eccleſiæ Diaconus. Cap. 16.

SILE-

SILESIORUM ALIENIGENARUM ERUDITORUM *INDEX V. SCRIPTORUM.*

THEOLOGICA.

Exegetica.

Rudolphi Episcopi Commentarius in Mosis Pentateuchum.
Ejusdem Commentarius in Josuæ Librum.
Ejusdem Commentarius in Judicum Librum.
Ejusdem Commentarius in Prophetam Esaiam.

Homiletica.

Rudolphi Episcopi de Tempore Sanctisque Sermones.
Georgii *Franconis* Conciones.

Oratoria.

Johannis *Romkæ* Epistola ad Silesios Clericos.

Jodoci Rosenbergii Epistolæ: (I.) ad Paulum II. Pontificem Romanum. (II.) ad Rudolphum, Episcopum Lavantinum. (III.) ad Lectores contra eundem Rudolphum.

Rudolphi Episcopi Epistolæ: (I.) ad Prothasium Episcopum Olomucensem. (II.) ad eum eique subjectos Canonicos. (III.) ad Decanum Olomucensem. (IV.) ad Ordinis Præmonstratensis Abbatem Rhadistensem. (V.) ad Civitates, Olomucensem, Brunnensem, Znogmensem, Iglaviensem. (VI.) ad Clericos Austriacos. (VII.) ad Conradum, Ducem Silesiorum Olaviensem. (VIII.) ad Bohemos, Silesios, Lusatos.

Johannis *Turzonis* Epistola ad Erasmum Roterodamum.

Johannis *Hessi* Epistolarum Volumen.

Polemica.

Rudolphi Episcopi Commentarius in Petri Lombardi Sententiarum Libros IV.

LEGALIA.

LEGALIA.

Silesiaca.

Thomæ *Zarembæ* Constitutiones Synodales Vratislavienses.
Rudolphi Episcopi citatio ad Synodum Vratislaviensem.
Ejusdem Innovationes antiquarus Constitutionum Vratislaviensium.
Johannis *Rothi*, Constitutionem Synodales Vratislavienses.
Johannis *Turzonis* Constitutiones Synodales Vratislavienses.

JURIDICA.

Communia.

Zyroslai *Rosæ* de Decimis Decimarumque Decimis Volumen.

HISTORICA.

Universalia.

Johannis *Rothi* de sui Temporis Rebus primariis Liber.

Silesiaca.

Johannis *Hessi* magna Silesia: id est, de Silesiorum Rebus memorabilibus Opus.

Georgii *Franconis* Ecclesiasticarum Rerum Monsterbergicarum Diarium.

SILESIORUM ALIENIGENARUM ERUDITORUM.

INDEX VI. MEMORABILIUM.

Numerus Romanus Caput, Barbarus Periodum indicat.

A.

MElchior *Adamus*. XIV. 21.
Andreas *Angelus*. II. 11.
Andreas, Ploccensium Episcopus. IV. 3. Vratislaviensis Synodi Assessor. IV. 3.
Johannes *Apellus*. XIV. 25.
Matthias *Auctus*. XIII. 2.
Johannes *Aurifaber*. XII. 10. XIV. 28.
Autor Famæ posthumæ Vratislaviensium Episcoporum. II. 6.

B.

Bohuslaus *Balbinus*. VIII. 51. IX. 19.
Boguphalus, Episcopus Posnaniensis, Vratislaviensium Synodi Assessor. IV. 3.
Boguslaus, Canonicus Vratislaviensis. IV. 9.
Boleslaus Calvus, Silesiorum Dux. IV. 6. Thomam I. Episcopum Vratislaviensem in Carcerem mittit. IV. 9. Diris devovetur à Gnesnensium Archiepiscopo Fulcone: quod Anathema spernit. IV. 16. spernit etiam Romani Pontificis Edicta. IV. 12.
Boleslaus Procerus, Silesiorum Dux. I. 1.
Johannes *Brentius*. XIV. 25.
Broda, Bohemorum Urbs. VII. 1.
Stephanus *Brodericus*, Vaciensium Episcopus. XIV. 27.
Martinus *Bucerus*. XIV. 25.
Gotfridus Ferdinandus *Buckisius*. I. 1.
Andreas *Butnerus*. XIV. 28.

C.

Calixtus III. Pontifex Romanus. VIII. 6.
Joachimus *Camerarius*. XIV. 25. 26.
Carolus Monsterbergensium & Olsnensium Dux. XIV. 3. Johannis Heffi, Vratislaviensium Theologi Defensor. XIV. 5. Bohemiæ Præfectus, Lusatiæ Gubernator, Glogoviæ Capitaneus Provincialis. XIV. 13.
Casimirus, Polonorum Rex. IX. 9.
Casimirus, Ratiborensium Dux. V. 7.
Casimirus, Teschinensium Dux, Silesiorum supremus Capitaneus. X. 9. 15. XII. 5.

Davides *Chytræus*. II. 11. 12.
Clemens IV. Pontifex Romanus. V. 2.
Clemens VII. P. R. VII. 5.
Johannes *Cochlæus*. VIII. 12 23.
Colo: videatur Opitius.
Colobratensis Silesiorum Transactio. X. 16.
Albertus *Colobratius*, Slavicè Colowratius, Bohemiæ Cancellarius. X. 15.
Conradus Gibbosus, Saganensium Dux, Canonicus Vratislaviensis. VI. 1.
Laurentius *Corvinus*. XIV. 20.
Thomas *Coslerogus*, Eques Polonus, Vratislaviensis Canonicus, postea Episcopus. IV. 2. Canonicis Mensam frugaliorem efficit. IV. 6. Vratislaviensium S. Claræ Templum ex ligneo lapideum consecrat. IV. 13. moritur. IV. 14.
Cracovienſium Episcopi: Ivo. III. 4. Pandrota. IV. 3. Stanislaus à Pontifice Romano Sanctis adscribitur. IV. 5.
Johannes *Crato*. XIV. 25.
Martinus *Cromerus*. IV. 12.
Johannes *Croto*. XIV. 25.
Georgius *Crugerius*. I. 1. II. 6. 7. III. 5.
Culmenſium Episcopus Henricus, Vratislaviensium Synodi Assessor. IV. 3.
Johannes Henricus *Cunradus*. II. 2.
Joachimus *Curæus*. I. 1.
Cyprianus, Eques Polonus, Præmonstratensis Monachus, Abbas Vincentinus Vratislaviensis. II. 1. Episcopus Leubusiensis, deinde Vratislaviensis. II. 2. quando mortuus. II. 6.

D.

Jacobus *Dambrius*, Poloniæ Thesaurarius. IX. 9.
Johannes *Dlugossus*. I. 3. 4. II. 4. 7. III. 5. IV. 14. VIII. 49. IX. 9.
Laurentius *Dolivita*, Eques Polonus, Vratislaviensis Canonicus, postea Episcopus. III. 1. liberalis in Canonicos. III. 3. Rosarum Odore mortuus. III. 5.
Johannes *Drusterus* [aliis Trœsterus] Præpositus Templi Cathedralis Vratislaviensis ab Episcopo in Carcerem missus. VIII. 41. 48.

E.

Edelsteina Castrum. V. 3. à Vratislaviensium Episcopo, Jodoco Rosenbergio occupatur. VIII. 43. sub Vratislaviensis Episcopi Rudolphi Potestatem venit. IX. 13.
Desiderius *Erasmus* Roterodamus. XII. 9. 13.
Erhardus, Pomesanensium Episcopus. XIV. 27.
Petrus *Eschenloerus*, Civitatis Breslicæ Notarius. VIII. 23. 51.

F.

Fantinus Vallensis, Romani Pontificis Legatus. VIII. 25. 26.

Michael Josephus *Fibiger*. II. 9.

Christophorus *Flaschnerus*, Theologus. Silesius. XV. 1.

Christianus *Fleischerus*, Theologus Vratislaviensis. XV. 1.

Georgius *Franco*, Theologus Monsterbergensis. XVI. 1.

Fridericus, Teschinensium Dux. X. 12.

Fulco, Gnesnensium Archiepiscopus, Assessor Synodi Vratislaviensis. IV. 3. Boleslaum Silesiorum Ducem, ob Episcopi Vratislaviensis Captivitatem, Diris devovet. IV. 10. debellaturus, contrahit Copias. V. 11.

Henricus *Fullensteinius*, Episcopus Nicopolitanus, Suffraganeus Vratislaviensis. XII. 4. XIV. 6.

G.

Ulricus *Geigerus*. XIV. 1.

S. *Georgii* Castrum, postea dictum S. Johannis Mons. XII. 12.

Martinus *Gerstmannus*. V. 1. IX. 18. XII. 15.

Conradus *Gesnerus*. IX. 10.

Glogovienſium S. Bernhardini Monasterium. IX. 11.

Gnesnensium Archiepiscopi: Petrus Secundus. I. 2. Henricus I. III. 1. Vincentius. III. 4. Fulco. IV. 3. Jacobus. V. 5. VI. 1.

Gregorius IX. Pontifex Romanus III. 4.

Gregorius XI. P. R. VII. 3. à Silesiis placatur Nummis. VIII. 4.

Sigismundus *Grossingerus*, Canonicus Vratislaviensis. X. 12.

Johannes *Gryphus*, Episcopus Vratislaviensis. I. 1.

Baptista *Guarinus*. X. 1.

Wolfius *Guldenius*. XIV. 1.

H.

Hadrianus VI. Pontifex Romanus. Vratislaviensibus Mutationem Religionis exprobrat. XIV. 17.

Martinus *Hankius*. I. 1. II. 12.

Julius *Hardeckius*, Comes. XIV. 27.

Johannes *Henckelius*, Canonicus Vratislaviensis. XIII. 1.

Nicolaus *Henelius*. II. 6. XIV. 21. 31.

Henricus Barbatus Vratislaviensium Dux. II. 3. III. 1. IV. 2.

Henricus Culmensium Episcopus, Vratislaviensium Synodi Assessor. IV. 3.

Henricus Probus, Silesiorum Dux Vratislaviensis. V. 4. Thomam Zarembam, Episcopum Terris suis spoliat. V. 4. à Cnesnensium Archiepiscopo Jacobo anathematizatur. V. 5. in Clericos acerbus. V. 6. in Lugdunensi Concilio accusatur. V. 7. Causam obtinet. V. 7. mutatus, Episcopum in Gratiam recipit. V. 8. in Ratiborensium Castro exstruit S. Mariæ Virginis Templum. V. 9.

Christophorus *Henscherus*. XIV. 31.

Eobanus *Hessus*. XIV. 25.

Johannes *Hessus*, Johannis Turzonis, Vratislaviensium Episcopi Secretarius. XIV. 2. Joachimi Monsterbergensium & Olsnensium Ducis, Præceptor. XIV. 3. Bononiensis Subdiaconus: Romanus Diaconus. XIV. 4. Canonicus Nissensis, Bregensis, Vratislaviensis. XIV. 5. Sacerdos. XIV. 5. fit ex Pontificio Evangelicus. XIV. 8. Vratislaviensis Ecclesiæ Magdalenææ Pastor. XIV. 12. Vratislaviensis Episcopi, Jacobi Salzæ, Consensu. XIV. 12. cum Pontificiis de Protestantium Religione disputat. XIV. 19. 20. Ambrosium Moibanum Collegam accipit. XIV. 23. quibus Virtutibus claruerit. XIV. 24. 25. multis charus. XIV. 25.

Johannes *Hessus*. ICtus. XIV. 28.

Sebastianus *Heynemannus*. XIV. 20.

Hieronymus, Cretensium Archiepiscopus, Pontificis Romani ad Silesios Legatus. VIII. 29. ab Episcopo Vratislaviensi Cretensibus mendacibus annumeratur. VIII. 29.

Petrus *Hœpnerus*, Canonicus Vratislaviensis, Hussita vulgo habitus, nondum Hæreseos convictus, damnatur. IX. 16.

Hieronymus *Hœrnigius*, Senator Vratislaviensis. XIV. 15.

Wenceslaus *Hœrnigius*, Senator Vratislaviensis. XIV. 15.

Ulricus *Huttenus*. XIV. 15.

I.

Jacobus, Archidiaconus Leodiensis. IV. 3.

Jacobus, Archiepiscopus Gnesnensis, Henricum Probum, Ducem Vratislaviensem anathematizat. V. 5.

Valerianus *Jæsius*. XII. 1.

Ambrosius *Jenckwicius*, Senator Vratislaviensis. XIV. 15.

Nicolaus *Jenckwicius*, Senator Vratislaviensis. XIV. 15.

Innocentius III. Pontifex Romanus. II. 5.

Innocentius IV. P. R. IV. 3. 5.

Joachimus, Monsterbergensium & Olsnensium Dux. XIV. 3.

Jodocus: videatur Rosenbergius.

S. *Johannis* Mons, dictus antea S. Georgii Castrum, instauratur. XII. 12.

Stephanus *Jopperus*, Senator Vratislaviensis. XIV. 28.

Ivo, Cracovienſium Episcopus. III. 4.

Wolfgangus *Justus*. II. 11.

L.

Ladislaus, Bohemorum Rex, Silesiorum supremus Dux. VIII. 6. 7.

Lancicienſis Synodus. IV. 10. V. 5.

Johannes *Langus*. XIV. 25.

Johannes *Lascus*. XIV. 25.
Antonius *Lebius*. XIV. 20.
Leo X. Pontifex Romanus. XIV. 11.
Nicolaus *Leubelius*, Senator Vratislavienſis. XIV. 15.
Leabuſienſis Marchicorum Epiſcopus Nankerus. IV. 3.
Leubuſinum Sileſiæ Monaſterium Monachis Benedictinis ademtum, Ciſtercienſibus datur. I. 1.
Fridericus *Lucæ*. I. 1. II. 6.
Ludovicus, Bohemorum Rex, Sileſiorum Dux. XIV. 11.
Martinus *Lutherus*, Diſputator Romanæ Eccleſiæ Dogmata oppugnat. XII. 8. Johannis Heſſi, Vratislavienſium Theologi Amicus. XIV. 8. 28.

M.

Philippus *Melanchthon*. XIV. 8. 25. 30.
Johannes *Metzlerus*. XIV. 20. 25.
Michael Vladislavienſium Epiſcopus, Vratislavienſium Synodi Aſſeſſor. IV. 3.
Ambroſius *Moibanus*. XIV. 23. 25.
Petrus *Moſellanus*. XIV. 25.
Conradus *Mutianus*. XIV. 25.

N.

Nankerus, Epiſcopus Leubuſinus, Vratislavienſium Synodi Aſſeſſor. IV. 3.
Balthaſar *Necherus*, Canonicus Vratislavienſis. XIV. 5.
Nicolaus, Majoricenſium Epiſcopus. VII. 4.
Nicolaus, Oppolienſium Dux, in Carcerem conjectus. X. 10.
Nicolaus Troppavienſium Dux. V. 3.
Antonius *Niger*. XIV. 20. 25.
Niſſam occupat Jodocus Roſenbergius, Epiſcopus Vratislavienſis. VIII. 13.
Johannes *Nunhartus*. XIV. 28.

O.

Opitius Colo, Canonicus Vratislavienſis. X. 6. XII. 4.
Oppavia: videatur Troppavia.
Stanislaus *Oſtrorogius*, Palatinus Caliſſienſis. IX. 9.
Otmochavienſem Arcem Johannes Rothus, Epiſcopus Vratislavienſis, inſtaurat. X. 5.

P.

Pandrota, Cracovienſium Epiſcopus, Vratislavienſium Synodi Aſſeſſor. IV. 3.
Paulus II. Pontifex Romanus, Georgium Podibradium, Bohemorum Regem, anathematizat, Regno privandum, tanquam Hæreticum Huſſitam. VIII. 30. IX. 4. Sileſios eum debellare nolentes, debellandum negantes, declarat Hæreticos. VIII. 38.

Marcus

Marcus Henricus *Peinius*. Eques Sileſius. XIV. 27.
Petrus II. Gnesnenſium Archiepiſcopus. I. 2.
Julius *Pflugius*, Eques Saxonicus Epiſcopus Naumburgenſis, Johannis Heſſi, Vratislavienſium Theologi, Amicus. XIV. 16. 25.
Franciſcus *Philelphus*. X. 1.
Jacobus *Picolomineus*. VIII. 27.
Pius II. Pontifex Romanus, Jodoci Roſenbergii, Epiſcopi Vratislavienſis, Amicus. VIII. 15. Georgium Podibradium, Bohemorum Regem, olim Amicum ſuum, ob Huſſiticam Religionem odit. VIII. 26. damnat. VIII. 28.
Ploccenſium Epiſcopus Andreas. IV. 3.
Georgius *Podibradius*, Bohemorum Rex, unde cognominatus. VIII. 7. Religionem Huſſiticam vocat Catholicam, non Romanam, ſed Orthodoxam intelligens. VIII. 8. Hæreticus a Pontifice Romano declaratus, non Bohemorum Rex a pleriſque Sileſiis agnoſcitur. VIII. 9. in Huſſitarum Oſores mitis. VIII. 12. Sileſios multos ſub Poteſtatem ſuam redigit. VIII. 14. multo plures experitur Adverſarios. VIII. 17. 19. ſe profitetur Huſſitam. VIII. 25. 26. ſolenniter a Paulo II. Pontifice Romano Hæreticus, Throno Regio dejiciendus ſtatuitur. IX. 4.
Precislaus *Pogarella*, Epiſcopus Vratislavienſis. VII. 2. 3.
Poggius Florentinus. X. 1.
Nicolaus *Polius*. II. 6 7. 9. IV. 12. 14. VIII. 49. XIV. 29.
Antonius *Poſſevinus*. IX. 20.
Primislaus II. Polonorum Dux. VI. 2.
Primislaus Sileſiorum Dux Troppavienſis, Canonicus Vratislavienſis. IX. 7.
Petrus' *Prockendorfius*, Canonicus Vratislavienſis. XIII. 2.

R.

Victorinus *Raitelaſſer*. XII. 1.
Ratiborenſium Dux Caſimirus. V. 7. in Ratiborenſium Caſtro Templum S. Mariæ Virginis exſtruxit. V. 9.
Nicolaus *Reichelius*, Senator Vratislavienſis. XIV. 15.
Sebaſtianus *Reyſigius*. XIV. 20.
Johannes *Romka*, Eques Polonus, Vratislavienſis Canonicus, poſtea Epiſcopus. VI. 1. Comitiis Gnesnenſibus & Pragenſibus intereſt. VI. 2. iracundus, ſed beneficus. VI. 3. ab Oſoribus male tractatur. VI. 4.
Zyroslaus *Roſa*, Eques Polonus. I. 1. Vratislavienſis Canonicus, tandem Epiſcopus. I. 2. in Canonicos liberalis. II. 3.
Roſarum Odore moritur Vratislavienſis Epiſcopus, Laurentius Dolivita. III. 5.
Roſenbergii, ob Urſum in Inſignibus

gnibus Urſini. VIII. 1. Armis & Literis celebres. VIII. 2.

Jodocus *Roſenbergius*, Baro Bohemicus. VIII. 1. Ordinis Hieroſolymitani Prior, Stratonicenſis Præpoſitus. VIII. 4. Ladislao Bohemorum Regi, Sileſiorum Duci, charus VIII. 6. Georgii Podibradii, Bohemorum Regis, Amicus. VIII. 11. Niſſam occupat. VIII. 13. cum Podibradio Pacem ineundam Sileſiis ſuadens, ſibi Odium attrahit. VIII. 14. ad Pium II, Pontificem Romanum, veterem Amicum, Romam proficiſcitur. VIII. 15. Vrati lavienſes Podibradio ſubjicere, fruſtra conatur. VIII. 17. a Romani Pontificis Legato anathematizatur. VIII. 29. a ſe Anathema Pontificium avertere laborat. VIII. 31. iis Pacem cum Podibradio ineundam ſæpius ſuadet. VIII. 32. 34. 36. ipſe ſit Religionis Huſſiticæ ſuſpectus. VIII. 35. Anathematis Pontificii Metu, cenſet denique Podibradium Sileſiis debellandum. VIII. 39. doctus, eloquens, prudens. VIII. 44. in eruditos benevolus, in pauperes liberalis, Convitiorum patiens. VIII. 45. moritur. VIII. 47.

Johannes *Roſenbergius*, Vratislavienſium Capitaneus Provincialis. VIII. 3.

Udalricus *Roſenbergius*, Pragenſium Burggravius. VIII. 2.

Vitekius *Roſenbergius*, Crumloviæ Bohemorum, Roſenbergæ Sileſiorum Dominus. VIII. 2.

Petrus Wokus Urſinus *Roſenbergius*, Familiæ ſuæ poſtremus. VIII. 2.

Johannes *Rothus*, Laurentii Vallæ Auditor. X. 1. Ladislai, Hungarorum & Bohemorum Regis, Secretarius: Imp. Friderici III. Protonotarius: Epiſcopus Lavantinus. X. 2. Epiſcopus Vratislavienſis. X. 3. Cærimoniarum Emendator. X. 4. Bonorum Epiſcopalium Reparator. X. 5. meliorum Morum Inſtaurator. X. 6. Aram Suidnicenſem conſecrat. X. 7. an fuerit ſupremus Sileſiorum Capitaneus. X. 9. Coadjutorem ſibi conſtituere cupit, X. 11. moritur. X. 17.

Rudolphus, Epiſcopus Lavantinus: Pontificis Romani Referendarius. IX. 1. 2. Legatus. IX. 2. 3. Pacem inter Polonos & Boruſſos componit. IX. 6. Epiſcopus Vratislavienſis. IX. 10. Glogovienſe Monaſterium conſecrat. IX. 11. Matthiæ Hungarorum & Bohemorum Regi Sileſiorum Duci, charus. IX. 13. Synodos celebrat. IX. 12. 15. Templum Glacenſe conſecrat. IX. 16. moritur. IX. 17.

S.

Saganenſium Dux Conradus Gibboſus, Canonicus Vratislavienſis. VI. 1.

Salisburgenſium Epiſcopus Vladislaus, Sileſiorum Dux Vratislavienſis. V. 2.

Jacobus *Salza*, Epiſcopus Vratislavienſis. XIV. 7. 12.

Johannes *Saubertus*. XIV. 27.

Georgius *Sauromannus*. XIV. 25.

Martinus *Scheiterus*. XIV. 20.

Georgius *Schellenbergius*. XIV. 3.

Jaroslaus *Schellenbergius*. XIV. 3.

Jacobus *Schickfuſius*. I. 1.

Andreas *Schmidius*. XIV. 20.

Sigismundus, Glogovienſium Dux. X. 15. XII. 5.

Sigismundus I. Polonorum Rex. XII. 6.

Joſias *Simlerus*. IX. 20.

Sileſii brevius a Pontifice Romano Jejunium obtinent. IV. 4. Georgium Podibradium omnes nec Bohemorum Regem, nec Sileſiorum Ducem agnoſcunt. VIII. 9. 10. plerique Literis ad Pontificem Romanum defendunt. VIII. 33.

Sileſiis Subjectionem Jodocus, Epiſcopus Vratislavienſis Georgio Podibradio Bohemorum Regi præſtandam perſuadere fruſtra conatur. VIII. 11. & ſequentibus.

Sileſiorum Præfecturæ ſupremæ, quæ ſupremus Capitaneatus vocatur, quis Autor. X. 8. Colobratenſis Transactio. X. 16.

Sileſios, Georgium Podibradium, Bohemorum Regem, debellare nolentes, debellandum negantes, Pontifex Romanus Hæreticos declarat. VIII. 38.

Georgius *Spalatinus*. XIV. 25.

Stephanus *Spieglerus*. XIV. 28.

Martinus *Spornius*. XIV. 20.

Stanislaus, Cracovienſium Epiſcopus, a Pontifice Romano Sanctis adſcribitur. IV. 5.

Fridericus *Staphylus*. XIV. 28.

Oswaldus *Streubingerus*, Canonicus Vratislavienſis. X. 12.

Jacobus *Stympha*, Gnesnenſium Archiepiſcopus, Johannem Romkam, Epiſcopum Vratislavienſem conſecrat. VI. 1.

Suidnicenſem Aram in S. Nicolai Templo Johannes Rothus, Epiſcopus Vratislavienſis conſecrat. X. 17.

Hieronymus *Suofheimius*, Canonicus Vratislavienſis. XI. 1.

Æneas *Sylvius*. X. 1.

T.

Nicolaus *Tempelfeldius*, Canonicus Vratislavienſis. VIII. 32.

Zacharias *Theobaldus*. VIII. 11. 23.

Theodoricus, Vratislavienſium Canonicus, Epiſcopus eligitur. VII. 2. non confirmatur. VII. 6.

Vitus *Theodoricus*. XIV. 25.

Valentinus Fridlandus *Trocedorfius*. XIV. 20. 25.

Træſterus: videatur Druſterus.

Troppavienſium Dux, Nicolaus. V. 3.

Johannes *Turzo*, Eques Hungarus, dives. X. 13. XII. 1.

Johannes *Turzo*, Eques Hungarus, Episcopus Varadiensis. XII. 4. 14.

Johannes *Turzo*, Eques Polonus. XII. 1. Canonicus Vratislaviensis. X. 13. Johannis Rothi, Vratislaviensium Episcopi, Coadjutor. X. 16. XII. 2. Episcopus Vratislaviensis. XII. 4. Aureæ monetæ cudendæ Jus ab Imp. Maximiliano I. impetrat. XII. 3. Silesiorum supremus Capitaneus. XII. 5. Ludovicum triennem Hungarorum & Bohemorum Regem coronat. XII. 6. Vladislai Hungarorum & Bohemorum Regis Legatus. XII. 6. fictorum Miraculorum Osor. XII. 7. Martini Lutheri Dogmata prudenter Æstimationi subjicit. XII. 8. ideo laudatur ab Erasmo Roterodamo. XII. 9. ab ipso Luthero. XII. 10. disparem Æquitatis suæ consequitur Censuram. XII. 11. Episcopalem Aulam Vratislaviensem: etiam S. Georgii Castrum, quod S. Johannis Mons dicitur, instaurat. XII. 12. Virtutibus clarus. XII. 13. XIV. 5. Johannem Hessum, Theologum Vratislaviensem, amat & defendit. XIV. 5.

Stanisla. *Turzo*, Episcopus Olomucensis. X. 13. XII. 4. 6. 14.

V.

Caspar Ursinus *Velius*, XII. 13. 25.

Vincentius I. Gnesnensium Archiepiscopus. III. 4. IV. 2.

Vladislaviensium Episcopus Michael. IV. 3.

Vladislaus, Hungarorum & Bohemorum Rex. 12. 14. 15.

Vladislaus, Silesiorum Dux Vratislaviensis, Salisburgensium Archiepiscopus. V. 2.

Vratislavienses Calamitatibus bellicis fracti, a Georgio Podibradio, Bohemorum Rege, in Triennium Inducias expetunt & obtinent. VIII. 23. 25. ob mutatam Religionem ab Hadriano VI. Pontifice Romano culpantur. XIV. 17. eam Mutationem defendunt Literis. XIV. 8. etiam Disputationibus publicis. XIV. 19. 20. cum Pontificiis Concordiam civilem ineunt. XIV. 19.

Vratislavienses Georgio Podibradio, Bohemorum Regi, tanquam Silesiorum supremo Duci, subjicere, Jodocus Rosenbergius, Episcopus Vratislaviensis frustra conatur. VIII. 17. 19. Belli contra Georgium Podibradium suscepti pœnitet. VIII. 42.

Vratislaviensium S. Claræ Templum ex ligneo lapideum, Episcopus Vratislaviensis consecrat. IV. 3. Episcopatus donatur Castro Edelsteina, & Oppido Zuckmantelio. IX. 13. aliis Bonis. IX. 14. Monachi Franciscani non parent Gnesnensium Archiepiscopi Mandato. V. 5.

Vratislaviensium Canonici: Poguslaus. IV. 9. Opitius Colo. X. 6. XII. 4. Conradus Gibbosus, Saganensium Dux. VI. 1. Laurentius Dolivita. III. 1. Eccardus IV. 9. Sigismundus Grossingerus. X. 12. Johannes Henckelius. XIII. 1. Johannes Hessus XIV. 5. Petrus Hœpnerus. IX. 16. Balthasar Necherus. XIV. 5. Primislaus Troppaviensium Dux. IX. 8. Petrus Prockendorfius. XIII. 2. Johannes Romka. VI. 1. Zyroslaus Rosa. I. 1. Oswaldus Streubingerus. X. 12. Hieronymus Suofheimensis. XI. 1. Nicolaus Tempelfeldius. VIII. 32. Theodoricus. XIV. 25. Johannes Turzo. X. 13. Osvvaldus Winckelerus. XIV. 11. Thomas Zaremba. V. 1.

Vratislaviensium Episcopi: Thomas Coslerogus. IV. 1. Cyprianus. II. 24. Laurentius Dolivita. III. 1.

Vratislaviensium Senatores: Hieronymus Hœrnigius XIV. 15. Wenceslaus Hœrnigius. XIV. 15. Ambrosius Jenckvvitius. XIV. 15. Nicolaus Jenckvvicius. XIV. 15. Stephanus Jopnerus. XIV. 28. Nicolaus Leubelius. XIV. 15. Nicolaus Reichelius. XIV. 15.

W.

Petrus *Wahlerus*. XIV. 28.

Wenceslaus II. Bohemorum Rex. VI. 2.

Osvvaldus *Wincklerus*, Canonicus Vratislaviensis. XIV. 11.

Wirbenavienses Comites, Suidnicensis Monasterii Conditores. III. 2.

Johannes *Wunscheltius* de Protestantium Religione disputat. XIV. 20.

Z.

Waltherus *Zadora*, Eques Polonus,

Ionus Episcopus Vratislaviensis. I. 1.

Thomas *Zaremba*, Eques Polonus, Vratislaviensium Canonicus, fit Episcopus. V. 1. ab Henrico Probo, Duce Vratislaviensi, Terris omnibus privatur. V. 4. in Exsilium pellitur. V. 7. erepta recipit. V. 8. duas Synodos habet. V. 11. moritur. V. 10.

Thomas *Zechorodus*. VIII. 49. 51. IX. 19.

Bernhardus *Ziglerus*. XIV. 25.

Leonhardus *Zipserus*. XIV. 20.

Zuckmantelium Oppidum. V. 3. sub Episcopi Vratislaviensis Potestatem quomodo venerit. IX. 13.

Janus *Zuolskius*. Baro. XIV. 27.



h/m-q